8381
XVIII

Aumentad, Señor en
mi la fe, de que soi m
Dios, y mi Redempto
haced, que callen, mi
imaginacion, y cuyo
dos, mientras, gozo
vuestra, dulce convers
cion, y presencia, todo
mis potencias, y facu
En la Real Escuela,

TOMVS SECVNDVS CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ

E QVINQVE MYSTICIS PRÆDICABILIBVS DUO PRIMA CONTINENS.

TOMVS SECVNDVS
CURSUS THEOLOGIÆ
MYSTICO-SCHOLASTICÆ
E QVINQVE MYSTICIS PRÆDICABILIBVS
DUO PRIMA CONTINENS.

CURSUS THEOLOGIÆ MYSTICO-SCHOLASTICÆ,

IN QVO MYSTICA ABDITISSIMA DVBIA EXPLANANTUR METHODO SCHOLASTICA IUXTA MIRAM, SOLIDAMQVE DOCTRINAM ANGELICI PRÆCEPTORIS D. THOMÆ SACRÆ THEOLOGIÆ PRINCIPIS.

AUTHORE PATRE Fre. IOSEPH A SPIRITU SANCTO, CARMELITA EXCALCEATO IN HISPALENSI SANCTI ANGELI CVSTODIS COLLEGIO RECTORE.

TOMVS SECVNDVS

R. P. N. F.^TRI SEBASTIANO A CONCEPTIONE RENOVATI CARMELI PRO CONGREGATIONE HISPANA DIGNISSIMO GENERALI DICATVS.



HISPALI CVM REGIO PRIVILEGIO. ANNO Dñi. 1721.

Divus Thomas opuſc. 61. cap. 23. *Potentia ſecundùm aliquid, quod poteſt, etiam minimum, potentia eſt, vel vis: ſecundùm autem ſummum, vel maximum, quod poteſt, virtus eſt. Inter vim, & virtutem quantum proficias, videris; quia etſi nec modum diligendi ex virtute in via contingat attingere, contingit tamen magis, & magis propinquare, ſecundùm quod in maioribus, & pluribus actibus vires ſtudueris exercere, vt proponas cum Propheta de futuro dicens*: Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi? *Et morituras glorieris cum Iacob de præterito dicens*: Noſti, quòd totis viribus meis ſervierim tibi. *Pone ergo in terminis extenſionem potentiæ* vt- re- mi- fa- ſol- la. *Totum hoc extenſum potentia, vel vis eſt, ſolùm* La- *virtus eſt. In hac ſpirituali muſica potentiarum tuarum actiones diiudica, & erubeſce ſemper in gravibus, & infimis Deo* ſol- fa- re. *Cum videris multos in ſervitio Diaboli, etiam quaſi voces mutare, qui non tantùm* La- *tenent, vt faciant totum, quod poſſunt; ſed mutando aſcendunt, & cum Diaboli adiutorio faciunt quodammodo plusquàm poſſunt.*

R. P. N.

FRI. SEBASTIANO A CONCEPTIONE,

ÆLIANI ARDORIS ZELANTISSIMO VIGILI,
THERESIANI SPIRITVS EXIMIO PROMOTORI,
VIRTVTVM OMNIVM ÆMVLANDO ARCHETYPO,
PURIORIS RELIGIONIS NITIDISSIMO CENTRO,
DOCTRINÆ MYSTICÆ CLARISSIMO EXEMPLARI,
TOTIVS REFORMATI CARMELI
EMERITO GENERALI,
FTER. IOSEPH A SPIRITV STO.
SUBDITORUM MINIMUS SECUNDUM TOMUM THEOLOGIÆ
MYSTICO-SCHOLASTICÆ IN OBSERVANTIÆ,
ET GRATITVDINIS MONVMENTVM,
D. O. S. C.

PROVINCIAE BIBLIOTECA Cadiz.

VMBRA INDIGVS, BENIGNISSIME P. N. vmbram anhelo, ſub quam confugiam, non quam, mucrone ſtricto, punctim, cæſimque percutiam, vt inſulſum illú apud Cælium Calcag. tentaſſe ridemus. Triviis nota mitto, conſtrinis ſcita prætereo. Scitum vbique eſt, Protectore indigere librum in Orbem literarium mittere ſatagentem: Sicut etiam Protectoris notiones ſcitiſsimæ apud omnes ſunt. Vt quid in his, quæ nullum latent, morabor? Quòd autem

in te hæc attributa fulgeant, ob quæ te mei ſudoris dignum Mecœnatem implorem, huius nuncupatoriæ epiſtolæ argumentum eſt. In ea me ferè nulla loquentem videbis, ſed Authorum ex omni Natione, quæ ſub Cælo eſt, aliqua, innumera poſſem, referentem auſcultabis. Quæ ſcribendi ratio plurima in his, eaque ſuaviſsima commoda pollicetur.

(1.) Claud. Clemen. ad lect. Muſæi.

Primum eſt, nè laudes tuas humiliter averſatus, ſi eas in meis vocibus ſculptas intueare, faciem retrahas. Secundum eſt, quia hanc epiſtolam, & totum hoc meum opus aceptata tibi deſidero, & dubio procul *habet* (1.) *in hoc genere diſſertationum tantam dignitatem frequens Authorum appellatio; vt quò rariùs doctor ſuis verbis loquitur, eò ſuſcipiatur magis.* Tertium eſt, non celare, ingrato animo, manum, qua inſtructrice tecum hæc verba mea facio, quia *ingenui* (2.) *pudoris eſt, fateri, per quos profecerimus.* Quartum denique, inter alia, reddere beneficium ipſis Inſtructoribus meis. *Nihil* (3.) *amplius Cæleſtis diſpenſator arcani ab humanis poſcit ingeniis, niſi vt intelligant, quo venit authore, quod ſapiunt. In Deo proximè agnoviſſe, qui præſtitit, reddidiſſe eſt beneficium.*

(2.) Plin. in epiſt.

(3.) Enod. in paneg. ad Theodor.

(4.) Virg. lib. 1. Æned.

Methodi ſubiiciendæ motiva ex parte dedi. Ad argumentum properans incipio, & vt

——(4.) prima repetens ab origine pergam.

(5.) Latin. Pacat. ad Theodoſ.

Solùm tibi (5.) *Hiſpania eſt, terris omnibus terra fælicior, cui excolendæ, atque adeò ditandæ impenſiùs, quàm cæteris gentibus ſupremus rerum fabricator indulſit.* Hiſpaniæ eximia pars Luſitania eſt

(6.) ... lib. 1. de Carth.

(6.) Dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli.

(7.) Benedictus Per. v. Luſitania.

Stabile (7.) *Chriſti imperium.* De qua viro Sanctiſsimæ vitæ *edixit Dominus* (8.) *per quandam intellectualem locutionem, qua ſæpe illum alloquitur, ſibi ſuos eſſe in terris Cæleſtium deliciarum voluptuoſiſsimos hortos, vernantibus floribus amœniſsimos, ad quos frequenter divertere ſoleret. Ex iis vnum eſſe Luſitaniæ Regnum, vbi odoriferi virtutum omnium flores paſsim germinarent.*

(8.) Emman. Lud. in ſuo Theodoſ. Luſit. l. 1. n. 443.

In hoc ergo Dei odorifero viridario communi vtilitati natus es Parentibus genere, ac pietate præclaris. Paterna ſolicitudine facilè credam impletum illud: *Dum tener* (9.) *eſt gnatus, generoſos inſtrue mores.* Quia *aptiſsimè* (10.) *Plato nutrices admonuiſſe videtur, nè pueris frivolas, aut turpes fabellas mandent, nè eorum animus ſtultitiis, & corruptis moribus inſtruant. Incipientem* (11.) *pubertatem ad delectum coegendam nullus ignorat: non enim tantùm celeriùs, ſed etiam perfectiùs imbuuntur, quæ diſcuntur â pueris.* Adfuit quidem hoc, adfuit; ſed quod penè deſideraretur, ſi abfuiſſet. Fuiſti enim ex iis, qui *egre-*

(9.) Phocilid. apud Plutarch.

(10.) Plutarch. de Inſtit. liberor.

(11.) Veget. l. 1. cap. 4.

giam

giam (12.) *ſortiti indolem in ea, quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cùm primùm audierunt.* Quando quidem,

(12.) Seneca epiſt. 95.

Mens (13.) ardua ſemper
A puero, teneriſque etiam fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos; erectus, & acer,
Fatiſque loqui iam digna futuris.
Iam tunc conſpicuus, iam tunc venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celſi nitor igneus oris.

(13.) Claudian. de Stilic.

Talis â primo vitæ limine Ephebiam attigiſti, & *quamvis* (14.) *de ſplendore natalium conſcientiæ iubar hauſeris; tamen fulgorem ſtirpis præcipuè morum radiis obumbraſti, vincens decorem ſanguinis ingenii claritate, dum coruſcantem germinis tui lampadem actuum ſerenitate tranſcendis, & factus es ſtemmatis victor tui, per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperaſti.* Atque

(14.) Enod. in vita Ant.

Hinc (15.) tua me virtus rapit, & miranda per omnes
Vita modos, quæ ſi deeſſet tibi fortè creato
Nobilitas, eadem pro nobilitate fuiſſet.
Nam quid imaginibus, quid habita fulta triumphis
Atria? Quid pleni numeroſo conſule faſtus
Proficerent? Si vita labat, perit omnis in illo
Gentis honos, cui laus eſt in origine ſola.

(15.) Ovid. Carm. ad Piſon.

Illum ſanguinem æmulatus eſt tuus, qui *ardet* (16.) *prodere ſe factis, veniſque ebullit honora ambitione.*

(16.) Macedo de Sang. Borb.

Hac ſacra vanitate allectus te in corde tuo alta occupatione meditor ſic conferentem: *Quid eſt* (17.) *eques Romanus, aut Libertinus, aut ſervus? Nomina ſunt ex ambitione, aut iniuria nata. Subſilire in Cœlum ex angulo licet.*

(17.) Senec. epiſt. 32.

Spolia (18.) *Deo ſacrantur, & tempore ſinunt ex lege corrumpi, neque licet reparare, vt exiſtimantes gloriam Priorum cum ſpoliis intercidere, ſemper novum aliquod virtutum monumentum parare operam dent.*

(18.) Plutarch. in q. q. Roman. q. 37.

Sæpè audivi (19.) *Quint. Max. & Pub. Scipionem, prætereà Civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere: Cùm Maiorum imagines intuerentur, vehementiſsimè ſibi animum ad virtutem accendi.*

(19.) Saluſt. in præmio.

Hæc tria meditatus ſum te profundiſsimè conferentem. Modò autem illis inſtructus, & aliis in eximio tui pectoris liceo contemplor ita ſyllogizantem: *Siquis genus* (20.) *iactat ſuum, aliena laudat*: igitur eſt *pulchrius* (21.) *multò parari, quàm creari nobilem.*

(20.) Sen. in Herc.

(21.) Solon apud Auſon.

Si,

(22.) Quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco:

(22.) Ovid. metamor.

Igi-

Igitur

Virtute (23.) decet, non ſanguine, niti.

(23.) Claud. pan. 4. Conſul. Honor.

Si *maiorum* (24.) *meritis gloria non datur*: Igitur.

Tota (25.) licèt veteres exornent vndique ceræ
Atria; nobilitas ſola eſt, atque vnica, virtus.
Plance, tumes alto Druſorum ſanguine, tamquàm
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes.

(24.) Cleobul. apud Aſon.

(25.) Iuvenal. Sat. 8.

Si ergo vera nobilitas eſt amare virtutem, (26.) *qua ad Cœlum tendimus*:

——————Procul, (27.) ô procul eſte prophani, vanique timores; mundo, & mundi remoris manumiſsis, ad portum veræ ſecuritatis propero, vbi ſub reformati Carmeli Imperatricis aſylo, aſilos Tartari ſtrangulante, nomen tumulem, & reperiam.

(26.) D. Greg. l. 5. moral.

(27.) Virgil. l. 6.

Magnum iter (28.) aſcẽdo; ſed dat mihi gloria vires.
Non iuvat ex facili lecta corona iugo.

(28.) Propert. l. 4. eleg.

Hæc fuit tuorum illorum diſcurſuum meta, vt novum inter noſtrates iter ordireris. In quo te alii præceſſere: non diffiteor. Sed *tu* (29.) *ad Dominum miraculo maiore converſus es: quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, ſubſtantia falcutatum non egentior, & in ipſo adhuc Mundi theatro, id eſt fori celebritate diverſans, & facundi nominis palmam tenens repentino impetu diſcuſsiſti ſervile iugum peccati, & lethali carnis, & ſanguinis vincula rupiſti. Beatus, qui refugiſti de concilio impiorum, & in via peccatorum perſiſtere noluiſti, & ſedere in cathedra peſtilentiæ dedignatus es, vt humilitate præcelſa pedibus Crucifixi accubares. Tu ergo verus factor legis, & Euangelii non ſurdus auditor, qui corpus, & Mundum configens Cruci delicias iuventutis, & vitæ præſentis mala gaudia pro luctibus averſatus es, reſpuens patrimoniorum onera.* Alieno te peniculo coloravi: in inditam modeſtiam tuam nihil feci.

(29.) D. Paulin. epiſt. 1. ad Sev.

(30.) Enodius in vita Anton.

In noſtro iam ſodalitio *Dei* (30.) *cultor tota diſciplinis cæleſtibus virium tuarum vela laxabas; & , cùm omnia eſſent digna præconiis, quæ gerebas, diſpendium virtutis credebas eſſe laudatum.* Dumoſum virtutis iter ea facilitate agreſſus es, ſicut

Facile eſt (31.) ventis dare vela ſecundis,
Fœcundumque ſolùm varias agitare per artes,
Auroque, atque ebori decus addere, cùm rudis ipſa
Materies niteat.

(31.) Manil. lib. 3. aſtronom.

Tranſeo ardorem fervidum, quo per omnes vitæ tuæ periodos vitam Religioſam tranſegiſti: ſcio enim *vera* (32.) *bona ex ſe ipſis naturaliter vocem mittere, etiam ſi ſileant. Nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat ab altero in-*

(32.) Phil. de Sacrif. Abel.

terdiu, ab altero noctu Mundum vniversum illustrari: sed ipso suo splendore fidem, vel absque teste, faciunt oculis. Huius tamen portenti originem non præteream. *Generatur hoc* (33.) *primùm quidem â sincera, perfectaque mente: quòd si quâ nobis cum Diis intercedit communitas, ea maximè virtutis huius gratia consistit, & per hanc in primis ipsis assimilamur. Denique, vt paucis omnia complectar, gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis Princeps.* (33.) Iamblic. epist. ad Phol. de Prudent.

Hæc optima virtus, aliarum stipante choro, te per omnes Religionis gradus perduxit: donec tuæ Religiosissimæ Lusitanæ Provinciæ clavum moderarere. Quo in munere expleſti sine homine instruente, sed ipsa virtute inspirante, monitum illud:

Expectata (34.) diu tandem Provincia cùm te
Rectorem accipiet———————————
———————miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.
Respice, quid moneant leges, quid Curia mandet. (34.) Iuvenal. Sat.

Talis ergo in hoc munere fuisti, vt ad supremam totius Religionis sedem, poscentibus meritis, clamantibusque votis, evectus sis. *Taceo* (35.) *vniversitatis in tua electione consonantiam, & discretarum nationum concordem sententiam non revolvo: statuat ista loco laudis, cui non suppetit, quod possit prædicare de moribus.* (35.) Enod. orat. de S. Laur. Episc.

Efferam ego, & omnes mirari debent *novum, atque* (36.) *inauditum ad Principatum iter. Non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor Principem fecit, assumptus es in laborum, curarumque consortium: nec te læta, & prospera stationis istius; sed aspera, & dura ad capessendam eam compulerunt.* (36.) Plin. in Paneg. Traian.

In throno sublimiori collocatus visus ab omnibus es. *Nullius* (37.) *vnquam faciem pro veritate loquentem premens, misericordiæ operibus iuxta virtutem substantiæ insistens, & tamen insistere supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, bene valentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquàm de propriis exultans, in corrigendis vitiis sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in ira iudicium sine ira tenens, in tranquilitate autem severitatis tuæ censuram non deserens.* (37.) D. Gregor. l. 2. indict. cap. 129.

Sed quò mea oratio festinat? Cùm impossibile sit, virtutum venustos radios, quibus ê Familiæ nostræ suprema sede fulges, recensere: priùs enim

Sydera (38.) sydera corruent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nollet,
Excutietque fretum, fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem. (38.) Lucan. l. 1.

Indignata, diem poſcet, ſibi, totaque diſcors
Machina, divulſis turbabit fœdera mundi.

Sed nec omnes tranſeundi.

Aſcendiſti in altum dignitatis gradum, quem meritiſſimè occupas. Et, vt dicebam priùs, aſcendiſti aliena vtilitate rogatus, probè callens, quòd

(39.) Seneca in Thieſt.

Nec (39.) abnuendum, ſi dat imperium Deus,
Nec appetendum: Frater, vt regnes, rogat.

Extemplò, ac obtemperans imperaſti, dotes eximii Præſulis oſtendiſti, quibus & tibi ſubditos modereris, & ad Cœlum feliciter efferaris. Has omnes ſub vnius virtutis nomenclatura ſubiicio:

(40.) Seneca in Octav.

Conſulere Patriæ, (40.) parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus; petitur hac Cælum via.

Vidiſti Præſulis attributa? Nos etiam iis omnibus Te fulgidum in Domino gloriamur. Sed illa, leviſsima licèt manu, mihi contingere liceat. Conſulis gregi commiſſo, & quidem vigilantiſsimè conſulis. Quiaque

(41.) Mart. lib. 8. epig.

Principis (41.) eſt virtus maxima noſſe ſuos, propterea omnes oves tuas ab initio tuæ aſſumptionis inviſere molitus es: quod exequeris proprio ſudori earũ vtilitatẽ præferẽs; quippe *hoc eſt* (42.) *Principatus, hoc eſt paſcendi ſcientia, ſua negligere, & eorum, quos regit, curam agere.* Siquidem *quod quieſcit,* (43.) *& ceſſat immotum imperfectum bonum eſt: nam mala quieſcere expedit, bona verò moveri.* Omnibus, quibus præes, ades, verè Sol, qui continuò ſibi ſubditos viſitat. Verè Sol Antiſtitum idea iuxta illud

(42.) Chryſoſt. in Pſalm. 113.

(43.) Phil. lib. de Cong.

(44.) Horat. de Bruto ſat. 7. lib. 1.

Solem (44.) Aſiæ Brutum appellat, ſtellaſque ſalubres
Appellat comites.

O, ſi in hoc Horatiano dicto mihi ſpatiari liceret! Sed eſt qui

(45.) Auſon. ad Paulin.

Scribere, (45.) feliceſque notas mandare libellis
Prohibeat.

Fructus, qui ex hac tua viſitatione comparantur, norunt omnes. Quibus inhiantes, quos adhuc inviſere non potuiſti, clamant vna voce dicentes:

(46.) Virgil. l. 6.

Nos (46.) flendo ducimus horas.

(47.) Nicephor. Greg. lib. 10.

O tu, (47.) *ô terræ Sol, in qua terra occidiſti, relictis nobis, vt glacie calamitatum examinemur!* E contra verò, quos tui aſpectus lucibus exornaſti, non ceſſant cordicitùs intonare:

(48.) Virg. lib. 6.

(48.) Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt———

in

In te ſortitos Antiſtitem,

——————Qualem (49.) vix reperit vnum (49.) Vulg.
Millibus ê multis hominum conſultus Apollo.

Et ad te converſi humili, pariterque feſtivo plauſu fatentur:

Te (50.) propter colimus leges—————— (50.) Claudian. dè conſ. Theodoſ.
——————nitidis quiſquis te ſenſibus hauſit,
Irruet intrepidus flammis, hyberna ſecabit
Æquora, confertos hoſtes ſuperabit inermis.
Ille vel Æthiopum pluviis ſolabitur æſtus,
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.

Nec mirum, ſi filii, in quorum vtilitatem peregrinaris, grates ſic benefactori rependant. Miriſsimum, quòd extranei tibi oppida ingredienti oppidò accurrant,& certatim te videre ſolicitent, præmium ſuæ activitatis maximum reputantes, ſi te vel raptim inſpicere potuere. Non fabuloſa refero, ſed quæ vidiſti, evulgo. Et hoc non ſolùm evenit in patrio ſolo; verùm, & maximè, ſub extraneo Cælo. *Ibi enim non ætas* (51.) *quemquam, non valetudo retardavit, quominùs oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare iuvenes, mirari ſenes; ægri quoque neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatemque prorepere. Quis ille,* (52.) *aientes, vigor, quæ ſolertia ſpiritus, quæ ſaltu ſuæ ſubtilitatis obſtantia quæque perrumpit, & quæ poſsit de ſingulis artibus, etiam cum ſingulis artificibus philoſophari.* Sic filii tui populorum ex omni claſſe comitante caterva, te excipiunt. (51.) Plin. de laud. Traian. (52.) Nicol. S. Bernard. notar.

Non alium certè (53.) Romanæ clariùs arces (53.) Claudian. de ſtil.
Suſcepere ducem, nec cùm cedente rediret
Fabricius Pyrrho, nec cùm Capitolia curru
Pelleæ domitor Paulus conſcenderet Aulæ.

Verum eſt, quod tua modeſtia

——————Strepitus (54.) faſtidit inanes. (54.) Idem de eodem.

Mag. illum Luſitaniæ Reg. Ioannem huius nominis III. imitata, *qui* (55.) *poſthabito ingentis pompæ apparatu, & commitatu præcedentibus dumtaxat viris duobus, arundines ſuas de more geſtantibus, per plateas Vrbium ſuarum ambulabat, & Templa inviſebat. Hinc ille Poëta Luſitanus* (liceat ſemel his vti) *in Epiſtola ad eundem Regem:* (55.) Mend. Virid. l. 5. Problem. 26.

Que ſe pode ir mais avante
Com os olhos, nem conſentido
Con duas canas diante
Is amado, ê is temido.

Hoc verè Religioſus deſideras; immo, & imperas ſeveriſsimè. Aſt qui ex tuo ovili non ſunt, ſola tua fama vocati con-

volant ſine numero. Vnde ipſa tua modeſtia ——Animis (56.) hominum pompa melior e triumphat. Sed multus abs dubio sũ; nec poſsũ ſic in ſingulis immorari. Solicitudinem tuam erga tuos filios vidimus, & præmium, quo illam Numen, vel te renuente, viſibiliter effert. Æquũ eſt, vt te afflictis parcentem intueamur. De hoc pauciſſima dicam; quia *pauperem* (57.) *me copia fecit.*

(56.) Claudian. vbi ſup.

(57.) Commun. de Niob.

Imperium (58.) tibi ſerò datum—— Clamant, quotquot benignitatem tuam experti ſunt, & cognoſcunt, te poſſe dicere ſine veritatis diſpendio: *Mihi,* (59.) *qui omnem ætatem in optimis artibus egi, benefacere ex conſuetudine vertitur in naturam.*

(58.) Claudian.

(59.) Saluſt. in Iug.

Hinc ortum ducit illa noſtri Præſulis ad ſubveniendum propenſio infatigabilis. Innata illi eſt; cò in eius exercitio haud laſſatur: laſſaretur tamen, ſi ſe â pietatis operibus ſegregaret: quia, cùm (60.) *in bonis conferendis liberalitate ſit præditus, nihilo magis ea de re defatigandus eſt, quàm Sol ſuos radios effundens: neque enim lucere laborioſum eſt ei, vtpotè cuius in natura ſplendor, & fons ipſe luminis continetur.*

(60.) Syneſ. l. de Repub.

Nec ſuſpicetur quis huic noſtri Antiſtitis applicationi continuum motum, quo orbem ſuæ iuriſdictionis gyrat, contrariari; quin potiùs ſciat, eidem fœliciter deſervire. Ipſius enim *prima* (61.) *res eſt multis benefacere, etiam ſi non ſit loco firmiter affixus. Niſi etiam Solem accuſet, quòd radium ſpargens circumcurrit, & omnia vivificat, quæ accendit. Aut ſtellas non errantes laudet, planetas verò vituperet, quorum etiam error concinnus eſt.* Præſul ergo noſter Solis inſtar *montes,* (62.) *& ſylvas obire non recuſat, obit præcipitia; cùmque de errante venit in partem errationis, nec ob mores odio inflammatur, etſi morbidam comperiat: ſed mali commiſeratione movetur, & ſubiiciens humeros proprio labore, oviculam curat laborantem, gaudet ipſa fatigatione, ovium inventionem ratus laſsitudinis eſſe levamentum.*

D. Gregor. Naz. epiſt. 52.

(62.) S. Baſil. ſeleuc. orat. 23.

Oſtendere conatus ſum, Benigniſsime P. N. ingenitam pietatem tuam, qua ante tuam exaltationem fulgebas, & poſt illam afflictorum filiorum corda indulgenter delicis. Faceſſat iam illa decantata parœmia, honores mutant mores, quia illam tuam priſtrinam pietatem adhuc in honore conſervas. Quod vel ex ſola lectione vnius epiſtolæ tuæ deprehendere poteſt quivis, & reſcribere: *Vidi* (63.) *literas veſtras, & adverti (quod facile fuit) falſum in parte eſſe vulgare proverbium, quo dicitur, honoribus mores mutari; neque enim honor aſſumptus ab amore noſtro ſemel olim cencepto, vos in aliquo permutavit.* Quòd ſi aliquam mutationem ſubivit; illa ſanè eſt,

(63.) S. Petrus Veneſ. epiſt. 1.

quam

quàm posset indigens flagitare. *Vivat* (64.) *in aliis illud vulgare proverbium: Honores mutant mores. In vobis autem id tantum, precor, obtineat, vt si mutent, aut moveant, eam motus speciem, quæ augmentum dicitur, non excludant.*

(64.) Stephan. Tornacens. epist. 61.

Et si ad particularia descendere opus foret, innumera, quibus benignitatem erga afflictos demonstrasti, offenderemus. Vidi te multoties cum mœsto tristem, cum patiente compatientem, miseris sublevantem,& etiam vidi, & obstupui, te pœnam erranti inflictam publicè exsolventem. Hoc denique est tuæ benignitatis exercitium, vt filiorum preces exaudias,in quo tuæ supremæ potestatis amplum dominium vividiùs exhiberi, cognoscunt, quotquot bene sapiunt. Quia

Cognoscitur (65.) nunquàm meliore potentia causa,
Quàm quoties vanas non sinis esse preces.

(65.) Ovid. lib. 2. de Ponto.

Hoc nitor iste tui generis desiderat, hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune Deis, quod vtrinque rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Hinc iam arduum non est colligere, in te adesse tertium illud, quo Bonus Pastor decorari debet, videlicet, â fera cæde abstinere. Qualiter crudelis erit Antistes verè pius? Ast quamquàm â fera cæde abstineas, non abstinesâ cæde virtuosa, qua delicta confundis, & delinquentes lucraris. *Res enim* (66.) *optima est, non sceleratos extirpare scelera.* Sicque Divinum exemplar sectaris. Deus enim peccatores vivere sinit, vt peccata tumulent, & ipsi ad suam gratiam reviviscant.

(66.) Seneca l. de mor.

Deniq̃ (67.) committunt homines mala crimina semper
Dat spatium, vt pereant crimina, non homines.

(67.) D. Prosp. l. epig. 5.

Ex eodem principio notum est, te tempus iræ dare, tuæque Familiæ quietem, pacemque impertire. In hunc finem omnia tua desideria diriguntur, in hoc centrum omnes lineæ propriæ activitatis collineant. Et herclè, Numine auxiliante, consequeris. Testis irrefragabilis huius veritatis est desiderium,quo flagrant ii omnes, quos semel invisisti, videndi iteratam visitationem, clamantes:

Hæc (68.) placuit semel, hæc decies repetita placebit.

(68.) Horat. in arte.

Quod haud facerent, si concordia reciproca, â te, vel orta, vel aucta, non gauderent. *Manifestatio est* (69.) *conscientiæ bonæ præsentiam iusti Principis expetiisse, quam solus ille desiderare potest, qui de magna mentis puritate confidit. Aspectum Solis nisi clara lumina non requirunt, quia illi tantùm possunt rutilantes pati*

(69.) Cassiod. l. 7. var. 35.

radios

radios, quos conſtat oculos habere puriſsimos. Sic præſentiam Principis ambiunt, qui de cordis ſinceritate præſumunt.

Delineavi, colendiſsime Pater, vt vt potui; ſeu potiùs ii omnes, qui hactenus locuti ſunt, te delineavere, dixereque, qualis ſub omni conſtitutione, & ſtatu fueris, & ſis. Dicta omnia in id collimant, vt te digniſsimum Mœcenatem demonſtrent. Tibi ergo hoc meum myſticum librum conſecro. *Quicquid* (70.) *enim in eo differitur, tibi, vt communi omnium myſticæ diſciplinæ Magiſtro, alumnorumque Carmeli educatori Generali, venuſtiſsimè congruit.* Quæ iure tua ſunt, auferrem, ſi aliud facerem. Graviſsimo fundamento ductus opus hoc â te obumbrandum ominor; ipſa tua erga ſcientias pia ſuadente propenſione: quia inter *eximias* (71.) *virtutes tuas maximè tamen quaſi è ſublimi quadam ſpecula ſe extendit, & extollit benignitas illa tua, & innata tua erga literarum ſtudioſos propenſio.*

(70.) Diſcept. myſtica in dedic.

(71.) Iuſt. Lipſ. in Crit.

Sol es: Vmbram tuam exopto: nec mireris, ſi vmbram â Sole deſidero; quin potiùs, ſi ab illo non deſiderarem, mirareris. Quippe *quemad modum* (72.) *illos, qui per Solem incedunt, ſectatur vmbra, velint ipſi, nolint, parum refert; ita vſum, & conſuetudinem noſtram cum Magiſtratibus ſequitur illa vtilitas, & emolumentum, vt poſsimus laborantibus ſuccurrere.*

(72.) S. Baſil. epiſt. 389.

Sol es: Et ad tanti Solis rotam confugio, vt vmbram inveniam, quam imploro. *Vmbra* (73.) *calorem temperat, corporis lineamenta retinet, per ipſam ad corpus venitur, fit enim obiectu corporis ad rem lucidam.*

(73.) Hug. Vict. epithet. rerum.

Myſticum hocce opus calumniatorum calorem pertimeſcit, quia (74.) *nihil tam facile, quàm otioſum, & dormientem de aliorum labore, & vigiliis diſputare. Et qui* (75.) *ſcribit, multos ſumit Iudices, alius in alterius livet, ac graſſatur ingenium.* Ac denique:

(74.) D. Hieron. in reg. Mon.

(75.) Idem ad Præſid.

Quis fuit, (76.) aut quis erit venerabilis ille poëta,
Cuius non rodat carmina livor edax.

(76.) Tierricus Vallicol.

Penſum abominabile hoc tuæ protectionis vmbra protelatur. Vmbra, quæ tanti obumbrantis lineamenta retinet, & per quam in ipſum obumbrantem veniamus, facillimè calumniatorum iniquos dentes comminuet. *Sit enim* hæc vmbra *obiectu corporis ad rem lucidam.* Chriſtus Redemptor noſter eſt vera Lux, ex qua, & tua interpoſitione proficuam hanc vmbram ſpero.

(77.) Hildebert. Epiſc. piſt. 16.

Accipe ergo ſub tua protectione hoc meum opus, *etſi nec pondere, nec ingenio, placet Artificis munus;* (77.) *non aliter tamen illud amplectere, quàm Superi, vel thura, vel pinguium libamina*

mina

mina victimarũ: Illi siquidem, non hostiam, sed affectum considerant: eorumque gratiam devotio, non impensa promeretur: purus, & integer animus eos, quocumque vult, inclinat: nec minùs quadrante, quàm talento Cœlestem mitigat indignationem.

Sic denique spero, vt hoc munusculum affectum intuens offerentis admittas,

(78.) Statius l. 2. Sylv.

Tu, cuius (78.) placido posuere in pectore sedem
Blandus honos, hilarisque tamen cum pondere virtus.
Cui, nec pigra quies, nec iniqua potentia, nec spes
Improba, sed meliùs per honesta, & dulcia limes
Incorruptè fidem, nullosque ex parte tumultus,
Et secretè palàm qui digeris ordine vitam.
Idem auri facilis contemptor, & optimus idem
Condere divitias, opibusque immittere lucem.
Illiacos æquare senes, & vincere præsta.

(79.) Idem ibid.

Vive (79.) Midæ gazis, & lydo ditior auro,
Troica, & Euphratæ supra diademata felix.
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno
Spemque, metumque domas, vitio sublimior omni,
Exemptum fatis, indignantemque refellit
Fortunam, dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies, sed abire paratum
At plenum vita.

Sic in nostram communem vtilitatem exopto, & deprecor.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

IESVS, MARIA, IOSEPH.

FRATER SEBASTIANVS A CONCEPTIONE, GENERALIS Ordinis Fratrum Diſcalceatorum Beatæ MARIÆ Virginis de Monte Carmeli primitivæ Obſervantiæ; de conſenſu noſtri Diffinitorij Generalis, & c. vt Liber, cuius titulus eſt, *Tomus ſecundus Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ*, â P. Fr. Ioſepho â Spiritu Sancto, Diffinitore generali primo noſtræ Sacræ Religionis, ſuis elocubrationibus acuratè elaboratus, & â gravioribus, doctiſque viris noſtri Ordinis (quibus ipſum videndum, & examinandum commiſimus) recognitus, & approbatus, typis mandetur, & vt in lucem prodeat, obtentis facultatibus neceſſarijs, tenore præſentium licentiam concedimus. Dat. in noſtro Conventu Matritenſi die vigeſima quinta Septembris. Anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo.

Fr. Sebaſtianus â Conceptione
Generalis.

Fr. Petrus à Sancto Bernardo,
Secret.

CENSVRA R. P. MAG. PETRI DE QVINTANA, ex Sacra PP. Cleric. Regul. Min. familia, poſt Cathedras apud Complutenſ. conſpicuè moderatas, ac poſt diverſas præfecturas, ſuæ Religioſiſsimæ Provinciæ Provincialis, Supremi Sanctæ Inquiſitionis Senatus Cenſoris, & à ſecretioribus Conſiliis, modòque in ſua Spiritus Sancti Matritenſi domo aſsiſtentis, & c.

SUpremi, ac Regii Caſtellæ Senatus iuſſu, vidi librum, cuius titulus eſt: *Tomus ſecundus Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ*; Authore R. P. Fr. Ioſepho â Spiritu Sancto, ex-Lectore Scræ Theologiæ, ex-Provinciali, ac modò Diſcalceati Carmeli primario Diffinitore generali, vidi, & omni attentione perſpexi, ſingularique voluptate meditatus ſum. Opus ſanè egregium, argumentum ſi ſpectes, ſtructuram ſi conſideres.

Huius operis argumentum eſt illa abſcondita, ſublimiſque ſapientia, quæ ob ſui arcaneitatem, & celſitudinem Theologia Myſtica dicitur: Theologia: Quia de Deo agit: atque ideò eſt, *Scientiarum Dea*, vt illam nominat Div. Thom. opuſc. 70. quæſt. 2. art. 2. ad 1. Myſtica: Quia iuxta eundem Ang. Præcept. lib. de Divin. nominib. Myſticum idem eſt, ac occultum. Arcanam hanc, ineffabilemque materiam continet liber, qui mihi committitur cenſurandus.

Iam diu (ingenuè fateor) â Religioſiſsima, pariterque doctiſsima PP. Carmelitarum Excalceatorum familia hocce opus expectabatur: præter continuum commercium, quod cum Cœlitibus habent huius Sacræ Religionis alumni, vi ſuæ Regulæ continuam ipſis cœleſtium

tium meditationem imperantis, myſtica dogmata omni rigore metaphyſico verſant. Lectorem deputatum habent, qui Scholaſticis ea ê ſuggeſtu propinet, & in paleſtra litteraria ſubtiliſsima ſpicula, quæ magis in ipſum dialectica ſtructura acuit, dexter Anthagoniſta retundat. Vbi viſu digniſsimum eſt pacatiſsimam Sacræ Minervæ togam in bellica inſtrumenta Palladis abire, & ipſius otioſitatem activam in Martis pulverem commutari. Hæc apud ipſos geruntur, ſed coram domeſticis tantùm, nullus extraneus huius graviſsimæ pugnæ particeps eſt, nec vota ſedarentur, ſi adeſſet: quandoquidem vnius, vel alterius aſsiſtentia vota communia non ſatiat, ſed pungit. Vnde perſiſteret clamor dicentium: *Deriventur fontes tui foràs, & in plateis aquas tuas divide.* Prov. 5. 16.

Orbem litterarium hæc litteratiſsima familia iam ditarat quinque tomis, in quibus vtramque Phyloſophiam, rationalem, videlicet, & naturalem, tradiderat. Ditarat completiſsimo curſu Theologiæ Scholaſticæ; ac denique quinque tomis Theologiæ moralis. Hæc iam tradiderat, & clamor nihilominus perſeverat: *Deriventur fontes tui foràs.* Cur ergo? Dicti fontes non ſunt proprii huius præclaræ familiæ? *Nunc hoc animadvertite, vt ea, quæ ſentio, pariter ſciatis.* Plaut. in cap. 1.

Traditi fontes proprii huius familiæ ſunt, & non ſunt proprii. Proprii: Quia â filiis, quos enutrierat, compacti, & â Divo Thoma huius diſcalceati emiſpherii cynoſura, excepti. Sed non proprii, quia Phyloſophia, aut Theologia moralis, Scholaſticave non ſunt huius familiæ character, ſed myſtica. Myſtica Theologia eſt nota characteriſtica, qua Religioſa hæc familia ab aliis familiis Religioſis ſecernitur, vt luculenter in hoc eodem libro demonſtratur. Diſtinctivum eius eſt Cæleſtium meditatio, & Divinorum aſsidua contemplatio. Hoc eſt huius familiæ ſtemma, hic fons proprius, qui in plateis dividi cordicitùs exoptatur.

Prudens familia votis acquieſcere renuit, donec Phyloſophia, ac Theologia Scholaſtica, Moraliſque præirent; ſunt enim pro myſtica Theologia penitùs neceſſaria. Moralis, ad vitæ compoſitionem, Scholaſtica, ad mentis illuſtrationem, & Phyloſophia ad facultatum animæ cognitionem. Quibus ductricibus curſum Theologiæ myſticæ, prout de illa agitur in ſuis domeſticis luctaminibus, meditatur, forſam oraculo noſtri Redemptoris, obtemperans.

Nolite portare ſacculum, præcepit ſuis Chriſtus Dominus, quæ verba ſic ad rem noſtram elucidat Div. Auguſtin. *Quid eſt ſacculo pecunia clauſa, id eſt occulta Sapientia? Quid eſt nolite portare ſacculum? Nolite fieri ſapientes penès vos metipſos: accipite Spiritum Sanctum, fons in te debet eſſe, non ſacculus: vbi erogatur, non vbi includitur.* Gloſſam Auguſtini dedi, ſed latet, an illam prorſus calleas? Non in ſacculo avarè occluſam ſuam myſticam doctam Carmelus reparatus habebat: ſibi myſticam ſcientiam reſervabat; hoc tamen avaritiæ non fuit, ſed providentiæ: præceſſere aliæ dictæ facultates, tuncque accepit *Spiritum Sanctum*, hoc eſt, Reverendiſsimo Ioſeph â Spiritu Sancto præcepit, vt Myſticæ Theologiæ curſum iuxta domeſticum morem exararet; ſicque aqua ſapientiæ ſalutaris, qua ſibi priùs vtebatur, omnibus in plateis exponeret. Luc. 10. Serm. 43. de Sanct.

Ingens hoc ſummæ arduitatis opus dictus Author ſcribit ſummo ſtudio, plena manu, & horribilibus monſtris fœliciter ſuperatis Magiſtrum in lege ſua apprimè verſatum, & omnia ſubtiliter verſantem,

hoc titulo Hebræi honorant, vt liquet ex R. Ioachanan, & aliis: vocant enim *Ruptor montium.* Quem titulum propriſsimè Authori huius operis conuenire, opus ipſum teſtatur; quandoquidem montes immenſæ molis paſsim iter impedientes rumpit, horrida planat, invia ſternit, & chelydris innumeris ſuperatis ſtatuam ſibi conſtruit immortalem.

Virid. lib. 6. or. 4. Ad Paradiſi oras Cherub excubabat habens gladium verſatilem, id eſt, exponit Menoch. ancipitem, & vtrinque ſecantem: *Hunc gladium*, ait Mendoza, *appello Dialecticam, qui gladius ſeparat naturas rerum, qui intimas penetrat in medullas.* Eſt quippe Dialectica errorum expultrix, ingeniorum illuminatrix, vel, vt Clemens Alex. deſcripſit: Ap. Mend. cit. or. 5. *Eſt hominum ad Divinam Sapientiam manuductrix.* Nunc ergo attendite, vt huius voluminis Author viam ligni vitæ, ſeu myſticæ ſapientiæ ſemitam illibatam ſervaret, vt Quietiſtarum incurſibus inſidiaretur, vt fætidos Moliniſtarum errores profligaret, poſitus â Deo eſt in amæniſsimo Carmelitarum Paradiſo. Gladium ancipitem manu ingeniosè conſtringit, quia ſubtilitatibus Dialecticæ, & Myſticæ, vt gladio ancipiti vtitur. Myſtica, & Dialectica, (ſed vividiùs loquor) Myſtico, & Scholaſtico, vnicum gladium conſtruit. Myſticæ filo panem ſuaviſſimum animabus frangit, ſuccum dulciſsimum porrigit. Hoc denique Opuſc. de hum. filo, vt Iuſtinianus aiebat, *myſteria cæleſtia pandit, per quæ rationalis potentia ſummæ veritatis irradiatur lumine, atque ſapientiæ pinqueſcit dulcedine.* Etiam Scholaſtico filo dimicans, micat, quia viſionum, & revelationum genera ſubtili præciſione diſtinguit, orationis ſpecies abſtrahit, graduſque Contemplationis præſcindit. Hoc demum Scholaſtico gladio nebulas, fallaciaſque Dæmonum abſcindit, atque Hæreticorum dolatos dolos trucîdat.

Tom. 35. in Erech. *Quantò Mundus ad extremitatem ducitur*, ait Gregor. *tantò nobis æternæ ſcientiæ aditus largiùs aperitur.* Nullibi aditus Myſticæ Sapientiæ diffuſior, quàm in hoc volumine. *In illo ſiquidem ſplendet vena intellectus, ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen*, quibus Author orPic. Mir. in Apolog. bem litterarium illuſtrat, & dogmata Myſticorum extollit. Ex myſtico, & Scholaſtico ſynteſin mirandam prodit, qua profundiſsimo magiſterio arduum perfectionis iter omnibus calcabile præbet. Vnde poſſum cum Iuſtiniano de Myſtico Doctore loquente, dicere: In fuſc. Am. cap. 2. *Hanc doctrinæ regulam nemo vnquam perfectiùs protulit, nullus inſinuavit clariùs.* Vt iam poſsit Author cum ſuo Seneca aſſerere: Epiſt. 79. *Qui præceſſerant non præripuiſſe mihi videntur, quæ dici poterant.*

Abs dubio, nec antiqui, nec moderni Theologiæ myſticæ Proceres arripuere, arripiuntve Authori huius operis gloriam, quia etſi de myſtica Theologia innumera volumina prodierint; etſi de oratione, contemplatione, viſionibus, revelationibuſque Divinis tractatus plurimos præ manibus habeamus, plurima huic Authori reliquere dicenda, eaque difficillima: nam vetuſta novitate induit, obſoletis nitorem impertit, debilia plurium Myſtarum aſſerta, valde ſuperficialiter tradita, rationum pondere librat, methodo Scholaſtica radicitùs ſolidat, latentes myſticæ ſapientiæ ſinus clarificat, dubia exenterat, obſtantia exarmat, ac denique quicquid in aliis ſemitractatum viſitur, hoc Myſto-Scholaſtico opere perfectiſsimè concinnatur. Ad rem Poëta ille:

Luſitan. in land. Com. Borb.

Quicquid in Authores alios, aut gratia quicquid
Natura, aut fortis dividit alma manus.

In

In te vno vberiùs coniungitur ; emicat vno
Hoc libro ingenium Palladis, Hermis opes.

Nuperrimè Author huius Myſtico-Scholaſtici Curſus, mirandum volumen edidit, aliud iam nunc mirabilius profert. Egregia feracitas: vnius voluminis limes, limen alterius eſt, & primo adhuc præli ſudore madente, iam aliud ſub prælo ſudat.

Egregium poſtquàm mens nondum effæta volumen
Edit in vulgus, vult dare maius aliud.

Ioan. Oven. epig. ad oper Lab.

Vt Porphirius quinque Logicæ prædicabilia excogitavit, quò rerum eſſentiæ clariùs, ac ſubtiliùs callerentur, ſic Author quinque prædicabilia myſtica meditatus eſt, quibus myſtica dogmata ad ſuas claſſes reducit, abſtruſas myſticæ Theologiæ veritates, clariſsimè explicatas offert, Myſtico-Scholaſtico certamini pabulum venuſtiſsimum præbet ; nec difficultatem ſerio tangit, quæ myſtica non ſit, nec myſticum dubium quantumcumque grave diſsimulat, nec ſegniter tangit, ſed ſolidiſsimè, clariſsimèque ediſſerit: *Reficiens animum* (verba Platonis ſunt) *diſputationibus honeſtis, & commentationibus*. Vnde dicere poſſum:

Lib. 9. de Rep.

——————Arte nova docet,
Qui virtutis iter non tantùm ſtraverit altum;
Hinc verum exornans, indeque dulce facit.

Iord. in epig. Labat.

Horum prædicabilium myſticorum novitate, qua myſticam Theologiam ſcribit, ſuum opus omnibus gratiſsimum facit iuxtà illud:

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſsima rerum.

Ovid. lib. 3. de Pon.

Et quo tempore myſtica hæc prædicabilia lucem vident? Eo tempore prodeunt, quæ abominabilis lues viget ogganientium iter ſpirituale à contemplatione incipiendum, & meditationem exterminandam, alioque plura horrenda pipiunt, à veritate auditum avertentes, & curſu celeri in tartara properantes. Contra hos omnes gladium vibrat Author, eorum carnea fundamenta detegens, & comminuens. *Quamobrem* (cum Chryſoſtomo loquor) *hortor, vt lectioni vacetis, ſenſus imbibatis, eoſque veſtris inſcribatis mentibus*. Et ad Authorem converſus, gratiam tam eximii operis rependens, dicam fideliter cum Authore malæ Fidei: *O fortunatos Ægyptios aiebam, qui Nilum habeant iampridem rerum omnium præbitorem, quas is afferre ſolet, ſed nunc multò beatiores, qui Muſis* (*prædicabilibus*) *tuis præterea fruantur nihil inferioribus Nilo: vel* (*vt ego ſentio*) *fortaſsis etiam maioribus. Ille enim terram eorum irrigando divites eos efficit ; tu verò lingua tua mentes adoleſcentium excitando adverſùs opes ſapientiæ dirigis, non minùs quàm olim Pithagoras, cùm ad eos ſe contulit, & poſt eum Plato.*

Hom. 52. in Ioan.

Iul. Imp. orat.

Nihil protuli; plura dixi. Nihil protuli, ſi quæ dicta ſunt cum libri, & Authoris meritis conferantur. Plura dixi, ſi munus demandatum contempletur. Totum illud devolvitur ad duplex monoſyllabum, *Eſt, & non*: vti elegantiſsimè canit Virg. poëmat. de illis monoſyllabis ſic:

Eſt, & non cuncti monoſyllaba nota frequentant.
His demptis, nihil eſt hominum, quod ſermo volutet.
Omnia in his, & ab his ſunt omnia, ſive negoti,
Sive oti quicquam eſt, ſeu turbida, ſive quietis.
Qualis vita hominum, duo quam monoſyllaba verſant,

Vnde virgam Cenſoris aſſumens, dico, quòd hic liber *eſt* dignus prælo, quia *non* invenitur in eo aliquid diſſonum Fidei regulis, bonis

moribus, aut regiis iuribus. *quin potiùs propter insignem humanarum, & Divinarum scientiarum, sententiarumque copiam, quibus non tam respersus, quàm instar plenissimi, exuberantisque fluminis refertus, abundat; verè liber omnium virtutum, ac morum doctrinam continens ritè dici posset.* Sic sentio in hac Spiritus Sancti Clericorum Minorum Matritensi domo die 25. Ianuar. An. Domini 1721.

Clem. Alex.

Petrus à Quintana
Cleric. Regul. Minor.

LICENCIA DEL REAL CONSEJO.

DON Balthasar de San Pedro Azevedo, Escrivano de Camara de el Rey nuestro Señor, y de Govierno de el Consejo, certifico, que por los Señores de èl se ha concedido licencia â Fray Bernardo de San Joseph, Procurador General de la Religion de Carmelitas Descalzos de esta Corte, para que por vna vez pueda imprimir, y vender vn Libro intitulado: *Cursus Theologiæ mystico-scholasticæ tomus secundus*, escrito por el Reverendissimo Padre Fray Joseph del Espiritu Santo, Difinidor General primero de su Religion, por el original, que va rubricado, y firmado al fin de mi mano, conque antes, que se venda, se traiga al Consejo juntamente con el original, y certificacion de el Corrector de estàr impresso conforme â èl, y se tasse el precio, â que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto por las leyes, y Pragmaticas de estos Reynos, y para que conste doy esta Certificacion en Madrid â catorze de Diziembre de mil setecientos y veinte años.

Balthasar de San Pedro.

CEN-

CENSVRA, ET APPROBATIO R. A. P. M. Fr. Antonii â Trinitate, & Torres in Sacra Theologia laureati, Examinaris Synodalis Archiepiſcopatus Hiſpalenſis, Rectoris Collegii D. Rochi civitatis Corduvenſis, Prioris Conventus Giennenſis, & in eadem menſa Epiſcopali Examinatoris, Prioris Conventus Granatenſis, Socii Provinciæ Bæticæ, & Diffinitoris, atque etiam ex-Vicarii Provincialis, & Rectoris Collegii D. Alberti civitatis Hiſpalenſis Sacri Ordinis Beatiſſ. Dei Genitricis, ſemperque Virg. MARIÆ de Monte Carmelo antiquæ Regularis Obſervantiæ.

EX commiſsione D. Doct. D. Franciſci Torres de Olea, & nec non Vicarii Generalis totius Archiepiſcopalis Diœceſis Hiſpalenſis, & c. librum, qui pro titulo habet: *Tomus ſecundus Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ*, Authore Rmo. P. Mro. Fre. Ioſepho â Spiritu Sãcto, Generali Diffinitore ſuæ Religionis Carmeliticæ Reformatæ, vidi, ſummaque aviditate perlegi. Hic enim liber eſt Divinitate plenus, & Divinorum ſpeculum. Vniverſa hæc operis moles perinde eſt, ac *Microcoſmos* tot ſplendoribus micans, ac litteris flammigeris ardoris ſcintillantis ſcientiæ exaratus. Palàm erudiens Dei gloriam, ſicut illius Auguſtiſsimam Maieſtatem prædicans. In quo rerum creatarum natura, & Dei oracula loquuntur; vtpotè Dei ſapientiam, potentiam, & virtutem mirè admirantur. Eſt clypeus aureus, in quem Sol refulget, vt mentes elevatas, ſicut montes, â fulgoribus ſuis reſplendeant, tenebras depellentibus. Eius enim ductu, vt perfectiſsimum artis myſticæ magiſterium traderet percelebris hic Scriptor (eò enim tendit ſuus labor, qui non purus meditationum, & contemplationum faſciculus florum, ſed exactum Myſticæ Theologiæ magiſterium) cuius manuductione peccatores qualicumque, & qualitercumque culparum luto defixi ad altiorem Chriſtianæ perfectionis apicem gradatim evehi in hoc vehiculo lucis ſolaris poſſent.

Et nè fortè alicui præſumptuoſum videri poſſet, vt anima multiplici abſoluta peccato petat â Chriſto Domino ſui cum Chriſto Domino vnionem: Audi Seraphicum Bonaventuram dicentem: *Nihil in hoc periculi, dum primò, oſculatur in pede per peccatorum recordationem: ſecundò, in manu per beneficiorum ſibi collatorum recognitionem: tertiò, aſcendat ad amoris oſculum, ipſum ſolum deſiderando, & affectibus flammigeris ei adhærendo.* Quod totum, aliaque myſticæ ſcientiæ difficillima, mira claritate, profunda eruditione, elegantique ſtylo explicat Author, ſequendo D. Dionyſium in lib. de Div. nominib. in Epiſt. quam Tito ſcripſit, & in lib. de Myſt. Theolog. videndum.

Eſt, & in nudis nominibus (inquit aureum os Chryſoſt. in epiſt. 3. ad Rom.) *magnum invenire Theſaurum.* Et ego ſuſpiciens hunc librum, invenio Authorem nominatum Ioſeph habere in fronte quaſi pro Coronide: nam ſi de illo antiquo Ioſepho caſtitatis ſpeculo, & Virginis Sponſo dixit magnus Parens Auguſtinus Eccleſiæ lumen, Ioſephum eſſe Solem: Et de hoc Mundo viſibili Sole illuceſcente dicitur, Solem corona cingi; ita hoc ſplendidum opus Authorem ſuum (myſticum Solem, ſcilicet,) vice corona cingi. Quo lecto, tam in ingreſſu inſtruente, in progreſſu dirigente, quàm in egreſſu complente ad rec-

rectam, & ſpiritualem vitam invenient auro Charitatis nutritionem, quæ eſt nativa incipientium: roborationem, quæ pertinet ad proficientes, ac denique perfectionem, quæ reſpicit ad perfectos. En triplex via: Incipientium, quibus convenit purgativa; Proficientium, quibus illuminativa; Perfectorum, quibus vnitiva. Quibus manet vltima aurea Cælo rutilans.

Hæc enim eſt vera ſapientia, hic verus ſciendi modus, hoc eſt verbum bonum, quod divinitùs ab æterno nos inſtruit, vt cum eo, qui eſt vita æterna, æternaliter vivamus, & cognoſcamus Deum verum. *In principio* (ait Sol Euangelii, Beniamin charorum Dei, & Euangeliſtarum Aquila Div. Ioan. cap. 1.) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Verbum enim Sapientia Patris, velut ſupremus Præceptor, & Divinus Sapientiæ Magiſter exaltatus in Crucis cathedra in ſemetipſo, quaſi in ſuo Verbo ſcripto in materia de Charitate, more logico, modo, ſcilicet, demonſtrativo, trahens nos poſt ſe ad ſequendam ſuam veram doctrinam, & ſequendo eius veſtigia demonſtrativè nos docet hanc Divinam lectionem myſticæ Theologiæ myſtico-Scholaſticæ, dicendo: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum-Chriſtum.* Vt cognoſcerentur â nobis tres viæ, quibus cum ipſo Deo vero animæ verè ſpirituales vniantur. *Vt cognoſcant te verum Deum*, (ecce purgativa) quia, cùm converſio ad Deum, & averſio â creaturis ſtare non poſsit abſque eo, quòd anima ſe purget â peccatis, per quæ erat converſa ad creaturam, & cùm, qui adhæret Deo, vnus Spiritus eſt cum illo, ideò in hac converſione, quæ eſt via incipientium, anima iſta quaſi *in principio erat Verbum.* In profectu, vitæ quia & *vita erat lux hominum* (illuminativa, ſcilicet,) Et in egreſſu, æterna (vnitiva, ſcilicet) quæ eſt vita Perfectorum, *nam Verbum erat apud Deum.*

Hanc igitur ſalutiferam Æterni Verbi Sapientiam adamuſsim hoc in præclaro opere vbique inſequitur ſapientiſsimus Author, ſtyloque Scholaſtico vbique ornat, & quam in ſuo fonte (Verbo ſcilicet) copioſiſsimè ebibit, ſitientibus fructuoſæ doctrinæ potum ſaluberrimum propinat. Incipientes erudit, Proficientes illuminat, Perfectos inflammat; imò, & peccatores ſuavi pondere allicit. Igitur, qui Theologiæ Myſticæ ſaluberrimo, ac ſuaviſsimo liquore refici deſiderat, opera huius Sapientiſsimi Magiſtri manibus evolvat, iugique labore percurrat, in quibus feliciter coniunctum invenit, quod in diverſis libris diſperſum, & nimia obſcuritate involutum, numquàm conſequeretur. Quapropter librum hunc approbatione dignum eſſe, omnino iudico, nec in illo inveniri quidquam, quod conſonum non ſit puritati Sacræ Paginæ, Apoſtolicis traditionibus, Conciliorum definitionibus, Pontificum declarationibus, ſenſibus SS. PP. boniſque moribus: Vnde merito, & iuſtitia (ſi benevolè Authori per te licet) typis opus mandetur. Ita ſentio (ſalvo meliori) in hoc quàm celebri Div. Alberti Carmelicolo Collegii Collegio Civitatis Hiſpalenſis die 22. Menſis Martii An. Domini 1721.

Fr. Antonius à Trinitate & Torres.

APPRO-

AP PROBATIO REVERENDISSIMI PATRIS

Emmanuelis â Generelo, & Spinola Præclariſsimæ PP. Clericor. Regul. Min. familiæ lucidiſsimi germinis, in Salmanticenſi academia è Theologorum ſacro choro profundiſsimi Magiſtri, Sacræ Scripturæ Primarii, ac ſuæ Obſervantiſsimæ Provinciæ ſemel, & iterum Provincialis.

IUSSU D. D. Ildephonſi de Olea Vicarii Generalis Archiepiſcopatus Hiſpalenſis attentè perlegi *ſecundum tomum Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ*, elaboratum â Rmo. patiterque Religioſiſsimo P. Fr. Ioſepho â Spiritu Sancto, Sacræ Theologiæ Lectore, ex-Provinciali Beticæ Provinciæ, actualique Generali Diffinitore Congregationis Hiſpaniæ Carmelitarum Diſcalceatorum, &c. Et cùm opus ſapientiæ plenum demirarer, illico illud Sapientiæ cap. 7. in mentem ſubiit, quo iudicium proferrem: *Eſt enim in illo Spiritus intelligentiæ, Sanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat benefaciens.* Sed quid mirum! Piè credam, quòd ſi Religioſiſsimo Authori adeò de ſe humiliter ſentienti, timoris pleno, vt tom. 1. Prolog. 1. teſtatur, cùm avidè veritatem exquireret, vt curſum Myſticum conſummaret: *Obiavit illi quaſi mater honorificata*, Myſtica animarum Doctrix D. Thereſia â IESU, *& quaſi mulier à virginitate ſuſcepit illum*, virgineo ſinu ſuo fovit: *Et cibabit illum* cæleſtis ſuæ doctrinæ pabulo, *pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum: & exaltabit illum apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus: & nomine æterno hereditabit illum.*

Sap. cap. 7.

Eccleſ. cap. 15. n. 2.

Luſtrentur ſingula, & in hoc opere tanto Authore digno, omnia cæleſtis ſapientiæ dona invenientur cumulata. Primò quidem ſplendet in illo: *Spiritus intelligentiæ, Sanctus*, quid enim hæc ſcripta niſi Sanctitatem redolent? Sanctitatem ſpirant? *Vt homines Deo devotos reddat: mentes inſtruit, & à terra ſubſtollit, ad ſupernæ contemplationis faſtigium evehit, vt per Divinſsimam vnionem cum Deo fiant vnus ſpiritus cum illo.* Neſciunt non alta petere Carmeli montis incolæ: *Mons coagulatus, mons pinguis. Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Ex quo enim: *Dominus dixit, vt habitaret in nebula*, quam Elias ex mari aſcendentem proſpexit, ad hæc vſque tempora inhabitavit mentes D. Thereſiæ, & B. Ioannis â Cruce, præclariſsimis Theologiæ Myſticæ Doctoribus, vt Divina luce perfuſi â montibus æternis mirabiliter animas illuminarent, vt innumeros alios huius montis accolas prætermittam, qui labore aſsiduo viam, quæ ducit ad ſupræmum contemplationnis verticem tot anfractibus plenam, calamo, exemplis, veſtigiis, planam, facilemque rediderunt. *Sed & Dominus habitabit in finem*: vt enim in montis culmine Author noſter pro meritis colocatus, qua itur ad Cælum, quaſi digito oſtendat, & manuducat: *Honeſtavit illum Dominus in laboribus ſuis, & dedit illi ſcientiam Sanctorum*: Thereſiæ, & Ioannis, quæ quaſi hereditaria ſucceſsione â cunctis Elianis adquiritur, cuſtoditur, fovetur, & altè retinetur.

Caſtr. *hic.*

Pſalm. 67.

3. Reg. 8. num. 12.

3. Reg. 18. n. 44.

Sapient. cap. 10.

Expendamus & alia: *vnicus*: ſanè ſeſe etiam oſtendit ſpiritus intelligentiæ in huius operis conſtructione: *vnicus*: vel quia rarus ita,

vel

vel quia ſolus. Terminis logicalibus primus, & *vnicus* (quem ſciam) ſublimiora Myſticæ Theologiæ arcana edocet, quo facto crediderim in commune animarum commodum, illud Exodi feliciter impletum: *Pones in rationali Doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron*: Myſtica namque Theologia, quæ in pectore, & corde primas ſedes obtinet, vt animum ad ſuperna erigat, conſultò *in rationali* (talis præcipuè Logica inſignitur)â peritiſsimo Magiſtro collocatur, vt mos ratiocinio myſtico aſueta, facile velatiſsimam doctrinam caleat, & veritatis reconditæ ſcopum feliciter attingat. Quarè, dum quaſi *vnicus* ratione duce ad ſublimiora dirigit, meritò primatum apud *prudentes eloquii myſtici* aſſecuturum auguror, quia ſingulariſsima methodo veritatem, & doctrinam ſapientibus ipſis abſconditam, *in rationali* ſcientia collocat, vt parvulis etiam reveletur, & cunctis pateat. Immo Sapientes ipſos occaſionē habituros exiſtimo, vt avidiùs, quàm vſque modò, profundiſsimas Myſticæ Theologiæ quæſtiones verſentur, tali novitate delinitas, iucunditate perfuſas, quæ Cæleſtis diſciplinæ ſtudium ingenerat, appetitum parit, & demulcet: *Sumus enim* (Celio Rodrig. teſtante) *ad id nos provehente naturali quadam vi, novitatis, omnes peravidi, quod prædulcis hæc ſentiatur, & iucunda, nec admiratione careat.*

Exod. cap. 28.

Celi. Rodig. lib. 1. lect. 7. Antiq. cap. 1.

Latet etiam, & patet in hoc egregio opere: *Spiritus intelligentiæ, multiplex, ſubtilis, acutus, diſertus. Multiplex*, quia Scholaſticæ, *expoſitivæ, moralis*, & Myſticæ Theologiæ ſpiritu abundat, harum omnium fluentis impletur, vt aquam ſapientiæ ſalutaris propinet: *Subtilis, & acutus*, quia miro ingenii acumine omnia penetrat, *etiam profunda Dei*: vt inquit Apoſtolus 1. ad Corint. *Spiritualis enim homo omnia diiudicat*, exquirit, inquirit, penetrat, ſpiritus diſcernendo, paſsiones ab inſpirationibus Divinis ſegregando, rerum eſſentias, differentias, proprietates, & accidentia demonſtrando, & minutiſsima quæque dignoſcendo. *Diſertus*, quia clarus, apertus, omnia explicat, & illuſtrat, verba ſuppeditat, apta ad mentis ſententiam aperiendam, & perſpicuam efficiendam, adeò: *Vt linguas infantium faciat diſertas*, & dum argumentatione veritatē inquirit, diſputantes *non poſsint reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui in ipſo loquitur.*

N.P. Lauren. Apon-

Vatab. & Nacunt. apud Aponte *hic.*

Sed age: Et claritatem, cum ſubtilitate, & multiplicitate doctrinæ miraberis ſupramodum coniunctam, nè dicam permixtā, vt quæſtiones, quas exagitat, propriis locis inſtituat, ad inſtar quinque prædicabilium logicalium, ſeriem quinque prædicabilium myſticorum conſtruxit; quibus genus, differentiam, ſpeciem, proprium, & accidens in myſticis aptiſsimè demonſtrat. O vere ſpiritum intelligentiæ, multiplicitate exornatū, claritate, & brevitate conſpicuum, ſubtilitate, & acumine præditum! Vel, vt Grecè legitur: *Acutum ad inſtar mucronis, & cuſpidis*, ad diſecandum, dividendum, ſcindendum: *Quaſi gladio quippe ex vtraque parte acuto*, circumciſionem myſticam perfectiſsimè conficit, quia rerum eſſentias, & proprietates penetrat, & ſcindit, vt Carmeli celebratiſsimi montis, qui *ſcientia circumciſionis* interpretatur, ſine interprete dignoſcatur filius. Ad præliandum igitur prælia Domini ſapiens iſte progreditur, acutiſsimo, ſubtilique ingenii gladio accinctus, eligens ſibi in quinque prædicabilibus myſticis *quinque limpidiſsimos lapides de torrente aquæ ſalientis in vitam æternam*; quibus pro dirimendis difficilioribus controverſiis, quaſi inexpugnabili muro mentem propriam munit, difficultatum confinia conſignat, argumenta in contrarium vnico ictu facilè exarmat, triumphum canit, & æternum ſibi nomen felici omine comparat.

Acta cap. 6.

Pro-

Prodeat igitur in lucem, & non ſolùm, *vt luceat omnibus, qui in domo ſunt*, Curſus iſte Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ poſt abſolutiſſimũ curſum Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ, & Moralis Carmelitanæ familiæ, & communi plauſu exceptum, nec minori, vt opinor, excipiendus. Hoc tantùm deerat, vt ſibi immortale decus familia tanta vendicaret, vt quiſquis vniverſam Theologiam addiſcere velit, non huc, illucque divagaretur, ſed Sacram Thereſiæ Minervam adiret. Sed iam iam Sapientiſsimam huius Palladis progeniem mihi alloquentem auſculto multis ex Nacianzeno vocibus: ad illa verba: *Alium Paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Vides iam*, in P. Ioſepho â Spiritu Sancto, *illuminationes paulatim nobis effulgentes; Theologiaque* (Myſticæ) *ordinem, quem nobis tenere præſtiterit, vt nec repentè, nec confeſtim omnia in lucem efferamus, nec in finem vſque occultemus.* Ergo dum ita ſibi Thereſiæ Alumni *viciſſim lampada tradunt.* Quæ Cæleſtis eius doctrinæ pabulo nutriuntur, appoſitè cum Leone Magno rependam: *Indulgentiùs nobiſcum egit doctrina Cæleſtis* (Thereſiæ) *quos in hæc Mundi tempora diſtulit, ad intelligentiæ facultatem, vt multò pluribus quàm priores, & vatibus* (pro talibus filii Prophetarum habentur) *vteremur, & teſtibus.*

Ioann. cap. 14. n. 16.

Nacianz. orat. 4. de Theolog.

Leo Mag. Serm. 18. de Paſſ. Dom.

Sed vt qualequale iudicii mei initium reſumam, & finem imponam: cũ ſpiritus intelligentiæ, qui curſum iſtum, & perficit, & cõſumat, *ſit incoinquinatus*, quia ab omi erroris labe purus: *certus*, quia Fidei regulis conſonus, & Sanctorum PP. doctrinæ firmiter innixus: *amans bonum*, quia in commune bonum elaboratus: *nihil vetat benefaciens*: vel aptiùs ad rem noſtram, nihil obſtare poteſt, vt typis mandetur opus *benefaciens* Eccleſiæ, litterariæ reipublicæ, animarum directioni, ſtudiorum publicæ vtilitati. Ita cenſeo, ſalvo, &c. Matriti in hac Spiritus Sancti domo Clericorum Regularium Minorum die 16. Februarii Anni Domini 1721.

Emmanuel à Generelo, & Spinola,
Clericorum Regular. Minor.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Doctor D. Franciſco de Olea Torre, Proviſor, y Vicario General de eſta Ciudad de Sevilla, y ſu Arzobiſpado, por el Exmo. Sr. Don Phelipe Antonio Gil de Taboada, mi Sr. por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apoſtolica, Arzobiſpo de Sevilla, del Conſejo de ſu Mageſtad, &c. Por el tenor de la preſente, y por lo que toca â la Juriſdicion Eccleſiaſtica ordinaria, damos licencia para que por vna vez ſe pueda imprimir, ê imprima vn libro, cuyo titulo es: *Tomus ſecundus Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ*, ſu Author, el M. R. P. Fr. Joseph del Espiritv Santo, Rector actual del Colegio del Angel, del Sagrado Orden de Carmelitas Deſcalzos, por no contener coſa contra nueſtra Santa Fè, y buenas coſtumbres, de q̃ han dado ſus Cenſuras los M. RR. PP. Maeſtros Fr. Antonio de la Trinidad, y Torres, del Sagrado Orden de N. Sra. del Carmen, y el P. Manuel Generelo, y Eſpinola, Provincial actual de los PP. Clerigos Menores en la Provincia de Caſtilla, con tal, que al principio de cada libro ſe imprima eſta nueſtra licencia, y dichas Cenſuras. Dada en Sevilla â tres de Setiembre de mil ſetezientos y veinte y vn años.

Doctor D. Franciſco de Olea Torre.

Por mandado del Señor Proviſor.

Franciſco Cotallo Not. M.

INDEX PRÆDICABILIVM, DISPUTATIONUM, QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORVM,

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

NVMERVS PARAGRAPHORVM EST MARGINALIS.

PRIMUM PRÆDICABILE.
De natura mysticè perfectibili.

DISPUTATIO I.
De Meditatione.

Q. 1. Vtrùm meditatio reddat animam proximè perfectibilem ad contemplationem? pag. 2.
§. 1. Explicatur titulus, referuntur sententiæ, & vera eligitur. num. 1.
§. 2. Solvuntur argumenta. 7.
Q. 2. Vtrùm opinio asserens, animam sine meditatione posse contemplari, sit periculosa? pag. 7.
§. 1. Vera sententia proponitur, & probatur. 11.
§. 2. Respondetur Argumentis. 22.
Q. 3. Vtrùm viam spiritus incipere â contemplatione opponatur bonæ Philosophiæ? pag. 14.
§. 1. Ponitur conclusio affirmans. 29.
§. 2. Solvuntur argumenta. 36.
Q. 4. Vtrùm recentes â peccatis surgès admitti possit ad meditationem? pag. 20.
§. 1. Eligitur sana doctrina. 44.
§. 2. Motiva opposita solvuntur. 52.
Q. 5. Vtrùm aliqui excludantur ab exercitio meditationis? pag. 25.
§. 1. Triplex conclusio pro veritatis resolutione. 60.
§. 2. Occurritur argumentis. 70.
Q. 6. Vtrùm omnes, qui meditantur, admittantur ad contemplationem? 31.
§. 1. Statuitur assertio negativa. 77.
§. 2. Respondetur argumentis. 82.

DISPUTATIO II.
De virtute orationis secundùm se sumptæ, ac de potentia illam producente.

Q. 1. Vtrùm oratio rectè â Mysticis definiatur? pag. 35.
§. 1. Vera sententia proponitur. n. 1.
§. 2. Respondetur argumentis. 8.
Q. 2. Vtrùm oratio rectè diffiniatur â Scholasticis? pag. 43.
§. 1. Veritas tenenda proponitur. 41.
§. 2. Argumentum primum solvitur. 44.
§. 3. Alia argumenta. 58.
Q. 3. Cuius potentiæ actus sit oratio? pag. 52.
§. 1. Defenditur sententia Thomistica. 84.
§. 2. Obiectiones. 89.
§. 3. Vltima ratio pro conclusione. 99.
§. 4. Argumenta. num. 108.
Q. 4. Vtrùm oratio eliciatur â virtute Religionis? pag. 60.
§. 1. Prælibantur aliqua, & referuntur sententiæ. 124.
§. 2. Statuitur nostra conclusio. 126.
§. 3. Argumenta. 129.

DISPUTATIO III.
De necessitate orationis.

Q. 1. Vtrùm oratio necessaria sit, & qua necessitate? pag. 67.
§. 1. Proponitur, & probatur prima con-

conclusio. 2.
§. 2. Secunda conclusio. 10.
§. 3. Argumenta. 19.
Q. 2. Vtrùm in primo instanti vsus rationis vrgeat orationis præceptum? pag. 78.
§. 1. Præmittuntur aliqua, & referuntur sententiæ. 39.
§. 2. Eligitur sententia affirmativa. 40.
§. 3. Commune adversariorum effugium. 50.
§. 4. Argumenta. 57.

DISPUTATIO IV.

De iis, qui possunt orare.

Q. 1. Vtrùm Deo conveniat propriè, & formaliter orare? pag. 87.
§. 1. Dirimitur prima pars dubii. 8.
§. 2. Deciditur dubium quoad secundam partem. 11.
§. 3. Argumenta contra primam conclusionem. 16.
§. 4. Argumẽta contra secundam conclusionem. 28.
Q. 2. Vtrùm Sancti, qui in Cœlo sunt, orent pro nobis. pag. 96.
§. 1. Diversa placita relata, & Catholica veritas proposita. 32.
§. 2. Hæreticorum somnia dissipata. 37.
Q. 3. Vtrùm existentes in Purgatorio orent? pag. 100.
§. 1. Defenditur vera sententia. 51.
§. 2. Obiectiones. 53.
§. 3. Argumenta. 69.

DISPUTATIO V.

De iis, qui possunt orari.

Q. 1. Vtrùm Deus oretur sub ratione personæ? pag. 110.
§. 1. Communis sententia statuitur. 5.
§. 2. Obiectiones. 10.
§. 3. Argumenta. 13.
Q. 2. Vtrùm ad Sanctos orare valeamus? pag. 114.
§. 1. Superstites possunt orare Sanctos. 18.
§. 2. Nebulæ Hæreticorum dissipantur. 23.
Q. 3. Vtrùm detur præceptum de invocatione Sanctorum? pag. 122.
§. 1. Conclusio nostra proponitur. 35.
§. 2. Argumẽta proposita, & soluta. 49.
Q. 4. Vtrùm omnes superstites Sanctos invocare debeant? pag. 129.
§. 1. Motivum præsentis controversiæ exponitur, & sana doctrina stabilitur. 55.
§. 2. Motiva adversæ opinionis enervata. 72.
Q. 5. Vtrùm ad Sanctissimum Patriarcham N. D. Eliam possimus orare? pag. 139.
§. 1. Eligitur vera sententia. 85.
§. 2. Ecclesiæ authoritate probatur rursus conclusio nostra. 94.
§. 3. Aliter vera resolutio probatur. 99.
§. 4. Argumenta. 106.

DISPUTATIO VI.

De iis, pro quibus orare possumus.

Q. 1. Vtrùm possimus â Deo petere gloriam essentialem Beatorum? pag. 149.
§. 1. Nonnullis præmissis, referũtur sententiæ, & ponitur nostra assertio. 1.
§. 2. Solvuntur aliquæ obiectiones. 10.
§. 3. Argumenta diluuntur. 31.
Q. 2. Vtrùm possimus orare pro gloria accidentali Beatorum? pag. 162.
§. 1. Post brevem observationem referuntur sententiæ, & duplici conclusione dirimitur controversia. 42.
§. 2. Solvuntur argumenta vtramque conclusionem impugnantia. 56.
Q. 3. Vtrùm orare possimus pro damnatis, vt ab æternalibus flammis liberentur? pag. 169.
§. 1. Titulus explicatus, sententiæque propositæ. 66.
§. 2. Veritas sectanda proponitur. 71.
§. 3. Aliquot obiectiones adducuntur. 76.
§. 4. Testimonium D. Dionys. Mysticæ Theolog. Princip. in comprobationem nostræ conclusionis. 83.
§. 5. Aliqua argumenta proposita. 87.
§. 6. Solvitur argumentum difficile. 95.
Q. 4. Vtrùm possimus orare pro damnatis, vt levamen aliquod accipiant? pag. 184.
§. 1. Proponitur vera sententia. 103.
§. 2. Respondetur argumentis. 110.
Quæst. 5. Vtrùm existentibus in Limbo prodesse possint orationes via-

torum? pag. 194.
§. 1. Quid sit tenendum proponitur, & probatur. 127.
§. 2. Obiiciuntur nonnulla cõtra istam rationem. 131.
§. 3. Respondetur argumentis. 137.
Q. 6. Vtrùm pro existentibus in Purgatorio orandum nobis sit? pag. 200.
§. 1. Referuntur sententiæ, & vera eligitur. 141.
§. 2. Acatholicorum argumenta soluta. 155.
§. 3. Alia argumenta contra extensionem assertionis nostræ. 165.
Q. 7. Vtrùm pro viventibus omnibus orare possimus? pag. 209.
§. 1. Non licet orare pro salúte omnium hominum collectivè sumptorum. 169.
§. 2. Occurritur aliquibus, quæ propositum assertum impugnant. 172.
§. 3. Orare non licet pro eo, de cuius reprobatione sumus certi. 188.
§. 4. Occurritur aliquibus obiectionibus. 191.
§. 5. Pro omnibus superstitibus divisivè possumus orare. 201.
§. 6. Respondetur aliquibus obiectionibus. 204.

SECUNDUM PRÆDICABILE.

De natura mysticè perfectiva.

DISPUTATIO VII.

De existentia Divinæ contemplationis.

Q. 1. An detur contemplatio Divina? pag. 2.
§. 1. Duplici conclusione deciditur controversia. 1.
§. 2. Argumentis contra vtramque conclusionem respondetur. 20.
Q. 2. An detur oratio Fidei, quæ sit idem cum Divina contemplatione? pag. 14.
§. 1. Quæstionis titulus aperitur, sententiæ referuntur, & nonnulla ante resolutionem prælibantur. 34.
§. 2. Vera sententia eligitur, & probatur. 43.
§. 3. Aliæ Authoritates, & rationes propositæ. 52.
§. 4. Argumenta proponuntur. 60.

DISPUTATIO VIII.

De quidditate Divinæ contemplationis.

Q. 1. Quid sit Divina contemplatio? pag. 33.
§. 1. Assignatur propria definitio contemplationis activæ. 1.
§. 2. Solvuntur aliquot argumenta. 9.
§. 3. Proponitur diffinitio contemplationis infusæ. 15.
Q. 2. Vtrùm divisio contemplationis Divinæ essentialis, & adequata sit? pag. 42.
§. 1. Duplex assertio pro veritate stabilienda. 23.
§. 2. Respondetur argumentis contra vtramque conclusionem. 28.
Q. 3. Vtrùm Divina contemplatio sit vera actio de prædicamento actionis? pag. 48.
§. 1. Tituli brevissima explicatio, & duplex post eam stabilitur conclusio. 43.
§. 2. Argumenta assertionem impugnantia solvuntur. 50.
Q. 4. Vtrùm Divina contemplatio sit entitativè supernaturalis? pag. 55.
§. 1. Prænotantur aliqua, & referuntur sententiæ. 55.
§. 2. Relatis sententiis proponitur nostrum in hac parte iudicium. 63.
§. 3. Aliis authoritatibus, & probationibus inde hausti, probatur eadem secunda assertio. 73.
§. 4. Respondetur argumentis. 83.

DISPUTATIO IX.

De bonitate Divinæ contemplationis.

Q. 1. Vtrùm Divina contemplatio ex se sit bona? pag. 77.
§. 1. Statuitur, probaturque pars affirmativa. 1.
§. 2. Solvuntur argumenta. 5.
Q. 2. Vtrùm Divina contemplatio sit honesta? pag. 83.
§. 1. Statuitur veritas tenenda. 10.
§. 2. Respondetur argumentis. 18.
Q. 3. Vtrùm Divina contemplatio sit bonum delectabile? pag. 93.
§. 1. Divina contemplatio delectabilis est. 33.

§. 2.

§. 2. Reſpondetur argumentis. 44.
Q. 4. Vtrùm contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat, ſit delectabilis? pag. 103.
§. 1. Statuitur, probaturque affirmativa concluſio. 59.
§. 2. Proponitur alia ratio D. Thomæ in probationem concluſionis. 69.
§. 3. Divina contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat, etiam eſt delectabilis, ſi conſideretur, vt eſt opus quoddam virtuoſum. 76.
§. 4. Argumenta contra concluſionem. 80.
§. 5. Reſpondetur aliis ſolutionibus. 94.
Q. 5. Vtrùm Divina contemplatio ſit bonum vtile? pag. 119.
§. 1. Proponitur, & probatur pars affirmativa. 100.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 103.

DISPUTATIO X.

De Divina contemplatione prout eſt vita.

Q. 1. Vtrùm contemplatio Divina ſit vita animæ? pag. 125.
§. 1. Contemplatio Divina eſt vita animæ. 1.
§. 2. Solvuntur obiecta. 7.
Q. 2. Vtrùm vita contemplativa ex æquo diverſa ſit ab activa. pag. 132.
§. 1. Poſt nonnullas obſervationes dirimitur controverſia. 12.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 20.
§. 3. Conſectaria aliqua colliguntur digna ſcitu. 25.
Q. 3. Vtrùm vita contemplativa dignior ſit, quàm activa? pag. 145.
§. 1. Declaratur quis titulus, aut quid tenendum ſit aperitur. 41.
§. 2. Solvuntur argumenta. 64.
Q. 4. Vtrùm vita contemplativa ſit magis meritoria, quàm activa? pag. 157.
§. 1. Proponitur vera ſententia. 79.
§. 2. Solvuntur argumenta. 86.
Q. 5. Vtrùm vita contemplativa ſit prior, quàm activa? pag. 166.
§. 1. Brevis tituli explicatio, ac dubii reſolutio. 96.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 99.
Q. 6. Quæ vita diuturnior ſit, contemplativanè, an activa? pag. 171.
§. 1. Brevis obſervatio, & difficultatis prima reſolutio. 107.
§. 2. Obiectiones in probationes adductas. 112.
§. 3. Alia aſſertio pro quæſtionis complemento. 129.
§. 4. Quæ aſſerta præcedentia impugnant, enodantur. 141.
Q. 7. Vtrùm in eodem viatore poſſint ſimul reperiri vita activa, & contemplativa? pag. 191.
§. 1. Quæſtionis ſenſum aperio, & veram ſententiam propugno. 147.
§. 2. Emergens obiectio diſpellitur, & eius occaſione dubium incidens diſputatur. 154.
§. 3. Ex N. Seraph. Doctrice probatur aſſertũ qualiter contemplatio valeat cum actione coniungi. 173.
§. 4. Alia duplex aſſertio. 178.
§. 5. Argumenta contra primam concluſionem ſolvuntur. 186.
§. 6. Reſpondetur vnico argumento contra ſecundã aſſertionem. 192.

DISPUTATIO XI.

De principio quod Divinæ contemplationis.

Q. 1. Vtrùm ſolus homo ſit principium *quod* Divinæ contemplationis? pag. 218.
§. 1. Reſpondetur argumentis. 3.
Q. 2. Vtrùm omnes homines poſſint animum elevare ad Divinam contemplationem? pag. 222.
§. 1. Fiunt aliquæ obſervationes, & referuntur ſententiæ. 9.
§. 2. Diverſis aſſertis dirimitur controverſia. 17.
§. 3. Solutio argumentorum contra primam concluſionem. 31.
§. 4. Solvuntur argumenta contra alias aſſertiones. 42.
Q. 3. Vtrùm omnes debeant contemplari? pag. 238.
§. 1. Poſt brevem tituli explicationem ſtatuitur triplex concluſio. 59.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 74.
Q. 4. Vtrùm ſint aliqui, qui ad con-

tem-

templationem Divinam teneantur? pag. 248.
§. 1. Imploratur lux Cœleſtis, quæſtionis titulus explicatur, aliqua prælibantur, & Methodus tenenda proponitur. 79.
§. 2. Profeſſor noſtræ primitivæ regulæ tenetur ſub mortali ire ad perfectionem. 86.
§. 3. Contra poſitum aſſertum argumenta ſoluta. 90.
§. 4. Solvitur argumentum num. 92. poſitum, & obiectiones aliquot diſſipantur. 100.
§. 5. Per obſervationem regulæ, & conſtitutionum rectè tendit ad perfectionem Profeſſor familiæ noſtræ. 107.
§. 6. Finis proximus noſtræ ſacræ Religionis eſt mixtus ex cõtemplatione, & actione. 117.
§. 7. Profeſſor noſtræ regulæ tenetur ad orationem purè mentalem. 122.
§. 8. Quæ factos diſcurſus impugnant propono, ſolvoque. 128.
§. 9. Adhuc in propoſito aſſerto ſuadendo perſiſto. 135.
§. 10. Quæ noſtrum aſſertum obtruere nituntur, diſſolvo. 141.
§. 11. Aſſertum directè reſpondens titulo quæſtionis proponitur, & probatur. 149.
§. 12. Alia eiuſdem aſſertionis probatio. 161.
§. 13. Reſpondetur argumentis. 164.
§. 14. Aliquot dubia agitatæ difficultati connexa deciduntur. 172.

DISPUTATIO XII.

De potentia proxima Divinæ contemplationis.

Q. 1. Vtrùm contemplatio Divina proximè eliciatur ab anima rationali? pag. 294.
§. 1. Vera, & communis ſententia proponitur, & probatur. 1.
§. 2. Solvuntur argumenta. 5.
Q. 2. Vtrùm voluntas ſit potentia, â qua proximè elicitur contemplatio Divina? pag. 302.
§. 1. Controverſiæ ſtatus aperitur, dubiumque deciditur. 13.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 19.
Q. 3. Vtrùm intellectus ſit principium *quo* proximum Divinæ contemplationis? pag. 311.
§. 1. Intellectus eſt principium proximum contemplationis Divinæ. 26.
§. 2. Solvo obiectiones contra dicta, & quæ aſſertionem impugnant. 35.
§. 3. Proponitur vltima obiectio caſu celebris. 80.
§. 4. Declaratur, quid circa propoſitam doctrinam docuerit D. Thomas. 43.
§. 5. Quid alii Sancti, & Theologi ſentiant circa præſentem controverſiam, expono. 48.
Q. 4. Vtrùm Divina contemplatio ſit actus intellectus ſpeculativi, aut practici? pag. 323.
§. 1. Nonnulla circa intellectum ſpeculativum, practicumque præmitto, & ſtatuo bimembrem concluſionem. 56.
§. 2. Argumentis reſpondetur. 63.
Q. 5. Vtrùm contemplatio ſpectet ad primam operationem intellectus ſpeculativi? pag. 328.
§. 1. Ponuntur aliqua fundamenta pro hoc, & ſequentibus quæſitis. 66.
§. 2. Relatis ſententiis ſtatuitur aſſertio. 72.
§. 3. Argumentis reſpondetur. 77.
Q. 6. Vtrùm contemplatio ſit actus iudicii, aut diſcurſus? pag. 338.
§. 1. Prælibantur aliqua prorſus neceſſaria tam pro præſenti, quàm pro aliis quæſitis. 83.
§. 2. Duplex aſſertio pro quæſiti reſolutione. 91.
§. 3. Solvo argumenta dictas aſſertiones impugnantia. 96.
Q. 7. Vtrùm Divina contemplatio ſit actus iudicii diſcretivi? pag. 349.
§. 1. Duplex aſſertum dirimit controverſiam. 101.
§. 2. Propono, ſolvoq̃ argumenta contra vtramque concluſionem. 107.
Q. 8. Vtrùm Divina contemplatio ſit actus iudicii reſolutivi? pag. 355.
§. 1. Pars affirmativa proponitur, & probatur. 114.
§. 2. Reſpondetur argumentis. 120.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

De principio proximè elicitivo Divinæ contemplationis.

Q. 1. Vtrùm fides Theologica sit principium proximũ eliciens Divinam contemplationem? pag. 362.
§. 1. Supponuntur aliqua, quæ viam parant ad intelligẽtiam eorum, quæ dicenda sunt. 1.
§. 2. Aliquot placita refero. 7.
§. 3. Duplex assertum dirimit controversiam præsentem. 10.
§. 4. Obiectio, qua communiter vtuntur adversarii, proponitur, ac diluitur. 19.
§. 5. Occurrimus argumentis contra secundam assertionem. 25.
§. 6. Solvitur argumentum difficile. 31.
§. 7. Datam doctrinam explico, ac roboro, & ab aliquot obiectionibus vindicor. 37.
Q. 2. Vtrùm omnis Religiosa contemplatio sit actus â fide illustrata elicitus? pag. 387.
§. 1. Brevis tituli explicatio, & dubii resolutio. 46.
§. 2. Respondetur argumentis. 51.
Q. 3. Qualiter Spiritus Sancti dona concurrant ad contemplationem. pag. 393.
§. 1. Aperitur status controversiæ, & ista resolvitur. 64.
§. 2. Authoritatibus D. Thomæ, rationibusque inde deductis propositum assertum probo. 70.
§. 3. Nonnulla argumenta solvo. 75.
§. 4. Proponitur difficile illud argumentum. 80.
§. 5. Colliguntur aliquot corollaria. 93.

DISPUTATIO XIV.

De speciebus concurrentibus ad elicientiam Divinæ contemplationis.

Q. 1. Vtrùm species deservientes ad contemplationem Fidei sint entitativè supernaturales?
§. 1. Proponitur vera sententia. 1.
§. 2. Solvuntur argumenta. 7.
Q. 2. Vtrùm species deservientes contemplationi, quæ est actus scientiæ infusæ, sint entitativè supernaturales? fol. 420.
§. 1. Status quæstionis aperitur, & vera sententia eligitur. 11.
§. 2. Respondetur argumentis. 16.
Q. 3. Vtrùm in contemplatione vniatur Deus in ratione speciei intelligibilis menti contemplantis? fol. 426.
§. 1. Eligitur vera sententia. 20.
§. 2. Propono, & solvo argumenta. 25.
Q. 4. Vtrùm in contemplatione possit dari species impressa Deum quidditativè; abstractivè tamen repræsentans? fol. 432.
§. 1. Sententias refero, & præfero Angelicam. 28.
§. 2. Duplex ratio pro assertione suadenda proponitur. 34.
§. 3. Argumenta diluo. 42.
Q. 5. Vtrùm in suprema cõtemplatione detur species immediatè quoad *an est* representans? fol. 442.
§. 1. Brevis admonitio, & quæsiti resolutio. 45.
§. 2. Respõdetur vnico argumento. 50.

SV-

SVMMA DE LA TASSA.

DON BALTHASAR DE SAN PEDRO AZEVEDO, ESCRIVANO de Camara de el Rey nueſtro Señor, y de Govierno de el Conſejo, certifico, que aviendoſe viſto por los Señores de èl vn libro intitulado: *Curſus Theologiæ Myſtico-Scholaſticæ, in quo abditiſſima dubia Myſtica explanantur methodo Scholaſtica iuxta miram, ſolidamque doctrinam Angelici Præceptoris D. Thomæ, Sacræ Theologiæ Principis*, que con licencia de dichos Señores ha ſido impreſſo, taſſaron â ſeis maravedis cada pliego, y el dicho libro tiene ciento y ſeſentá y nueve pliegos ſin principios, ni tablas, que al dicho reſpecto montan mil y carorze maravedis de vellon, y â eſte precio, y no mas, mandaron ſe venda el dicho libro, y que eſta Certificacion ſe ponga al principio de cada vno, y para que conſte lo firmè en Madrid â diez y ſiete de Octubre de mil ſetecientos y veinte y vn años.

Don Balthaſar de San Pedro.

FEE DE ERRATAS.

EX PRIMO PRÆDICABILI.

PAg. 33. col. 1. lin. 4. meditavi, *lege* meditativi. Pag. 104. col. 1. lin. 37. conludit, *lege* concludit. Pag. 112. col. 1. lin. 17. diſcipulato, *lege* diſcipulatu. Pag. 121. col. 1. lin. 32. vnns, *lege* vnus. Pag. 133. col. 1. lin. 52. *te jociant, lege te ſociant.* Pag. 151. col. 2. lin. 19. ergegia, *lege* egregia. Pag. 168. col. 1. lin. 41. iuxto viatore, *lege* iuſto viatore. Pag. 178. col. 2. lin. 15. etiam ſi inferno ſint, *lege* in inferno. Pag. 180. col. 1. lin. 20. credulitalis, *lege* credulitatis. Pag. 183. col. 1. lin. 19. exulationis, *lege* exultationis. Pag. 184. col. 1. lin. 43. ſæculornm, *lege* ſæculorum. Pag. 185. col. 2. lin. 4. inteligedæ, *lege* intelligendæ. Pag. 201. col. 1. lin. 27. V. Vormamantia, *lege* V. Vormatia. Pag. 216. col. 2. lin. 14. damatione, *lege* damnatione. Pag. 218. col. 1. lin. 24. natulem, *lege* naturalem.

EX SECVNDO PRÆDICABILI.

PAg. 1. col. 1. lin. 1. inprincipio Diſputationis ſit aDeo nota, *lege* ſit adeo nota, ibid. in titulo quæſtionis deducitur controverſia, *lege* deciditur. Pag. 3. col. 1. lin. 28. inutiles que, *lege* inutilis que. Pag. 7. col. 2. lin. 15. deputatur lumem, *lege* depuratur lumen. Pag. 8. col. 1. lin. 19. ſuper ſeruentem, *lege* ſuper ſerventem. Pag. 13. col. 1. lin. 8. protoletur, *lege* proteletur. Ibid. col. 2. lin. 11. cap. 28. *lege* cap. 38. Item lin. 14. præcipiet, *lege* percipiet. Pag. 15. col. 1. lin. 33. ſuſsime, *lege* fuſiſsimè. Ibid. col. 2. lin. 3. â Catholicis, *lege* Acatholici. Pag. 19. col. 1. lin. 8. extremaunctionis, *lege* extremæ vnctionis. Pag. 25. col. 1. lin. 25. non ceſſeriter, *lege* non ceſſet iter. Pag. 41. col. 1. lin. 43. planet. *lege* planè. Pag. 43. col. 2. lin. 8. Evanlica, *lege* Evangelica. Pag. 60. col. 2. lin. 25. inprima diſp. *lege* in 1. diſt. Pag. 208. col. 2. lin. 32. illum, *lege* illud. Pag. 248. col. 1. in initio n. 71. vox ex Seraph. *lege* vox eſt. Ibid. col. 2. lin. 45. violatet. *lege* violaret. Pag. 25. col. 2. lin. 11. proſitum, *lege* propoſitum. pag. 376. col. 1. lin. 3. ſides, *lege* fides. Ibid. lin. 33. illuſtra, *lege* Illuſtrata.

Eſte libro intitulado: *Curſus Theologiæ, Myſtico-Scholaſticæ in quo abditiſſima dubia Myſtica explanantur methodo Scholaſtica iuxta miram, ſolidamque doctrinam Angelici Præceptoris D. Thomæ, Sacræ Theologiæ Principis*, ſu Author el Reverendiſsimo P. Fr. JOSEPH DEL ESPIRITV SANTO, Carmelita Deſcalzo, con eſtas erratas correſponde â ſu original. Madrid, y Octubre 16. de 1721.

Licenc. Don Benito de Rio y Cordido,
Correct. Gener. por ſu Mag.

PRO-

PROOEMIVM.
AD MYSTICA PRÆDICABILIA.

SEPTEM PROLOGOS men, benigne Lector, initio tomi præcedentis affixis, totius huius operis tibi ratione exposui, ac insuper nomen, seriem, distributionem, aliaque meo muneri necessaria obtuli. In eorũ 6. §. §.4.& 5. habes quidquid pro hoc secundo tomo præmisimus.Nec potuimus ea, quæ ibi, & n. 41. promisimus, adimplere. Illud abs dubio tunc meditabamur, & posteà desideravimus. Ast votis facto satisfacere haud valuimus. Tantum enim opus excrevit, dubiis sese reciprocè invitantibus, immo & catenãtibus,vt inexpediens visum sit omnia mystica prædicabilia ad vnius tomi angustias redigere. Vnde in hoc secundo tomo de primis duobus acturus sũ, tria alia ad alium tomum remittens.

Est igitur huius secundi tomi argumentum natura mysticè perfectibilis, & perfectiva. De prima agitur in primo prædicabili, & de secunda in secũdo. Quare autem naturam perfectibilem, perfectivamque appellem,ex loco citato petere debes. Vnde in præsenti solũmodo aperire debemus, nostram solicitudinem in hoc tomo eò tendere, vt animam perfectibilem per contemplationem suadeam: non tamen immediatè, & proximè, vt aliquibus Mysticis visum est, non illam methodũ, quã debuissent, propinãtes; sed mediatè, ac remotè. Perfectibilitatem autem proximam, & immediatã animam habere, videbis ab oratione discursus, seu meditatione: quæ sanè pars orationis est. Vnde de oratione ipsa secundùm omnia illa, quæ scitu magis digna iudicamus, propriùsque ad munus nostrũ accedit, disputat primum prædicabile, quod iam iã, Numinis superni implorata humiliter ope, aggredimur. In secundo disputatur de eo, quod animam meditationis exercitio idoneam perfecit, quod, vt dictum est,est contemplatio tum acquisita, tum infusa. Quiaque contẽplatio hæc Divina plures gradus se in perfectione superantes habet: non de iis omnibus in secundo prædicabili disputare conveniens erit. Vnde ad 3. prædicabile reservabimus disceptare de perfectissima illa contemplatione, quæ dicitur Theologia Mystica,estque propria Perfectorum: cuius occasione agemus ibi de efficacia,& vi ipsius perfectissimæ contemplationis relatè ad vires animales,& ad sensitivas exteriores, interioresque.

Insimulque agemus de contemplatione proveniẽte â scientia infusa; immo & â lumine gloriæ raptim alicui de exulibus impertito. Hæc omnia post secundum prædicabile contemplationi sacratum restant de contẽplatione exploranda. Et re bene inspecta etiam in 4. & 5. prædicabili de contemplatione tractatur. Quãdo quidem quartũ præ-

dicabile contemplationē illam animas abſtergentem, purgantemque continebit: & quintum contemplationem raptus, extaſeſque cauſantem cōſiderabit: Vnde quatuor prædicabilia huic nobiliſsimæ operationi ſacramus.

Reſtat, vt iterum auxiliū Divinum implorem, vt mecum ſit, & mecum laboret Lux Cœleſtis, ſine cuius piiſsimo ductu nihil de re adeò ſublimi, & arcana ſcribere valet homo prorſus tanto muneri impar. O vtinam Cœleſtis hæc Lux â Patre luminū derivata mētem illuſtret, vt ſic dicere poſsim aliqua publicæ vtilitati proficua.

DISPVTATIO PRIMA.

De Meditatione.

EOrſam notabis, initium â meditatione ſumere prædicabile, in quo de oratione, cuius meditatio pars eſt, diſceptatur. A communioribus incipiendum eſſe, clamant docti omnes. Vnde ab oratione in communi incipiendum eſſe, negabit nemo. Siſte tamen gradū, dum dico, quòd iuxta methodū compoſitionis ab oratione in cōmuni principiū ſumere debuit tractatus præſens; ſed non iuxta methodum arbitrariam, cui attendere compulit rario vrgens. Etenim hoc prædicabile eſt de natura myſticè perfectibili, quam perfectibilitatem animam â meditatione habere, iam videbimus. Quapropter ante omnia debemus aperire, quid ſit illud, per quod anima ad comtemplandum, proximè proportionatur, & mox agendū eſt de oratione; ſin minùs non recto tramite procederemus. Vnde modò, quod aliquando evenire ſolet, præſtat methodo arbitraria vti.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Meditatio reddat animam proximè perfectibilem ad contemplationem?

NOn poteſt accidens actuare ſubiectum, quod actuabile, ſeu perfectibile ab illo non ſit: nec ſubiectum eſt ab accidenti perfectibile, ſi proximam, ac formalem perfectibilitatem non dicat. Illa enim perfectibilitas radicalis, quā erga accidens ſubiectum habet, non ſufficit ad accidentis receptionem, vt inductivè oſtendi poteſt. Cōtemplatio eſt accidens perfectivum naturæ rationalis in omnium ſententia. An autē ſit natura rationalis ſine prævia meditatione proximè, ac immediatè perfectibilis per contemplationem, non eſt omnium vna mens.

§. I. *Explicatur titulus: referuntur ſententiæ: veriorq, ac ſanior eligitur.*

1. EX modò dictis tituli explicatio habetur. Perfectibilitatem enim, quam ex parte naturæ rationalis relatè ad contemplationem omnes agnoſcūt, inveſtigamus: An natura ipſa habeat â meditatione, an â ſe, & ex ſibi propriis, an aliunde? In quo ſunt duæ opiniones ê diametro cōtrariæ. Prima aſſerit naturam neutiquam proportionari, ſeu perfectibilem reddi, ad cōtemplationem per meditationem; ſed ipſam naturam eſſe de ſe â contēplatione perfectibilem: vnde aſſerunt, quòd eſt tempus terere, ſe in meditatione exercere; cùm poſsit exerceri contemplatio, quæ eſt actus perfectior, & vtilior. Sic diſcurrunt Petrus Poncius Legion. lib. de miraculis B. V. MARIÆ de Texada. Pelaius in ſum. oration. cap. 8. Martinus de Zearrote libel. *Deus contēplatus, & Chriſtus imitatus.* Secunda ſententia oppoſitum affirmat. Hanc tenet Dionyſius

Arco-

Areopagita, vt teſtatur Magiſter Valgornera q. 2. diſp. 6. art. 4. D. Hieronymus. D. Auguſtinus tom. 10. Serm. 112. de tempore. D. Gregorius lib. 20. moralium cap. 10. D. Bernardus Serm. 1. de Sto. Andrea. D. Bonavẽtura tom. 7. de itinerib. diſp. 4. art. 1. Hugo Victor. de laude Orationis, Seraphica Mater noſtra D. Thereſia, ac Extaticus noſter Parens pluribus in locis, (â quorũ proinde citatione abſtinemus) Noſtrates omnes, & alij. Hoc ipſum paſsim docet D. Thom. innumeris locis, quorum aliqua adducũt citatus Valgornera, & noſtra myſtica Diſceptatio tract. 2. quæſt. 2. art. 2. cum quo

2. Sit noſtra concluſio: *Meditatio eſt, quæ animam proportionat, vt per contemplationem perficiatur: conſequenterque ſine meditatione non eſt anima proximè per contemplationem perfectibilis.* Secunda pars huius concluſionis ex prima clarè ſequitur. Prima autem probatur ſic primò ex D. Thoma illam in ſacra Scriptura invenienti: quippe pſalmo 50. ait Regius vates: *Peccatũ meum contra me eſt ſemper.* Quæ verba ita explicat S. Thomas: *Sic deſignatur, quòd cognoſcit culpam, & quòd continuè meditatur de ea.* Et hæc profunda meditatio ianua fuit, per quam tot bona in Davidis animam introiere. Eius que defectus cauſa fuit deſolationis totius Iſrael, dicente Ieremia cap. 12. v. 11. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*: Scilicet, explicat D. Thomas, *Dei mandata, & beneficia*, & ex hac non meditatione mandatorũ, ac beneficiorum Dei ortum duxit terræ maxima deſolatio. Huius meditationis neceſsitatem optimè perſpectã habebat Davidis experimentum, cùm dicebat: *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum*: & alibi: *Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periiſſem.* Ad ianuam imminet præcipitium, ſola meditatione evitandum.

3. Dices: Ex dictis ſolùm habetur meditationem eſſe bonam, quod adverſarii non negabũt: aſt quòd ita neceſſaria ſit, vt nõ valeat cõtẽplatio dari; quin illa præcedat, non habetur ex dictis.

Reſpondetur: Adverſarios rotundè aſſerere meditationem nõ eſſe bonam; ſed actum imperfectum, in quo occupari, diſpendium eſt: & hoc non ſolùm ab illis aſſeritur; ſed etiam, Seraphicam Matrem noſtram D. Thereſiã eiuſdem opinionis eſſe, aſſerere non verentur, vtì videbimus numero 7. atque ideò contra illos procedunt datæ authoritates, quibus, bona plura animæ â meditatione provenire, ſuadetur: & ex eius defectu mala plurima imminere, cõprobatur. Vnde neceſſariam eſſe, convincitur: tum, vt bona inde provenientia obtineamus: tum, vt mala ex eius defectu imminentia vitemus.

4. Probatur ſecundò cõcluſio ratione ex D. Thoma 1. p. quæſt. 85. art. 3. deſumpta, ſicq̃ formata: Quod procedit de potentia ad actum, priùs pervenit ad actum imperfectum, quàm ad perfectum: ſed qui viam ſpiritus ingreditur, procedit de potẽtia ad actum: ergo priùs pervenit ad actum imperfectũ meditationis, quàm ad actũ perfectum contemplationis. Conſequẽtia nota eſt: & maior eſt D. Thom. loco citato, quã præter eius Angelicã authoritatem ſuadet ratio ipſius: Etenim actus imperfectus mediat inter potentiam, & actum perfectum: ergo priùs ad illum pervenitur, quàm ad actum perfectum; aliter de extremo ad extremum trãſiret, quin attingeret medium, quod fieri non valet. Minor autem probatur: Quia incipiens viam ſpiritualem nec contemplationem, nec meditationem exercuit; ſi namque alicuius ex ipſis exercitium habuiſſet, non poſſet poſt tale exercitium viam ſpiritualem incipere; ſed proſequeretur inceptam: ergo.

5. Confirmatur verbis noſtri Extatici Doctoris, qui in flam. cant. 3. v. 3. §. 5. ſic loquitur: *El eſtado de principiantes es meditar, y hazer actos diſcurſivos. En eſte eſtado neceſſario le es al alma, que ſe le dè materia, para que diſcurra de ſuyo, y haga eſtos actos interiores, y ſe aproveche del fuego, y fervor eſpiritual ſenſible; porque aſsi le conviene, para habituar los ſentidos, y apetitos à coſas buenas, y cebandolos con eſte ſabor, ſe deſarraigan*

del Siglo. Mas quando esto en alguna manera ya està hecho, luego los comiẽza Dios à poner en este estado de contẽplacion. Quibus edocemur, & meditationem ad incipientes attinere, & necessarium esse animæ, materiam pro meditatione acquirere, antequam ad cõtemplationem perveniat: sin minùs nihil se consequuturam speret.

6. Quia tamen pro contraria sententia adducitur Ecclesiæ Doctrix Seraphica Theresia, non potui non mentionem aliquam facere huius iniuriæ communi Magistræ irrogatæ. Meditationem necessariam esse, vt anima perfectibilis reddatur per contemplationem, docet pluribus in locis hæc sapiẽtissima Virgo, quæ cap. 12. suæ vitæ, nedũ hoc ipsum adstruit; verùm etiam ter repetit, animam immaturè meditationem derelinquentem vt ad contemplationem ascendat, sibi ipsi moliri irreparabile præcipitium. Verba ipsius non adduco; quia postmodùm necessariò afferri debent, & debeo, vt vt possim, prolixitatem in auctoritatum repetitione vitare. Insuper in *itinere* cap. 16. sic fatur profundissima Doctrix: *Si pidierades meditacion, pudiera hablar de ella, y aconsejar à todas la tuvieran, aunque no tengan virtudes; porque es principio para alcanzar todas las virtudes, y cosa, que nos và la vida en comenzarla todos los Christianos, y ninguno por perdido que sea, si Dios le despierta à tan gran bien, lo avia de dexar.* Si hæc solùm cõsiderarent, Seraphicam Doctricem pro opposita sententia adducere non auderent. Clarissimè enim ait, meditationem principium esse ad virtutes omnes nanciscendum: quiaque virtutes supponi ad contemplationem debent, vt ipsa Cœlestis Doctrix postmodũ explicat; propterea principium, quo virtutes acquiruntur, non potest non esse necessarium, vt illo medio possit anima perfici â cõtemplatione. Nec hanc necessitatem secundùm quid talem reputes; ab hoc enim vita spiritualis omnium Christianorum dependet, vt asserit ipsa Sancta, in quo ampliùs immorandum non est, quia immediatè de hoc iterum sermo redibit.

§. II. *Oppositas obiectiones solvimus.*

7. Contra conclusionem arguit primò quidam Auctor, asserens in sui patrociniũ Seraphicam Theresiam appellantem meditationẽ orationem imperfectam: quo principio iacto, sic arguit: Meditatio est oratio imperfecta: ergo deserenda ab incipientibus est, vt extemplò in cõtemplatione excerceantur. Antecedens constat ab auctoritate, & consequentia probatur; Quia in oratione imperfecta occupari non debet anima; sed illam debet deserere, & in oratione perfecta, qualis est contemplatio, collocari.

Mirum est Seraphicam Doctricem adduci in patrocinium rei, quam sæpissimè in suis operibus impugnat: aliqua numero præcedenti vidimus, innumera afferri possunt. Multa tamen totam hanc disputationem illustrabunt: vnde pauca circa hoc dicam: Rogo ergo: Si Virgo hæc Sapiẽtissima meditationem eliminãdam autumnat, vt quid septem illas meditationes composuit super orationem dominicam? Illas considerationes ab ipsa hac Sãctissima anima fieri, non est dubium: illas scripsisse, vt essent nostrũ quotidianum exercitium, est indubitabile. Quomodo ergo meditationem censurat, quæ, vel in culmine perfectionis constituta, meditatur, alioſque veluti imperiosa energia sui clarissimi styli ad meditandum impellit? Cesset ergo irreverens hæc loquela, & Sapientissimam Theresiam oppositam illi opinioni sciant omnes.

Respondetur ergo directè ad argumentum: Meditationem esse quidem orationem imperfectam, quam deserere debemus. Ast imperfecta est relatè ad cõtemplationem: in se autem, & sine hoc respectu perfecta oratio est. Hanc orationem in se perfectam, & imperfectam respectu contemplationis, relinquere debemus, postquam illi dediti incipientium statũ superaverimus, hoc est, cùm illa tria signa dantur, quæ Extaticus noster Doctor statuit lib. 2. ascens. cap. 13. de quibus egimus lib. 1.

â num. 116. in Isagoge. Vsque ad illud verò tempus exercenda est, vt anima perfectibilis â contemplatione sit. Et sanè pro statu imperfecto, qualis est status incipientium, non debemus ponere orationem perfectam, sed imperfectam; sicut & charitas illi correspõdens imperfecta est, prout docet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 9. sicque divisio illa celebris viæ spiritualis in purgativam, illuminativam, & vnitivam conservatur illæsa, opinioque, qua sic conservantur dictæ viæ, omnino manet remota ab illa infernali secta Michael. de Molinos dicentis: *Tres illæ viæ purgativa, illuminativa, & vnitiva sunt absurdum maximum, quòd dictum fuerit in mystica; cùm non sit nisi vnica via, scilicet via interna.* Longè it assertum nostrum ab hac cerebrositate ab Ecclesia proscripta; quia tres illas vias dari fatemur, & illas adinvicem secerni secundùm minorem, vel maiorem perfectionem charitatis, qua constituuntur, cum citato D. Thoma sentimus. Vereor tamen, an sententia opposita sit adeò semota ab illo errore, quia licèt tres illas vias cognoscat, ipsas, quas cognoscit, confundit; siquidem eandem orationem eis assignat: immo cùm meditationem exulare vult, etiam figuris vti, & imaginibus, eliminare videtur. In quo etiam erravit infelix ille hæresiarca pipiens: *Qui in oratione vtitur imaginibus, figuris, speciebus, & proprijs conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

8. Adde, quòd si incipientibus interdicitur meditatio propter meditationis imperfectionem, potiori iure interdicetur perfectis: quod præterquamquòd non multũ cõsonans sacræ Scripturæ videtur, dicente perfectissimo Davide: *Legem tuã meditatus sum:* & ::: *tota die meditatio mea est*; alia que infra adducenda, & non minùs opponitur cõmuni dictamini Mysticorum, vt postmodum cum nostra Seraphica Doctrice probabimus. Vltra hæc, inquam, videtur hoc, vel esse, vel multũ appropinquare errori 8. Begardorũ, & Beguinarũ, quos Clemens V. damnavit in Concilio Viennensi, vt dicitur lib. 5. *de Hæreticis*, tit. 3. cap. *ad nostrum*, quia inventi sunt *asserentes, quòd esset imperfectionis eiusdem, si à paritate, & altitudine suæ contemplationis tãtùm desciderent, quod circa mysterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem Christi aliqua cogitarent.* Et alij errori impij Molinos dicentis: *asserere, quòd in oratione opus est, sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquàm loquitur; eius locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum nõ impedit.* Segregemur ergo ab his Erebi partubus, dicamusque cum Seraphica Theresia meditationem necessariam omnibus esse: tum, vt ignis spiritualis exardescat iuxta Davidis effatum: *In meditatione mea exardescet ignis*, quod evenit vel perfectissimis: tum, vt anima contemplationi proportionetur, quod accidit in incipientibus.

9. Arguitur secundò: Qui in gratia decedit, sydera scandit, vbi Deum intuitivè contemplatur: ergo ipse in via poterat Deum contemplari, quin meditatio anteiret. Antecedens certum est, & consequentia probatur. Perfectior abs dubio est contemplatio intuitiva Dei, quàm exilij contemplatio: sed ille Deum contemplatur intuitivè sine prævia meditatione: ergo etiam in via sine prævia meditatione valet Deum contemplari.

Respondetur cum nostro Extatico Magistro lib. 2. noctis cap. 12. quòd sicut decedentes in gratia non coronantur, vsquedum in purgatorio examinẽtur, & manibus efficacissimi illius ignis debita contracta persolvant, deponantque habituum vitiosorum sarcinam; isti enim licèt cum gratia in hoc exilio compatiantur; incompatibiles tamẽ sunt cum gratia consummata gloriæ, in quam non intrat aliquid coinquinatum: sic etiam in hac vita vsquedum purgatio præcedat, quæ est vitæ huius purgatoriũ, non datur contemplatio. Vnde sicut ad facialem Dei con-

tem-

templationem permanentē debet mors naturalis præcedere: ita ad contemplationem ipsius debet mystica mors anteire. Videatur noster illuminatus Doctor cap. citato, & etiam cap. 10.

Quæ lucem, roburque accipiunt ex eodem mystico Doctore in flam. cant. 1. vbi igne vehementissimo æstuans, sic Deum alloquitur:

O llama de amor viva!
Que tiernamente hieres
De mi alma en el mas profundo cētro:
Pues yà no eres esquiva,
Acaba yà, si quieres,
Rōpe la tela de este dulce encuentro.

Vltimum versum explicaturus Sanctus Parēs, inquit: Triplex velum impedire, nè Deum intuitivè contemplemur. Primum est temporale, secundum naturale, tertium sensibile. Temporale est affectio ad creaturas. Naturale est propensio ad propriam operationem, naturalesque inclinationes. Sensibile autem cōsistit in vnione animæ cum corpore. Hæc omnia impedimenta abrumpenda sunt, vt Deus facialiter videatur: & duo priora, vt in hac mortalitate contempletur. Et obiter observa doctrinæ huius profundissimi Doctoris mirabilem consonantiam. Quia sicut impedimentū sensitivū diruendum est, vt Deus intuitivè contempletur: *Quia non videbit me homo, & vivet*, hoc est, visione permanenti, & constituente statum: visione tamen transeunti videri valet, quin velum hoc abscindatur, vt in D. Paulo visum est: sic etiam velum naturale, tempor aleque mori debent, vt detur contemplatio permanens, & quæ statum contemplativi constituat; non autem debet præcedere mors huius duplicis veli ad contemplationem, quam vel incipientes solent aliquando habere, vt multoties dictum in superioribus est.

Itaque mors sensitiva, hoc est, separatio animæ â corpore præcedit necessariò intuitivam contemplationem: & mors naturalis, temporalisque præcedere debent huius viæ contemplationem. Præcedit mors temporalis: quia debet amor creaturarum perire, vt detur vera Dei contemplatio. Præcedit etiam mors naturalis; quia contemplativus deponere debet sēsus, & intellectuales operationes, vt ex Dionysio diximus disput. 1. q. vltima prœmialium. Vnde, quin præcedat hæc duplex mors, haberi contemplatio non potest. Hæ autē mortes vel sunt, vel causantur â purgationibus, de quibus in Isagoge loquuti fuimus, & postmodum in 5. prædicabili loquemur: ac propter hoc purgationes istas artem mysticam inveniendi medium nominavimus: quia his medijs mortes istæ, quæ sunt mediū, vt Deus inveniatur, consequuntur.

10. Sed replicabis, & sit tertium argumentum. Anima redditur proximè capax ad cōtemplationem per purgationem: Ergo meditatio non est, quæ reddit naturam perfectibilem â contēplatione. Antecedens constat ex dictis: & consequentia patet: quia meditatio non est purgatio.

Qui sic arguit extremè formalis videtur: quod vitium esse, nemo ignorat, quem, omnia extrema vitiosa esse, non latet. Vt nostrum assertum verum sit, sat est, quòd meditatio animam proportionet ad contemplationem, ita vt hæc sine proportione ab illa proveniēte dari nequeat. Quod quidem verum esse ostēdimus, nec hoc argumēto labefactatur. Vnde omisso antecedenti, negatur consequentia propter dicta. Sed

Respondetur secundò: Meditationem esse id, quod ex parte animæ reddit ipsam proximè â contemplatione perfectibilem. Ratioq̄ ea est; quia purgatio vel est activa, vel passiva. Purgatio activa cōsistit in mortificatione sensuum, tum externorum, tum internorum, tum etiam in mortificatione potentiarum animæ, de quo vide dictam Isag. lib. 5. tota lect. 2. Totum autem hoc per meditationem fieri non negabit, qui nolit horrendi criminis reus esse. Ait enim D. Paulus 2. ad Corinth. 4. *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Quæ verba sic explicat D. Thom. Serm. 1. Dom. 8. post. Pentec. *Carnem in spiritualibus*

meditationibus affligendo. Ad quod adducit verba Eccleſiaſtès cap. 12. *Frequens meditatio carnis afflictio eſt.* Vnde â meditatione provenit ſenſuum, potentiarumque purgatio: eòque animam actuat ad contemplationem.

Si autem purgatio paſsiva ſit, vel conſiſtit in ſubordinatione partis inferioris ad ſuperiorem, vel in ſubordinatione partis ſuperioris ad Deum ſecundùm dicta in Iſagoge loco citato lect. 3. Vtraque hæc ſubordinatio eſt opus amoris, qui â meditatione cauſatur. Sic docet D. Thomas in pſalm. 38. ad ea verba: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Concaluit corda, id eſt*, ait D. Thomas, *concitatus eſt calor charitatis in corde meo::: cauſa autem huius concitationis eſt meditatio de Divinis.* Videatur idem Sanctus 1. 2. quæſt. 27. art. 2. & opuſc. 4. cap. 3. Vnde habemus animam reddi perfectibilem per ipſam meditationem.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm opinio aſſerens, animam ſine meditatione eſſe proximè perfectibilem â contemplatione, ſit periculoſa?

VT magis conſtet veritas quæſtione præcedēti ſtatuta, præſentem quæſtionem excitamus. In qua, quia illi, qui ex adverſo ſunt, non pertinent ad eandem claſſem: alii enim pii, & catholici ſunt: alii verò impii, & acatholici; propterea mihi nō cum Authoribus contrariis, ſed cum ſententia oppoſita res eſt. Eius impugnationem aggredior, quin falci per me liceat extraneæ frugi nocere.

§. I. *Vera ſententia proponitur, motivaque, quibus ſuadetur, adducuntur.*

11. SIt noſtra aſſertio: *Periculoſum eſt animam ponere in contemplatione, quin meditatio præcedat.* Pro hac ſententia ſunt omnes Doctores pro præcedenti adducti: ex quo enim naturam reddi per meditationem proximè perfectibilem dicant, periculum adeſſe, ſi meditatio non præcedat, oſtendunt. Directè tamē probatur primò concluſio ratione, quam nobis offert D. Thomas in 3. diſt. 35. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. in corp. ſic formata: Meditatio eſt medium, quo contemplatio habetur: ergo periculoſum eſt ponere animam in cōtemplatione, quin meditatio præcedat. Conſequētia nota eſt. Media enim ad hoc dantur, vt obtineatur per illa finis, qui intenditur; nec illa, vt media aſsignarētur, ſi periculum non incurreret, qui aliter finem obtinere vult: quapropter aiebat Gerſon opuſc. de meditatione conſ. 7. *Dum recogito, quòd abſque meditationis exercitio nullus, ſecluſo miraculo Dei ſpeciali, ad contemplationem dirigitur, aut pervenit, audeo celans Sanctæ meditationis ſtudium ſuadere.* Quod non ſic diceret, ſi periculum maximum animabus, meditationem ante contemplationem non exercentibus, imminere, non cognoſceret. Antecedens autem probatur primò ex D. Thoma, qui loco citato ait: *Vtitur tamen inquiſitione rationis contēplativus, vt deveniat ad viſionem contemplationis, quam principaliter intendit, & hæc inquiſitio ſecundùm Bernardum dicitur conſideratio.* Probatur ſecundò idem antecedens: Quia, vt cum communi Myſticorū pluries diximus, eſtque etiam doctrina Scholaſticorum, meditatio eſt inquiſitio veritatis, quam vt obiectum proprium intuetur contemplatio: ſed veritatem inquirere, eſt præciſum medium, vt veritas habeatur: ergo contemplatio debet, vt medium neceſſariū, ſupponere meditationem. Conſequentia bona eſt, & maior continet communem doctinam fundatam in definitionibus meditationis, & contemplationis. Minor autem conſtat ex ſe: ſiquidem, vt veritatem intellectus contempletur, debet habere ipſam verita-

ritatem: hæc autem haberi non valet niſi per infuſionem, aut per acquiſitionem. De veritate primo modo habita, certum eſt, adverſarios non loqui: loquuntur ergo de veritate habita per acquiſitionem, ſtudiumque intellectus. Rogo nunc: Hæc acquiſitio, hoc ſtudium, eſt nè diverſum aliquid â meditatione? Minimè diverſum eſt: hoc enim ſtudium, ac inquiſitio dicitur ab omnibus meditatio: vnde ſi maximæ entitatis controverſia non reducitur ad voces, meditationē neceſſariò præcedere contemplationem; atque adeò periculoſum eſſe, ſine prævia meditatione, ad contemplationem aſpirare, debet ſententia adverſa fateri.

12. Confirmatur hoc: Periculoſum eſt velle obtinere veritatem contemplandam, & non illo medio, ac modo, quem pro eius conſecutione aſſignat Dominus omnium: ſed Chriſtus omnium Dominus aſſignat meditationem, vt medium ad obtinendam veritatem contemplandam: ergo periculoſum eſt velle iſtam veritatē ſine illa meditatione. Probatur minor: Quia apud Matth. cap. 7. ait Chriſtus Dominus: *Petite, & accipiet is: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.* Vbi de veritate contemplanda ſermo eſt iuxta Auguſtinum adductū â D. Thoma ibi dicentem: *Si vis veritatem cognoſcere, quære, & invenies.* Hanc veritatem quærere præcipimur: & quomodo quærenda eſt? Reſpondet Angelicus Doctor: *Petite orando, quærite ſtudendo, pulſate operando.* Ecce quomodo contemplanda hæc veritas obtinenda â nobis eſt, videlicet per bona opera, per iuge ſtudium, ac per feruidam meditationem. Atque adeò ſicut vrget obligatio habendi hanc veritatem, ſic & medium vrget, quod nobis aſſignatur, vt illam habeamus.

13. Vrgens probatio pro noſtra concluſione eſt experientia Seraphicæ Matris noſtræ Sanctæ Thereſiæ, quæ cap. 22. ſuæ vitæ nervoſiſsimè probat meditationem, maximè circa Sanctiſſimam Salvatoris noſtri Humanitatem, exercendam omninò eſſe, contrariam opinionem ſibi periculoſam fuiſſe aſſerens iis verbis: *Quiero aora dezir el peligro, en q̄ me vi, por querer conformarme con lo que leia.* Hæc de ſe loquitur ſapientiſsima Doctrix, omneſque monet, vt ex ſuo periculo experimentum ſumant, & periculoſam illam opinionem non ſequantur. Totum illud caput egregiā, profundiſsimamque doctrinam pro materia præſenti continet, quare videri debet.

14. Inter alia, quæ inibi docet cœleſtis hæc Magiſtra, ait §. *Quando Dios quiere ſuſpender, &c.* quàm periculoſum eſt animæ, quòd elevetur ad contemplationem, antequam ſit tempus huius elevationis, & quòd tunc elevabitur ad profundam otioſitatem Mariæ, cùm præceſſerit activa meditatio Marthæ. Et concludit, quòd licèt aliter procedere nullum inconveniens habere videatur; tamen volentibus in contemplatione proficere eſt valde nocivum: *para querer aprovechar en la contemplacion haze mucho daño.*

15. Simili magiſterio eādem doctrinam tradit eodem lib. cap. 12. vbi pluries repetit, animam, elevantem ſe ad contemplationem, ſui ipſius perditionem fabricare; quam vt non incurrat, debet meditationem exercere, in eaque vſque ad tempus idoneum perſeverare. Quod, vt indelebiliter retineatur, poſt plures monitiones replicat in vltimo §. illius capitis hiſce verbis: *Torno otra vez à aviſar, que và mucho en no ſubir el eſpiritu, ſi el Señor no le ſubiere; que coſa es, que ſe entiende luego. En eſpecial para mugeres es mas malo, que podrà el Demonio cauſar alguna iluſion.* Idem documentum nobis offert Extaticus noſter Doctor lib. 2. aſcenſ. cap. ſupra citato, vbi de ſignis pro contemplatione deſerēda loquutus, periculum adeſſe docet, nocivumque eſſe, non deſerere meditationem, cùm tempus illam deſerendi adeſt: & eſſe periculum, illam derelinquere ante tempus oportunum. Ex quibus duplex vrgentiſsima ratio pro noſtra aſſertione probanda conficitur.

16. Prima proponitur ſic: Periculoſum

losũ eſt derelinquere meditationem, & elevari ad contemplationem, ante tempus pro hoc tranſitu oportunum: ergo potiori iure erit periculoſum nunquàm exercere meditationem; ſed ab initio vitæ ſpiritualis incipere â cõtemplatione. Antecedens conſtat ex allatis auctoritatibus, vbi præcipitium ſibimet ipſi parare dicitur, qui hoc facit: & conſequentia probatur: Etenim ſi ille, qui meditationem diu exercuit, non poteſt non ruinam experiri, ſi ante congruum tempus meditationem deſerit, vt ad contemplationem aſcendat; quantò magis nullum fructum ſpiritualem ſibi promittere debet, qui â meditatione, veluti â facie colubri, fugit, & ab exordio ſuæ vitæ ſpiritualis contemplationem anhelat? Primus ille iam erat actualis aliquomodò, ac quaſi proportionatus ad contemplationem per meditationem, quam diu exercuerat, quod certè non habet, qui nunquàm tali exercitio deditus fuit, quin potiùs illud, ac ſi nocivum foret, nunquàm rectis oculis inſpexit: ergo ſi primus ille rem periculoſam facit; multò magis iſte ſecundus.

17. Secunda ratio proponitur ſic: Periculoſum eſt viris iam cõtemplativis non exercere aliquando meditationem: ergo periculoſum eſt incipientibus non meditari. Conſequentia eſt omnino innegabilis: ſi namque Proficientes, immo & Perfecti, non poſſunt omnino deſerere meditationem, quomodò incipientes illam non exercere poſſunt? Si perfectis nociva non eſt: quare incipientibus nociva erit? Antecedens autem probatur primò ex Seraphica noſtra Doctrice, quæ illud pluries docet, præſertim duobus capitibus citatis, ex quibus in vigeſimo ſecundo comprobat antecedentis veritatem diſcurſu ſuæ ſapiẽtiæ proprio, ait enim: *Yo he mirado con cuidado, deſpues q̃ eſto he entendido, de algunos Stos. grãdes contemplativos, y no iban por otro camino. S. Franciſco da mueſtra de ello en las llagas. S. Antonio de Padua en el Niño. S. Bernardo ſe deleita en la humanidad, Sta. Cathalina de Sena, y otros muchos Santos.*

18. Probatur ſecundò idem antecedẽs ex noſtro Extatico Doctore, qui libro 2. aſſenſus cap. 15. loquutus de Proficientibus inquirit: An Proficientes, qui contemplationem exercere incipiunt, debeant omnino derelinquere meditationem? Ecce quæſtionem præſenti non abſimilem: conveniunt ſiquidẽ in omnibus, præterquàm in eo, quòd iſti, cùm iam Proficientes ſint, meditationi dediti fuere toto illo tempore, quo ad viam purgativam pertinebant. Huic ergo dubitationi reſpõdet ſublimis hic Doctor negativè, aſſerens tales Proficientes antiqua meditatione teneri ad ſuam contemplationem fovendam. Hactenus vidimus Extaticũ Doctorem loquentem de Proficientibus, docentemque ipſos ad vetuſtam meditationem recurrere, vt ea media ignis contemplationis nuperæ conſervetur. Videamus ergo quid de iam Perfectis dicat: Iſti nè ſunt totaliter â meditatione exempti? Etiam negativè reſpondet eodem libro cap. 32. verbis alibi â nobis ad aliud intentum datis, ſuntque huiuſmodi: *Pero fuera de eſte tiempo en todos ſus exercicios, actos, y obras, ſe ha de valer de las memorias, y meditaciones buenas, de la manera que ſintiere mayor devocion, y provecho; particulariſsimamente de la Vida, Paſsion, y Muerte de N. Señor Jeſu-Chriſto, para conformar ſus acciones, exercicios, y vida con la ſuya.* Vbi omni reflexione dignum eſt, quòd iſti contemplativi, de quibus hæc auctoritas loquitur, poſſunt conſiderari, vel prout recipiunt â Deo generalem amoroſam notitiã ipſius; ſive hæc notitia ſit totaliter infuſa, ſive propria induſtria habita, ex adiutorio tamen gratiæ Divinæ: vel prout hanc notitiam amoroſam, generalem, ſinceramq̃ non habent. Sub prima conſideratione, in qua ab incipientibus differunt, meditari non debent, ſed contemplari. Sub ſecunda autem, in qua differentiam ab incipientibus non exprimunt, debent meditari, prout, diſſertis verbis, tradidit ſublimis noſter Doctor, qui etiam inibi docet illud primum, ex quo convincitur: quòd ſi contemplativi, prout

non exprimunt ab incipientibus differre, non contemplationi, sed meditationi incumbunt, potiori iure ipsi incipiētes nō debent contemplationi, sed meditationi vacare. Vel dicant adversarii: cur Proficiētes, Perfectique extra tempus dictum meditaturi sunt, & incipiētes contemplaturi?

19. Probatur tertiò antecedens: Quia inter propositiones impii Molinos ab Ecclesia proscriptas, hæc invenitur, quam iam dedimus quæstione præcedenti: *Asserere, quòd in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est.* Hic habemus Ecclesiam damnantem errorem illum, qui asserebat animam mediis discursibus non debere sibi auxilium ferre illo tempore, quo Deus animam non alloquitur: Ergo verum est nostrum antecedens, in quo asserimus, quòd eo tempore, quo Deus animam non alloquitur; vel vt verbis nostri Extatici Doctoris loquar, quo Deus non confert animæ illam notitiam sinceriſſimam, generalem, & amorosam, debet anima ad meditationem recurrere. Atque etiam (vt id obiter dicamus, infrà seriùs ventilandum) hinc colligere licet, quantum distet sanissima doctrina nostri Doctoris Extatici â somniis illius infœlicis, quod sequaces eius, quidquid asserant, intelligere nolunt, vt bene agant. Molinos garrit, animam non debere vti suis discursibus: cùm illam Deus non alloquitur: immo suppositū negat, asserens in ipsa propositione, quæ est 20. *Deus nunquàm loquitur, eius locutio est operatio, & semper in anima operatur, quādo hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum nō impedit.* Hæc est tota propositio, in qua non possumus, manu licèt levi, inobservatā relinquere improprietatē dicendi. Negat, ignorātiam appellans, Deum loqui: & causam assignans, ait, hoc esse, *quia eius locutio est operatio.* Et post assignatum hoc pulchrum motivum, subiungit, quòd Deus *semper in anima operatur.* Si asseris, Dei locutionem esse operationem: & concedis, Deum semper in anima operantem: cur negas, Deum animam alloquentem? Vbi est propriè ignorantia: in illa veritate, quam impugnas: an in clarissima implicatione, quam in te ipsum moliris? Verùm, nè his quisquiliis implicemur: dicimus, Molinos asserere, nō esse tempus, quo anima debeat ad meditationē recurrere; quia non est tēpus, in quo Deus in anima non operetur, dūmodo ipsa suis discursibus Deū non impediat. D. Ioannes â Cruce docet, esse tempus, in quo anima debet meditationis spiraculo vti, vt suæ contemplationis ignis revirescat, exardescatq; devotionis incēdiū: quia datur tēpus, in quo Deus animā nō ditat illa sui subtilissima notitia. Nec hoc est, Deum discursibus impedire; sed ipsum meditationis vocibus, cœlum penetrantibus, vocare. Et hoc non est ignorantia, sed oraculum, quod supra dedimus ex Davide dicente: *In meditatione mea exardescet ignis.* Proh! & quàm immensum chaos mediat inter sentētiam, & sententiam. Plus distat dictum â dicto, quàm dicens differt â dicente. Dicens, inquam, ab Ecclesia proscriptus, â dicente, qui colitur inter Beatorum agmina collocatus. Cùm hæc ita sint, cur tuos errores non desinis huius præclarissimi Doctoris oraculis inaurare? Latet nè tuam insipientiam, adesse in Dei Ecclesia os Domini, quod pretiosum â vili separare sciat? Sed tuum ipsum factum ostendit, quàm altè de cœlesti eius doctrina sentias, non vt illam sequaris; sed vt in illa suffugium pro tuis erroribus consequare. In quo id ipsum evenit, quod inter putridum lutum, & fulgidissimum solem, quo illud tangente, lutum â sole exsiccatur, quin sol â luto fœdetur.

20. Præfati nostri antecedentis tertiam probationem prosequētes, dicimus, quòd, si daretur etiam pro Perfectis status aliquis, in quo anima meditationis recursu non indigeret, esset, quia tales semper, quod orarent, contēplarentur. Tunc enim, cùm contemplatio perfectior meditatione sit, isti, dum orant, non meditantur, sed con-

tem-

templantur. Nec aliter videtur posse oppositum sustineri. Quòd autem sic sustineatur, valde periculosum nobis videtur, cùm inter aliquas propositiones mysticas damnatas ab Inocentio XII. die 12. Martii anni 1699. hanc inveniamus: *Datur status contemplationis adeò sublimis, adeòque perfectæ, vt fiat habitualis; ita vt quod quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva: tunc non amplius indiget redire ad meditationem.*

21. Insuper inter plures illuminatorum errores, quos suprema Hispaniarum Inquisitio dãnavit anno 1623. extat hic: *Orans se colligat in Dei præsentia nihil discurrendo, nec meditando in vllo mysterio.* Quæ propositio vel loquitur de solis incipientibus, vel de aliis, qui incipientes non sunt. Si secũdum asseras, verum est nostrum antecedens, in quo dicimus, vel viros contemplativos multoties meditari debere. Si autem primum dicas: ergo vera est nostra conclusio affirmans periculosum esse, asserere incipientes meditari non debere: cùm videamus, opinionem illos â meditationis exercitio absolventem, non plurimum distare ab illo damnato errore.

§. II. *Respondetur argumentis.*

22. COntra cõclusionẽ arguitur primò ex D. Dionysio, qui cap. 1. de mystica Theologia Timotheo suo hæc imperat, vt tomo præcedenti disput. 1. num. 239. põderavimus. *Tu autẽ, ò amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione, & sensus derelinque, & intellectuales operationes, &c.* Ex qua auctoritate colligitur, periculosum non esse animam â meditatione segregare: quippe non est periculosũ, quod â Principe Theologiæ mysticæ edocetur.

Hoc est argumentum, quo Auctores contrarii maximè innituntur, vti asserit schola veritatis: illud tamen prorsus enerve cognoscet, qui consideret, quid dicat opinio adversa, & quid Dionysius doceat; & etiam quid, de quo, & cum quo loquatur. Suo ordine hæc edisserens: opinio contraria tenet, meditationẽ exercẽdam non esse, sed quod nè sine fructu tempus insumatur, incipientes, extemplò ac viam spiritualem aggrediuntur, cõtemplari debent. Ad hoc suadendum, quid subsidii in verbis Dionysii habent? Dionysius docet, dereliquendas esse intellectuales operationes: cõtrarii tenent, meditationem esse desserẽdam, & exercendam cõtemplationem. Est nè sola meditatio operatio intellectualis? Contemplatio non est etiam intellectualis operatio? Vt quid ergo cùm Dionysius docet, operationem intellectualem esse derelinquendam, tu hoc de sola meditatione intelligis, & ea ipsa auctoritate, & meditationem eliminari, & contemplationem suaderi, deceptus clamas?

23. Sensus ergo Dionysii expositus â nobis fuit loco citato, vbi cum Alberto Magno diximus, Dionysium loqui de intellectuali operatione ipsi intelligenti connaturali; non autem de intellectuali operatione, quæ est suprà modum connaturalem. Et cum quo loquitur Dionysius, cum hæc dicit? Loquitur cùm Timotheo viro Sãctissimo, & in via spiritus valde exercitato. Huic ergo, non incipienti, monet, quòd propriis discursibus derelictis, accedat ad vniformem, simplicissimamque Dei intelligentiam: & hoc est idem, quod nos dicimus; videlicet, meditationem deserendam iri, cùm tempus pro Deum contemplando advenerit. Hoc tamen non dicimus incipientibus, sed iis, qui iam incipientes non sunt. Mira res est, quòd in qualibet facultate, etiam mechanica, incipientes in rudioribus, ac facilioribus occupentur: & in facultate omnium nobiliori, ac difficillima, qualis est mystica, ad apicem contemplationis evehantur. Non dantur novitii in hac familia? Omnes ab exordio suæ conversionis regulam contemplationis profitentur?

Ast, vt promisis stemus, de quo Dionysius loquitur, videamus. Loquitur de mysticis visionibus, vt eius verba demonstrant: *Circa mysticas visiones,*

Visio autem mystica est contemplatio iuxta citatum D. Thomam dicentem: *Vita contemplativa principaliter in actu intellectus consistit, & hoc ipsum nomen contemplationis importat, quod visionem signat.* Vnde idem est, dicere Dionysium: *circa mysticas visiones forti contritione, & sensus derelinque, & intellectuales operationes*: ac monere, quòd modus connaturalis, quem in operãdo observat intellectus, derelinquatur, & modo superiori procedat. De quo multoties dictum est in superioribus, eòque hìc explicandum non est. Et hæc est ipsissima doctrina, quã pluribus in locis tradit Extaticus noster Parens, asserens derelinquendam esse operationem activam, hoc est, intellectionem connaturalem, & discursivam, vt contemplatio fructuosa habeatur.

24. Arguitur secundò: Habens habitum fidei potest contemplari, quin in hoc aliquod periculum detur: incipientes habent habitum fidei: ergo sine periculo aliquo contemplari possunt. Cætera nota sunt, probatur maior: Habens habitum fidei potest sine periculo elicere fidei actum: sed contemplatio est actus fidei iuxta opinionem sanissimam Mysticorum: ergo.

25. Confirmatur: Quia licèt periculosum sit ponere in oratione animã totius actus expertem, vt faciunt illuminati, & vidimus in relatis ipsorum, aliorumque eiusdem furfuris, erroribus; ponere tamen in oratione ipsam animam elicientem actum fidei, non est illam ponere sine actu: ergo in hoc nullum periculum adest.

Respondetur argumento, ipsum indignum omnino esse, cui Theologus respondeat. Si namque aliquid probaret, convinceret vtique, pueros, amẽtes, & peccatores posse elicere actum perfectæ contemplationis: siquidem in omnibus illis datur habitus fidei. Itidem cõvinceret, viatorẽ gratia decorũ posse Deum intuitivè videre: radix quippe visionis facialis Dei est gratia sanctificãs. Aliaque plurima ex hac crassissima argumẽtatione sequuntur. Sed respondemus, negãdo maiorem. Ad probationem, concessa maiori, & minori omissa, distinguatur consequens: Quod verum est de habente fidem cum omnibus illis requisitis, quæ pro contemplatione necessaria fore multoties diximus: sin minùs falsum omnino est, habentem habitum fidei posse contemplari. Quodsi ad contemplationem elevetur, periculum imminere non dubitet. Et si interroges: quod periculum? Dicam: periculũ non percipiendi fructum meditationis, quia illam respuunt: periculum numquàm habendi contemplationem, licèt ipsi falsò existiment, se illam habere: & (quod ex his deducitur) periculum illusionis.

Non mihi fidem detis, Theologi catholici, qui ex adverso estis, sed Sapientissimæ Theresiæ, hoc periculum imminere docentis verbis num. 15. datis, quibus periculo illusionis se exponere, qui non vocatus ad contemplationem ascendit, clarissimè dicit.

26. Dices: multi, qui â contemplatione viam spiritus incepere, multùm in ea profecerunt: ergo periculum in hoc nullum est.

Respondetur: Hoc esse præcipuum periculum nostro iudicio vitandum: nam hoc idem illuminati dicunt de sua tartarea quiete: hoc perfidus Molinos docuit: siquidem posquàm propositione 26. dixerat: *Tres illæ viæ purgativa, illuminativa, & unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica; cùm non sit nisi vnica via, scilicèt via interna.* Post hunc, inquam, errorem dixit in propositione 54. damnata: *Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.* Ecce vulpes lamentatur infœlicitatem eorum, qui per suam viam internam non gradiuntur. Directè tamẽ dico: quòd, vt videbimus quæstione 5. potest Deus, & de facto aliquos fecisse contemplativos credimus, quin præcederet meditatio: ad hoc tamen requiritur speciale privilegium. Et si sermo de istis sit, non abnuam, illos sine meditatione in cõtemplatione profecisse: de aliis autem non credam,

quam-

quamvis clament illi, ipſorumque Directores. Omnis illa oratio, quam ſe habere rentur, ſine fundamẽto eſt: ruet tandem. Si ſeraphica Eccleſiæ Doctrix cap.22. vitæ ſuæ per hæc verba: *Tengo para mi, que quando el alma haze algo de ſu parte para aiudarſe en eſta Oracion de vnion* (id eſt, cũ anima, Deo haud vocante, elevatur) *que aunque luego pareſce le aprovecha : como coſa no fundada* (hoc eſt, quia defuit meditationis fundamentum) *ſe torna preſto à caer, y he miedo que nunca llegarà à la verdadera pobreza de eſpiritu.* Hic eſt fructus, quem percipit, qui ſine meditatione vult ad ſuperiora ſublimare.

Semper verum eſt; quod Hugo Victor de laudib. Orat. ſcripſit dicens: *Orationem non poſſe eſſe perfectam, niſi meditatio præcedat.* Vnde qui contemplativus eſſe deſiderat, meditetur priùs, prout monet D. Bonaventura in ſtim. amor. cap. 1. his verbis: *Si ad contemplationis quietem volueris pervenire, ſtudeas conſiderare quantum tuum Conditorem offenderis; quotidie recognoſcas, & de tuis ſceleribus intimè doleas: Si poteſt, quotidie lachrymeris, & hæc cogitans magis triſtari deſideres, quã gaudere.* Quod documentum eſt idem cũ eo, quod nobis dedit D. Laurentius Juſtinianus de diſcip. cap.8. per hæc verba: *Qui cupis Deo fœliciter inhærere, vide nullo modo à conſueto meditandi frangaris modo.* Sic in contemplationem itur, quæ non niſi meditationis paſsibus obtinetur: atque adeò quamquàm incipiens ſupponatur fide imbutus, lõga illi reſtat via, vt poſſit contemplationem exercere.

27 Inſtas: Sicut incipiens habet habitum fidei, ſic etiã habet habitum ſpei, & charitatis, quam in ipſo ſupponere debemus: ſed vt actus ſpei, & charitatis eliciat, non prærequiritur meditatio: ergo nec vt eliciat actus fidei: ſed actus fidei contemplatio eſt: ergo.

Hæc inſtantia eſt vnum ex argumentis â contrarijs factum, in quo nullam difficultatem, nec leviſsimam, invenies præter illam, quæ continetur in argumento principali. Vnde omiſſo toto ſyllogiſmo, & minori ſubſumpta, ad conſequentiam dicimus, quòd habens fidem contemplari poteſt, ſi adſint alia, quæ inſinuavimus in reſponſione ad argumentum; aliter non eſt dabilis contemplatio: quia vt ait D. Bonaventura de itin. diſt.4. art.1. *In contẽplatione oportet paulatim, & gradatim proficiendo aſcendere. Oportet, quòd mens, quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, poſteà illuminetur, & deinde perficiatur: quia niſi præcederet purgatio, non ſequeretur illuminatio.* En qualiter habitum fidei habere non ſat eſt, vt cõtemplatio habeatur, & qualiter meditatio eſt primus gradus viæ ſpiritualis, per quem tranſeundum eſt, vt recto tramite procedatur. *Non enim ſubitò in cogitatione, & auditu divinorum, ſed gradatim ad culmen perfectionis attingitur,* ait D. Thomas â Villanova in cant.

28. Omnes illas propoſitiones omiſimus: Quia pro nunc eſt extra chorum diſputare, an contemplatio ſit actus fidei, vel non; quia, etiamſi actum eſſe fidei aſſeratur, nil cõtra nos ſequitur, nec paritas illa ſpei, & charitatis aliquid probat. Idem enim dicimus, ac de fide. Vtique fidem, ſpem, & charitatem habens, poteſt credere, ſperare, & diligere Deum: ſed qualis eſt hæc Charitas? Qualis ſpes? Qualis fides? Omnino imperfectæ. De ſpe hoc oſtendit Extaticus noſter Doctor lib. 3. aſcenſ. cap. 14. & cap. 6. vbi ait: *Quanto mas la memoria ſe deſpoſſee, tanto mas de eſta eſperanza tiene*: Ergo vt ſpes perfecta ſit, requiritur memoriam purgatam eſſe ab omnibus creatis: ergo memoria, quæ hanc purgationem paſſa non eſt, parum perfectionis habet. Et hæc ſimiliter de charitate vera ſunt: Propterea quæ noſter Myſticus Doctor dividit Dei amorem in amorem Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quæ eſt doctrina D. Auguſtini, & D. Thomæ, de qua iam in ſuperioribus loquuti nõ ſemel fuimus. Hæc etiam verificantur de fide: quia que ad contemplationem requiritur fides perfecta, ſicut & ſpes, & charitas: propterea ex habitione habitus fidei malè contemplatio colligitur, gratis

admisso fidem principium elicitivum fidei esse.

Ad confirmationem dicimus: certum esse, diversam esse contrariorum opinionem ab erroribus illuminatorum: nec aliud suspicari nobis fas est. Quam differentiam satis, superque insinuavimus, dum in opinione adversa adesse periculum diximus: In hæreticorum enim somniis periculū propriè non adest; sed sunt ipsum præcipitium, & ruina. Asserens aliquam opinionem esse periculosam, non illam inter hæreticas accenset: in his quippe nō est periculum imminens, sed incursum. Cum hoc tamen stat, quòd opinio nunc nobis adversa periculosa sit, eò quòd transcendit de extremo ad extremum sine medio: non procedit iuxta methodum â mysticis Doctoribus assignatam: ponit animam in illa quiete, ex qua in falsum quietismum plures, vel quæ priùs fideles inveniebantur, prolapsæ sunt. Sic sentit noster Franciscus â Sto. Thoma in sua med. myst. tract. 4. cap. 4. num. 15. asserens pro se nostrum V. Thomam â Iesu. Sic etiam noster Ioseph â Spiritu Sancto in sua catena mystica. Qui omnes in idē principium revocant hanc ruinam, videlicet, quia per illum orationis modum periculo se exposuerunt in eos errores incidendi. Audiendus tamen est Caietanus, qui 2. 2. quæst. 182. art. 2. ait: *Qui alios in via Dei instruunt, diligenter efficiant, vt priùs in vita activa exerceri faciant, quàm ad contēplationis fastigium suadeant: oportet priùs passiones domare, habitibus patientiæ, mansuetudinis, liberalitatis, & humilitatis sedare, quàm vitam contemplativam ascendere. Ob defectum huius multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquàm multum tempus vitæ suæ contēplationi dederunt, vacui virtutibus inveniuntur, impatientes, iracundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur, ac propterea tales nec activam, nec contemplativam, nec ex vtraque compositam habuerunt, sed supra arenam fabricaverunt. Et vtinam non sit frequens defectus iste.*

Hæc Eminentissimus iste Theologus, quibus dicta omnia firmantur.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm viam spiritualem incipere â cōtemplatione sit oppositum bonæ Philosophiæ.

OPinionem asserentē, animam non reddi proximè perfectibilē per meditationē, consideravimus quæstione præcedenti relatè ad periculum, quod ex illa sequitur: nunc autem illam consideramus metaphysicè, & secundùm se. Potest enim illa opinio periculosa esse, quin bellum aliquod habeat cum bona Philosophia, si secundùm se, & circumscriptis quibuscumque circunstantiis, inspiciatur. Et hoc est, quod in præsenti exploramus, â quo breviter expediemur. Auctores, qui nobis oppositi fuere in duabus ante actis quæstionibus, consequenter sustinent in hac præsenti partem negativam. Ex aliis verò omnes partem affirmativam defendunt, docentes talem opinionem nō solùm deferendam esse propter inconvenientia moralia, quæ ex illa deduci vident; verùm etiam, quia secundùm se, & inspectis bonæ Philosophiæ regulis, implicatoria est, cum quibus sentio, vt explicat

§. I. *Oppositum est bonæ Philosophiæ asserere viam spiritualem incipiendam esse â contemplatione, meditatione omissa.*

29. ASsertionem istam esse de mente nostri Angelici Præceptoris, vt indubitatum est apud nos, quod iam insinuavimus. Probatur ergo primò conclusio auctoritate Philosophi 1. physic. textu 34. vbi ait: *Ordo præscriptus à natura est, vt ab imperfectioribus ad perfectiora ascendamus.* In quibus verbis, & nostrum processum ab imperfectioribus incipere dicit, & hunc ordi-

ordinem esse â *natura* decretum docet. Et obseruandum est, ipsum Arist. lib. 10. Etichor. dixisse: *Contemplativa operatio præstantissima est.* Probatque inibi vitam cõtemplativam activa perfectiorem esse octo rationibus,quas adducit, approbatque D. Thomas 2. 2. q. 182. art. 1. in corp.Ex quibus omnibus hæc ratio conficitur. *Ordo præscriptus à natura est*, vt viam spiritualem incipiamus ab *imperfectioribus*, vt sic ad *perfectiora ascendamus*: sed meditatio minùs perfecta est, quàm contemplatio: ergo atrento ordine naturæ, seu, quod idem prorsus est, secũdùm bonam Philosophiam, viam spiritualem debet Asceta incipere â meditatione.Cõsequentia bona est: & minor certa ex se, & ex inducta auctoritate Philosophi; illam que aduersarii non negant. Maiorẽ autem, ad quam poterat dubitatio reduci, convincit Aristoteles ipse suis verbis. Etenim ex illa regula generali optimè infertur, quòd hæc via particularis, nẽpe spiritus, debeat in sui principio, & termino seruare ea, quæ processus, abstrahens ab hac, & illa via determinata, seruat. Certum est enim, quòd gratia non destruit naturam. Vnde si â natura institutus hic ordo est, illi adstringitur Asceta, licèt non naturæ, sed gratiæ viam lustret. Videmus enim, vel intra ipsum gratiæ ordinem, hunc ordinem obseruari.

30. Dices: Aristotelis auctoritatem nihil valere apud Catholicum; ipse enim gratiæ ordinem ignoravit:quare, licèt apud Philosophos pluris eius auctoritas habeatur, non tamen apud Catholicos, qui de via spirituali, quæ illum latuit, disputant.

Sic obijcit Gandavens.Quodlib.12. contra D. Thomam præcitatum, probantem Philosophi authoritate perfectionem contemplationis: eius autem obiectionem aëream esse, ostendit inibi Caietanus dicens: *Rationes Aristotelis, & aliorum Philosophorum, quæ naturam actus ex suo genere pensant, non modicũ, sed sufficiẽter valent apud Catholicos.* Est dicere: quòd Catholici disputantes de aliquo secundùm ea, quæ habet ex propria natura, venerari debent rationes Principis Philosophiæ. Cùm autem nos in præsenti loquamur de via spirituali, attenta ipsius natura, & inspectis regulis Philosophiæ, propterea Principem Philosophorum consulimus, vt quid in hac parte sentiat, inspiciamus.

31. Probatur secundò conclusio ex Theologiæ mysticæ Parente D. Dionysio,qui cap. 1. de cœlesti Hierarchia sic ait: *Nec est possibile nostro animo ad non materialem illam ascendere cœlestium Hierarchiarum imitationem, & contẽplationem, nisi ea, quæ secundùm ipsum est, materiali manuductione vtatur.* Vbi impossibile nobis esse docet, obiecta superiora contemplari,nisi priùs intellectus noster *materiali manuductione* actuetur, quam manuductionem materialem secundũ se habet. Hoc est, vt intellectus noster valeat in cõtẽplationem cœlestiũ deuenire, debet incipere hoc iter â propriis discursibus, qui suo modo,& iuxta ipsius naturam illum manuducant ad portum illius optatissimi,& fœlicissimi finis: & aliter procedere est impossibile. Per quod non excluditur gratiæ privilegium, sed asseritur naturæ ordo.

32. Angelicus Doctor perpetuus est in docendo hanc ipsam veritatem, quæ probatur tertiò ratione ex ipso desumpta:etenim in contemplatione veritatis homo differt ab Angelo quatenus *Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur: homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis*: ergo attenta natura intellectus humani non potest dari contemplatio, quin meditatio præcedat. Antecedens continet verba ipsa Diui Thomæ 2. 2. quæst. 180. art. 3. & consequẽtia probatur ex ipso Doctore Angelico inibi ad 4. vbi enumerans actus, qui præcedere debent ad contemplationem, ait: *Alio modo necessarium est, quòd* (homo) *adhibeat proprium studium, & sic requiritur meditatio.* Videatur toto illo articulo, in quo plures rationes offert, quibus nostrum assertum comprobetur.

33. Probatur quartò alia ratione ex ipso Angelico Doctore deprõpta. Vir-

tu-

tutes morales debent præcedere contemplationem, si ordo, quem ratio naturalis petit, servetur: atqui virtutes morales non dantur sine meditatione: ergo ex natura rei meditatio præcedit contemplationem. Consequentia est certissima: vnde difficultas devolvitur ad præmissas, quarum maior probatur. Dispositio debet præcedere rem, ad quam disponit: virtutes morales sunt dispositiones ad contemplationem: ergo. Cætera constant: & minor probatur ex D. Thoma citata quæstione, art. 2. vbi docet, virtutes morales esse dispositiones ad contemplationem, quia *impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus; & ideò virtutes morales dispositivè ad vitam contemplativam pertinent*: ergo tenet minor. Et certè, cùm actus contemplationis impediatur per passionum vehementiam, ac per rerum exteriorum tumultũ, non potest sine influxu moraliũ virtutum hoc obstaculum auferri. Et hinc clarissimè infertur, â quo dependet lętitudo, qua multi spirituales procedunt in via spirituali: Et aliorum præcipitium. Non curant passionum cohibitionem, nec elongationẽ â tumultibus exterioribus: & hæc est causa, ob quam, si aliquam contemplationem habent, permanens non fit. Radicatur inter spinas, vel supra rebellem petram; & ideò vel, nè crescat, impeditur; vel facilè eradicatur. Non est ad contemplationem aptus animus illex, lingua effrænis, cor superbum, nec alias passiones in suo vigore habẽs. Vnde cùm has ões passiones virtutes morales cohibeãt: inde est, quòd sũt dispositiones ad cõtẽplationẽ.

34. Minor autem principalis, quæ asserit, virtutes morales non dari sine meditatione est eiusdem D. Thomæ in 3. dist. 35. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. Est etiam Seraphicæ Matris nostræ lib. Itiner. cap. 16. vbi docet meditationem esse principium, quo virtutes omnes habentur, & in cuius exercitio vita nostra spiritualis consistit. Mirissima sunt eius verba: *Si pidierades meditacion, pudiera hablar de ella, y aconsejar à todas la tuvieran, aunque no tengan virtudes; porque es principio para alcanzar todas las virtudes, y cosa, que nos và la vida en comenzarla todos los Christianos.* Post quæ subdit: *Contemplacion es otra cosa, hijas, que este es el engaño, que todos tracmos, que en llegandose vna vn rato cada dia à pẽsar sus pecados (que lo debe hazer, si es Christiano demàs que nombre) luego dizen es muy contemplativo, y luego le quieren con tan grandes virtudes, como està obligado à tener el muy contemplativo, y aun el se quiere; mas yerra en los principios, no supo entablar el juego, pensò bastaba conocer las piezas, para dar mate, y es imposible.* Post hæc autem prosequitur: *Si quereis, que os diga el camino para llegar à la contemplacion, sufrid, que sea vn poco larga en cosas ::: y sino las quereis oir, ni obrar, quedaos con vuestra oracion mental toda vuestra vida, que yo os asseguro à vosotras, y à todas las personas, que pretendieren este bien ::: que no llegueis à verdadera contemplacion.* Plura exscripsi; feci tamen, quia in iis veritas illius minoris continetur: & illis tota huius quæstionis doctrina roboratur.

35. In primis enim habemus ex hac auctoritate: ad meditationem aggrediẽdam non prærequiri virtutes; sed ea media acquiri: quamobrem spiritualis vita Christianorum â meditatione pendet: atque adeò cognoscitur, quod attenta natura meditationis, & contemplationis, illa debet præsupponi, vtpotè qua vitia eliminantur, & virtutes habentur: secũdùm ordinẽ â natura præscriptũ debet dispositio præcedere rem, ad quam disponit: si virtutes morales sunt dispositiones ad cõtemplationem, vt ex D. Thoma vidimus, & id, quo istæ virtutes habentur, est meditatio, vt docet hìc Seraphica Doctrix, planè infertur, quòd ex natura rei debeat Asceta â meditatione incipere. Pergit tamen Expertissima Theresia dicens: aliter procedentem errare in principiis, hoc est, errat, quia non incepit suum spirituale iter â principio, quod huius itineris verè principium est, videlicèt â meditatione. Etsi parvus error in principio, teste Philosopho, est magnus in fine: hic error, qui â principio est ma-

xi-

ximus, vtpotè naturæ ordinem invertens, error erit in ruinam miserabiliter conducens. Sciat huius criminis reus; se rem aggredi prorsus inæquibilem; siquidem cœlestis Magistra, vt certissimum pollicetur, illum nũquàm in contemplationem veram pervẽturum. Hæc solummodò sufficiebant, quamquàm opinio adversa solidis fundamentis sulciretur; vt in re tanti momẽti securam viam sequeremur, contrariam deserentes.

§. II. *Solvuntur obiecta.*

36. COntra nostram cõclusionẽ arguitur primò: Meditatio non est id, quod spiritualis intendit, huius quippe conatus totus est in contemplationem, aliunde autem ipsam meditationem debet deserere, si vult proficere: ergo secundùm rectam rationem non debet â meditatione incipere. Antecedens est quoad vtramque partem certissimum, & consequentia probatur; quia natura dictat, vt ea, quæ nobis obesse possunt, deseramus, vt, vel in ipsis ratione carẽtibus, intuemur: ergo si meditatio nobis potest obesse, & in illa veluti in termino quiescere non possumus, ex dictamine naturæ, vel non assumi; vel semel assumpta deseri, debet.

Hoc argumentum magnificant contrariorum aliqui, ac si plura vitia non contineret, quàm verba. Illi tantùm defert auctor quidam, vt asserat: Incipientibus viam spiritualem per orationem fidei, seu contemplationem, non erit ipsa contemplatio ardua: alii autem, qui meditationibus insudarunt, cognoscent quantum interest, iactare in Domino curam suam, & â discursibus segregari. Posteà autem cap. 11. inquit: Meditativis nova erit huius libri doctrina: non autem illis, qui â cõtemplatione incepere: siquidem hac brevi tempore longum iter cõficitur: rumpit enim moras anima hac via, & in Deum velocissimè fertur. Hæc, & alia elogia tribuunt adversarii illi suæ orationi fidei apud scholam veritatis folio 15. ante oculos nostros ponentes meditationis tarditatem. Quæ dum audio, non possum non meminisse illius erroris Michaelis de Molinos ab Ecclesia damnati, de quo iam memoriam fecimus: estque huiusmodi: *Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.* Gratias pro imbibita compassione repẽdimus: sed nostram meditationem deserere nolumus, scientes ex D. Bernardo de inter. Dom. cap. 12. quòd contemplationis *gratiam non meretur accipere animus, qui in sui cognitione diu exercitatus, & plenè eruditus non est. Frustra enim,* subdit, *cordis oculum dirigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum se ipsum.* Nec hoc tanquàm exageratio quædam admitti debet, vti in similibus dici solet, cùm videamus Theologorum Principem D. Thomam omni rigore scholastico loquentem dixisse 2. 2. quæst. 82. art. 3. *Necesse est, quòd meditatio sit devotionis causa, in quantum homo per meditationem concipit, quòd se tradat divino obsequio, ad quod inducit duplex consideratio: vna ex parte Divinæ bonitatis, & beneficiorum eius: alia ex parte hominis considerantis defectus suos.* Hæc, & quæ tam in hac quæstione, quàm in duabus præcedentibus diximus, & alia innumera, quæ omittimus, movent, vt in nostro iudicio de meditationem non deserendo immobiles simus, licèt, vt iam diximus, Auctori apud citatã scholam veritatis, nostri spiritualis dispendii compassionem habẽti, gratias compassione rependamus. Igitur

Respondetur ad argumentum concesso antecedenti, negãdo consequentiam: Quia via ad terminũ, & medium ad finis consequutionem non assumuntur, vt in illis maneat iter faciens, aut finem intendens: quiaque meditatio est medium ad consequendam contemplationem, viaque ad ipsam, vt ex superioribus patet, propterea natura ipsa dictat assumendam esse meditationem, vt ille terminus, seu finis consequatur. Quam viam si derelinquat Asceta; cùm advenerit tempus destinatum â Deo, quod attinet ad iudicium Directoris,

nullum nocumentum ex meditatione reportabit; quinpotiùs copiosissimis fructibus cumulabitur, quos plena manu percipiet.

37. Respondetur secundò: Vel potiùs data doctrina aperitur ex nostro Doctore Extatico, qui non solùm factum argumẽtum dissolvit; verùm etiam hactenus dicta confirmat: ideò illum reservavimus vsque adhuc. Sublimis hic Doctor dubitat lib. 2. ascens. cap. 16. cur Deus animæ confert visiones aliquas supernaturales, si ipse Deus vult animam his visionibus non adhærere, immo cor suum separatum ab illis vult? Et augetur difficultas primò: quia ex receptione harum gratiarum non pauca, nec levia pericula imminent recipienti; si namque illis adhæreat, in suo itinere non proficiet. Secundò; quia illud ipsum bonum, quod Deus dispensatione harum gratiarum consequitur, potest sine illis consequi. Quis hoc dubitet? Vt quid ergo pientissimus Pater gratias dispensat, quibus non debeat cor apponere recipiens, in quibus hic ruinam invenire valet, & sine quibus potest Deus animam recipientis perficere? Ecce sublimissimi nostri Doctoris cõtra suam doctrinam obiectionem simillimam abs dubio rei præsenti: siquidem præsens argumentum proponit nobis meditationem, vt in quo nobis non sit sistendum, sed vlterius transeundum: insuper ex illa non pauca pericula insurgunt; si non vt via habetur, sed vt terminus, finis ve intentus assumatur. Ac denique potest Deus sine meditatione animam ditare, eo modo, quo media meditatione decorat. Vt quid ergo meditatio? Idem nodus est; eidem enodationi subest.

38. Respondet ergo Doctor Extaticus, tria breviter præsupponens: Primum ex ad Romam 13. vbi Apostolus ait: *Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt.* Secundum est ex libro Sapientiæ, vbi cap. 8. dicitur de Deo: *Disponit omnia suaviter.* Tertium est ex communi Theologorum diverbio, dicentium: *Deus omnia movet secundùm modũ eorum.* His sic statutis, ait noster Parens: Deus volens animam extrahere à nihilo conditionis suæ, & illam secum vnire, procedit ordinatè, suaviter, & ad modum ipsius animæ. Cùm autẽ ordo, quem anima servat in sui cognitione, sit mediis imaginibus, & figuris, & modus, quẽ in eisdẽ cognitionibus habet, sit mediis sẽsibus, à quibus recipit; quia nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: propterea Deus animã de infimo extremo ad supremum elevans, vt hoc suaviter faciat, illam ducit iuxta ordinem, modumque, quos ipsa anima observat, & si aliter procederet, suo vtique dominio vteretur; sed tunc procederet vltra id, quod ordo, modusque ipsius animæ petunt. Ob hoc ergo Deus priùs perficit hominis sensus exteriores, illum in bona obiecta naturalia inclinans, vt audire sacrum, sermonibus interesse, aliaque huiusmodi facere. Cùm autem sensus isti aliquam idoneitatem habeant, confert illis aliquas gratias supernaturales, vt sunt visiones, locutiones, & odores suavissimi, quibus sensus ipsi magis perficiuntur, magisque ab obiectis nocivis retrahuntur, dum his, similibusque favoribus inescantur. Idem proportionabiliter intellige de sensibus internis, quos eadem methodo retrahit à malo, inclinat in bonum naturale, ditatq̃ supernaturalibus gratiis, vt sunt visiones imaginariæ, & aliæ similes. Hæc ibi ad longum prosequitur Extaticus Doctor omnino videndus; quia materiam præsentem, & alias plures illustrat mirabili sua doctrina.

Illa autem concedit, posse Deum sine his favoribus animam elevare; immo & hoc Deum velle concedit, non tamen facit, vt potest, quia secundùm viam ordinariam procedens se se attemperat animæ, & iuxta exigentiam naturæ ipsius operatur. Verba aliqua huius egregij Doctoris subijcio hoc ita evenire docens: *No porque no quisiera Dios darle luego en el primer acto la substancia del espiritu, si los dos estremos, que son humano, y divino, sentido, y espiritu, de via ordinaria pudieran convenir, y juntarse con vn solo acto; sin que intervengan primero otros muchos actos de disposiciones,*

nes, que ordenada, y ſuavemente convengan entre sì; ſiendo vnas fundamento, y diſpoſicion para las otras, aſsi como en los agentes naturales, &c.

39. Hæc adduxi, vt ex illis paritatem haberemus, qua factum in nos argumentum ſolveretur. Sed re bene cõſiderata, non eſt paritas, ſed identitas. Ibi enim non ſolùm loquitur Sanctus Parens de viſionibus, aliiſque gratiis, quas Deus animæ confert: verùm etiam de ipſa meditatione. Ait enim, quòd anima, quò magis Deo accedit: *ſe và mas deſnudando, y vaciando de las vias del ſentido, q̃ ſon las del diſcurſo, meditacion, è imaginacion.* Solumque eſt diſcrimen inter illas gratias ex vna parte, & meditationem ex alia, in eo, quòd gratiæ illæ nunquàm appetendæ ſunt propter rationes, quas inibi Doctor Sanctus exponit: meditationem autem debent appetere incipientes, quia eſt via, ſine qua non obtinetur terminus, & in eo, quòd ab incipientibus deſideretur, nullum adeſt inconveniens, quod in illarũ gratiarum deſiderio dari, certum eſt. Præter hoc, in quo diſcriminantur, conveniunt in alijs. Vnde ad factum argumentum reſpondemus data doctrina, & toto citato capite, quod ſi conſiderarẽt contrarii Auctores, forſam ab illa ſua opinione, quam adeò extollunt, recederent.

40. Arguitur ſecundò: Si ordo naturæ peteret, vt ſpirituales â meditatione inciperent, nullus daretur, qui in via virtutis proficeret, quin inciperet ab ipſa meditatione: ſed dantur plures, qui in via virtutis proficiunt ſine meditatione, vt teſtantur Directores illi, qui ſuos diſcipulos ponunt in oratione fidei, ſine eo quòd præceſſerit meditatio: ergo ex natura rei nullum adeſt inconveniens in hoc, quod eſt contemplationem ſine meditatione exercere.

41. Confirmatur: Incipientes in ſua oratione ponunt attentionem ſuam quietam in Deo, vtì diximus in Iſagoge lib. 4. numero 7. ſed hæc quieta attentio eſt contemplatio: ergo incipientes contemplantur.

Reſpondetur argumento: Dari aliquos, quibus Deus gratiam confert, vt ab exordio cõtemplentur, vt tenent ſeraphica Doctrix, Doctorq̃ Extaticus locis citatis, ſupraque num. 11. ex Gerſone vidimus, cum quibus hæc diſcutiemus quæſtione 5. & quòd hoc ſic fiat, non arguit veram eſſe contrariorum opinionem; ſiquidem tunc Deus operatur ſupra exigentiam naturæ. Vltra hos privilegiatos nemo ſine meditatione procedit iuxta regulas bonæ Philoſophiæ, ſed contra illas. Nec momenti eſt illa illorum Directorum practica, & ſecuritas, cùm, præter omnia dicta, ſciamus illuminatiſsimum Ruſbroch. dixiſſe: *Exiſtimantes ſe altiſsimæ quietis contẽplationi vacare interiùs, diabolico otio, & rerum omnium denudato ſedulo ſtudẽt, ibique otium, quietem, & imaginibus vacuam inveniunt, ac experiũtur nuditatẽ.* Videatur Barambius, contra Molinos propoſitione 21. qui de oratione illa fidei, â qua ſuos diſcipulos initium ſumere faciunt Directores illi, aliqua non ſpernenda adducit. Et quàm nocivos fructus ex illo principio experta ſit curia Matritenſis evulgat. Nec ſolum Matritum hoc paſſum eſſe ploramus: Sub hac enim oratione fidei, quæ in ſe ſanctiſsima, & vtiliſsima eſt, plura monſtra latent, quorum tartarea capita, Hydriæ æmula, vel ſemel, & multoties amputata, revireſcunt, in plurium animarum, non vnius tantùm populi, ruinam. Periculũ hoc imminere incipientibus, ſi meditatio eis interdicitur, conſtat ex dictis quæſtione præcedenti: in hac autem dicimus, eſſe contra naturæ ordinẽ, & regulas bonæ Philoſophiæ, quod illa experientia non infringitur.

Ad confirmationem reſpondetur dari illam quietam attentionem, & etiam ponderationem in oratione incipientium: hoc tamen fit poſt meditationem, ex quo noſtrum aſſertum potiùs quàm enervetur, roboratur; quia ſicut ad hũc actum põderationis, & attẽtionis quietæ prærequiritur hic actus meditationis, & regulis bonæ Philoſophiæ cõtradiceret, qui aliter procederet; ſic etiam ad contẽplationem conſtituentem ſtatũ præcedere debet meditatio ſtatus infi-

mi conſtitutiva iuxta ipſas bonæ Philoſophiæ regulas, & ſtatuta.

42. Sed replicabis, & arguitur vltimò: Eò iuxta regulas Philoſophiæ deberet anteire meditatio, quia eſt minùs perfecta, quàm contemplatio: at hoc eſt falſum: ergo etſi detur contemplatio ſine meditatione non violantur ſtatuta philoſophica. Maior, ſeu ſequela patet ex â nobis dictis in probatione concluſionis: eò enim dicimus hoc repugnare, quia incipiens debet priùs attingere actum minùs perfectum, quàm perfectum. Minor probatur primò; quia cognitio attingens principia, perfectior eſt, quàm cognitio ſcientifica, quæ attingit concluſiones: atqui cognitio circa principia prior eſt, quã cognitiò circa concluſiones: ergo. Probatur ſecundò: Producens, priùs producit naturam, quàm proprietates, tametſi proprietates non æquent perfectionem naturæ: ergo non eſt contra ordinem naturæ priùs attingere magis perfectum.

Reſpondetur negando minorem: ad cuius probationem primã dicas: Cognitionem concluſionũ depẽdere â cognitione principiorum, ſicut etiam productio proprietatum depẽdet â productione eſſentiæ. Et cùm intervenit dependentia hæc inter perfectum, & imperfectum, non implicat, ſed requiritur, quòd priùs detur perfectum. Meditatio non dependet â contemplatione, quin potiùs contemplatio â meditatione dependet: vnde in illis tenet philoſophica illa ratio, qua vſi fuimus. Per quæ ad vtramque probationem patet: In ipſa autem ſcientia adeſt noſtræ doctrinæ exemplum nobile. Scientia enim actualis eſt contemplatio veritatis, quæ quidem contemplatio eſt iudicium reſolutivum intellectus, ad quod non pervenitur, niſi poſt plurimas collationes, & præcedentem diſcurſum. Nec dicent Adverſarii, quòd ſcientificus incipit ſuam ſcientiam â contemplatione ſciẽtifica veritatis, ſeu iudicio reſolutivo.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm illi, qui â peccatorum cæno extrahuntur, poſsint illico in meditatione excerceri?

43. NVnquã huius quæſtionis meminiſsẽ, niſi eam apud Authorem Myſticum non infimæ notæ diſcuſſam viderem. Negativam partem mordicus defendit: & vt verum fatear, in quo ſenſu loquatur, plenè percipere non valui; quippe dum negat peccatorem recenter converſum ad meditationis exercitium elevandum eſſe, fatetur, quòd illud tempus antequàm ad meditationem admittatur, debet iſte recenter converſus, poſt peccatorum generalem confeſsionem, ad Crucifixi pedes provolutus, ſua peccata deplorare, amicis, anteactiſque converſationibus, vàle dicere, templis veſpere, & manè aſsiſtere, Altaria viſitare, miſſas, ſermoneſque audire, hoſpitalibus intereſſe, aliaque huiuſmodi facere. Et certè, quòd ad hæc non requiratur meditatio; vel quòd meditatio ſit; vt illa fiant, impedimentum, ægrè probari poteſt. Preterquãquòd, cùm etiam dicat hic Author, iſtos noviter converſos facere etiam debere id, quod pro illuſis iam converſis decernit: & mihi inquirenti, quid prohis illuſis ſtatuit, occurrit, eis iniungendam eſſe meditationem, non vt continuò practicandam, ſed vt paululum exercendam: ex quo planè colligitur, noviter â peccatis reſurgentes exercendos eſſe in meditatione. Quod omne compati cum huius Auctoris præſenti reſolutione haud poteſt. Quamobrem vereor, ſi loquitur in aliquo ſenſu faciente diſputationem de nomine: verùm quia hunc ſenſum non percipio, & video reſolutionẽ clariſsimam contra eam, vt ſic propoſitam, procedere ſtatui, quicquid ſit de ſenſu, in quo Auctor ille procedat. Movetque præcipuè videre, quòd Præfatus Auctor

tot argumenta, quæ contra ſuam poſitionẽ proponit, ſunt ipſa, quæ Divus Thomas adducit quodlib. 4. q. 12. toto artic. 23. vbi nervoſiſsimè probat Angelicus Doctor, pueros non exercitatos in obſervantia præceptorum poſſe ad Religionem admitti. Igitur illa ipſa, quæ contra ſuam Angelicam aſſertionẽ opponit inibi D. Thomas, obiicit in præſenti dictus Auctor contra opinionem, quam pro concluſione ſtatuere paramus; quo ſolo ſuſpectũ nobis redderetur præiacti Auctoris aſſertum.

§. I. *Proponitur noſtra ſententia.*

44. NOſtra cõcluſio affirmativa eſt, eamque probamus ex D. Thoma quodlib. 5. art. 21. vbi inquirens: *An Divus Matthæus fuerit vocatus ſtatim de telonio ad ſtatum Apoſtolatus, & perfectionis?* Reſpondet affirmativè: Et in argumento *ſed contra* affert Hieronymũ dicentem, quòd Matthæus *de publicano repentè fit Apoſtolus*, & Bedam aſſerentem, quòd *de Publicano in Apoſtolum, de telonio in Euangeliſtam mutatus eſt.*

45. Probatur ſimiliter concluſio ex caſſu D. Pauli, qui cùm minas ſpiraret in Dominum, Dominique Diſcipulos, ab ipſo, quem miſerè perſequebatur, miſericorditer vocatus eſt, & in perfectiſsima Apoſtolorum claſſe collocatus: ex quibus hæc ad noſtrum intentum conficitur ratio breviſsima, & non ineſficax. Poteſt, qui ex abominabili publicani miniſterio extrahitur, extemplò inter Apoſtolos recenſeri, & qui modò Chriſtum perſequitur, Apoſtolus nominari: ergo, & qui peccata plura commiſit, illis deteſtatis, ritèque confeſsis, poteſt ſtatim viam orationis ingredi. Antecedens conſtat ex dictis, & conſequentia certiſsimè ſequitur; conſequens enim nihil aliud continet, niſi generalẽ reſolutionem, quam convincunt illa duo indubitata exemplaria, quibus innumera addi poſſent.

46. Dices primò: Ex caſſu particulari deduci non poteſt reſolutio generalis: ſed illa, quæ recenſuimus, particularia ſunt: ergo ex ipſis deduci non valet generalis reſolutio.

47. Secundò dices: Divus Thomas non aſſerit, ſed potiùs negat Matthæum ex telonio ad Apoſtolatum ſtatim pertranſiiſſe, *niſi ſecundùm præordinationem Chriſti, qui eum in Apoſtolum ſumendum diſponebat: & ſecundùm hoc ſumenda ſunt verba Hieronymi, & Bedæ.*

Reſpondetur primò ad primam obiectionem: Innumeros eſſe caſſus, quos numerare poſſemus, ex quibus cordatè reſolutio noſtra deducitur. ¶ Reſpondetur ſecundò: Sententiam adverſam incidere in laqueum, quem pedibus noſtris parat. Illa enim eſt poſitio generalis, quæ ſanè infringitur per vnum caſſum particularem. Non quippe poteſt eſſe verum, neminem recenter converſum poſſe ad meditationem admitti; dum aliquis inveniatur, nedum ad meditationem, verùm etiam ad ſublimis perfectionis ſtatum admiſſus. Hoc vltimũ certũ omnino eſt, vt conſtat ex adductis exẽplis: ergo quamquàm alia non extarent, eiuſmodi generalis reſolutio falſa foret; dummodò non aſsignetur ſpecialis aliqua circunſtantia, ob quam â communi regula eximantur iſti particulares: Si enim hoc fieret, vtique generalis poſitio inconcuſſa maneret.

Reſpondetur tertiò: Quòd quãdo ratio, propter quam aliquid affirmatur, vel negatur, communis eſt, de omnibus particularibus verificari debet: vnde quia verum eſt, neminem ſine gratia decedentem ſalvari; propterea nullus particularis dabitur ſine gratia ſalvus. Motivum, quo ducitur ſententia adverſa, vt nullus recenter converſus ad meditationem admittatur, eſt, nè ex peccatorum lugubri ſylva tranſeat quis ad orationis amœnitatem. Hæc ratio, examinanda poſtmodùm, communiſsima eſt, comprehenditque omnes, quotquot peccavere: vnde ſi aliqui inveniantur ex illa ſylva repẽtè ad viam ſpiritualem tranſlati, non poteſt hoc eſſe niſi ob falſitatem illius aſſerti, vel ob ſpeciale aliquod privilegium, quod

ſententia oppoſita non oſtendit.

Ad ſecundam obiectionem reſpondetur: Non occurrere exemplo adducto Divi Pauli, qui ex perſequutore Eccleſiæ factus eſt repentè Apoſtolus: quia tamen in hoc vim non facimus, fatemur, Matthæum nō factum ſuiſſe extemplò Apoſtolum; cæterùm *ſtatim à principio fuit vocatus ad Diſcipulatum Chriſti*, ait D. Thomas art. cit. in corpore, additque: *Si autem loquamur de perfectione Euangelica, ſic manifeſtum eſt, quòd ſtatim à principio vocatus eſt ad ſtatum perfectionis: dicitur enim* Lucæ 5. *quòd ſurgens, relictis omnibus, ſequutus eſt eum, quod etiam ad Diſcipulatū Chriſti pertinebat, ſecundùm illud, quod dicitur* Lucæ 14. *Niſi quis renūciaverit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus.* Et hoc eſt, quod intendimus, nempe: quòd vita licentioſa, recenter derelicta, non obſtet, vt quis viam orationis ingrediatur, quæ certè via perfectionis eſt, & qua in perfectionem itur.

48. Inſtabis contra omnia dicta: Aſſertum contrarium loqui iuxta modum ordinatum Divinæ providentiæ, quam imitari debet Director humanus: non autem iuxta modum extraordinarium ipſius, qualis ſervatus eſt in vocatione D. Pauli, & D. Matthæi, aliorumque tranſeuntium de extremo ad extremum, quin medium attingerent: in quo ſanè privilegium datū fuit legem communem diſpenſans. Quod patet, tum ex ſe; tum quia D. Paulus dicit de ſe abortum, ſeu gratiæ portentum fuiſſe ob ſuæ vocationis privilegium; tum deinde, quia iuxta communes regulas, vel qui non peccavere priùs exercentur in viis purgativa, & illuminativa, quàm in via vnitiva: â qua lege abſoluti ſunt, qui ex fæcibus peccatorum ad Dei vnionem evecti, in cœlumq́ tranſlati, Deum ipſum intuitivè contemplati fuere, quod D. Paulo eveniſſe communis opinio fert. Vnde privilegium eos abſolvens â viæ purgativæ, & illuminativæ exercitiis, abſolvit potiori iūre â lege non illico tranſeundi â ſtatu peccati, ad meditationem. Tum denique: quia ſi diſcurſus noſter teneret, etiam poſſemus noviter converſos in contemplatione ponere, eiſque præcipere, vt exerceant, quæ Perfectorum propria ſunt, ſicut viſum eſt in duobus Apoſtolis: at hoc eſt abſurdum: ergo etiam poſitio noſtra.

Plura hæc inſtantia tangit, quæ ſanè intellecta ſententiam adverſam proſternunt. In vocatione illorum Apoſtolorum, & aliis ſimilibus, intuendus eſt & trāſitus immediatus â peccatis ad viam ſpiritualem, & gradus perfectionis huius ſpiritualis viæ, ad quem repētè evecti ſunt. Hoc ſecundum fatemur, eſſe ſpecialiſsimam gratiam conceſſam illis: ſed illud prius gratia ſpecialis non eſt. Quòd enim quis in meditatione collocetur, vt ex ſuæ culpæ conſideratione magis, ac magis conteratur: vt minùs in ſe cōfidat, & ſuam ſpem in ſolo Deo collocandam iri cognoſcat, neque eſt tranſire de extremo ad extremum, nec gratiam ſpecialem requirit: vel vbi hoc indultum inveniatur, contrarii aſsignent. Per quod patet ad obiecta.

Ad primum quidem dicimus: Quòd ex ſe patet, fuiſſe ſpecialiſsimam gratiam, Sanctos illos ſtatim in apice perfectionis collocari. Verùm nec ex ſe, nec aliunde conſtat, quòd eos ponere ſtatim in via ſpirituali, ſit aliquod privilegium.

Ad ſecundum concedimus, Divum Paulum portentum fuiſſe, gratiæque abortum: negamus tamen hoc fuiſſe, quia de peccatore factus ſtatim fuit in via ſpirituali; cùm non ob hoc factum fuiſſe gratiæ portentum, apertè conſtet; ſed quia in apice huius ſpititualis viæ repentè collocatus fuit.

Similiter ad tertium reſpōdetur primò: Privilegium ipſum ad perfectionis culmen Paulum elevans eum abſolviſſe â communi lege viæ purgativæ, illuminativæque.

Secundò reſpondetur cum noſtra Schola orationis tract. 7. dub. 9. Paulum abſolutum non fuiſſe ab exercitio illius duplicis viæ; quia Apoſtolus exercuit, quæ propriæ ſunt incipientium, & proficientium; atque ideò privilegium fuit eum ad tantam gratiam ſublimari;

cùm

cùm obligatione tamen faciendi, quæ imperfectorum sunt propria, vt sunt vitia extirpare, & virtutum acquisitioni indulgere: ad hoc enim nullam dispensationem habuit; non tamen fuit in illo statu medio, quem ponit sententia opposita inter peccatum, & meditationem: quod certè fuit, quia talis status non datur: vnde instantia hæc regeri in adversarium debet.

Ad vltimum dicas: Hominem non posse invertere ordinem â Divina providentia positum, iuxta quem in quolibet statu â gradu minori incipiendum est. Quiaque inter gradus orationis minor est incipientium gradus; propterea non potest homo istos ordines transcendere, sed iuxta illos animas dirigire: Deus autem, quia nulla lege tenetur, potest, prout sibi placuerit, facere.

49. Probatur insuper conclusio sic: Pueri non exercitati in observantia præceptorum possunt admitti ad exercitium cõsiliorum, Religionis habitum recipientes: ergo & noviter conversi possũt admitti ad exercitium orationis mentalis. Antecedens est D. Thomæ quolib. 4. quæst. 12. toto art. 23. vbi luculentissimè, & nervosissimè illud probat. Et consequentia probatur â paritate, quam ignoro, an clarè negare audeat sententia opposita: cùm fetè omnia argumẽta, quibus vtitur, vt in noviter conversis neget meditationis exercitium, adducantur â D. Thoma, prout diximus initio huius quæstionis, solvanturque; adeò vt videatur Auctor cõtrarius argumenta, contra resolutionem D. Thomæ in dicto articulo posita, exscripsisse, & contra præsentem nostram conclusionem vibrasse; nec huic reflexioni obest, quòd Divũ Thomam non nominet.

50. Confirmatur, & vrgetur hæc ratio: Ideò qui nõ est in præceptis exercitatus potest admitti ad consiliorum exercitium, quia consilia iuvant, vt perfectiùs serventur præcepta, sicut docet Divus Thomas laudatus: sed meditatio iuvat, vt noviter cõversus magis â peccato elongetur, vitia robustè extirpet, & puerilem charitatem foveat: ergo.

51. Sanctus Franciscus Salesius de amore Dei lib. 10. cap. 4. & 5. nostrum assertum declarat ex sacra Scriptura, in qua cap. 6. Cantic. v. 7. dicitur de superno Salomone dulcissimo animarum Sponso: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ: Et adolescentularum non est numerus.* In quibus verbis tres spirituales vias Mystici cõmuniter recognoscũt, quod etiam Præsul citatus tuetur. Reginæ sunt animæ perfectæ; concubinæ sunt proficientes; Adolescentulæ autem, quarum non est numerus, incipientes sunt. Hic est Salesii, & communis Mystarum sensus. Modò verò videndum nobis est, qui sint incipientes isti? Ad quod Auctor egregius respondet: *Adolescentulæ significant animas à peccatorum fœcibus recenter conversas, & in amore Divino tenellas, infirmas, & quasi novitias.*

§. II. *Sententiæ oppositæ motiva explosa.*

52. Arguitur primò: Impossibile est transire de extremo ad extremum sine medio: sed vita, â qua exierunt nuper conversi, & meditatio sunt extrema, inter quæ mediat devotum, & rationale exercitium compunctionis, & devotionis: ergo antequàm ad meditationem transeant, in tali exercitio ponendi sunt.

53. Confirmatur: Non est idoneus ad meditationem, qui in eius præceptis instrui non potest: sed denuo conversus sic est; quia species, fœcesque vitæ præteritæ non patiuntur ipsum percipere meditationis doctrinã: ergo.

Hoc argumentum proponitur â D. Thoma dicto art. 23. & ibi est argumentum 14. proponitur etiam ab eodem Angelico sequenti articulo 24. & est ibi 8. in ordine. Respondetur ergo cum D. Thoma sic: *Ad 14. dicendum, quòd ille, qui accedit ad cõsilia, non quærit ascensum per abrupta, postpositis gradibus, sed magis resecat, quæ possunt hominem impedire ab observatione præceptorum.* His solvit D. Thomas illud argumentum, illisque, & nos solvimus argumentum præsens, dicentes: Non esse

esse transire de extremo ad extremum sine medio, quia tale medium inter meditationem, & vitã ante actam non agnoscimus: quin potiùs cùm noviter conversus sua peccata plorabũdus meditatur, resecat, *quæ possunt illum impedire* â maiori suarum culparum contritione. Ex iis autem, quæ dicto articulo 24. respondet D. Thomas ad octavum colligitur nova ipsius argumenti enodatio, quam prætermittimus, quia dicta sufficiunt.

Ad confirmationem dicas: Ad contrarium spectare adducere motivum, ob quod denuo conversus non possit instrui in præceptis meditationis. Et mirum est, quòd sit ad hoc incapax, & simul inveniatur idoneus ad omnia illa, quæ ex cõtraria sententia initio quæstionis retulimus.

54. Arguitur secundò: Arbores recenter mortuæ aptæ non sunt, vt ex illis imago aliqua fiat; vt autem hoc fieri possit, priùs ab humoribus exsiccantur, sicque secure dolantur imagines, quæ priùs non bene fierent; sed vel in artificis manibus deturparentur impulsu viroris non amissi: ergo cùm homines sint sicut arbores, quamvis mortui sint peccato, vsque dum viror præteritæ vitæ, qui est vitium radicatum præteritis actibus, exsiccetur, non possunt ad meditationem admitti.

55. Confirmatur: In noviter conversis imminet periculum deserendi orationem mentalem, qua derelicta, peius eis erit, quã si illam non habuissent: ergo, vt hoc damnum non incurrant, admittendi non sunt ad meditationem.

Respondetur: Quòd hoc argumentum cum sua confirmatione affertur â D. Thoma citato art. 23. estque argumentum 6. quod ex similitudine parietis non desiccati, cui tigna imponenda non sunt, probare intẽdit, puerum non exercitatũ in præceptis admitti ad Religionem non posse, nè fortè ipse in Religionem ingressus, sit illi, religionem deserenti, ruina, vt timet ibi argumentum 3. Et est timor confirmationis propositæ. Ad argumentum ergo respõdet Angelicus Doctor: *Ad sextum dicendum, quòd parieti nondum desiccato non est onus tignorũ imponendum; tamen non prohibetur, quin sit paries desiccandus. Desiccatur tamen paries à pravo humore facularis affectus per Religionem.* Hactenus Divus Thomas. Ex quibus ad obiecta patet. Desiccãdi vtique sunt parietes spirituales, seu ligna, quibus Deo habitaculum præparatur, per conversionem ad vitam virtuosam: *desiccantur autem à pravo humore* per meditationem, quam exercent, qui ad tale exercitium admittuntur: Vnde tantùm abest, quòd obsit, quod potiùs valde prodest ad ipsum, quod contradicit, extirpandum.

Ad confirmationem respondetur ex Angelico Præceptore ad 3. quòd damnum illud, quod timetur, non provenit ex occasione data, sed accepta: Vnde propter illud veritas nostræ assertionis deserenda non est: meditatio enim non influit in tale damnum. Immo ab illo vividè avertit. Et nota, quòd si hoc argumentum aliquid probaret, convinceret vtique, admittẽdos non esse denuo conversos ad Confessionẽ, nec ad Cõmunionem, nec ad illa exercitia, ad quæ sentẽtia adversa illos admittit, quia si iterum ruunt, graviùs peccant.

56. Arguitur tertiò: Semper est incipiendum â facilioribus: ergo cùm vita activa facilior sit, quàm contemplativa, priùs quàm noviter conversi ad istam accedant, in illa exerceri debent.

57. Confirmatur: Quia Iacob ante quàm Rachelem obtineret, Liæ amplexibus potitus est, quia teste D. Gregorio 6. moral. Lia vitam activam adumbrat, Rachel verò contemplativam: ergo.

Etiam hoc argumentum affertur â D. Thoma cum sua confirmatione art. cit. Respondetur tamen, quòd si argumentum convinceret, & vita activa, vt illud intendit, sumenda foret, nullus, etiamsi non multum peccasset, & licèt nec venialiter deliquisset, in exercitio orationis mentalis collocari posset; si priùs in illo medio, quod fingit, non exercitaretur. Relatè quippe ad omnes

fa-

facilior eſt vita activa, quã cõtẽplativa, & omnes debẽt incipere â facilioribus.

Reſpondetur ergo ex D.Thom. art. dict. 23. ad ſecundũ explicando dictũ illud Philoſophi: *A facilioribus eſt incipiẽdum*: Quod verũ eſt reſpectu graduũ eiuſdem facultatis, ſtatus, aut conditionis; non autem ſi comparatio fiat inter diverſas conditiones, ſtatus, ſeu facultates. Quod patet, nam volentes addiſcere Sacram Theologiam non priùs addiſcunt Mathematicas, licèt in ipſa Theologia incipiant â facilioribus. Et vt ait Doctor Angelicus citatus: *Qui volunt fieri milites, non priùs exercitantur in lanificio, ſed à pueritia exercentur in militia. Similiter, qui volunt fieri Clerici, non priùs exercentur in vita Laycali, ſed à pueritia inſtruuntur in vita Clericali.* Et hoc modo, qui vitam ſpiritualem aggrediuntur, incipiunt â meditatione, ac de pertinentibus ad ipſam priùs facilia exercent. Et ſic intelligendus eſt Philoſophus, & Divus Gregorius, dum aſſerit: *Quòd in qualibet bona converſatione incipiendum eſt à minoribus, vt ad maiora perveniatur*, prout illum explicat citatus D.Thom. qui cõcludit: *Sicut enim milites à rudimentis militiæ, & Clerici à rudimẽtis clericaturæ, ita etiam &c.* Nos autem dicemus: ita etiã via ſpiritus incipitur â meditatione, quæ in tali via rudimentum eſt.

Ad confirmationem reſpondetur cũ citato D. Thom. ad 16. Rachelem ſignificare quietem contẽplationis, in qua quiete ponẽdi non ſunt denuo cõverſi, ſed in oratione diſcurſus, quæ reſpectu contemplationis, activa, & laborioſa eſt, & ſignificatur per Liam.

58. Arguitur vltimò: Qui vxorem amiſit, etſi multùm deſideret inter Sacerdotes numerari, prudẽtiſſimè â Prælato impeditur, auditque, ê matrimonio nuper diſſoluto, non eſſe ad Sacerdotium tranſeundum, quin mediet tẽpus, in quo pietatis opera exerceantur, quòdq; vitã præteritam obliteret: ergo pariformiter non eſt ad meditationem admittendus, qui denuo vitam licentioſam dimiſit.

Hoc argumento contrarius Auctor totam rem ſe perfeciſſe arbitratur, cui annuens Lucinda ſua materiam præſentem hoc ſolo ſimili abſolutam fatetur. Sed vt verum fatear, nullam ſimilitudinem in hoc ſimili reperio. Ille enim detinetur propter elevationẽ ſtatus ſacerdotalis, cuius conſequutio difficultatem habere debet, vt in deliciis habeatur: detinetur, nè poſt ordinũ ſuceptionẽ igne habitus præcedentis amburatur: vnde cũ meliùs ſit *nubere, quã vri*, datur tẽpus ad experientiã, in quo, ſi conſtanter perſeveret, ad ordines admittitur; ſin minùs reuxoratur. Omitto alia, quia hæc ſufficiunt, cum quibus nec vmbra ſimilitudinis eſt in hoc noſtro aſſerto. Quia nemini ianua orationis mentalis clauditur: omnibus enim acceſſus ad Deũ per meditationẽ conceditur. Inſuper, ſi non cõcederetur noviter converſo meditari, foret, vt, ſi eĩ ad vomitum revertere convenit, videret. Deinde nullũ inconveniens experiri poteſt, qui meditatur, ſicut ille alius, ſi ordinetur. In quo enim ſimilitudo hæc conſiſtit? Nihil enim ſimilitudinis datur inter illũ caſſũ, & aſſertũ noſtrũ: vnde ſimile illud non eſt, ſed diſſimile; atque adeò omiſſo antecedenti, negamus conſequentiam.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm aliqui excludantur ab exercitio meditationis?

59. QVæſtio præſẽs vẽtilatur propter triplex genus perſonarum. Dantur enim aliqui, quibus Deus privilegium indulgẽs collocat â principio in ſtatu cõtemplationis. Dãtur etiam aliqui in territorio rationali adeò peregrini, vt nec imagines efformari poſſint; atque adeò, nec diſcurrere. Sunt & alii, qui â natura, vel â ſcrupulis, vel aliunde caput debiliſſimum habent. Propter hos enim præſens controverſia excitatur: alios enim omnes in meditatione exercendos eſſe,

vt contemplari posſint, conſtat ex quæſtionibus præcedentibus.

§. I. *Triplex concluſio pro veritatis reſolutione.*

60. SIt prima cõcluſio: *Sunt aliqui, quibus Deus privilegium confert, quo ab initio in contemplatione collocantur: & iſti meditationem exercere non debent.* Duas partes habet concluſio, quarum ſecunda, ex prima apertè ſequitur: Illi namque, quibus Deus confert â principio gratiam contemplationis, conſequuti ſunt finem, propter quem exercetur meditatio: ergo iſti meditari non debent. Patet iſta: quia obtento fine, aſſumenda non ſunt media ad finis conſequutionem deſervientia. Antecedens autem eſt certum: Quia meditatio ad hoc ſumitur, vt contemplatio habeatur: ergo conſequuta contemplatione habetur finis, propter quem aſſumitur meditatio.

61. Confirmatur 1. Qui in meditatione exercentur, dum tempus venit, quo ad contemplationem elevantur, meditationem deſerunt, vt modò ex noſtro Extatico Doctore lib. 2. aſcẽſus cap. 13. & omnium Myſtarũ ſenſu ſuppono: Ergo, qui antequàm meditationem exerceant, elevantur ad contemplationem, moram in meditatione facere non debent. Conſequentia nota eſt â paritate. Et certè omnia mala, quæ eveniunt animæ vocatæ ad contemplationem poſt exercitium meditationis, ſi in hac detineretur, evenirent etiam animæ, quam â principio Deus ponit in contemplatione, ſi in exercitio meditationis occupatur.

62. Confirmatur ſecundò: Ille, qui ad orationem accedit meditaturus, tandiu in meditatione detinetur, quandiu voluntas eius non inflammatur; veniẽte verò voluntatis inflammatione deſerit meditationem, vt rem meditatam contempletur; aliter tempus perdet, & fructũ, vt aſſerit Extaticus noſter Doctor citatus: ergo ſimiliter ille, quem Deus ab initio collocat in contemplatione, tempus teret, ſi contemplatione omiſſa, meditationem exercet.

63. Explicantur dicta omnia: Quiâ vt diximus in Ilagoge lib. 4. num. 6. meditatio eſt inquiſitio devotionis, qua voluntas inflãmatur ad amandum Deũ; vnde eſt motus, ſeu via ad terminum, eſtque inquiſitio veritatis; atque adeò inventa veritate, & termino acquiſito, ceſſat meditatio ipſa: Quiaque elevati ad contẽplationẽ ab initio terminũ habẽt, & veritatẽ inventã, non eſt, cur in terminũ moveãtur, vt veritatem inquirant. Malè apud omnes auditet, qui Romam ire intendẽs, ſi ab Angelo deferretur, & continuò inveniretur Romæ, media ad iter aggrediendum pararet: Vt quid enim media illa, ſi terminus ex privilegio ſpeciali habetur: Hoc craſſum exemplum clarè ſuadet, quantum erret, qui ad cõtemplationem vocatus, in meditatione moratur.

64. Prima pars concluſionis aſſerens dari aliquos, quos Deus ab initio in contemplatione collocat, eſt pluriũ Myſticorum, inter quos illam defendit Schola veritatis conferent. 9. dub. 4. referens Victorem Geleſ. & Cœlum myſticum. Nos autem illam probamus ex D. Thom. qui quodlib. 5. quæſt. 11. art. 21. ad primum ait: *Contingit tamen quandoque, quòd vnus homo repentè incipit ab altiori gradu Sanctitatis, quàm ſit ſummum, ad quod pertingit perfectio alterius hominis, vt patet de Beato Benedicto, de quo Gregorius dicit in 2. dialog. Quòd præſentes, & ſequuturi omnes agnoſcant, quòd Benedictus puer converſationis gratiam à perfectione cœpiſſet.* Ex qua auctoritate argumentor ſic: Summum, ad quod pervenire poteſt perfectio noſtra eſt Divinæ veritatis contemplatio: ſed *contingit quandoque, quòd vnus homo incipiat ab altiori gradu Sanctitatis, quàm ſit ſummum, ad quod pertingit perfectio alterius hominis*: Ergo ſunt, qui vitam ſpiritualem â contemplatione incipiant.

65. Dices: Divum Thomam non accipere *ſummum*, prout ſignat ſummũ ſtatum; ſed prout dicit ſummum gradũ cuiuſcumque ſtatus: ergo ex hac auctoritate inferre non licet, poſſe aliquem â ſummo ſtatu contemplationis viam ſpi-

ſpiritualem incipere. Antecedens probatur: Tum, quia hoc patet ex progreſſu illius articuli: Tum etiam, quia hoc probat exemplum illud Divi Benedicti viam ſpiritus incipientis â *perfectione*, hoc eſt, â termino ipſo, in quo alii viâ ſpiritus finierunt: Et hoc ſive contemplativi ſint, ſive non, illi, quos in perfectione ſuperavit: Tum denique, quia verba ipſa adducta hoc evidenter teſtãtur: ait enim Angelicus Doctor: vnum aliquando incipere *ab altiori gradu Sãctitatis*, quàm ſit ille, ad quem alius pervenit. Quæ verba, ſi ſic non ſumimus, favere nobis non poſſunt: quia ſi vnus incipit *ab altiori gradu Sanctitatis*, quàm alius: ergo ille non â contemplatione incipit, ſed ab alio *altiori gradu*.

Reſpondetur negando antecedens quoad primam partem: Vtroque enim modo ſumitur *ſummum* â Divo Thoma ibi, quod inde demonſtratur, quia argumentum illud, quod ſolvit, accipit *ſummum*, prout ſignat ſtatum ſummum: ſicque procedit impugnans Angelicam reſolutionem; ſcilicet, quòd D. Matthæus ex telonio fuit aſſumptus ad perfectionem Apoſtolatus. Hoc aſſertum impugnat argumentum illud auctoritate Divi Gregorii, dicentis ſuper Ezechielem: *Nemo repentè fit ſummus*. Vnde ly *ſummus* ſumit arguens, prout ſignat ſtatum; aliter contra reſolutionem Divi Thomæ non procederet: Et hoc etiam modo ſumitur â Divo Thoma in ſolutione; aliter argumento non ſatisfaceret. Bene verum eſt, quòd etiam ſumitur prout ſignat gradum perfectiſſimum ſtatus: Gregorium enim loquutum fuiſſe de *ſummo*, prout ſignat gradum perfectiſsimum Sanctitatis, atque adeò dixiſſe, neminem incipere â *ſummo* perfectionis, ad quod ipſe incipiens pervenire poteſt, certum eſt: aſt violentiam faciens, qui arguit, vult Sanctum Doctorem loqui de *ſummo*, prout ſtatum ſignat. Et hoc negat Doctor Angelicus, docens, poſſe aliquem repentè fieri ſummum, hoc eſt, repentè elevari ad ſummum ſtatum: atque adeò nec eius reſolutio, nec noſtra, infringitur auctoritate Gregorii, ſumẽtis *ſummum*, prout dicit gradum ſublimiſsimum perfectionis, ad quem poteſt aliquis pervenire. Sic enim *nemo repentè fit ſummus*, vt locus merito detur; quia vt docet Divus Auguſtinus ſuper Canonic. Ioãnis: *Charitas non mox vt naſcitur perfecta eſt; nam vt perficiatur, naſcitur: Cùm fuerit nata, nutritur: Cùm fuerit nutrita, roboratur: Cùm fuerit roborata, perficitur*. Cum hoc tamen ſtat, quòd ſi ſublimis gradus Sanctitatis, â quo vnus incipit, conferatur cum alio, ſublimior ſit, quàm ille, ad quem alius ille pervenit: ſicque *contingit quãdoque, quòd vnus homo repentè incipit ab altiori gradu Sanctitatis, quàm ſit ſummum, ad quod pervenit perfectio alterius hominis*. Per quæ patet ad omnia obiecta.

66. Probatur ſecundò concluſio ratione eruta ex eodem Angelico Doctore in eodem art. ad idem argumentum, proponiturque ſic: Quia aliqui inveniuntur incepiſſe vitam temporalem â perfectiſsimo ſtatu tam ſæculari, quàm ſpirituali: ergo etiam danttur aliqui, qui incipiant vitam ſpiritualem â ſublimi gradu orationis, qui eſt contemplatio. Conſequentiæ bonitatem paritas ſuadere videtur. Antecedens autem eſt. D. Thomæ illud probantis exemplo eorum, qui â pueritia ſtatim *ad ſtatum Religionis, qui eſt perfectiſsimus, convolarunt; vel proprio arbitrio, ſicut Beatus Ioannes Baptiſta, & Beatus Benedictus; vel etiam devotione Parentum, ſicut illi, qui Monaſteriis traduntur à Parentibus*. Probat etiam idem antecedens exemplo eorum, qui repentè aſſumuntur ad regnum, quod eſt ſummum inter ſæculares ſtatus, *vel ab ipſa pueritia, ſicut Salomon, & Ioſias, Reges Iuda; vel etiam in vltimo ſtatu, ſicut Saul. Et Eccleſ. 4. dicitur, quòd de carcere, cateniſque interdum quis ad regnum progreditur*.

67. Confirmatur: Sunt, qui viam ſpiritus incipiant â perfectiſsima charitate: ergo ſunt, qui illam â contemplatione incipiant. Conſequẽtia patet: tum â paritate, tũ etiã, quia ad contẽplationẽ præcipuũ, quod requiritur, eſt charitas, vt alibi ex D. Thoma diximus. Antecedens autem probatur: Martyrium

ſuſtinere vel illi ſe ſe offerre faciliter, promptè, & delectabiliter, non poteſt fieri ſine perfectiſsima charitate: atqui plures viam ſpiritualē inceperunt ſuſtinentes Martyrium, vel illi ſe ſe faciliter, promptè, ac delectabiliter offerentes, vti fecit Seraphica Thereſia in Africam iam iam traiiciens, vt vitam pro Dei gloria,& animarum ſalute profunderet: ergo. Minor conſtat: Non enim potuit non delectabiliter martyrio ſe ſe offerre, quæ pedes tot ſpatia metiebatur, vt ipſos Tyrānos provocaret: quæ ex fruſtratione deſiderii anxia doluit, iugibus lachrymis deplorans optimam ſortem ſibi fuiſſe præreptam. Deinde probatur maior ex D. Thoma quodlib. 4. quæſt. 10. art. 19. in corpore, vbi ait: *Dicendū eſt, quòd hoc opus, quod eſt offerre ſe martyrio, vel etiam martyriū ſufferre, poteſt facere non ſolū perfecta Charitas, ſed etiam imperfecta: Et quod plus eſt, etiam ille, qui caret Charitate, ſecundùm illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam; Charitatem autem non habeam, &c. Sed Charitas perfecta hoc facit promptè, & delectabiliter, ſicut patet de Laurentio, & Vincentio, qui in tormentis hilaritatē oſtenderunt: hoc autem non poteſt facere charitas imperfecta, vel etiam ille, qui charitate caret.*

68. Secunda concluſio: *Qui imagines efformare non poſſunt, nec diſcurrere, non ſunt exercendi in meditatione.* Aſſertio hæc ex ipſis terminis patet; quia meditatio ipſa diſcurſus eſt: ergo qui diſcurrere non poteſt, nec meditare valebit.

69. Tertia concluſio: Etiam arcendi ſunt â meditatione, qui vel â natura, vel â ſcrupulis, vel ab alia cauſa, caput multùm debile habent. Probatur: quia iſti, ſi ad diſcurſus efformādos applicentur, evidenti periculo amentiæ exponuntur: ergo nè tam grave damnum experiantur, arcēdi ſunt â meditatione. Nec in hoc ampliùs immorati debemus.

* * * *
* * *
*

§. II. *Occurritur motivis oppoſitis.*

70. COntra primam cōcluſionem arguitur primò: Non poteſt terminus haberi ſine motu: ſed meditatio eſt motus ad contemplationem: ergo ſine meditatione non datur contemplatio. Maior ita certa eſt apud Philoſophos, ſicut apud Myſticos minor.

71. Confirmatur: Si hoc privilegium daretur alicui, maximè B. V. MARIÆ: ſed hæc piiſsima peccatorum Mater illud privilegium non habuit; meditationem enim exercuit, vtì ipſa revelavit B. Birgittæ, & aſſerunt D. Bernardus, Tauleruſq; citati â ſchola veritatis: ergo nullus eſt, qui excludatur ab exercitio meditationis.

Reſpondetur argumēto diſtinguendo maiorem: & concedendo illam de termino, vt eſt formaliter terminus huius determinati motus: non autem de termino, qui poteſt aliàs ſine hoc motu dari. Exemplum: Compoſitum humanum eſt terminus generationis; quia verò hoc cōpoſitum poteſt media alia productione dari, non ſequitur, quòd ſi datur compoſitum humanum, fit media generatione. Ita ergo contemplatio, & eſt terminus meditationis, & poteſt ſine illa dari; atque adeò non ſequitur, quòd meditatio præcedat neceſſariò omnem contemplationem.

Ad cōfirmationem fatemur B. Virginem illo privilegio decoram: nec hoc valde eius excellentiam extollit; cùm aliis longè melioribus, ſibi ſoli conceſsis, pulchra ſit. Ad improbationem dicas: æquivoco manifeſtiſsimo laborare. Aliud eſt enim dicere: omnes ſpirituales debent ab exercitio meditationis incipere; aliud verò: omnes, quantumvis Sancti, & etiam Regina Sanctorum omnium, meditati ſunt. Primum enim abs dubio ſignat, contemplationem ſubſequi indiſpenſabiliter ad meditationem. Secundum autem ſignificat viros etiā perfectiſsimos aliquādo meditationem exercere, ex quibus primum falſum eſſe aſſerimus; ſecundum verò verum eſſe affirmamus.

In

In quo nulli dubium esse potest, dicente Nostro Extatico Doctore lib. 2. ascensus cap. 32. quòd extra tempus, in quo Deus animam ditat advertentia sui generali, & amorosa, debet occupari in Sanctis meditationibus. Hæc sunt eius verba: *Fuera de este tiempo en todos sus exercicios, actos, y obras, se ha de valer de las memorias, y meditaciones buenas, de la manera que sintiere mayor devocion, y provecho, particularissimamente de la Vida, Pasion, y Muerte de N. Sr. Jesu-Christo, para conformar sus acciones, exercicios, y vida, con la suya.* Vnde vel ipsi, qui privilegio incipiendi viam spiritus à contemplatione decorantur, debent extra tempus dictum meditari.

72. Dices: Non posse meditari viros perfecta cõtemplatione decoros, est doctrina nostræ Seraphicæ Doctricis mansione 6. cap. 7. §. *Ay algunas almas.* quia vt ait ipsa Sapientissima Virgo, remanet intellectus inhabilitatus ad meditationem post contemplationem sublimem: ergo si omnes meditati sunt, est, quia â meditatione inceperunt.

Respondetur, hanc obiectionem nihil sententiæ oppositæ suffragari, quia nunquàm tempus assignabit, in quo B. Virgo sublimissimæ contemplationi tradita non fuisset, & nihilominùs meditata fuit, vt cumulus auctoritatum, quas aggregat, & sine illis fateremur, persuadet: ergo post altissimam cõtemplationem non manet intellectus ad meditandum inidoneus: nec tale affirmavit Mystica N. Magistra, quæ solùm asserit loco citato: animam sublimis cõtemplationis alũnam post ipsius perfectissimum actum manere, ita vt non possit discurrere Mysteria Passionis, & Vitæ Christi, sicut anteà, quod non est asserere nõ posse meditari. Manet quippe intellectus non ita habilis ad meditationem. Huius novitatis causam se ignorare fatetur Sapientissima Doctrix, dicens: *Creo debe ser la causa, que como en la meditacion es todo buscar à Dios, y queda el alma acostumbrada por obra de la voluntad à tornarle à buscar, no quiere cãsarse con el entendimiento.* Hactenus Illuminata Magistra, secundam causam adiiciens hisce verbis: *Y tambien me parece, que como la voluntad està ya encendida, no quiere esta potencia generosa aprovecharse de estotra, si pudiesse, y no haze mal, mas serà imposible.* Insuper eodem cap. postquàm causas dictas assignavit, aliam profundissimam tradit §. *Ya sabeis.* Et immediatè sequenti, vbi duo genera meditationis distinguit. Primum est, in quo mysterium aliquod consideramus: v. g. Verbi Divini Incarnationem, & quin sistamus in hõc mysterio progredimur ad considerandum mysteria totius suæ Sanctissimæ Vitæ. Secundum est, considerare aliquod mysterium, quod præsens afferat, speciatim, cùm ab Ecclesia Catolica celebratur: quæ consideratio, magna quiete facta, animam facit ascendere ad benefactoris contemplationem. Ex his duobus meditationis generibus, primam concedit Sanctissima Doctrix non posse haberi ab illis, qui Deum perfecta contemplatione cognoscunt; & ita ait: *Esta es la que digo, que tendràn razon de dezir, que no pueden tener las que han llegado à llevarlas Dios à cosas sobre naturales, y à perfecta contemplacion.* De secundo autem contemplationis modo contrarium docet, dicens: *Mas no tendrà razon ninguna, si dize, que no puede detenerse en estos mysterios, y traerlos presentes muchas vezes, en especial, quando los celebra la Iglesia Catholica, ni es posible, que pierda memoria el alma, que ha recebido tanto de Dios de muestras de amor tan preciosas, porque son vivas centellas para encẽderla mas en el q̃ tiene à Nuestro Señor, sino que no se entiende; porque entiende el alma estos mysterios por manera mas perfecta, y es, que se los representa el entendimiento, y estampanse en la memoria, de manera, que de solo ver al Señor caido con aquel espantoso sudor, aquello le basta para no solo vna hora, sino muchos dias. Mirando con vna sencilla vista quien es, &c.* Posteà addit: *Y creo, que por esta razon no puede passar à discurrir mas en la Passion, y esto le haze parecer, no puede*

de penſar en ella. Y ſi eſto no haze, es bien, que lo procure hazer, que yo sè, que no lo impedirà la muy ſubida oracion; y no tengo por bueno, que no ſe exercite en eſto muchas vezes.

Moleſtus fortaſsè fui in adducendo diffuſſam adeò auctoritatem; ſed nunquàm reputavi ſuperfluum, quod declarat materiam, quæ præ manibus habetur. Ex dicta ergo auctoritate conſtat, animas perfectè contemplativas eſſe in illa perſuaſione, quòd non poſsint meritari; ſed hoc, quod ipſis videtur, ſic non eſt, licèt perſuaſionem cauſet novitas, quam experiuntur. Habemus etiam non eſſe ſecurum iuxta doctrinam Sanctiſsimæ Thereſiæ, quòd iſtæ animæ pluries meditationem non exerceant. Sed quam meditationem? Non illam, quæ de vno myſterio in alia tranſit, illa prolixè conſiderans; hæc enim eſt incipientium propria, qui cùm voluntatem non adeò Deo adhærentē habeant, maiori ſudore debent ignem devotionis parare. Sed illam, quæ vnico intuitu quaſi ſimplici obiectum, ſeu myſterium cognoſcit, qui intuitus, veluti ſcintilla in arundineto diſcurrens, efficaci activitate animam ardere facit. Illa prima meditatio eſt, vt diximus, incipientium: hæc autem ſecūda eſt contemplativorum: eorum tamen anima, quæ intimè Dei benignitatem in ſublimi contemplatione guſtavit, non manet poſt eam, ita apta ad meditandum. Et ratio eſt, quia eius voluntas nollet operoſitatem intellectus; ſed ipſa ſola cum Deo dilecto ſuo deliciari: & etiam quia cùm ex præcedenti vnione remaneat anima Divinis charismatibus illuſtrata, veluti renuit per intellectus operoſitatem inquirere illū, quem aliquomodò in illis charismatibus habet; ſed non inveniens, ſurgit, & per vicos, & plateas meditationis, quem totis viribus diligit, inquirit. Hic eſt ſenſus Doctricis Seraphicæ, cuius doctrina, quæ diximus, non impugnat, ſed protegit. Vnde verum manet, quod ad confirmationem dictum eſt.

73. Arguitur ſecundò: Plura evaquanda ſunt ab anima, vt Deum valeat contemplari, ſicut docent Myſtici omnes, quos inter eminet Extaticus noſter Parens: ergo priùs quàm hæc evaquatio fiat, anima contemplari non poteſt.

74. Confirmatur: Quia vel dicta ſenſuum, potentiarumque evaquatio debet præcedere contemplationem, vel non? Si non: ergo natura ſine meditatione perfectibilis eſt â contemplatione, contra ea, quæ diximus quæſtione prima: Si ſic: ergo ante illam nemo poterit contemplationem exercere.

Reſpondetur argumento: Ante ſtatum cōtemplationis perfectiſsimæ omnino evaquandos eſſe ſenſus, potentiasque; obſtant enim ad vnionem plura, quibus anima illaqueatur, â quibus purgari debet, priùs quàm illam perfectionem obtineat. Niſi Deus velit vti ſua providentia extraordinaria, qua, vt vidimus, cum D. Paulo vſus fuit. Cæterùm vt contemplatio minùs perfecta habeatur, licèt regulariter meditatio præcedat, hoc non eſt ita neceſſarium, vt ſine meditatione haberi non poſsit. Per quod patet ad confirmationem.

75. Arguitur tertiò: Etiam illi, quī irregulari providētia ad ſublimem gradum ſpiritus elevantur, ab incipientiū exercitiis non abſolvuntur; ſed illa implent, vt ſuprà de Divo Paulo dicebamus: ergo etiam meditationem exercēt. Antecedens certum eſt, & conſequentia probatur: Quia meditatio eſt exercitium proprium incipientium: ſed illi ſunt incipientes: ergo meditari debent.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem dicas: Exercitia incipientium vtique ab illis impleri, ſicut impleta fuere â D. Paulo, de quo, & aliis ſimiliter privilegiatis ita loquitur Venerabilis noſter Pater Fr. Ioannes â IESV MARIA in ſchola orationis tract. 7. dub. 9. *Notandum nihilominùs, hoſce privilegiatos, quanvis ſint perfecti, ipſa viæ purgativæ, & illuminativæ, exercitia modo quodam excellentiori, quàm ſit ordinarius, facere; vti exemplo eſſe poteſt Apoſtolus Paulus, qui caſtigabat corpus ſuum, & virtutum acquiſitioni, & augmento, modo quodam Apoſtolico attendebat.*

bat. Vnde iſti, ſi ad ſublimiſsimam contemplationem modo valde irregulari elevati ſint, non ſunt incipientes, propter elevationem, qua incipientium exercitia exequuntur: Si verò non ad adeò perfectum gradũ evehuntur, ſed ſolùm à meditatione excuſantur; ſive illos incipientes dicas, ſive non, parum refert: nec vt ſint, meditatio requiritur, ſed inſudare obſtantium extirpationi.

76. Arguitur quartò contra ſecundam concluſionem, & ſimul contra tertiam: Nemo deobligatus eſt ab eo, quod neceſſarium eſt ad ſalutem: qui orationem mẽtalem exercere non poſſet, careret aliquo neceſſario ad ſalutem: ergo non datur, qui meditari non poſsit. Probatur minor: Oratio ſive mẽtalis, ſivè vocalis, eſt neceſſaria ad ſalutem, vt poſteà diſputabimus: ſed qui non poteſt mentaliter orare, nullam orationem habere poteſt: ergo. Probatur minor quoad orationem vocalem (de mentali enim probari non debet) quia oratio vocalis debet mentali aſſociari, vt bona ſit: ergo qui mentaliter orare non poteſt, nec poteſt habere vocalem.

Reſpondetur argumento negando minorem. Ad probationem dicendum: Quòd oratio vocalis, niſi formaliceturper mẽtalem, oratio non eſt, vt eſt doctrina N. Seraphicæ Magiſtræ in de itinere cap. 22. & 24. Cum hoc tamen ſtat, quòd multi, qui non poſſunt orationem mentalem nudam, vt ſic dicamus, habere, illam habent aſſociatam vocali, quod ipſa Seraphica Mater noſtra eodem lib. cap. 30. teſtatur, dicens: *Yo conozco vna perſona, que nunca pudo tener ſino oracion vocal, y aſsida à eſta, lo tenia todo; y ſino rezàba, ibaſele el penſamiento tan perdido, que no lo podia ſufrir; mas tal tengamos todos la mental.* Huius ratio ea eſt, quòd verba ipſa offerunt recitanti, quæ conſideret: quod ſine hoc baculo facere non poſſunt multi ex iis, quos diximus à meditatione arcendos: atque adeò, licèt vocaliter orent, meditationem tamen exercere non poſſunt: alii verò, licèt quantum eſt ex parte capacitatis meditari valeãt; excluduntur tamen ab hoc exercitio propter debilitatem capitis.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm omnes, qui meditationem exercent, admittantur ad contemplationem?

LOquimur de illis, qui de ſe obicem non ponunt contemplationi: Sed, quantum eſt ex ſe, divinæ gratiæ cooperãtur, in ſuoque meditationis ſtatu tota perfectione ſe gerunt, congregantes fructus, quos illis Divina liberalitas indulget. De aliis enim ſe ſe indiſponentibus ad ſuperiorem ſtatum cõſcendere, ſuperfluum eſt diſputare: iſti ſiquidem ad contemplationis gratiã non ſublimantur propter ipſorum indiſpoſitionem: vnde illis omiſsis, de aliis loquimur.

§. I. *Non omnes, qui meditationem exercent, ad contemplationem admittuntur.*

77. ASSertio hæc communiſſima eſt inter Doctores, illam expreſsiſsimè tradit Seraphica Mater noſtra Sancta Thereſia in de itinere perfectionis cap. 17. vbi ait: *Nò à todos lleva Dios por vn camino, y por ventura el que le parece, que va mas baxo, eſtà mas alto en los Ojos del Señor. Aſsi, que no, porque en eſta Caſa todas traten de oracion, han de ſer todas contemplativas: Es impoſsible, y ſerà gran conſolacion para la que no lo es, entender eſta verdad, que eſto es coſa, que lo dà Dios: Y pues no es neceſſario para la ſalvacion, ni nos impide el premio* (alii dicunt: *ni nos lo pide de apremio*) *no pienſe, que*

que ſe lo pedirà nadie, que por eſſo no dexarà de ſer muy perfecta, ſi haze lo que queda dicho: antes podrà ſer, que tenga mucho mas merito, porque es à mas trabajo ſuyo, y la lleva el Señor como à fuerte, y le tiene guardado junto todo, lo que aqui no goza. Et aliquibus interiectis pro præſẽti materia valde vtilibus, ſubdit: *Santa era Martha, aunque no dicen fue contemplativa: pues que mas quereis, que poder llegar à ſer como eſta Bienaventurada, que mereciò à Chriſto tantas vezes en ſu caſa.*

78. Similiter Extaticus N. Parens procedit dicens, lib. 1. noctis. cap. 9. *No à todos los que ſe exercitan de propoſito en el camino del eſpiritu lleva Dios à contemplacion perfecta. El porque èl ſe lo ſabe. Y à eſtos nunca los acaba de deſarrimar Dios de los pechos de las conſideraciones, ò diſcurſos.*

Ex dictis auctoritatibus conſtat veritas noſtræ concluſionis, & etiam fundamentum, cui innititur, quod fundamentum proponitur â D. Thoma 2. 2. quæſt. 84. art. 1. ex quo hæc ratio deducitur.

79. Ideò deberent admitti ad contemplationem omnes, qui meditantur, quia contemplatio neceſſaria foret ad obtinendam perfectionem: Sed talis neceſsitas non adeſt: ergo Nec fundamentum, vt dicamus omnes meditativos ad faſtigium contemplationis ſublimari. Conſequentia ſequitur, & maior inde patet, quòd non eſt aſsignabile aliud huius neceſsitatis motivum. Minor autem probatur primò: Quia illã expræſſiſsimè docet Seraphica Thereſia verbis adductis, & etiam ipſius veritatem ſupponit Extaticus N. Parens loco citato.

¶ Probatur ſecundò eadem minor ex laudato D. Thoma: Perfectio conſequitur per attingentiam proprii finis: ſed ſine contemplatione poſſunt meditativi Deum proprium finem attingere, media charitate, qua fulgent, & media meditatione, quam exercent: ergo ad perfectionis conſequutionem non requiritur contemplatio.

80. Confirmatur hæc ratio primò: Quia perfectio noſtra conſiſtit in conformitate noſtræ voluntatis cum voluntate Divina: ſed ſine contemplatione poſſunt meditativi conformare volũtatem ſuam cum Divina voluntate: ergo ſine contemplatione poſſunt acquirere perfectionem. Conſequentia eſt bona, & maior D. Thomæ 1. 2. quæſt. 19. art. 10. & 1. ſent. diſtinct. 48. q. 1. art. 4. & primo ad Anibal. diſtinct. 48. art. 2. q. 23. & de verit. q. 1. art. 4. Ipſam docet Seraphica Mater N. manſione 5. cap. 3. per hæc verba: *Digamos ora de la verdadera vnion, que ſe puede alcanzar con el favor de Dios, ſi nos esforzamos à procurarla, con no tener voluntad, ſino atada con la de Dios.* Mira proſequitur cœleſtis hæc Magiſtra de hac acquiſita vnione, & conformitate cum voluntate Divina, quæ videri debent â ſuæ ſalutis ſtudioſis, poſt quæ ſubdit: *Y de ſer poſsible eſta muerte, no ay que dudar, como lo ſea verdaderamente la vnion con la volũtad de Dios. Eſta es la que pido ſiempre à N. Señor: Eſta es la que ſiempre he deſeado, y la que eſtà mas clara, y ſegura.* His dictis pro veritate maioris,

Probatur breviter minor primò: Quia ſi non poſſent ſine contemplatione habere iſtam conformitatem, vel non tenerentur ad vniendam voluntatem ſuam cum Divina; vel non peccarent, ſi illam non vnirent, ex quo eis contemplatio non concederetur: ergo.

¶ Probatur ſecundò: Quia, vt ſupponimus in principio quæſtionis, non habere iſtos meditativos cõtemplationem, non eſt ob ipſorum deffectum; ſed quia Deus illam conferre non vult: ergo in hoc ipſo, quod eſt contemplatione carere, poſſunt, debentque ſuam voluntatem cum Divina conformare; atque adeò ex hoc ipſo, quod eſt non habere cõtemplationem, patienter ſuſtinentes, perfectionem acquirunt, ad quod videtur reſpexiſſe D. Iacobus cap. 1. ſuæ epiſt. dicens: *Patientia opus perfectum habet.*

81. Confirmatur ſecundò: *Voluntas pro facto reputatur ei, qui non habet tempus operandi,* ait. D. Thom. in 4. diſtinct. 4. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 2. in

cor-

corpore: ergo dicti meditativi defraudandi non sunt â perfectione, quam obtinent contemplativi. Probatur consequentia. Quia isti meditavi volunt contemplationem habere; siquidem quantum est ex parte sua se disponunt, vt Deus illos elevet ad contemplandum. Et hoc est, quod Sanctissima Theresia cap. 17. citat. itineris requirit, dicens: *Est ad seguras, que haziendo lo que es en vosotras, y aparejandoos para contemplacion con la perfeccion, que queda dicha, que si èl no os la dà ::::: que os tiene guardado este regalo para daroslo junto en el Cielo.*

§. II. *Occurritur argumentis.*

82. ARguitur primò ex Seraphica nostra Doctrice, quæ sententiam nostræ oppositam clarè docet auctoritate, quam dedimus numero præcedenti; ibi enim omisimus, truncata auctoritate, hæc verba: *Y à lo que creo, no dexarà de darla* (scilicet contemplationem) *si es de veras el desasimiento, y humildad.* Ergo cùm meditativi, de quibus loquimur, verè faciant, quicquid possunt, vt cõtemplentur, ipsi ex mente Doctricis Seraphicæ contemplationem habent.

Confirmatur: Quia meditatio, quæ non terminatur ad contemplationem, inutilis est: sed hìc loquimur de meditatione vtili: ergo hæc terminatur ad contemplationem. Probatur maior: Quia ex communi Mystarum placito, ait noster Venerabilis P. Fr. Thomas â Iesv, de contemplatione Divina lib. 1. *Infructuosam deberi existimari meditationem, quæ non transit in contemplationem.*

Respondetur argumento: Seraphicam Doctricem adeò perspicuè suam mentem revelasse toto illo capite, vt non sit dubitationi locus. Vnde verborum obiectorum sensus venandus est ex illis, quæ inibi pluries repetit, atque adeò, vel loquitur de contemplatione quoad præmium, quod est perfectionis assequutio, vti ipsa Sanctissima monet per hæc verba *No ay que temer, ni ayais miedo, que dexeis de llegar à la perfeccion, como los muy contemplativos.* Vel loquitur in illis verbis de contemplatione, quam Deus aliquando concedere non implicat; non quia meditativos istos frequenter in cõtemplatione exercendos esse opinetur, sed quia aliquando ad illam Deus ipsos elevabit.

Ad confirmationem respondetur: Non esse inutilem meditationem, quæ ex disponente Deo, non transit in contemplationem: hæc enim meditatio infructuosa non est; sed fructuosissima, vt eam nominat Seraphica Mater nostra. Meditatio verò, quæ ex defectu meditãtis ad cõtemplationẽ non pervenit, infructuosa est, de hacq; loquitur Sapientissimus ille, ac Venerabilis Doctor.

83. Arguitur secundò: Extraneum est â Dei benignitate impedire aliquem â consequutione propriæ perfectionis: hoc faceret, si meditantes ad contemplationem non assumeret: ergo. Probatur minor: Ex quo isti semper sint in statu meditantiũ, sunt semper incipientes; atque adeò nunquàm perveniunt ad statum Proficientium, & multò minùs ad Perfectorum statum: ergo.

Respondetur: Deum non solùm non impedire aliquem â cõsequutione perfectionis, verùm etiam ad ostium animæ pulsat, vt omnes ad perfectionem cõscendãt. Meditativos istos suam perfectionem consequi posse cõstat ex hactenus dictis: vnde quin contemplentur, possunt esse perfecti. Et licèt verum sit, quòd meditatio, si regulariter loquamur, pertinet ad incipientes: si autem loquamur in casu quæstionis pertinet meditatio ad omnes vitæ spiritualis vias: constitutivum enim illarum non est meditatio, aut contemplatio, sed id, de quo loquuti fuimus in Isagoge lib. 1. lect. 3. Vnde meditativi nostri omnes illas vias lustrant, & tandem ad perfectionem perveniũt: in quo summè laborant; quia id ipsum, quod sine sudore contemplativi habent, ab illis maxima solicitudine, labore plurimo, vigiliis, & angustiis habetur, eòque, si fideliter perseverent, non defraudantur â desiderio suo in his, quibus adeò fideliter inhiant.

84. Exemplo rem illuſtro: Tenentur duo Cõpoſtellam adire: ex iis vnus dives eſt, & iter conficit equo vectus, vel quadrigis: alter verò pauper eſt, & pede arripit iter. Dives citiſsimè Compoſtellam ingreditur, ſerò pauper. Verùm vterque pervenit, præcepto ſatisfacit, præmiumque meretur. Ratioque ea eſt: quia obligatio erat eundi; non autem equo, vel aliter tendendi. Equo Dives ivit, vt quantotiùs ſuæ obligationi ſatisfaceret: Pedes pauper ambulavit; quia aliud ſuæ ſorti cõceſſum non erat: Ideò vtriuſque iter coronatur. Similiter in caſu noſtro: tenemur vnire voluntatem noſtram cum Divina voluntate, in quo tota noſtra perfectio eſt. ad hunc finem itur per obſervantiam eorum, ad quæ quiſque tenetur: quòd autem iter hoc conficiatur pennis ocyſſimis contemplationis; ſeu meditationis tardo greſſu, non eſt in manu noſtra; nec præmio carebit, qui ſemper tendit ſudore meditationis gravatus, vt diſſertis verbis nobis tradidit cœleſtis noſtra Magiſtra cap. citato.

85. Petrus, & Ioannes currebant in monumentum, & quamquàm Ioannes maioti agilitate curreret, ait ſacer Textus: *Currebant duo ſimul.* Cur *ſimul*, ſi Ioãnes velociùs Petro currebat? Quia vterque currebat, quantum poterat. Similiter Spiritus illos, quos in Throno vidit Eſaias, forſam Seraphin eſſe iudicabis; nec falsò ſecundùm plurimorum ſenſum; ſed non ſecundùm mentem D. Bernardi de verbis Iſaiæ ſerm. 3. vbi ait: *Seraphin nomen eſt ſupernorum Spirituum ordinis vnius de novem ſummi, atque ſupremi. Verùm hoc loco, vt arbitror, non in ea ponitur ſignificatione, præſertim, cùm innumera illa ſint agmina, hìc duo tantùm Seraphin deſcribantur. Et ego quidem, Fratres, ſi licet in hac parte vnicuique abundare in ſuo ſenſu, in duobus Seraphin duplicem arbitror creaturam rationalem, Angelicam, ſcilicet, & humanam. Nec mireris hominem Seraphin factum, memento, quia Creator, & Dominus Seraphin factus eſt homo ::: Audi enim quid ipſe loquatur: Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur?* Ecce hominem ad ſocietatem ſupernorum Spirituum elevatum, quia ignis charitatis in Deum, quo illi ſupremi Spiritus fulgent, adeò intentiſsimè flagrat, vt Deum ſuum, ſicut & illi faciunt, amet, quantum poteſt; quamobrem eodem elevato Throno apparet; ita ergo qui contemplari non poteſt, ſi quantum in ſe eſt exequitur, abs dubio præmium contemplativorum habebit.

86. Arguitur tertiò: Cõcors Myſtarum ſententia eſt, deſumpta ex Angelico Doctore, quòd contemplatio acquiſita eſt in manu noſtra; & ideò acquiſita dicitur: ergo qui fidelis eſt in meditatione, hanc contemplationem exercere poteſt.

87. Confirmatur: Quotquot meditãtur ſenſus purgationem patiuntur: ſed hæc ſenſuum purgatio eſt proxima diſpoſitio ad contemplationem; ad hoc enim datur dicta purgatio: ergo illam patientes ad contemplationem tranſeunt.

Reſpondetur argumento: Contemplationem acquiſitam eſſe quidem in manu noſtra: non tamen exercenda eſt, nec deferenda meditatio, vſque dum dentur illa tria ſigna, de quibus cum noſtro Extatico Doctore egimus in Iſagoge lib. 1. â num. 115. Vnde ſi nunquàm hæc ſigna dantur, deferi meditatio non debet: atque adeò ſicut meditatio eſt in hominis poteſtate: & tamen non omnes meditati poſsũt, vt vidimus quæſt. præcedenti: ſic ſimiliter de contemplatione. Et vtriuſque eadem ratio eſt, conſiſtitq̃ in eo, quòd ea, quæ ſunt in manu hominis abſolutè ſumpti, poteſt ipſe homo, ſecundùm ſuas rationes individuales, vel aliunde, non habere, quomodò exequatur. Ad quod intelligendum recolenda ſunt, quæ diximus noſtro tractatu de ſignis myſticis, vbi plura ſigna inveniuntur, quæ oſtendunt illa habentes aptos ad contemplationem non eſſe. Vnde & verum eſt, quòd abſolutè loquendo, homo abſolutè poteſt contemplari, & quòd facta reduplicatione alicuius, homini accidentaliter convenientis, contemplari non va-

valeat. Ad quod ãpliùs cognoſcendum, obſervandum eſt, quòd, licèt contemplatio acquiſita ſit in hominis poteſtate, intelligi debet adiutorio Divinæ gratiæ: quapropter, ſi hoc adiutorium Deus illi non præſtat, ob motiua ſuæ providentiæ reſervata, tunc homo tali adiutorio carens, contemplari non poteſt.

Ad Confirmationem reſpondetur: Omiſſa maiori, diſtinguẽdo minorem, illamque concedendo de ſubiecto, vel de homine, quem Deus ad contemplationem vocat: non autẽ de illo, quem Deus in meditatione manere vult. Huic enim purgatio dicta non deſervit ad cõtemplationem, ſed, vt illam patiens, purificetur, & tendat ad conſequendã perfectionem aliis mediis, de quibus multoties diximus.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Virtute Orationis, ac de potentia eam producente.

PLurima circa virtutem Orationis diſputãda occurrunt: Aſt, quia de omnibus diſputare non vacat, propterea aliqua omittens, alia, quæ magis profica ſunt, maioremque difficultatem continent, ad incudem diſputationis voco. Quod, vt exequar, exurgat

§

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm rectè definiatur à Myſticis Oratio?

1. MYſtæ definiunt Orationem per hoc, quòd ſit *Elevatio mentis in Deũ*, prout vidimus lib. 4. Synt 1. quod an ſit rectè factum, diſputamus.

§. I. *Vera Sententia proponitur.*

Concluſio noſtra Affirmat. Eam tenet D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 17. in corp. Damaſc. lib. 3. de fide, cap. 24. & Sanctiſsima Mater N. Thereſia cap. 7. lib. vitæ ſuæ, & in itinere perfect. cap. 25. Sicque omnes Myſtici tenent. Hæcque eſt præcipua concluſionis probatio: communis, ſcilicet Doctorum conſenſus, â quibus recedere piaculum eſt: ergo cùm myſticæ Theologiæ Proceres dicant, orationẽ eſſe elevationem mentis in Deum, hanc vt rectã orationis definitionem admittere debemus.

2. Deinde probatur concluſio hac ratione: Orare eſt cum Deo amicabiliter agere, vt ait Seraphica Thereſia loco citat. ex libr. vitæ ſuæ: ſed non poſſumus cum Deo agere, quin mentem elevemus: ergo oratio eſt elevatio mẽtis in Deũ. Probatur minor: Non poſſumus ea, quæ ſupra nos ſunt attingere, quin elevemur, vel corpore, vel mente pro diverſitate rerum, & aſſenſuum: ſed Deus eſt valde ſupra nos: ergo non poſſumus cum Deo agere, quin elevemur.

3. Confirmatur: Orare eſt ad Deũ mente accedere, vt tradit D. Thomas diſp. quæſt. 83. art. 17. Sed non poteſt homo ſic ad Deum accedere, quin elevetur propter ſublimitatem ipſius Dei: ergo oratio eſt elevatio mentis in Deũ.

4. Dices primò; Qui pœnas inferni meditatur, verè orat: at hic nõ elevat mentem in Deum; imò nec mentem elevat; cùm potiùs deprimat mentem: ergo.

5. Dices ſecundò: Licèt detur elevatio mentis in Deum, dum oratur, non tamen ipſa elevatio mentis eſt, in quo conſiſtit oratio: ergo. Probatur antecedens primò: Quia facta ratio cum eius confirmatione ſolùm probant dictam elevationem inveniri in oratione;

non verò, quòd in illa consistat oratio.

¶ Secundò probatur antecedens: Quia nostri Salmant. tract. 21. disp. 30. dub. 1. n. 1. aiunt: Elevationem mentis in Deum præsupositivè se habere ad orationem: ergo.

6. Respondetur ad primum, negando minorem: Qui namque infernũ meditatur, verè mentẽ elevat in Deum, vel considerans se ab illis pœnis Dei misericordia ereptum; vel illas mereri propter offensas, quibus Deum offendit; vel alias considerationes faciens. Vnde semper verum est, mentem orantis in Deum elevari.

7. Ad secundum respondetur, negando antecedens: Quia elevatio mentis in Deum est id, in quo propriè consistit orationis natura: per hoc enim, quòd quis intelligatur mẽtem elevatam in Deum habere, intelligitur orare: quã elevationem si auferas, oratio non datur; eòque in hac elevatione consistit quidditas orationis impropriè sumptæ. Per quod patet ad primam antecedentis probationẽ. ¶ Ad secundã respondetur ex eodem doctissimo Collegio: Elevationem mentis in Deum præviè se habere ad orationem propriè talẽ, nempe vt petitio est, de qua nunc non loquimur. Ad orationem verò generaliter sumptam, de qua nunc, quamque Mystici definiunt, non præviè, sed formaliter se habet mentis elevatio. Quod vel ex eo patet, quia qui aliquid ab aliquo petiturus est, priùs ad ipsum accedit, & postmodùm petit. In hoc secundo cõsistit orationis propriè dictæ quidditas, ad quam præsupositivè se habet illud primum. Verùm hoc, quod est mentem ad Deum elevare, vt aliquid ab ipso petatur, est, quod Mystici nominant orationem, impropriè, seu generaliter dictam.

§. II. *Respondetur argumentis.*

8. COntra conclusionem arguitur primò: Alia ab oratione sunt elevatio mẽtis in Deum: ergo hæc non est bona definitio orationis. Patet ista: Quia definitio nequit aliis â definito convenire. Antecedens verò probatur: Sex illæ orationis partes, nempe præparatio, lectio, & aliæ, de quibus suprà egimus, sunt elevatio mentis in Deum: at non sunt oratio: ergo. Probatur minor: Pars, ex qua oratio componitur, oratio non est; sicut generaliter pars, ex qua sive metaphysicè, sive physicè, sive integraliter componitur aliquod totum, non est illud totum ex hisce partibus constans; animal enim, aut materia prima, aut manus non est homo: sed oratio integratur ex dictis partibus: ergo.

9. Cõfirmatur primò: Oratio est simplex qualitas incomposita, vt docent Salmant. tract. 12. in arbore n. 39. ergo non est elevatio mẽtis in Deũ. Patet ista: Nã elevatio mentis in Deum plura ambit, quibus illud convenire non potest, vt patet in dictis partibus orationis: ergo.

10. Confirmatur secundò: Oratio est actus vnius potentiæ, & virtutis: sed dictæ partes sunt actus diversarum potentiarum, & virtutum; siquidem meditatio v. g. est actus intellectus, & actio gratiarum est actus volũtatis. Item: Gratiarum actio oritur â gratitudine ex 2. 2. quæst. 106. oblatio autem â devotione: ergo.

11. Ab hoc argumento se expedit Medul. myst. tract. 1. cap. 5. num. 32. negans dictas orationis partes esse propriè partes integrantes orationem, & concedens esse partes subiectivas; atque adeò asserit orationem in illas dividi divisione generis in species. Negat esse propriè partes integrantes, quia quævis ex illis oratio est, quod partibus integrantibus orationem convenire haud potest, vt argumentum convincit. Asserit esse partes subiectivas, primò, quia quævis differt specie ab alia: Secundò, quia quælibet est oratio mentalis.

12. Hac tamen huius egregii Theologi doctrina vti non possum. *Primò*, quia cõfirmationes factæ illam impugnant. *Secundò*, quia quòd partes dictæ sint oratio negat propositum argumentum. *Tertiò*, quia asserere, quòd non sunt partes integrantes orationem, opponitur communi Mystarum, & Scholas-

lasticorum dictamini. Et, quod caput est, Divus Thomas quamquàm faveat Medullæ mysticæ dicens esse partes subiectivas in 4. dist. 15. q. 4. art. 3. in corp. Illi tamen contradicit, ipsas eisdem verbis nominans inibi partes integrantes; sic enim loquitur Doctor Angelicus: *Partes orationis dupliciter accipi possunt, scilicet, per modum partium integralium, & per modum partium subiectivarum. Partes autem orationis integrales distinguuntur per ea, quæ ad completam orationem requiruntur. Partes autem subiectivæ distinguuntur, vel secundùm diversitatem eorum, quæ petuntur; vel secundùm diversum modum petendi.* Quibus verbis asserit D. Thom. tales partes, & integrantes, & subiectivas esse: nec aliquod, vel leve fundamentum præstat, vt dicamus, esse impropriè partes integrantes; propriè verò subiectivas; cùm eodem modo de vtroque divisionis membro loquatur.

13. Hinc autem exurgit difficultas non exigua: Quia cùm toto cœlo distent pars integralis, subiectivaque, vt nemo ignorat, de quo videri possunt Nost. Salmant. trat. 24. disp. 5. dub. 4. num. 124. quomodò potest idem esse pars subiectiva, & integralis?

14. Verùm nodum istum enodabis, si consideres id, quod multoties dictum est: nempe orationem posse sumi impropriè, & propriè. Sub prima consideratione, sunt partes subiectivæ ipsius dictæ partes: sive enim legas, sive mediteris, mentem in Deum elevatam habes. Ast sub secunda consideratione, sunt partes integrantes; quia cùm hæ partes iuxta Salmant. proximè laudatos *sit quidam actus, seu dispositiones, quas oportet adesse, vt opus virtutis perfectum evadat*; propterea partes, de quibus loquimur, sunt partes integrantes, relatè ad orationem propriè sumptam; quia vt docet laudatus D. Thomas, non potest fieri decenter petitio, quin aliæ partes præcedant: temerè enim procederet, qui sine prævio ornatu præparationis, meditationis, & aliarum compartium, ad Deum petiturus accederet. Et quòd hæc diversitas sufficiat, vt dictæ partes subeant denominationem integralium, subiectivarumque, negabit nemo.

15. Nec intelligas, orationem propriè sumptam componi ex his partibus; sicut corpus humanum ex suis integralibus componitur: quippe partes integrantes non solùm sunt eæ, ex quibus illa compositio resultat; sed etiam illæ, quas modò nobis descripsere Salmant. Et hoc quidem habent propriè: aliter partes integrales Iustitiæ, Prudentiæ, & aliarum virtutum, impropriè haberent rationem partium. Quòd autem illi actus specie differant, non obest, vt propriè partes integrales sint, vt cernere est in adductis, pluribusque aliis exemplis.

16. Ex præmissa ergo doctrina ad argumentum respondetur negando antecedens: ad probationem negetur minor. Ad probationem distinguitur maior: *Oratio non est* propriè, concedatur: largè: negetur: deinde distinguatur minor: *Oratio* propriè talis, concedo: largè, nego minorem, & consequentiam. Ex dictis patet solutio.

17. Contra illam tamen instabis primò: Quia D. Thomas loco citato ex sentent. ad 4. ait: *Gratiarum actio non ponitur pars orationis, quasi species eius: & ideò non oportet, quòd definitio orationis ei conveniat.* Ergo gratiarum actio non est pars subiectiva orationis: ergo nec integralis. Patet ista: Nam per nos omnes dictæ orationis partes, quæ sunt integrales, sunt etiam subiectivæ: ergo si gratiarum actio non est pars subiectiva, nec erit integralis.

18. Instabis secundò: Petitio est vna ex dictis partibus: at non est pars subiectiva, nec integralis: ergo ruit data doctrina. Minor pro secunda parte non indiget probatione. Pro prima verò probatur: Si namque esset pars subiectiva, foret respectu orationis largè sumptæ: sed implicat, quòd oratio propriè talis, qualis est petitio, sit species orationis largè sumptæ, vt de se patet: ergo.

19. Prima instantia non impugnat, sed firmat doctrinâ datâ: Quia respectu illius

illius orationis negat Divus Thomas gratiarum actionem esse partem subiectivam, de qua argumentum, quod ibi solvit, loquebatur: argumentum autem loquebatur de oratione rigorosè tali, vt per ipsum patet; sic enim procedebat: *Omnis oratio est petitio decentium à Deo secundùm Damasc. sed gratiarum actio non est petitio; quia est de iam acceptis: ergo.* Ad hoc argumentum respondet D. Thomas: Gratiarum actionem non esse speciem illius orationis, quæ est petitio; atque adeò nec illi talem definitionem convenire; quod constanter asserimus. Non enim dicimus gratiarum actionem, aut aliam ex partibus dictis, esse partem subiectivam orationis rigorosè dictæ; sed illam dicimus integrare. Vnde cùm aliàs habeamus ex ipso D. Thoma inibi in corpore, illas orationis partes munus vtrumque subire, & partium integralium, & subiectivarum, vt vidimus num. 12. sequitur, quòd gratiarum actio, & idem de aliis, sit pars integralis orationis propriè sumptæ, & subiectiva respectu orationis largè consideratæ: vnde, licèt non sit petitio, est elevatio mentis in Deum.

20. Ad secundam instantiam respondetur distinguendo maiorem: *Ex dictis partibus*, vt earum finis, concedatur: aliter, negetur. Licèt petitio inter partes orationis impropriæ ponatur, non est, quia ipsa sit illius orationis pars, vt rectè argumentum concludit: sed quia est terminus, in quem dirigitur iste motus, qui incipit in præparatione, & electione, aliisque prosequitur, ac denique in petitione terminatur. Vnde petitio numeratur, vt perfectissimus actus, cuius perfectio prærequirit omnes illos actus, vt iam ex Salmant. dicebamus.

Exemplo rem illustro: Qui iter in Hispalim meditatur, verè dicit: *Eundum mihi est in Hispalim*: vbi memorat spatium, quod inter Hispalim, & locum in quo est, datur: imò locum, in quo est, & Hispalim ipsam nominat; aliter tamen, & aliter: Nam spatium interiectum respicit, vt medium præcisè transeundum: Hispalim verò, vt terminum obtinendum: quare malè diceretur Hispalis medium, quo in ipsam itur; ex quo in clausula iter exprimente, numeretur: quia non ponitur ibi, vt pars transeunda, seu integrans; sed vt itineris terminus. Similer in nostro casu.

21. Quòd si velis dicere cum Medulla Mystica præcitata: Partes dictas dici integrantes, quia tempus integrant orationi destinatum: quatenus in præparatione v. g. insumitur vna pars illius temporis, & aliæ in aliis, vsque ad petitionem, in qua cùm sua etiam pars temporis insumatur, debet etiam dici pars integrans: quod vel ex ipso exemplo appolito constat: quippe motus ille nedum integratur ex mediis; sed etiam ex terminis *à quo*, & *ad quem*.

Hoc si dicas: Verè quidem loqueris; sed impropriè: non enim hac materiali acceptione sumimus orationis partes: sed sicut illas dicimus subiectivas, quæ participant totam essentiam orationis, cui verè, & propriè subiiciuntur, & cuius definitione definiuntur: ita illas integrantes dicimus, quæ non orationis tempus, sed orationem ipsam integrant, deservientes, vt orationis perfectio integra, & ex omni parte pulchra evadat. Vnde cùm petitio sit hæc oratio, cuius integram perfectionem complent ipsius partes, propterea ipsa non vt pars reliquas inter accensetur; sed vt terminus, in quem aliæ collimant, numeratur.

22. Ex quibus ad confirmationem ex num. 9. patet: Respondetur enim partes dictas esse subiectivas relatè ad orationem, quæ est elevatio mentis: vnde non auferunt eius simplicitatem, & incompositionem.

23. Ad secundam confirmationem distinguatur maior: *Oratio* pro formali orationis, concedatur: pro subtracto ipsius, negetur. Et sub eadem distinctione minoris, negetur consequentia. In oratione debet considerari entitas actus, quæ nihil aliud est, quàm ipsa animæ elevatio; & etiam considerandum est id, quod istam entitatem formalizat: nempe quòd illa elevatio mentis

tis in Deum non ſit purè ſpeculativa, nec ob aliud motivum minùs nobile, quàm illud, quod D. Thomas aſsignat, dum dicit: *Alius eſt aſcenſus in Deum, vt in quo auxilium quærit ::: & talis aſcenſus eſt oratio.* Vnde elevatio mentis elevata, formalizataque per animum exhibendi Deo cultum, vt â quo auxilium ſperat, eſt virtus orationis. In qua illa entitas materialis poteſt provenire â quacunque mentis potentia: aſt id, quod talem entitatem formalizat, ab vna ſolùm potentia, vnoque habitu venit, vt poſtmodùm dicemus, loquêtes de oratione propriè tali, in qua tam formale, quàm materiale entitatis non poteſt eſſe niſi ab vna potentia, modò, quo tunc declarabitur.

24. Arguitur ſecundò, & ſimul replicatur: Dictæ orationis partes ſunt elevatio mentis in Deum: at non ſunt oratio: ergo hæc non eſt elevatio mentis. Minor probatur diſcurrendo per ſingulas illas partes, primò quidem: Præparatio ad orationem non eſt oratio, ſicut præparatio ad confeſsionem non eſt confeſsio; & abſolutè, præparatio ad aliquod opus, non eſt illud opus, ad quod datur: Ergo. ¶ Ad hæc: Quod antecedit orationem non eſt oratio: præparatio antecedit orationem, ſecundùm illud Eccleſiaſt. 18. *Ante orationem præpara ánimam tuam*: Ergo.

Probatur ſecundò illa minor ex D. Thom. loco citato ex ſent. art 1. quæſtiunc. 2. ad 1. vbi loquutus de cõtemplatione docet: Eam tribus partibus conſtare, ſcilicet lectione, meditatione, & oratione: at meditatio, nec eſt, nec poteſt eſſe lectio: ergo ſimiliter meditatio non eſt oratio. ¶ Probatur ſecundò hæc ipſa pars: Oratio eſt actus intellectus practici ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 1. ad 3. at meditatio eſt actus intellectus ſpeculativi ex eodem D. Thom. eádem 2. 2. q. 180. art. 3. vbi ait: Quòd meditatio eſt proceſſus intellectus in veritatis inquiſitione occupati, quæ veritatis inquiſitio eſt opus rationis ſpeculativæ: ergo.

Denique probatur minor illa: Quia gratiarum actio, & oblatio ſui ſunt actus voluntatis; eò enim dicuntur affectivæ: ſed oratio eſt actus intellectus, vt cum ſuo Angelico Præceptore aſſerunt omnes Thomiſtæ: ergo.

25. Ad hoc argumentum reſpondetur: Diſpoſitionem ad aliquam formam, ſeu actum, poſſe eſſe de genere ipſius actus, ad quem diſponit; vt patet in diſpoſitionibus ad gratiam, quæ licèt imperfectæ ſint intra genus gratiæ ſupernaturalis; ad illud tamen pertinent. Vnde qua parte ſunt imperfectæ, diſponunt ad gratiam: qua verò parte attinent ad ordinem ſupernaturalem, nomen gratiæ ſibi vendicant.

Sic ergo partes orationis præeuntes petitionem, & ſunt intra genus orationis, & intra illud genus imperfectæ sũt. Qua ergo parte ſunt imperfectæ, ad petitionem ordinantur, ipſam integrantes, ad illamque diſponentes. Qua autem parte pertinent ad idem genus, nomen orationis habent. Qua doctrina ad primam minoris probationem diſtinguatur maior: *Non eſt oratio* perfecta, concedo: imperfecta, nego maiorem. Nec inſertæ probationes obſunt: non enim dicimus, quòd omnis præparatio ad aliquid eſt id ipſum, ad quod diſponit; ſed hoc ex pecularibus rationibus venandum eſt: vnde etſi præparatio ad confeſsionem non ſit confeſsio, præparatio ad orationem eſt oratio, ob rationes ſæpiùs inculcatas, nempe, quia eſt elevatio mentis in Deum, quod, & nil aliud, requirunt Myſtici, vt detur oratio, licèt intra tale genus imperfecta. Sicut vt detur gratia, nil aliud requiritur, niſi entitas ſupernaturalis, quantumvis minima; eo enim ipſo gratia eſt, quamvis imperfecta, & præparans ad perfectam; quod & alio exemplo patet: Præparatio ſiquidem ad iter aliquod aggrediendum ſolet multoties eſſe deambulatio: qui enim ad iter accingitur, pluribus paſsibus præparatur.

Et per hoc patet ad additamentum: Senſus enim Eccleſiaſt. eſt, quòd ante orationẽ perfectam præparetur anima oratione imperfecta: atque adeò ipſa oratio imperfecta præcedit orationem perfectam; ſicut perfectam gratiam gra-

tia

tia imperfecta.

26. Ad secundam probationem concessa maiori, & minori pro secunda parte, negetur pro prima. Etenim lectio, & est loquutio Dei ad nos, & simul est loquutio nostra ad Deũ. Non enim potest fieri, quòd Deus nobis media lectione loquatur,& quòd nos Deo non loquamur. Illa quippe attentio, quæ Dei loquutioni præstatur, loquutio quædam est, qua media animam illa lectione exprimimus deliciari. Hoc nobis innuit David Psalm. 84. dicens: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Hìc enim proponitur nobis Deus loquens, & Propheta audiens, quæ auditio expresio abs dubio est voluptatis receptæ; atque adeò est loquutio quædam, mentisque elevatio in Deum loquentem. Videatur P. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 12. num. 21. Vbi bene distinguit inter loquutionem Dei ad hominem, & hominis ad Deum: & sive homo ad Deum, sive Deus ad hominem loquatur, semper hominem orantem supponit.

27. Ad 3.probationem pro prima parte dicas: Meditationem sanè, non esse orationem propriè dictam, nempe petitionem, de qua ibi loquitur Divus Thomas nomine orationis; esse tamen orationem generaliter sumptam, quod etiam lectioni convenit.

Pro secunda parte respondetur: Meditationem aliam esse, quæ investigat veritatem propter ipsam veritatem, de qua nobis sermo non est. Sed de illa meditatione, quæ veritatem quærit, vt voluntantem ardere faciat, iuxta illud Psalm. 38. *Concaluit cor meum intra me,& in meditatione mea exardescet ignis.* De qua meditatione agit D.Thomas 1. 2. quæst. 27. art. 2. in corp. & opusc. 4. cap. 3. Hæc ipsa meditatio carnem mortificat, & animam seiungens â visibilibus, cœlestibus iungit,secundùm illud Ecclesiast. 12. *Frequens meditatio carnis afflictio est.* De qua D. Thomas Serm. 1. Domin. 8. post. Pentec. De hac meditatione loquimur, quæ certè actus est intellectus practici; *nam intellectus speculativus* (verba sunt D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 9. in corp.) *est qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus; sed ad solam veritatis considerationem. Practicus verò intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus.* Propter quod dicitur 2. Metaph. cap. 2. *Speculativæ etenim finis veritas: practicæ autem opus.* De quo videri potest nostra Logica complut. disp. 1. quæst. 6. Vnde cùm meditatio hæc dicto modo opus intendat, practica certè est.

28. Dices: Speculatio pertinet ad meditationem iuxta D. Thomam,2. 2. quæst. 180. art. 3. ad 2. ergo non est practica.

Respondetur: D. Thomam dicere, speculationem ad meditationem pertinere, quatenus conveniunt in modo procedendi. *Speculatio,* vt inibi ait Angelicus Doctor, *dicitur à speculo, non à specula. Videre autem aliquid per speculum est videre causam per effectum, in quo eius similitudo relucet: vnde speculatio ad meditationem reduci videtur.* Quare cùm meditatio ex vno in aliud procedat,vt constat ex eius definitione, quam dedimus lib. 4. num. 5. propterea speculatio, quæ simili modo procedit; nempe ex speculo ad rem, quæ in illo relucet, ad meditationem reduci videtur. Hoc autem non aufert, quòd meditatio, de qua loquimur, sit practica. Eòque cùm D.Thomas docet,quòd *meditatio est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus,* non negat, esse practicam; cùm supponat ipsam ex se opus respicere.

29. Ad vltimã probationem constat ex dictis num. 23. Adde, quòd gratiarum actio (idem est de oblatione sui) propriè consistit in recognitione beneficii, quæ Deo, vel verbis, vel mente exprimitur, supponens voluntatem promptam, vt in tanti benefactoris obsequium plura faciat: vnde pro formali non cõsistit in ista promptitudine: hæc enim ad virtutem gratitudinis spectat; sed consistit in expresione illius recognitionis,quæ actus intellectus est. Actio enim gratiarum supponit receptum beneficium, & æstimationem, quam de illo

illō facit, qui illud recipit, & addit expreſsionem illius æſtimationis, quæ eſt recognitio beneficii. Hæc autem expreſsio, vel fit befactori, vel aliis: ſibi enim ipſi fieri vanum eſt. Si fit aliis, non eſt actio gratiarum; ſed laus benefactoris. Si huic fit: eſt certè gratiarum actio: & cùm talis expreſsio dicat ordinem, quo in benefactorem dirigitur, non poteſt non eſſe actus intellectus, vt tenent cum D. Thoma eius Diſcipuli. De quo poſteà.

30. Arguitur. 3. Devotio eſt elevatio mentis in Deum: At non eſt oratio: ergo hæc non eſt elevatio mentis in Deum. Minor patet; quia inter orationis partes non numeratur. Maior verò probatur: Quia devotio eſt voluntas promptè ſe tradendi in Dei famulatum, quod ſine mentis elevatione in ipſum fieri nequit. Deinde devotio eſt primarius actus Religionis, cuius obiectum eſt Dei cultus.

Huic argumento, ſimilibuſque aliis anſam præbet ipſa virtutum affinitas, & earum actuum penè impræſcindibilis germanitas, quæ licèt ſemper magna, nūquàm maior, quàm inter orationem, devotionemque: ſunt enim eiuſdē habitus Religionis duo principaliſsimi actus; eòq; ab vna vtriusq; origine ſapiunt ſimillimas conditiones. Vnde vel ipſi Sanctiſsimi, & perſpicaciſsimi Eccleſiæ Doctores ferè confundunt devotionem cum oratione, vtì obſervat Suarez cap. 7. num. 10. libri præcitati. Hugo enim ab Alenſi relatus ait: *Orationem eſſe devotionem*, & D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima cap. 50. ait: *Oratio eſt mentis dovotio.* Aſt, cùm firmiter tenere debeamus, devotionem non eſſe orationem, niſi cauſaliter, quatenus cauſatur devotio ab oratione, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3. gloſſare debemus omnes illas auctoritates, quibus devotio oratio dicitur, in ſenſu cauſali. Quo licèt habeamus devotionem non eſſe formaliter orationem: vrget tamen factum argumentum, intendens vel devotionem orationem eſſe; vel orationem non eſſe elevationem mentis in Deum.

31. Ad illud reſpondet Diſceptatio myſt. tract. 1. q. 2. art. 1. num. 13. devotionem eſſe orationis effectum, & non partem. Ex conſideratione enim Divinæ miſericordiæ in nos, naſcitur illa prompta voluntas, qua in Dei obſequium tradimur: vnde non inter partes orationis eſt numeranda; ſed inter effectus ipſius accenſenda.

Hanc ſolutionem facilē dictus Auctor appellat. Contra illam tamen dubito primò: Qui intendit devotionem eſſe orationis partem, planè illam ſub orationis definitione collocat: ergo ſive ſit effectus orationis, ſive non, debet habere orationis naturam.

Contra ſecundò: Quia non poteſt negari devotionem eſſe elevationem mentis in Deum, vt dictus Auctor fatetur: ergo vel devotio eſt oratio; vel hæc non eſt elevatio illa mentis.

Contra 3. Quia licèt devotio ſit orationis effectus; non tamen eſt effectus omnium partium orationis; ſed ſolius meditationis, vt docet laudatus Divus Thom. ſed, quòd devotio ſit meditationis effectus, non arguit ipſam non eſſe orationem: ergo. Probatur min. 1. Meditatio componitur ex pluribus cognitionibus, quarum vna eſt cauſa alterius, vt conſtat ex definitione meditationis: at meditatio ſecūdùm omnes ſuas cognitiones eſt oratio: ergo. ¶ Probatur ſecundò: Gratiarum actio, & oblatio ſui ſunt oratio: at cauſantur â meditatione; ex quo enim quis meditando cognovit beneficia Dei, movetur ad agendum tali Benefactori gratias, & ad ſe offerendum in tantæ pietatis gratitudinem: ergo.

Contra 4. Quia meditatio ipſa, aliæque orationis partes ſunt effectus petitionis, quæ eſt oratio perfecta; nam â Deo petimus, quòd benè præparemur, rectè meditemur; immo & contemplemur ſecundùm illud: *Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Quod de contemplatione, petitione obtenta, intelligunt communiter Theologi cum eorum Principe D. Thom. 2. 2. quæſt. 180. art. 3. ad 4. ſed omnia dicta habent rationem orationis: ergo.

Contra denique: Petitio ipſa eſt effectus ſui ipſius; ſiquidem â Deo petimus, vt congruè, & rectè petamus; quod Eccleſia facit in illa collecta: *Et vt petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare*: atqui tam petitio petens, quàm petitio petita ſunt oratio: ergo.

32. Vt autem argumentum factum, quod meæ tarditati non ita facile eſt, diſſolvatur, ſcire debes, quòd cùm oratio dicitur elevatio mentis, non ſumitur elevatio vtcumque: aliter non inveniretur actus virtutis, qui oratio non foret: omnes enim virtutes mentem elevant. Corporale ieiunium mentem elevat: virtus pœnitentiæ mentem elevat: &, vt alia omittam, virtutibus Theologicis ita mens elevatur, vt ad ipſam increatam celſitudinem terminetur. Quid ni, corporale ieiunium, & alia dicta, ſunt oratio? Minimè: ergo oratio eſt aliqua particularis elevatio mentis; aliis non conveniens.

33. Hanc, vt detegamus, fatemur pœnitentiam elevare mentem; ſed eſt deteſtando culpam: charitatem mentem elevare; ſed eſt amplectēdo Deum, vt âmicum. Et vt proximiùs ad rem noſtram accedamus, etiam Religio mētem elevat, offerēdo Deo debitum cultum: & ſecundùm differentiam huius oblati cultus diverſificantur Religionis actus. Quæ differentia non ſolùm venatur (bene nota) penès obiecta, quibus cultus offertur, ſecūdùm quæ alius eſt cultus Dei, alius Sanctorum: ſed etiam attenditur ſecundùm rem oblatam in Dei cultum. Vnde devotio, quæ eſt primarius Religionis actus, ſolicitat cultum Dei, ipſi, vt materiam, offerens propriam voluntatem, promptam ad ipſius famulatum. Oratio, quæ eſt ſecundus actus Religionis, ſolicitat cultum Dei, ei exhibens, vt materiam oblatam, intellectum, illum Deo ſubiiciendo, vt Domino, â quo ſubveniri curat.

Vnde ſicut ſola Religio ſolicitat sēper cultum Dei; atque adeò non dabitur actus Religionis, qui hunc cultum non intēdat, nec virtus â Religione diſtincta, quæ illum cultum reſpiciat: ſola, & ſemper devotio offert, vt materiam ad talem cultum, propriam voluntatem; taliter, quòd numquàm devotio talem voluntatem non offerat; nec alius actus, aut virtus offert in Dei cultum voluntatem. Similiterque ſola, & ſemper oratio offert, vt materiam, proprium intellectum; nec dabitur orationis actus, qui hanc materiam non offerat; nec actus, qui oratio non ſit, illam offeret. Quia hoc eſt privativè proprium orationis, quæ dictam materiam ex parte obiecti attingit, vt id, in quo verificatur, ſeu exprimitur, ſolicitudo, quam oratio habet de cultu Dei.

34. Hæc dixerim, vt oſtenderem, non quamlibet mentis elevationē orationem eſſe: quod ſcire maximè oportet, nè plura valde neceſſaria in hac arcana Theologia, cui incumbimus, ignorentur. Maneat ergo, quòd virtus, cuius oratio eſt actus, debet reſpicere cultum Dei: vnde omnes illæ, quæ hunc cultum non reſpiciunt, quamquàm mētem elevent, ſunt extra orationis chorum. Inſuper: Deo cultum exhibere abſtrahendo â præcepto, eſt privativè propriū Religionis. Quia licèt obediētia etiam exhibeat Deo cultum: differt tamē â Religione in eo, quòd obedientia reſpicit cultum præceptum; ſi namque præceptum abeſſet, non adeſſet obedientia. Religio verò abſtrahit â præcepto: quarè actus obedientiæ oratio non ſunt; quia licèt cùm Deo obedimus, ei cultum, & honorem exhibeamus: cultus tamen hic ita præcepto ſubeſt, quòd ſine eo non extaret. Vnde in omnium virtutum venuſto templo ſola Religio eſt, cuius actus eſt oratio.

35. Cæterùm inter ipſos actus Religionis, quia primarius, nempe devotio; ita reſpicit cultum Dei abſtrahentem â præcepto, quod non mentem, ſed voluntatem offerat; propterea oratio non eſt: hæc enim ita debet reſpicere cultū Dei; vt nec præcepto ligetur, nec voluntatem; ſed mentem offerat. Nec valet ſimilitudo, quam cognoſcimus, inter devotionem, & orationem, vt devotio ſit oratio: ſicut non valet ſimilitudo

in-

inter obedientiam, & Religionem, vt obediētia ſit Religio. Quia ſicut hæ virtutes differunt per præceptum, quod nō poteſt non reſpici ab obedientia; ita illi actus per diverſas materias, quas offerunt, diſcriminantur.

Ex quibus ad argumentū factū ſic breviter reſpōdetur diſtinguēdo maiorem: *Elevatio* offerens voluntatem, conc. offerens intellectum, nego maiorem: & conceſſa min. diſtinguatur conſequens: *non eſt elevatio* voluntatem offerens, cōcedatur: offerens intellectum, negetur conſequentia. Termini ex dictis noti ſunt.

36. Obiicis tamen primò: Oratio reſpicit cultum præceptū: ergo non differt Religio ab obediētia per hoc, quòd hæc reſpicit cultum præceptum. Probatur antecedens; quia vt certum eſt, datur præceptum de oratione.

37. Obiicis ſecundò: Oratio eſt actus minùs perfectus, quàm devotio: ergo non differt oratio â devotione, per hoc, quòd hæc offerat voluntatem; illa verò mentē. Antecedēs certū eſt. Probatur conſequētia: Ille actus eſt perfectior, qui rem perfectiorem offert: ergo ſi devotio præſtat orationi, nequit hæc mentem offerre, & illa voluntatem. Patet iſta; quia intellectus perfectior eſt voluntate.

38. Reſpondetur ad primam diſtinguendo antecedens: *reſpicit*, permiſſivè, concedatur: poſitivè, & neceſſariò, negetur. Orationis præceptum dari cōcedimus. Verùm etiam ſi hoc præceptum non extaret, daretur oratio; vt evenit de facto, cùm quis devotione ſua orat. Aſt obedientia ita reſpicit præceptum, vt ſine præcepto omnino repugnet.

Radixque huius doctrinæ, quæ aſſatim pervia eſt, conſiſtit in eo, quòd obedientia ſpeciem capit â præcepto Superioris, vt tenet D. Thom. 2. 2. q. 104. oratio verò, vtpotè actus Religionis, reſpicit Dei cultum, ipſi exhibendum petendo ab eo auxilium, vt propriæ indigentiæ occurrat. Vnde ex quo homo cognoſcitur indigens, & Deum veneratur potentem, accedit ad ipſum orans auxilium petitutus, ſive extet, ſive nōn extet præceptum, quæ omnia mirè cōplexus eſt Caietanus loc. citat. art. 3. §. *Ad hoc breviter*. his verbis: *Religio* (cuius actus eſt oratio) *ipſum Deum, qui præcipit, colit: obedientia verò ad eius præceptum attendit*. Ex quo colligit egregius hic Cardenalis ſuperioritatem Religionis reſpectu obedientiæ: quia *conſtat*, ait, *quòd maius eſt Deum, quàm Dei præceptum venerari*. Videatur D. Thom. inibi ad 2. & art. 2. ad 3.

39. Ad ſecundam reſpondetur negando conſequentiā: Ad probationem, diſtinguatur ant. *Rem perfectiorem* in ratione cultus, & moraliter, concedatur: materialiter, & in ratione entis, negetur. Itaque intellectus in eſſe entis perfectior eſt voluntate: aſt moraliter, & in ratione cultus eſt perfectior voluntas, cùm ſit potentia libera; atque adeò ſit moralitatis cauſa. ¶ Adde: Quòd voluntas non ſolū ſubiicit ſeipſam Deo; ſed etiam facit, quòd aliæ potentiæ ſubiiciantur; quod non habet intellectus: quapropter etiam ex hac parte perfectior eſt in ratione cultus voluntas, quàm intellectus: vnde devotio offerens voluntatem, rem perfectiorem offert in ratione cultus; atque adeò perfectior eſt oratione.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm Scholaſtici rectè Orationem definiant?

40. Doctores Scholaſtici etymologia huius nominis *Oratio* ducti, quod â verbo *oro, oras*, quod petere ſignificat, venit, orationem dicunt eſſe petitionem: Vnde illam definiunt per hoc, quòd ſit *petitio decentium à Deo*. In quo an rectè procedant? diſquiritur.

§. I. *Veritas tenenda ſtatuitur.*

41. NOſtra cõcluſio affirmat. Illam docet D. Thom. in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 1. quæſtiũc. 1. vbi in corpore concludit: *Vnde definitio Damaſceni: oratio eſt petitio decentiũ à Deo, veriſsimè eſſentiam orationis declarat.* Hoc idem docet Seraphica M. N. Diva Thereſia pluribus in locis, & inter alios pulchrè hoc ſupponit manſ. 1. cap. 1. Tantos Doctores vnanimi conſenſu ſequuntur alii, & hæc adeò vniverſalis conformitas eſt vrgentior probatio concluſionis: vnde breviſsimè vlteriùs

42. Probatur: Tradita definitio præciſiſsimis verbis declarat naturam orationis metaphyſicè, & formaliter ſumptæ: ergo recta eſt. Antecedens probatur: Dicta definitio declarat naturam orationis per genus, & differentiam ipſius: ergo. Probatur antecedens: Nam illa particula *petitio* habet rationem generis; quippe per illam convenit oratio cum aliis petitionibus, quæ non habent rationem orationis, vndecunque illis hæc ratio deficiat. Eæ particulæ *decentium à Deo* explicant orationis differentiam: hæc enim conſiſtit in duplici inadæquato reſpectu, quo oratio terminatur, & in rem, qua indiget, & in Deum ſubvenire potentem. Ideò enim oratio in Deum fertur, vt remedium pro re, qua indiget, nanciſcatur: vnde ille actus, qui per primam particulam cum pluribus conveniebat, per has duas ab omnibus illis ſecernitur: ergo cùm nihil aliud requiratur, vt aliqua definitio ſit bona, niſi quòd per proprium genus, & differentiam explicet naturam definiti, ſequitur, quòd data definitio ſit bona; vtpotè ſic procedens.

43. Confirmatur: Oratio iuxta communem ſenſum eſt *alicuius, ad aliquem, de re aliqua*: at hoc rectè explicatur per datam definitionem: ergo bona eſt. Maior patet: Quia ſi oratio eſt, non poteſt non eſſe alicuius orantis ad aliquem pro re aliqua obtinenda. Deinde probatur minor: Nam per particulam *petitio*, quæ eſt petentis exercitium, exprimitur ipſe petens; per particulam *à Deo*, oſtenditur is, ad quem oratio funditur; ac demum per ly *decentium*, explicatur res, quæ petitur: ergo.

§. II. *Primum argumentum ſolvitur.*

44. TAmetſi citentur aliqui traditam definitionem non admittentes, ſolum Navarrum vidimus, qui in Enchir. de orat. cap. 1. num. 18. & 29. illam carpit; eò, quòd non definiat orationem vt ſic; ſed ſolam orationem determinatè bonam. Autumat enim orationem abſtrahere â bona, & mala; atque adeò, ſi oratio ſecundùm ſe, quod nunc intendimus, definitur, illa noſtra definitione non adæquatur: eòque debet, vt diminuta, reprobari.

Arguitur primò: Oratio abſtrahit â bona, & mala: ergo debet definiri definitione eam, prout abſtrahit, adæquanti: ergo data definitio non eſt bona. Patet iſta: Quia talis definitio ſolùm convenit orationi bonæ. Antecedens verò probatur ex D. Thom. in 4. diſt. 15. q. 4. art. 1. quæſtiunc. 2. vbi exprſsè ait: quòd illa particula *decentium non eſt de eſſentia orationis; quia ſi etiam quis indecentia petat à Deo, orat quidem; ſed carnaliter orat: vnde illa conditio magis pertinet ad bene eſſe orationis, quàm ad rationem ſuæ ſpeciei. Relinquitur ergo, quòd ex hoc oratio ſpeciem trahit, & ad rationem virtutis trahitur, quod eſt à Deo petitio.* Quid clarius? Ergo oratio abſtrahit â bona, & mala.

45. Confirmatur: Oratio dialectica abſtrahit â vera, & falſa: ergo myſtica abſtrahit â bona, & mala. Probatur conſequentia: Eò oratio dialectica abſtrahit, quia veritas, & falſitas ſunt eius qualitates, ſupponentes ſpeciem conſtitutam, vt docent noſtri Complutenſ. cap. de propoſitione: ſed bonitas orationis myſticæ ſupponit ſpeciem, & pertinet ad qualitatem: ergo. Probatur minor: Quod non requiritur ad eſſe; ſed ad bene eſſe, ſupponit ſpeciem, & pertinet ad qualitatem: ſic eſt bonitas orationis, vt modò ex D. Thom. vidimus: ergo.

Tex-

46. Textus dictus ita vrgens visus est Navarro, vt ob illum introducat D. Thomam certò tenentem orationem abstrahere â bona, & mala: & ideò eminentissimum Caietanum de oblivione appellat, quòd illius non meminit. Ast cùm D. Thomas ex loco nostram definitionem, vt adæquatam comendet: quomodò sine magna Sanctissimi Præceptoris iniuria potest pro contraria positione citari?

Respondetur ergo argumento: negãdo antec. eò enim ipso, quòd oratio non sit bona, oratio non est. Loquimur enim de oratione, quæ est virtus: non quia antequàm intelligatur vt virtus, concipiatur oratio: sed solùm præconcipitur vmbra quædam orationis, quæ solùm æquivocè dici oratio potest; vt homo mortuus, vel pictus, qui solùm æquivocè dicitur homo. Vnde, qui cognoscit actum rationis cõtrahibilem per orationem bonam, & malam, malè cognoscit. Quod vel ex ipsa definitione, quam Navarrus admitit, notum est: ait enim orationem esse *petitionem à Deo*. Sed enim cùm verba definitionis accipienda sint in sensu omnino formali, & rigoroso, sequitur quòd ly *petitio* sumi debet vt actus indigentis, humiliter accedentis ad potentem, vt illum moveat ad coferendum auxilium, quo â sua indigentia liberetur.

Similiter ly *à Deo* eodem rigore, & formalitate sumptum, vt debet, signat Deum, vt formaliter Deus est, qualiter bonus, & iustus est, atque adeò non potest ab ipso, prout sic, orans petere, nisi quod decens est; aliter enim non illum vt Deum existimabit; sed vt hominem; vel dœmonem, â quibus malum non sine fundamẽto speratur. A Deo autem vt tali, qualiter in orationis definitione ponitur, indecens aliquod sperare, prorsùs inauditum est,

Quod, vt meliùs percipiatur, rogo: qui â Deo aliquod indecens petit, vel cognoscit Deum posse facere id, quod petit, vel cognoscit illud non posse â Deo fieri: vel abstrahit ab hac cognitione? Non secundum, nec tertium; quia oratio accedit ad Deum, vt potentem succurrere. Nec aliud est imaginabile: nemo enim petit nisi ab eo, quem sibi auxiliaturum credit: nec credit auxiliaturum, nisi favere potentem. Relinquitur ergo, quòd qui malum â Deo petit, cognoscat illud malum contineri in potentia Dei: quod non est Deum respicere vt Deum, iustum, bonum, Sãtum, & omnipotentem; sed vt hominẽ, vel vt diabolum. His pro illo Navarri antecedenti dictis.

47. Ad textum D. Thomæ dicimus: Sanctissimum Præceptorem pro nobis esse: Primò, quia inibi ait, diffinitionem Damasceni verisimè essentiam orationis declarare. Secundò, quia licèt asserat, orare petentem mala â Deo, ait etiam, q uòd *arnaliter orat*: quod idem est, ac dicere; talem orationem, nec nomen quidem orationis mereri, sicut cùm dicitur: homo pictus est homo, qui certè sine hominis essentia homo est. Sed explorare debemus, quo sensu loquatur Sanctus Thomas de oratione?

Respondet Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 2. num. 2. loqui D. Thom. de oratione non sub ratione virtutis; sed sub ratione communi petitionis, etiam â Deo. ¶ Verùm hoc glossema latet, quo animo â Suario introducatur: cùm vel sola lectione textus oppugnetur. Sic enim se habet: *Relinquitur ergo, quòd ex hoc oratio speciem trahit, & ad rationem virtutis trahitur, &c.* Vnde Suarii explicationem non admittimus. Quarè aliter ex antea dictis

48. Respondetur: Quòd ly *à Deo* formaliter, vt par est sumptum, infert, quòd solùm decentia petuntur; alia enim â Deo, vt Deus est, peti non possunt: vnde per hoc, quòd dicatur: *petitio à Deo*, datur orationis species, vt ait D. Thomas, quia & explicatur Deus, â quo petitur, & implicatur materia postulata; cùm â Deo, vt tali, non nisi decentia valeant postulari. Quarè Angelico Magisterio procedit D. Thomas, dum ait: orationem trahi ad speciem, rationemque virtutis, per hoc, quòd dicatur *petitio à Deo*.

49. Vtquid ergo additur ly *decentium*?

tium? Quia oratio, & habet eſſe virtutis, & bene eſſe. Et ad illam ſub vtraque conſideratione requiritur. Aliter tamen, & aliter: nam ad eſſe orationis requiritur implicitè; quod, vt dictum eſt, habetur per ly *à Deo*, in quo implicatur ly *decentium*. Additur tamen explicitè maioris claritatis gratia, quod multoties in definitionibus videmus. Cæterùm ad bene eſſe orationis, ita requiritur explicitè, vt ſine illa particula non daretur. Quare relatè ad eſſe orationis requiritur illa particula, & implicitè, & explicitè. Implicitè quidem per ſe, & ſimpliciter. Explicitè, non per ſe, & ſimpliciter, ſed ob maiorem claritatem. Relatè verò ad bene eſſe orationis requiritur omnino explicitè, & per ſe. Quod mihi videtur profundè tradidiſſe D. Thom. his verbis *Vnde illa conditio magis pertinet ad bene eſſe orationis, quàm ad rationem ſuæ ſpeciei.* Quia, ni fallor, ly *magis* ſupponit illam particulam pertinere ad eſſe orationis; licèt *magis pertinet ad bene eſſe ipſius.* Quia ad eſſe orationis pertinet & per ſe, & explicitè; at non ſimul; ſed cùm pertinet per ſe, non explicitè, ſed implicitè pertinet. Dum verò pertinet explicitè, non per ſe, ſed gratia maioris claritatis pertinet. Cæterùm ad bene eſſe orationis pertinet per ſe, & explicitè ſimul; vnde *magis pertinet.*

50. Aliter textum iſtum explicat Magiſt. Ioannes à S. Thom. 2.2. quæſt. 83. diſp. 26. §. *Nec obſtat.* Videatur, quia egregiè mentem D. Thomæ declarat. Et ſanè textus hic prodeſſe Navarro non poteſt. Cùm enim certum ſit, D. Thomam loqui de oratione in eſſe virtutis. Debuit attendere Navarrus neminem poſſe malè vti oratione, influente ea in tale malum: quia oratio in eſſe virtutis eſt bona qualitas mentis, qua nemo malè vtitur. De quo egimus tom. 1. lib. 1. num. 147. Influeret certè oratio in malum petitum, ſi illud peteret: ergo implicat oratio, quæ decentia non petat. Vel Navarrus conſtituat aliud virtutum genus; aut aliam definitionem virtutum. Videantur N. Salmant. tract. 12. diſp. 1. dub. 4. §. 2.

51. Ad confirmationem reſpondetur negando conſequent. Ad probationem omiſſa maiori negetur minor. Ad cuius probationem, negetur etiam minor iuxta dicta. Quippe quòd decentia petantur pertinet ad eſſe, & ad bene eſſe orationis, eo modo, quo paulò ante diximus. Veritas verò, vel falſitas nullatenus pertinet ad eſſe, nec ad bene eſſe orationis enũtiativæ: de huius enim ratione ſolũ eſt vnum de alio enuntiare: vel cõponẽdo, quod eſt affirmare; vel dividendo, quod eſt negare. Quòd autẽ verè; vel falsò affirmet, aut neget, nõ eſt de eſſentia propoſitionis. Vnde hæ propoſitiones: *homo eſt lapis, homo nõ eſt animal*, ſunt verè propoſitiones quamquàm ſint propoſitiones non veræ. Oratio autem myſtica dicit adeò intrinſecè rectitudinem, vt hac abeunte, pereat oratio.

Nec ſine magno vitio â quodam logicali inſtrumento ad virtutem orationis dialecticatur. Cùm virtus ita ab obiecto morali, quod eſt bonum regulatum per Prudentiam, dependeat, vt illi quævis, quantumvis minima cogitetur, malitia repugnet, Vide Salmant. laudatos, & tract. 11. diſput. 6. dub. 1. â num. 29. cuius oppoſitum manifeſtiſsimè evenit in oratione enuntiativa, non ſolùm, quia, vt dictum eſt, veritas, & falſitas ſupponunt eam adæquatè conſtitutam: ſed etiam (quod inde ſequitur) quia eadem propoſitio tranſit de vera in falſam ſine ſui mutatione, vt aſſerit Ariſt. cap. de ſubſt. his verbis: *Eadem oratio, & opinio poteſt tranſire de vera in falſam.* Idem docet D. Thom. in 1. diſt. 19. q. 5. art. 3. ad 5. & cum ipſis Noſtri Complut. cap. de propoſitione, & Salmant. diſp. 6. citata dub. 2. num. 39.

52. Quòd ſi cum aliquo artificio logicali poſſet oratio myſtica quoad hoc comparari, eſſet cum cõſequentia. Ratioque ea eſt: quòd conſequentia requirit connexionem inter antecedens, & conſequens; quæ connexio, ſi adeſt, datur bona conſequentia. Si verò abeſt, nullatenus conſequentia datur. Quamobrem conſequentiam malam, atque

adeò

adeò â bona, & mala abstrahentem, non agnoscit communis Thomistarum opinio, quos ducit Aristoteles libr. 1. Prior. cap. 5. vbi ait: *Syllogismum malum non esse Syllogismum defectu consequentiæ.* Sic ergo oratio mystica, si sit petitio decentium â Deo, est oratio bona: si verò aliquid ex his deficiat, qualitercumque deficiat, nec bona remanet, nec oratio.

53. Contra dicta tamen, & primò contra hoc vltimum instabis primò: Consequentia abstrahit â bona, & mala: ergo si tenet paritas adducta, etiam oratio abstrahet. Probatur antecedens primò: Divisum abstrahit â dividentibus, de illisque prædicatur: sed consequentia dividitur communiter in bonam, & malam: ergo ab illis abstrahit, & de illis prædicatur. Secundò probatur antecedens: A speciebus abstrahibilis est vna communis ratio: sed Aristoteles 1. Topic. cap. 1. ait: Quòd syllogismus demonstrativus, topicus, litigiosus, & pseudographus *species sunt Syllogismi*: ergo.

54. Instabis secundò contra antecedentia: Quia eadem oratio enuntiativa transit de vera in falsam, dicimus, veritatẽ, & falsitatem supponere constitutam propositionem: sed eadem oratio mystica potest transire de bona in malam: ergo. Probatur minor: Tum, quia est expressa sententia Salmant. loco cit. eumdem numero actum virtuosum posse transire de bono in malum. Tum, quia sic etiam docetur â D. Thoma 1. 2. quæst. 9. art. 1. qui ex paritate veritatis, & falsitatis probat eumdem virtuosum actum posse illam mutationem subire.

55. Hæc ideò aliquando obiicimus, vt nostri Scholastici, quibus hoc opus cõficitur, species aggregent, quarum occasione haud pauca Thomistarum asserta colligãt, quibus accincti, & oppugnati obarmentur, & aggressores vtantur pro pulchra vicissitudine temporum. Hic huius operis scopus impellit, vt non semel in similibus occupemur.

Ad primam ergo obiectionem negetur antecedens: Ad probationem dicas: Divisum abstrahere, prædicarique de dividentibus in divisione propriè tali. Dum autem divisio est solùm similitudinaria, nec divisum abstrahit, nec prædicatur. Vt cernere est in divisione, qua homo dividitur in pictum, verumque. Vnde cùm consequentia mala solùm metaphoricè sit consequentia; ideò nec ab illa est abstrahibilis ratio communis consequentiæ, nec de illa prædicatur. Et quamquàm Aristoteles illam nominet speciem syllogismi, hoc fecit, quia habet vmbram quandam, & apparentiam syllogismi: non quia sentiret esse syllogismi speciem, vt patet ex auctoritate, quam adduximus num. 52. ex lib. 1. Prior. Vnde ex his robur accipit data doctrina; quia oratio mala non est oratio, nisi tantùm æquivocè, & similitudinariè.

56. Ad secundam instantiam respondetur primò negãdo causalem maioris. Non enim dicimus veritatem, & falsitatem supponere constitutam propositionem; quia hæc, eadem manens, potest veritate nudari, & falsitate vestiri: quia propositiones in materia naturali, & repugnanti variationem illam minimè possunt subire. Dicitur tamen veritas esse extra speciem propositionis, quia in quacunque materia, hæc est enuntiatio vnius de alio, ac per hoc constituitur: posteà verò sequitur, quòd sit vera, vel falsa: sicut etiam subsequitur, quòd sit in hac, vel in illa materia. Diximus autem suprà, sequi ex eo, quòd veritas, & falsitas non sint rationes constituentes speciem propositionis, quòd vna possit transire de vera in falsam; quia hoc (permittente materia) ad illud sequitur, vt patet in materia contingenti. Verùm quia ex his, quæ possunt sic transire, potest sumi paritas, ideò

57. Respondetur secundò omissa maioti, negando minorem: ad probationem dicas: Actum virtuosum posse sumi vel quoad entitatem physicã; vel in esse moris. Hoc secundo modo respicit vt differentias per se bonitatem, & malitiam; non enim potest actus in esse mo-

moris non esse vel bonus, vel malus. Primo modo dicit propriam entitatem ab obiecto physicè sumpto dependentem: & respectu illius, prout sic, sunt differentiæ accidentales bonitas,& malitia; cùm non detur specialis connexio cum illarum aliqua, sed possit indifferenter â qualibet earum determinari. v. g. hoc obiectum: *vesci carnibus pro tuenda corporis valetudine*, secundùm suam entitatē est indifferens ad moralem bonitatem, & malitiam; siquidem, si tempore prohibito fit, est malum: si verò fiat tempore non prohibito, erit bonum: immo, si tempore non prohibito incipiatur, & prohibito tempore continuetur, ante illud prohibitum tempus habet bonitatem moralem,qua, accedente prohibitione,privatur: quod omne fit per solam moralem variationem obiecti.

Hinc ergo dicimus, quòd potest idē actus virtuosus transire de bono in malum, manente eadem entitate physica; sed non manente eadem moralitate. Ex quo non sequitur orationem malam esse; hæc enim non constituitur per physicam actus entitatem; sed per rectitudinem, qua in bonum honestum dirigitur, qua ablata, non remanet virtus orationis, quamquàm entitas physica actus perseveret. Hæcque est D. Thomæ mens, & Salmanticentium, vt iidem Patres loco citato docent.

§. III. *Alia argumenta.*

58. IN paragrapho antecedenti ea obiecimus,quæ orationem dividi in bonam, & malam statuere conantur. Nunc verò ea argumenta proponimus, quæ sine tali respectu traditam definitionem per singulas ipsius particulas impugnant. Contra primam ergo arguitur primò: Petitio est pars orationis: ergo non est genus ad illam: ergo malè dicitur, quòd est petitio. Patet ista: Quia vna species malè ponitur vt genus in definitione alterius speciei. Probatur antecedens: Ex D. Paulo 1. ad Tit. 5. vbi ait: *Obsecro igitur primò omnium obsecrationes fieri orationes, postulationes, gratiarum actiones*: Ecce D. Paulum dicentem postulationem, quæ idem est, ac petitio, esse orationis quandam determinatam speciem, sicut obsecratio,& gratiarum actio: ergo sicut malè procederet,qui definiret orationem dicens: *oratio est gratiarum actio, &c.* similiter malè per petitionem definitur.

59. Confirmatur: Si petitio esset genus ad orationem non daretur oratio sine petitione: sed cùm oratio est perfecta nō datur petitio; ait enim Hugo de S. Vict. quòd tunc oratio est pura, cùm mens conversa in Deum, vt postulet, suæ petitionis obliviscitur: ergo.

60. Hoc argumentum solet esse valde importunum, eique occasionem præbet diversus modus, quo Doctores, & Patres orationem accipiunt: Vnde secundùm illam diversitatem diversas ei partes assignant, vt videre est in D. Thom. distinc. dicta art. 3. quarè molestissimum est, cùm ex partibus orationis aliquo particulari modo consideratis, sumitur argumentum contra ipsam orationē aliter sumptam. Quam molestiam, vt aliqualiter temperaremus, loquuti sumus quæst. præced. de partibus orationis, eas, claritate possibili, iam ad petitionem comparantes; iam ad orationem latè acceptam referentes. Modò verò, quia hoc argumētum nō absimili importunitate fatigat, illam superabis; si auream doctrinam in verbis num. 13. ex D. Thoma relatis, contempleris. Ait enim Angelicus Doctor agens de partibus illis orationis, quas laudatus D. Paulus enumerat: *Partes autem subiectivæ distinguuntur vel secundùm diversitatem eorum, quæ petuntur: vel secundùm diversum modum petendi.*

Ex qua doctrina habes: Quòd vt aliquid sit pars subiectiva orationis, vt est *petitio decentium*, qualiter de illa ibi loquitur Sanctus Thomas, sufficit, & requiritur; vel quòd petat determinatè id, quod absolutè,& indeterminatè petitur ab oratione; vel quòd petat diverso modo id ipsum, quod ab oratione petitur. Huius doctrinæ Angelicæ appli-

plicatio est evidens facti argumenti, & aliorum, quæ in simili possunt fieri, solutio.

61. Respondetur ergo negando antecedens. Ad probationem dicas: Ex illis quatuor partibus, quas orationi assignat Apostolus, gratiarum actio non est pars subiectiva orationis propriè sumptæ, vt suprà ex D. Thom. dicebamus: aliæ verò partes subiectivæ sunt, vt de singulis loquentes mõstrabimus. Obsecratio est pars subiectiva; quia vt D. Thom. ait: 2. 2. quæst. 83. art. 17. in corp. *Obsecratio est per sacra consteſtatio, sicut cùm dicimus: per nativitatem tuam libera nos, Domine.* Vnde obsecratio est *petitio decentium à Deo*, addita, vt differentia, qua & genus orationis contrahit, & ab aliis speciebus differt, *consteſtatione per sacra.* Quarè eamdem libertatem, quam per orationem genericè sumptam petimus, petimus per obsecrationẽ. Differunt tamen in eo, quòd oratio petit sine determinata forma; quia per hoc solùm, quòd sit *petitio decentium à Deo*, constituitur in esse orationis: ast obsecratio petit â Deo decentia, sub illa forma iam dicta: vnde & est oratio, & addit ad orationem formam, per quam in esse obsecrationis constituitur.

Insuper oratio particulariter dicta, & (quod immediatè ad argumentum accedit) postulatio, sunt partes subiectivæ orationis: Quia hæc petit decentia, quæcunque illa sint. Et quia inter hæc decentia, seu bona, alia sunt bona viæ, & alia patriæ: ille actus, quo bona viæ petuntur, dicitur oratio particulariter dicta; ille verò, quo petuntur bona patriæ, dicitur postulatio, vt expressè docet citatus D. Thom. Vnde istæ propositiones: *Obsecratio est oratio. Postulatio est petitio*, sunt omnino formales.

62. Nec mireris, quòd petitio, qua bona viæ petuntur, habeat nomen genericum orationis. Hoc enim ideò est, *quia consuetum est, quòd nomen commune ad illam speciem trahatur, quæ nihil addit dignitatis; vel minùs, quàm aliæ species supra commune.* ait D. Thom. ibi ad 2. & ideò subiungit: *nomen orationis ad illam speciem trahitur, secundùm quandam appropiationem, quæ habet minùs de dignitate, scilicèt qua petitur viæ bonum.*

63. Ad confirmationem respondetur Hugonem loqui de oratione, in qua ex impetu amoris anima, ita absorbetur in Deo, ad quem rapitur, vt omniũ, & etiam sui ipsius oblita, dilectum suum amplectatur: & tunc certè nihil determinatè petit. Verùm quæ peteret, præparaverat; & illa petit, non formaliter; nec enim vis amoris hoc patitur, sed virtualiter, aut æquivalenter: ille enim amplexus quædam petitio est, qua â dilecto suo obtinet, quicquid, si valeret petere, postularet: vnde semper datur petitio vel formalis; vel æquivalẽs.

¶ Adde: Raptum illum animam in contemplatione collocare: & petitio non est genus ad contemplationem, vt ex eius definitione supra data constat.

64. Arguitur secundò: Oratio ex sua intrinseca ratione offert Deo cultum, vt patet ex dictis â num. 33. ergo non est petitio. Probatur consequentia: Petere aliquid ab aliquo non est illum colere, sed sibi remedium quærere, vt ex ipsis terminis constare videtur: ergo oratio non est petitio.

65. Confirmatur primò: Petitio dicit ordinem ad rem petitam, & ad personam, â qua petit: sed secundùm nullum ex his ordinibus offert Deo cultum: ergo nec est oratio. Maior constat ex supra dictis. Minor pro prima parte nota est, pro secunda verò probatur: Petitio terminatur ad personam illam eo solo animo, vt rem petitam concedat: sed sic accedere non est offerre cultum illi personæ: ergo. Maior probatur primò. Eo animo accedit, qui explicatur in eius definitione: sed in ea solùm exprimitur animus obtinendi rem, quam petit: ergo. ¶ Probatur secundò illa maior: Quia potest quis sine eo, quòd aliquid cogitet de cultu Dei, petere ab eo: ergo tunc eo solo animo accederet.

66. Confirmatur secundò: Actus offerens Deo cultum respicit talem

cultum, vt obiectum: ſed petitio nullum cultum reſpicit, vt obiectum: ergo non offert Deo cultum. Probatur minor: Si aliquem cultum reſpiceret, hic in orationis definitione explicaretur: at nō explicatur; ſiquidem nec verbum eſt, quod talem cultum oſtendat: ergo. Maior probatur: Quia præcipuū, quod eſt in oratione, eſt tendentia, ſeu reſpectus ad talem cultum: ergo hic explicari debet in eius definitione: ergo in hac malè ponitur petitio.

67. Reſpondetur argumento negando conſequentiam. Ad probationem vt reſpondeas, nota: Orationem habere illum duplicem reſpectum iam dictum, & inſuper duplicem materiam: ſcilicet materiam deſideratam, & materiam oblatam, ſeu Deo per orationem ſubiectatam. Materia deſiderata eſt id, quod petitur, & hæc materia non eſt obiectum orationis, de cuius ratione non eſt deſiderare; ſed petere, quod ſupponit â deſiderio concupitum. Materia ſubiectata eſt propria petētis mens, vt dictum eſt ſuprà. Ex quo enim ad Deum accedit propriam indigentiam faſſus, & ipſius Dei omnipotētiam confeſſus, accedit cum reverentia, & tanquàm inferior ad ſuperiorem, cui ſubiicitur: & hæc ſubiectio eſt quædam reverentia, & cultus Deo â petente oblatus.

Hæc miriſsimè docuit D. Thomas dicta. quæſt. 83. art. 3. ad 3. vbi ait: *Ad tertium dicendum, quòd orando tradit homo mentem ſuam Deo, quam ei per reverentiam ſubiicit, & quodammodo præſentat.* Quæ vt explicet Caietanus, diſtinguit in oratione rē petitā, petitionē, & ipſum petentē. Si cōſideretur res petita, ſic nihil Deo per orationem offertur; ſed potiùs ab eo aliquid accipere ſperatur. Si autem cōſideretur petitio; ſic cultum Deo exhibemus; nam ipſe actus petendi ſubiectio eſt, profeſſioque virtutis. Quod clariùs patet; ſi conſideretur ipſe petens: quia hic oratione petit; & cùm oratio ſit actus mētis, idem eſt, quòd petens petat, & quòd mente ſua ad petendum vtatur, & idem eſt, vti mente ſua ad petendum, ac ſubiicere Deo mentem ſuam: ſicut idem eſt, vti genibus ad genuflexionem coram Deo, ac ipſi genua offerre, & cōſecrare. Videatur omnino citatus D. Thomas, & Caietani explicatio. Ex quibus patet, quòd cùm â Deo petimus, in ipſa petitione nobiliſsimum hominis, ſcilicet mentem, offerimus. Immo, vt propriùs loquar, ipſa petitio eſt noſtræ mentis oblatio.

Per quod patet ad probationem cōſequentiæ. Dicimus enim, quòd licèt orans remedium ſibi quærat: in ipſa remedii ſolicitudine Deum colit; ſiquidem illum omnipotentem confitetur, eique conſecrat mentem ſuam; ex eo, quod illa ad petendum vtatur.

68. Ad primam confirmationem negetur minor pro ſecunda parte. Ad probationem negetur maior, cuius probationes vanæ ſunt: quia petens, eo ipſo, quòd petat, non poteſt non venerari Deum, cuius potentiam, pietatem, & ſuperioritatem fatetur in ipſo petitionis actu, quamquàm petens hoc ſignatè, & reflexè non intendat. Hunc-que cultum ſufficienter explicat definitio ea particula *à Deo*. Ex quo enim in Deum tendat petitio, Deum veneratur, eique petentis mentem præſentat in ſubiectionis ſignum. Per quod patet ad ſecundam confirmationem.

69. Arguitur tertiò contra illam particulam *decentium*: In oratione petuntur â Deo mala: ergo non ſolùm decentium eſt petitio. Probatur antecedens ex illo Pſalm. 25. vbi David orabat dicens: *Proba me, Domine, & tenta me*: ſed orare, vt tentetur, eſt determinatè malum; cùm opponatur doctrinæ Chriſti Domini docentis nos, vt dicamus: *Et nè nos inducas in tentationem*: ergo.

70. Confirmatur primò: Quia multoties Deus iraſcitur, dum cōcedit, quæ â ſe in oratione petuntur, vt quando dedit Regē filiis Iſrael, quod iratus fecit: ergo quæ ſic concedit, non ſunt decentia. Patet iſta; nam ſi bona ſorent, Deum minimè provocarent.

71. Confirmatur ſecundò: Dæmon orare poteſt, vt ait Abul. in 6. Matth.

quæſt.

quæst. 85. & de facto orare, docet Navarrus citatus; etiamque Dives ille epulo in inferno positus oravit: sed nullus horum petit, peterevè potest, decentia: ergo.

72. Confirmatur tertiò: Licèt decentia possint peti indecenter, hoc est, indebito modo, non ponitur in definitione orationis particula *decenter*: ergo licèt possint peti indecentia, superfluit ly *decentium*. Antecedens ex ipsa definitione patet, vbi talis particula non ponitur. Et consequentia constat â paritate.

73. Respondetur argumento ex Caietano 2. 2. quæst. 83. art. 8. Licitè â Deo peti mala non culpæ, sed pœnæ; & hoc pro vtilitate correctorum: quo certè respiciebat David in verbis allegatis, vt tradit D. Thomas in expositione illius psalmi. Cuius oppositum non docetur â Christo Domino: siquidem, vt docet Sanctissima M. N. Theresia, hisce verbis non iubemur petere, quòd Deus auferat tentationes â nobis, sed quòd non permittat, nos succumbere tentationibus. Vnde David petit tentationem, qua, & reus corrigatur, & fidelis comprobetur: & Christus imperat, vt petamus, nè â tentationibus superemur.

74. Ad primam confimationem respondet D. Thomas loco cit. ex sentent. quòd *talis impletio orationis, quæ fit cum Dei indignatione, non dicitur impetratio propriè loquendo*. Vnde nec oratio propriè est.

Respondetur secundò: Ly *decentium* debere secundùm dictamen efformatum ab orãte regulari: Multoties enim, quæ in re sunt bona, existimantur mala, & ê contra: vnde cùm petitur â Deo malum, non existimatum malum, datur oratio: aut Deus iratus per aliquam culpam, quæ in orante datur, & aliquando ob ipsam ignorantiam, qua sine debito examine mala, vt bona habentur, mala ipsa concedit, vt cautè postmodùm procedatur.

75. Ad secundam cõfirmationem respondetur: Illas non esse veras orationes; sed petitiones quasdam; vel nomine orationis indignas. Non enim procedere possunt ex pio affectu, sine quo dabilis non est oratio.

76. Ad tertiam confirmationem respondetur primò: Distinguendo antecedens: *Non ponitur* explicitè, concedatur, implicitè, negetur. Licèt enim particula *decenter* non explicetur, implicatur tamen in aliis duabus, scilicet, *decentium à Deo*; quia petitio debet proportionari, & materiæ, & personæ, ad quam fit: vnde decenter fieri debet.

Respondetur secundò omisso antecedente negando consequentiam; quia in definitionibus non ponuntur circumstãtiæ requisitæ ex parte operantis; aliter immensæ forent. Id autem, quod ex parte actus requiritur, ponitur in definitionibus: eòque cũ oratio definitur, ponitur ly *decentium*, quod requiritur ex parte actus; non verò additur *decenter*; quia hoc pertinet ad orantem.

77. Arguitur vltimò contra vltimam particulam: Etsi â Deo media oratione petamus, non debet poni in eius definitione illa particula *à Deo*: ergo malè ponitur. Probatur antecedens: Licèt ad Sanctos oremus non definitur oratio per hoc, quòd fit petitio â Sanctis: ergo similiter.

78. Confirmatur: Vel in tradita definitione comprehẽditur oratio, qua â Sanctis petimus, vel non? Si non: ergo talis definitio nõ adæquat definitum. Si sic: ergo debuit poni illa particula *à Sanctis*; vel auferri illa *à Deo*.

79. Respondetur argumento ex D. Thoma in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 4. vbi loquutus de voto, quod quidem est: *Promissio Deo facta*, ait: *dicendum, quòd votum non fit Sanctis, nisi secundùm quòd per suffragia sunt mediatores inter nos, & Deum, sicut & oratio ad Sanctos fit: & ideò omne votum ad Deum redditur, sicut & oratio*. Vnde, vt vides, ponitur Deus in definitione orationis; quia ipse solus potest concedere, quæ petuntur: Sãcti verò solùm intercedere possunt; eòque non ponuntur in definitione dicta, in qua non debuit poni ille, ad quem porrigitur oratio, vt per ipsum impe-

tranda: ſed ille, ad quem funditur, vt per ipſum implenda. Vtì docet idem Angelicus Doct. 2. 2. quæſt. 83. art. 4. in corp.

80. Diceres: Ad Sanctos oramus, nedum, vt intercedant tamquàm mediatores; verùm etiam, vt impleant tamquàm Domini: ergo data ſolutio non tenet. Probatur antecedens: Ex illo, quod Eccleſia â Sanctis Apoſtolis petit, dicens: *Nos à reatu noxios ſolvi iubete, quæſumus.* Vbi ly *iubete* non ſignat interpellationem ſubditi, ſed Domini imperium.

81. Reſpondetur negando antec. Ad probationem dicas: Iis verbis commemorari poteſtatem, quam viventes Apoſtoli acceperunt ad ligandum, & ſolvendum, vt patet ex verbis antecedentibus: *Qui templa Cæli clauditis, ſeraſque verbo ſolvitis.* Vnde cùm in ligando, & ſolvẽdo ſint Principes Apoſtoli; eò, vt hoc oſtendat Eccleſia, verbis illis illos alloquitur. Verùm quia, licèt reſpectu noſtri ſint Principes, tamen relatè ad Deum ſunt ſervi; propterea interpellatores ſunt, non Domini. Vnde vel ipſa oratio, quæ ipſos vt Principes ſalutat, ſupponit, quòd ipſi priùs ad Deum accedunt, ei noſtras vel proponendo orationes, vel exprimendo indigentias, & poſteà, vt cœleſtis curiæ Principes, miſeris nobis ſuccurrunt.

82. Ex dictis patet reſponſio ad confirmationem. Adde tamen: nos hìc agere de oratione, quæ eſt actus Latriæ, & hæc ſolùm Deum reſpicit: quòd ſi ad Sanctos etiam terminatur, eſt propter Deum, in quem vltimò refunditur, vt dictum eſt. Si verò aliqua oratio terminatur præciſè ad Sanctos, hæc non eſt Latriæ effectus; ſed Duliæ, de quâ nobis ſermo non eſt.

QVÆSTIO TERTIA.

Cuius potentiæ actus ſit oratio?

83. PArat originis cognitio cognitionem rei originatæ: Quapropter, vt plenè naturam orationis cognoſcamus, eius originem quærimus. Et quamquàm in ſuperioribus non ſemel orationem eſſe virtutẽ dixerimus; hoc tamen nõ eſt ita intelligendũ, ac ſi aliquis habitus eſſet: quippe oratio non eſt habitus; ſed actus alicuius potentiæ rationalis. Quæ autem ſit potentia hæc inveſtigamus. Prohac feliciſsima prole decertant; & quidem potentiſsimis armis; intellectus, voluntaſque, quarum potens potentiarum luctamen in varias ſententias compullit abire Doctores.

Prima ſententia tenet orationem eſſe actum voluntatis. Ita S. Bonaventura, Ocham, Medina Cad. de pœnit. tract. de orat. cap. 2. Secunda ſententia partim cum præcedenti convenit, partimque diſcriminatur. Ait enim, quòd dupliciter poſſumus ad Deum loqui: primò mediis cõceptibus vocum: quod certè eſt quoddam loqui interiùs; & oratio, prout ſic, eſt actus intellectus. Secundò poſſumus loqui ſine his vocum conceptibus; ſolùm concipiendo res, & dirigendo iſtum conceptum ad Deum; & ſic eſt oratio actus voluntatis, ſicut & loquutio Angelorum, quæ in huiuſcemodi directione conſiſtit. Hunc dicendi modum ſternit P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 3. & 4. Tertia ſententia abſolutè iudicat, orationem eſſe actum intellectus. Hæc abs dubio eſt D. Thomæ locis citatis, & Sanctiſsimæ Thereſiæ in de itinere cap. 25. quos Thomiſtæ, innumerique alii, ſequuntur. Cum quibus

§. I. *Defenditur ſententia Thomiſtica.*

84. NOſtra concluſio: *Oratio eſt actus intellectus.* Et quia de mente D. Thomæ non licet in hac parte dubitare: Probatur primò concluſio ex Philoſ. 1. Ethic. dicente: *Ad optima deprecatur ratio.* Ex quo hæc brevis ratio formatur: Oratio eſt actus

po-

potentiæ ad optima deprecantis: atqui hæc potentia est ratio, seu intellectus: ergo. Consequentia est omnino formalis. Minor est Philosophi citati. Maior verò negari non debet: Primò, quia deprecari idem omnino est, ac petere, seu orare. Secundò: quia etsi non essent idem; tamen illa potentia, quæ ad optima deprecatur, est, quæ petit: ergo.

85. Probatur secundò conclusio ex Seraphica Theresia, quæ loco citato ait: Cogitare, & intelligere quid loquimur, & cum quo loquimur, est oratio mentalis: atqui considerare, & intelligere est actus intellectus, & non voluntatis: ergo oratio mentalis actus voluntatis non est; sed intellectus.

86. Probatur tertiò ratione fundamentali: Oratio dicit pro formali ordinem inferioris ad superiorem: ergo est actus intellectus. Cõsequentiam nullus Thomista negabit; cùm sit Thomisticum dogma, vbique â D. Thoma assertum, quod sumit vt fundamentum ad docendum locis citatis, orationem esse actum intellectus; ex hoc nempe, quòd dicit ordinationem, & ordinatio est opus rationis. Antecedens verò probatur: Oratio nil aliud est, quàm actus hominis propriam miseriam cognoscentis, & illam coram Deo manifestantis: sed hoc, quod est hominem in Deum dirigere suam indigentiam, eam manifestando, dicit pro formali ordinationem hominis ad Deum: ergo.

87. Confirmatur primò: Nam vt suprà dicebamus, oratio est *alicuius, ad aliquem, de re aliqua*, hoc est, est hominis indigentis ad Deum subvenire potentem circa necessitatem aliquam, qua talis homo gravatur, & â qua exire desiderat: sed ex hoc sequitur, quòd oratio dicat de formali ordinationẽ: ergo. Probatur minor: Oratio nequit consistere in homine indigente, nec in indigentia hominis, nec in desiderio remedii, nec denique in Deo ipso; hæc enim omnia de materiali se habent: quod vel ex eo demonstratur, quòd ante orationem illa omnia dantur: ergo consistit in ordinatione illa, qua homo refert suam indigentiam in Deum, qui est terminus talis referentiæ. Patet ista: quia non remanet aliud, in quo consistere possit.

88. Confirmatur secundò: Oratio est eius potentiæ, & dicit pro formali idem, ac imperium: at imperium est actus intellectus formaliter ordinãtis: ergo & oratio. Minor supponi nunc debet, nè ad extranea peregrinemur. Maior verò est expressa D. Thomæ pluribus in locis; immo loco cit. ex 2. 2. ait: quòd idem actus, qui relatè ad inferiores est imperium, & respectu æqualiũ est petitio; si referatur ad Deũ, est deprecatio, seu oratio.

§. II. *Obiectiones.*

89. Mirum est quot viis adversarii Auctores has rationes conati sint arietare. Alii enim asserunt, imperium esse actum voluntatis. Alii verò autumãt, esse simul, & ex æquo actum voluntatis, & intellectus. Ast cùm, vt dictum est, hoc debeat in præsentiarum supponi, omittimus obiectiones ab hoc principio venientes, quibus opponimus nostros Salmant: tract. 4. disp. 2. dub. 2. vbi quicquid ab hac parte nocere potest, solutum est. Cæterùm nè omnia omittamus, contra dictam fundamentalem rationem

90. Obiicies primò: Vnum ad aliud ordinare est opus voluntatis: ergo si oratio dicit hanc ordinationem erit voluntatis actus. Antecedens probatur ex D. Thom. 1. part. quæst. 107. art. 1. vbi cùm præmisisset intelligibile esse in intelligente tripliciter; nempe habitualiter, in actu, & vt ad aliud relatum, subdit: *de secundo gradu transfetur in tertium per voluntatem: nam per voluntatem conceptus mentis ordinatur ad alterum*: ergo.

91. Respondetur negando antecedens. Ad probationem explicetur D. Thomas hac distinctione: *per voluntatem ordinatur* originativè, est verum: formaliter, falsum est. Itaque inter intellectum & voluntatem datur mutua dependentia in elicientia suorum actuum: ita, quòd actus, qui formali-

maliter est â voluntate, radicaliter, seu originativè est ab intellectu, & ê contra. Exemplum primi habes in electione, de qua suprà egimus tom. 1. libro 2. Hanc enim nemo negat esse actum voluntatis, quem tamen originativè causat intellectus: quia ex quo per consilium media suggerit, quibus finem voluntas obtineat, potest hæc eligere; aliter nunquàm electura. Vnde electio initiatur in intellectu; non tamen est actus eius, sed voluntatis: *Quia perficitur electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur; & ideò electio actus est appetitivæ potentiæ.* Ait D. Thom. 1. 2. quæst. 13. art. 1. quid autem sit id, in quo perficitur electio tradidit ipse Angelicus Præceptor quæst. 22. de verit. art. 15. Videnda tamen est combinatio, quam dicto lib. 2. fecimus actuum voluntatis, & intellectus, vt horum veritas faciliùs percipiatur.

Hoc ipsum, quod de voluntate diximus, invenitur in actibus intellectus. Imperium v. g. quamquàm originetur â voluntate, elicitur ab intellectu: Non enim potest intellectus imperare, nisi quod voluntas vult. Verùm quia hoc requirit cognitionem rei præceptæ, & subditorum, quibus præcipitur; nè cæco, & imprudenti modo præcipiatur: propterea requiritur actus intellectus, qui hoc faciat. Voluntas enim, vtpotè cæca, hæc videre non potest. Quarè autem cùm electio, imperium, & idem intellige de illa ordinatione, de qua obiectio loquitur, ac de aliis actibus, dependeant simul â voluntate, & intellectu; & nihilominùs non vtrique potentiæ formaliter attribuatur: res est nimiùm Scholastica, & quæ modò supponi debet: licèt non semel occasio se se offeret dicendi aliquid circa illam. Videantur interim Salmant. citati.

Maneat ergo, quòd licèt imperium, & ordinatio illa, sint â voluntate, vt â movente intellectum, & ab hoc, vt â potentia mota; atque adeò formaliter, & elicitivè: tamen cum hoc stat, vt non ratò, nec sine proprietate, dicantur actus voluntatis propter dicta. Et sic loquutus est D. Thomas loco allegato, & aliis pluribus. Vnde in hoc sensu dixit, quòd conceptus mentis *per voluntatem ordinatur.*

92. Obiicies secundò: Oratio est ens reale: ergo non consistit in ordine necessariò dependente ab intellectu: ergo ab alia potentia fieri potest. Probatur prima consequentia: Ordo necessariò dependens ab intellectu ens rationis est: ergo oratio non consistit in ordine necessariò ab intellectu dependente. Antecedens probatur: Vel ille ordo habet esse antequàm intelligatur; vel non? Si non: ergo est ens in anima; hæc siquidem est entis in anima definitio. Si sic: ergo non dependet ab intellectu.

93. Respondetur negando consequentiam: Ad probationem distinguatur antecedēs: *ab intellectu* speculativo, transeat: â practico, nego antecedens. Hic ordo non ponitur dependens ab intellectu speculativo, sed â practico; vnde non est cur quis illum fictum suspicetur. Ratio huius est differentia intellectus speculativi â practico. Finis illius, vt suprà dictum est, est veritas: istius verò finis est operatio. Vnde licèt ordinatio, seu relatio ab speculativo facta, sit ficta; quia illam efformat solùm, vt cognoscat; eòque subiectivè nihil est; nec habet aliud esse, præter quàm obiici. Practicus verò suas relationes format, vt operetur, & vt iis mediis formalizet res: vnde tales relationes sunt aliquid realiter operabile, & extra intellectū: vt videre est in Artifice domum constructe, qui priùs ideam ipsius format, deinde illam exequitur, ponens ad extra inter ligna, & lapides illum ipsum ordinem, quem in mente formavit. Nemoq́ dicet illum ordinem fictum esse, etsi ab intellectu dependeat, qui sanè non causat lapides, & ligna; sed ea tali dispositione ordinat, vt ex illis sic dispositis domus resultet. Videatur Sapientissimus Magister Ioannes â Sto. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 1.

94. Obiicies tertiò: Oratio nequit esse actus imperii: ergo data doctrina non est vera. Probatur antec. Oratio

est

est actus supplicantis; imperium verò iubentis: sed supplicare, & iubere toto cœlo distant: ergo.

95. Respondetur distinguēdo antecedens: *Imperii* deprecativi, negetur: aliter sumpti, concedatur. Certum est orationem non esse imperium, nec nos tale quid asseruimus. Dicitur autem oratio imperium deprecativum ob similitudinem, quam habet cum imperio: quia, sicut imperium explicatur per verba modi imperativi, *vt fac nos, quæsumus: præsta quæsumus: Exaudi nos, Deus.* Et ob hanc convenientiam in procedendo dicitur imperium deprecativum. Imperium quidem, quia sub formula imperii datur: Deprecativum, quia non imperat, sed precatur. Præcipua tamen convenientia, quoad præsens, consistit in eo, quòd, sicut imperium est delatio, seu manifestatio voluntatis superioris facta subditis, vt rem imperatam faciant: ita oratio est manifestatio voluntatis inferioris facta Deo, vt rem petitam concedat. Vnde voluntas est, quæ movet; & intellectus est, qui hanc voluntatis motionem intimat dirigendo, & dirigit intimando: quòd si hæc intimatio fiat aliis personis præcipienti subditis, dicitur imperium politicum: si fiat aliis potentiis eiusdem personæ imperantis, dicitur imperium monasticum: si autem fiat Deo, dicitur imperium deprecativum.

96. Si dicas: Voluntatem imperare intellectui, & aliis potentiis inferioribus, imò, & sibi: ergo hoc non convenit intellectui.

Respondetur: Voluntatem movere intellectum quoad exercitium actus: quia facit illum tendere in obiectum, in quo intellectus ipse ordinem introducit: similiterque alias potentias movet medio vsu; imò & se ipsam movet. Verū ad hæc omnia movet, postquàm supponit ordinationem, quæ â solo intellectu causari potest. Et quia voluntas modo dicto movet, dicitur imperare; non quia imperium, aut ordo sint ab illa.

97. Replicabis: Ergo actus obedientiæ (idem est de pluribus aliis) est actus intellectus. Probas consequentiam: Actus respiciens formaliter ordinationem est per nos actus intellectus: sic est obedientiæ actus; ordinat siquidem hominem ad Deum, illum subiiciendo: ergo.

Respondetur negando consequentiam. Non enim quævis subiectio ad alium est ordinatio intellectus; sed illa, quæ fit intimando, & disponendo aliquid faciendum ab eo, cui talis intimatio fit. Et hoc fit media oratione, vel vt propriùs loquar, est oratio, actusque intellectus. Subiici verò Deo vt Superiori, præsuponit Deum præcipientem; atque adeò differt ab oratione.

98. Instas: Quod correspondet *præcipere* se tenēti ex parte superioris, est ex parte inferioris, *obedire*: ergo si *præcipere* est imperium, sive politicum, sive monasticum; *obedire* erit imperium deprecativum.

Respondetur negando consequentiam. Reciproca enim correspondentia inter præcipientem, & obtemperantem stat in eo, quòd sicut superior ostendit medio actu intellectus voluntatem, quam habet, vt hoc, aut illud fiat: ita inferior voluntate paret: nec enim præcepta respiciunt intellectum; sed voluntatem; quia respiciunt libertatem. In quo mira consonantia reperitur: nam sicut qui orat, non intendit movere intellectum Dei; sed eius voluntatem, vt illi faveat, (absurdum quippe foret intelligere, orantem dirigere suam petitionem, vt Deus illam cognoscat) atque adeò tendit ad movendam voluntatem Divinam: pariformiter Deus præcipiens non intendit cognitionem sui præcepti; sed executionem, quæ fit per voluntatem.

§. III. *Vltima ratio pro conclusione.*

99. STatutam conclusionem satis, superque communitam iudicamus: Verùm aliam rationē adiiciemus, quæ proximiùs ad mysticam orationem accedit. Probatur ergo vltimò, & efficaciter ex ipsa nominis etymologia: Oratio mentalis dicitur

citur â mente; seu intellectu: ergo est actus eius. Antecedens patet, non enim poterunt adversarii aliam rationem huius denominationis assignare. Et consequentia probatur primò: Quia non est assignabile aliud fundamẽtum, vt dicatur mentalis, nisi quia est actus mentis. Secundò probatur â paritate: Ideò oratio vocalis sic dicitur, quia est actus oris: ergo mentalis sic dicitur, quia est actus mentis.

100. Confirmatur: Quia, vt ex Casiodoro ait D. Thom. oratio dicitur, *quasi oris ratio*, hoc est, est actus rationis explicatus per os: ergo cùm intellectus sit ratio, sequitur, quòd oratio est actus intellectus, ore explicatus.

101. Dices primò: Argumentum ab etymologia est omnino ineffícax, vt asserunt Nostri Complut. in Log. disp. 12. quæst. 1. num. 6. ergo rationes factæ non tenent. Antecedens constat ex iis, quæ dicti Patres ibi docent: Nempe, quòd quamvis substantia dicatur â substando; eius tamen essentia non consistit in hoc: priùs enim substantia est, quàm aliis substet: ergo sic, licèt oratio mẽtalis dicatur â mente, non sequitur, quòd sit actus eius.

102. Dices secundò: Mens, â qua oratio dicitur mentalis, non est intellectus; sed anima: ergo ex ratione facta solùm habetur, orationem esse actum animæ, operantis media aliqua virtute rationali: ergo cùm anima, prout rationalis, non solùm operetur medio intellectu, sed etiam media voluntate, non est cur oratio dicatur actus, non voluntatis, sed intellectus.

103. Dices tertiò contra confirmationem: Quia inibi loquitur Divus Thomas de oratione vocali, non de mentali: ergo ex adducta auctoritate non habetur, quòd oratio mentalis sit actus intellectus.

104. Respondetur ad primam distinguendo antecedens: *Ab etymologia* signante proprietatem; seu effectum, concedatur: essentiam signante, negetur, etymologia est duplex: alia, quæ derivatur ab ipsa natura rei nominatæ; & alia, quæ sumitur ab ipsius proprietate, seu effectu. Ex prima colligitur essentia: ex secunda verò non infertur. Manifestum exemplum nobis offert substantia ipsa in oppositum adducta. Substantia enim, vt ait D. Isidorus lib. 2. orig. cap. 27. dicitur, & â subsistendo in se, & â substando aliis. Aliter tamen, & aliter; nam substare signat substantiæ proprietatem; subsistere verò essentiam: vnde bene arguitur: *Substantia dicitur à subsistendo in se: ergo subsistere in se est essentia substantiæ.* Non tamen: *Substãtia dicitur à substando: ergo hæc est eius essentia.* Ob rationem dictam hæc non valet. Vnde, cùm oratio dicatur mentalis ab essentia ipsius orationis, vt ex dictis patet, propterèà argumentum factum verè est efficax.

105. Ad secundam respondetur: Orationem dici quidem mentalem â mente, & mentis nomine hìc sumitur intellectus. Primò, quia ad sic sentiendum edocemur â D. Thoma, qui loco citato ex sentent. art. 1. quæstiunc. 2. ad secudum referens definitionem, de qua egimus quæst. 1. ait: Orationem esse *ascensum intellectus in Deum.* Et dicta q. 83. art. 1. in corp. concludit. *Damascenus dicit, quòd oratio est ascensus mentis in Deum.* Ecce D. Thom. apud quem indubitatum est, orationem esse actum intellectus, indifferenter & nomine intellectus, & mentis nomine vtentem in definitione orationis: quod non faceret, si nomine mentis aliquid diversum ab intellectu conciperet.

Itidem idem Angelicus Præceptor hoc clarissimè docuit 1. p. q. 79. art. 9. ad 4. his verbis: *Diiudicare verò; vel mensurare est actus intellectus applicantis principia certa ad examinationem propositorum: & ex hoc sumitur nomen mentis.*

Denique Doctores Mystici hoc ipsum sentiunt intellectum mentem nominantes; & voluntatem, quia ad mentem subsequitur, apicem mentis dicentes. Videatur Noster Fr. Ioseph â Spiritu Sancto in sua catena myst. fol. 3.

Ex

Ex quibus omnibus robur ingens accipit noſtra ratio: ſiquidem ex illis habetur primò: Nomen mentis poſitum in definitione orationis ſumi pro intellectu, vt patet ex D. Thom. citato. Secundò habetur, nomen mentis deſumi ex actu *intellectus applicantis principia certa ad aliorum examinationem*: vnde ſoli intellectui convenit propriè ratio *mentis*. Tertiò habetur apud Myſtas ſolum intellectum *mentis* nomine nominari: ergo ſi oratio mentalis eſt actus mentis, vt omnes fatentur, ſequitur, quòd ſit actus intellectus.

106. Ad tertiũ reſpondetur: Orationem in communi eſſe *oris rationem*, vt patet ex allegata auctoritate. Os autem, ſicut & oratio, dividitur in mentale; ſeu ſpirituale; & in vocale; ſeu corporeum. Os ſpirituale loquitur mentalem orationem: os corporeum loquitur orationem vocalem. Dari os corporeum proferens orationẽ vocalem, nullum latet. Dari etiam os ſpirituale, quod mentalem orationem loquatur, certum eſt. Quod autem ſit hoc ſpirituale? David docet, dum dicit: *Os iuſti meditabitur ſapientiam*. Ecce aſſerit os ſpirituale illud eſſe, quod meditatur. Vnde, cùm meditatio ſit certiſsimè actus intellectus, vt vel ipſi adverſarii nobiſcum tenent; ſequitur, quòd intellectus eſt os ſpirituale, per quod orantes mentaliter loquimur cum Deo. Vnde dicta auctoritas Caſiodori, & oſtendit orationem eſſe rationis actum, & eam pro diverſitate oris dividi in mẽtalem, vocalemque.

107. Conſultò opinionis ſupra dictæ Suarez non meminimus, vt impugnaremus: Quia hoc ex dictis aſſatim eſſe factum iudicamus. Ipſe enim movetur ad aſſerendum, orationem eſſe aliquoties actum voluntatis; quia huius potentiæ eſt proprios conceptus ad perſonam, cum qua loquitur, ordinare. Vnde, cùm ex dictis conſtet, hanc ordinationem voluntatis non eſſe: tempus tererem, ſi in huius opinionis oppugnatione immorarer. Eò, vel maximè, quia ſolutio argumentorum, quæ pro ſtabilienda illa ſua cogitatione efformat Suarius, erit clariſsima ipſius impugnatio.

§. IV. *Argumenta.*

108. ARguitur primò: Clamor indigentis, quem Deus exaudit, eſt oratio: hic clamor eſt actus voluntatis: ergo & oratio. Probatur minor: Clamor ille eſt deſiderium: at deſiderium eſt actus voluntatis: ergo. Probatur maior ex illo pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*.

109. Confirmatur ex Magno Auguſtino ennarrat. in Pſam. 37. vbi ait: *Ipſum deſiderium tuum oratio tua eſt*: ergo oratio deſiderium clamantis eſt.

Reſpondetur ad argumentum, & confirmationem: Dictas auctoritates, & plures alias, quibus chartas opplent adverſarii, continere ſenſum, vel cauſalem, vel materialem; non formalem. Vnde, cùm dicunt: deſiderium eſſe orationem, & exaudiri â Deo; ſolùm aſſerunt orationem originari â deſiderio: ea enim petimus, quæ habere deſideramus: atque ideò noſtrum deſiderium cauſat noſtram orationẽ: & quia idem cauſare ſe ipſum non poteſt, infertur, orationem aliud quid â deſiderio eſſe.

110. Arguitur ſecundò: Intellectus alias operationes non habet præter ſimplicem apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum: ſed ad nullam iſtarum poteſt oratio pertinere: ergo non eſt actus intellectus.

111. Reſpondetur ex D. Thom. dicta q. 83. art. 1. ad. 3. Diviſionem illam eſſe operationum intellectus ſpeculativi. Intellectus verò practicus plures alias operationes habet, vt vidimus lib. 1. oratio autem nõ ad intellectum ſpeculativum; ſed ad practicum pertinet, vt diximus num. 93.

112. Dices: Si aliqua intellectus operatio eſſet oratio, maximè illa, quæ loquutio eſt; quia oratio, vt num. 24. ex Auguſtino vidimus, eſt loquutio: atqui hæc non eſt oratio: ergo. Probatur minor: Loquutio, quæ eſt actus intellectus, eſt ad ſe ipſum: ſed oratio eſt

loquutio ad alium: ergo. Maiorem probat Pater Suarez ex D. Thom. 1. p. quæſt. 107. art. 1. vbi ait, quòd quando mens conſiderat actu; quod habet in habitu, loquitur ſibi: ergo.

Reſpondetur negando minorem, ad probationem diſtinguatur maior: *Loquutio* purè exiens ab intellectu, concedatur: ſupponens motionem voluntatis, negetur, ſicque gloſſandus eſt D. Thom. citatus. Itaque cognitio, quæ purè exit ab intellectu, hoc eſt, ad quã non præcedit actus voluntatis intellectum movens, vt in alium tendat, vtique eſt cognitio, qua ſibi loquitur intellectus, quieſcens in contemplatione rei cognitæ. Verùm illa cognitio, qua, ex motione præcedenti voluntatis, dirigitur, dirigitque alia intellectus in alium, eſt locutio cum illo alio, ad quem dirigitur: nihil enim aliud per hanc locutionem intelligitur, quàm talis directio: quiaque non poteſt hæc directio ab alio fieri, quàm ab intellectu, dicimus eſſe intellectus actum.

113. Arguitur tertiò, & ſimul replicat Suarez contra dicta: Inter ſpirituales naturas loquutio nihil aliud eſt, quàm volitio, per quam loquens vult actum ſuum ab alio intelligi, viderique: ergo loqui interiùs ad Deum eſt velle, vt Deus noſtrum deſiderium videat; quæ locutio erit petitio; ſi per talem actum ſimul quis velit, vt Deus tale deſiderium expleat.

114. Confirmatur, & declaratur 1. Oratio purè mentalis eſt ſimilis locutioni Angelorum: ſed hæc eſt actus voluntatis ex prima parte quæſt. 107. art. 3. vbi dicitur, Angelos *Solùm loqui ordinando per voluntatem conceptionem ſuam ad Deum, non vt illi aliquid communicent; ſed vt ab eo aliquid accipiant*: ergo.

115. Confirmatur ſecundò: Non eſt aſsignabilis actus intellectus, â quo in oratione purè mentali proveniat hæc ordinatio, ſitque locutio: ergo non eſt actus intellectus. Antecedens probatur 1. Suppoſito deſiderio obtinendi rem, actus intellectus, qui dari poteſt, eſt cognitio huius deſiderii: ſed cognitio hæc, cùm terminetur ad ipſum deſiderium, non eſt locutio cum Deo: ergo. *Probatur* ſecundò idem antecedens: In locutione ſolùm datur conceptus, ſive ratio exprimens, & expreſſa: ſed vtraque hæc ratio pertinet ad voluntatem: ergo. Minor quoad ſecundam partem nota eſt: ratio enim expreſſa eſt actus voluntatis; nempe deſiderium, quod habet orans. Quoad primam verò partem probatur: Ratio exprimens eſt actus, quo vult ſuum deſiderium in conſpectu Dei repræſentare: at hic eſt actus voluntatis: ergo. Probatur minor: Per hoc enim, quòd voluntas velit ſuum deſiderium repræſentare coram Deo, ordinat ſuum conceptum, ſuumq́ deſiderium ad Deum; atq̃ adeò exprimit ſuã voluntatẽ: ergo.

116. Hæc legere placuit ê plurimis, quibus Suarez introducere ſatagit illam ſuam purè mentalem orationem, quam molitur. Sed certè leviora ſunt, quàm ab Eximio Theologo viam novam ſternere exambienti ſperare poſſem. Igitur ad argumentum negetur antecedens. Illa enim volitio non eſt loquutio: Aliud enim eſt velle audiri, & aliud loqui, vt audiatur: quippe velle aliquid facere, non eſt facere id, quod vult fieri. Quod adeò verum eſt, vt id, quod Suarez reputat eumdem actum, dicamus non ſolùm eſſe actus diverſos, verùm etiam aſſerimus â diverſis habitibus provenire: immo & â diverſis potentiis originari. Quod docet D. Thomas dicta quæſt. 83. art. 3. ad 2. vbi ait: *Deſiderare quidem cadit ſub præcepto Charitatis: petere autem ſub præcepto Religionis*. Vbi, vt vides, deſiderium loquendi provenire â Charitate dicit; atque adeò â voluntate: eſt enim Charitas, â qua oritur deſiderium petendi ea, quibus indigemus. Petere verò ea, quæ deſideramus, ad Religionem reducit, & ad intellectum, vt ſtatuerat art. 1. eiuſdem quæſtionis.

Quod, licèt fateatur Suarez ita eſſe in oratione, quæ purè mentalis non eſt: negat tamen de illa, quã purè mentalem appellat. Nos autem phantaſticam illam diviſionem reputantes, de

omni oratione dicimus, esse actum intellectus. Ratioque in oratione purè mentali est eadem, ac in illa, quæ purè mentalis non est: quippe, licèt natura spiritualis velit actum suum ab alio audiri, viderique; si aliud non faciat, non adhuc loquitur: sicut enim potest audiens, quamquàm velit, non audire; sic potest & indigens, quamvis desideret petere, non postulare.

117. Si dicas: Hoc verum esse de voluntate inefficaci; seu conditionato desiderio petendi; non autem de absoluto, quia si hoc datur, non potest non dari petitio: ergo hæc est actus voluntatis efficacis.

118. Respondetur ex doctrina ipsius Suarez, num. 10. negando antecedens. Ad probationem insertam dicas primò: Quòd ad voluntatem efficacem, seu absolutam, habendi aliquid non sequitur infallibiliter petitio: si namque desiderans cognoscat, se alia via diversa â petitione posse consequi, quod desiderat: v. g. amici interpositione, superioris imperio, aut Dei inspiratione; tunc non petit: quia, cùm petitio ad obtinendum dirigatur; si alia via haberi potest idipsum, quod desideratur, nõ infallibiliter petitio sequitur. Et ratio â priori ea est: quia, cùm aliquis finis per diversa media obtineri valet; quamquàm voluntas in illum tendere decernat, non cogitur hoc, aut alio medio determinatè uti; sed potest quodcunque indifferenter eligere, prout voluerit. Vnde si voluntas potest diversis mediis obtinere, quo eget ex desiderio habendi, non rectè infertur necessitas postulandi.

Adde: Quòd licèt ad desiderium absolutum petendi sequatur certò petitio: non tamen sequitur, quòd petitio sit illa voluntas efficax petendi: si namque idem forent, non inferret voluntas petitionem: Vnde, cùm petitio sit effectus voluntatis desiderantis, planè sequitur realiter inter se differre.

119. Ex dictis, quæ sunt ad mentem Suarii præcitati, habetur, quid dicendum sit pro completa huius sui argumenti solutione. Potest enim dari in oratione purè mentali voluntas absoluta habendi aliquid, desideriumque, vt Deus illam voluntatem expleat: cum quo stat, quòd non adhuc intelligatur petitio: primò, quia potest illa voluntas aliis mediis expleri. Secundò, quia licèt sola petitione explenda sit, adhuc non datur petitio: hæc enim est illius voluntatis effectus, vt dictum est: eòque ex hoc non habetur, quòd sit actus voluntatis; sed quòd ad illam opere intellectus consequatur.

Et sanè haud ægrè cognoscitur, non esse discrimen, quoad hoc, inter orationem, quam Suarez dicit purè mentalem, & aliam: Quia si Angelus inferior velit petere ab aliquo ex pluribus sibi superioribus aliquid: per hoc præcisè, non adhuc datur petitio, quia adhuc non datur determinatio vnius Angeli superioris, ad quem, relictis aliis, petitio fiat. Et insuper facta iam determinatione: dum vni loquitur, alii non audiunt; licèt detur actualis petitio. Quarè hoc? Quia deficit directio illius voluntatis: qua posita, & datur locutio, relatè ad illum, ad quem directio fit, & consequenter ille audit. Ex quo sequitur, & quòd petitio sit distincta ab illa efficaci voluntate, & quòd non sit actus potentiæ desiderantis; sed dirigentis.

120. Ad primam confirmationem dato transeat ad maiorem, negetur minor. Ad auctoritatem D. Thomæ respondetur ex suprà dictis: Ordinationem, seu directionem vnius ad alium esse actum voluntatis solùm præsuppositivè. Et miramur Suarium quærere in D. Thoma subsidium in re evidenter oppositа Sanctissimo Præceptori, quem, si legisset articulo immediatè sequenti ad illum, quem pro se adducit, non tanta animositate duceretur. Sic enim ait Angelicus Doctor loco citato art. 4. *Locutio Angeli in intellectuali operatione consistit.* Similia habet q. 9. de verit. art. 4. ad 9. Vnde Suarez potest quidem sua sensa defendere; sed communem Magistrum non offendat.

121. Ad secundam confirmationem negetur antecedens. Ad primam

probationem negetur maior: Supposito enim in voluntate desiderio obtinẽdi, sequitur ex motione ipsius voluntatis in intellectu cognitio directa, qua cognoscimus exprimendo, ordinandoque nostram cognitionem ad alium, cui manifestare intẽdimus indigentiam nostram. Quod vt altè penetres, memento: nos dupliciter posse cognoscere: scilicet, & nobis, & aliis. Cognitio, qua nobis cognoscimus, prærequirit actum voluntatis, quo volumus pro nobis cognoscere, ad quam voluntatem sequitur cognitio pro nobis, qua media, non aliis, sed nobis ipsis loquimur. Cognitio verò, qua aliis cognoscimus, supponit actum voluntatis, quo volumus in ordine ad alios cognoscere, & hic actus movet ad cognitionem, qua illis aliis loquimur. Vnde clarè percipitur, quòd ad desiderium obtinendi rem non sequitur cognitio ipsius desiderii; sed cognitio dirigens desiderium ipsum in eum, â quo consequi sperat, quod non habet.

122. Si dicas: Deum non indigere hac directione, vt indigentiam cognoscat. ¶ Respondetur: Orationem nostram non fieri ad Deum; quia hic ea indigeat, vt intelligat. Requiritur tamen directio illa, vt indigens loquatur, exprimens ordinationem, & dispositionem eius, quod per superiorem fieri vult, eique subiiciatur.

123. Ad secundam probationem illius antecedentis secundæ cõfirmationis negetur maior. Aliud est enim velle repræsentare suum desiderium; aliud verò de facto repræsentare, seu exprimere, vt multoties dictum est.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm Oratio eliciatur â virtute Religionis?

NOn bene positionem aliquam firmavit, qui salebras in eam emergentes non elisit; aliter id ipsum, quod fecit, infectum abs dubio lamẽtabitur. Simile mihi eveniret, si hanc quæstionem non excitarem. Quæstionis anteactæ assertum, vt potui, communivi, & ab aliquibus argumentis vindicavi; sed restat aliud adeò vrgens, vt solo eo, solo æquanda, constructa fabrica ruat, ni paretur modus, quo robustum hoc telum proteletur. Ad hoc ergo quæstio præsens excitatur, in qua ferocientes impectus conabimur cicurare.

§. I. *Prælibantur aliqua, & referuntur sententiæ.*

124. QVadrupliciter potest virtus aliqua influere formaliter in aliquem actum. Primò ita vt inter virtutem influentem, & actum medient potentia alia diversa ab ea, in qua illa virtus residet, & etiam alia virtus. Secundò ita vt sola virtus mediet; sed non potentia. Tertiò ita vt potentia mediet, & non virtus. Quartò denique ita vt nec virtus, nec potentia mediet. Exemplis rem illustro.

In actum fidei, directum in Deum finem supernaturalẽ, influit formaliter charitas, cuius est Deum, vt finem supernaturalem respicere. Taliter tamen influit, quòd inter ipsam charitatem, & fidei actum mediant & habitus fidei, & intellectus, â quibus ille actus elicitur. Etiam ipsa charitas influit in actum humilitatis eodem modo Deum respicientis: at inter talem actum, & charitatem, licèt mediet habitus humilitatis; nulla tamen potentia mediat: quia charitas, & humilitas pertinent ad voluntatem.

Similiter fides, & pœnitentia influunt formaliter, illa in externam fidei confessionem; & hæc in confessionem peccatorum: Inter quas virtutes, & dictas confessiones mediant facultates, seu potentiæ externæ, quibus eæ confessiones fiunt: nulla tamen mediat virtus. Quod docet D. Thom. tum 2. 2. q. 3. art. 1. ad 3. tum in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 2. quæstiũc. 3. vbi, licèt cognoscat

cat diversitatem potentiæ, fiunt enim illæ confessiones ab ore, & lingua; non tamen admittit diversitatem virtutum; sed â fide, & pœnitentia asserit provenire.

Tandem charitatis habitus influit in suum actum charitatis; quin virtus, aut potentia mediet, vt de se notum est.

125. Quibus scitis, eaq; ad rẽ nostram applicãtes, dicimus, quòd quando inter potentiam influentem, & actũ mediant alia potentia, aliaque virtus; vel sola virtus mediat, etsi non mediet potentia, tunc ille actus non est proprius illius virtutis mediatè influentis; atque adeò nõ elicitur ab illa; sed imperatur: vt patet in dictis actibus fidei, & humilitatis, qui ob hanc rationem â charitate solùm imperantur; non autem eliciuntur. Eadem certitudine supponendum est, quòd quando nec potentia, nec virtus mediat; tunc actus est ita proprius virtutis influentis, vt ab ea eliciatur.

Vnde tota difficultas devolvitur ad virtutem influentem sine mediatione alterius virtutis, quamquàm potentia mediet, quæ difficultas excitatur propter virtutem Religionis, â qua oratio elici dicitur: quia, cùm Religio sit in voluntate, & oratio, vt patet ex totâ quæstione præcedenti, sit actus intellectus, vix percipitur, quòd oratio â Religione eliciatur. Hæc difficultas admodùm gravis est, & *quæ non videtur hucusque vsque ad fundamentum exinanita*. Verba sunt Sapientissimi Magistri Ioannis â Sancto Thoma 2. 2. quæst. 81. art. 4. ciusque gravitas in varias sententias Auctores Mysticos, & Scholasticos divisit.

Prima negat, orationem elici â virtute Religionis. Auctores huius opinionis non parùm inter se discriminãtur; conveniunt tamen in hoc, quòd Religio non elicit orationẽ. Sic Alensis 4. p. quæst. 88. Gab. sup. Can. lect. 49. Medina C. de orat. dub. 2. & alii. Secunda oppositum tenet, quæ abs dubio est D. Thom. locis sæpe citatis: sic etiam sentit Seraphica Theresia in de via perfectionis cap. 30. explicans illud orationis Dominicæ, nempe: *Sanctificetur nomen tuum*. Et lib. vitæ cap. 11. Sequuntur hanc opinionem communiter Thomistæ.

§. II. *Statuitur nostra Conclusio.*

126. NOstra Conclusio: *Oratio elicitur à Religione*. Probatur primò ex illo psalm. 140. vbi ait David: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Ex quibus verbis hæc ratio conficitur: Directio orationis in Deum est sicut directio incensi, quod in odorem suavitatis Domino offertur: sed incensi oblatio propriè est â virtute Religionis: ergo oratio â Religione producitur propriè, hoc est elicitivè. Maior constat ex verbis adductis psalmi. Minor verò continet doctrinam glossæ â Divo Thoma approbatam 2. 2. quæst. 83. art. 3. in argumento, *Sed contra*, quam adducit ad probandum, orationem â Religione elici.

127. Deinde probatur conclusio ratione fundamentali D. Thomæ eodem art. 3. in corp. ad hanc formam redacta: Oratio exhibet Deo formaliter cultum, & reverentiam: ergo elicitur â Religione. Antecedens patet ex suprà dictis, vbi pluries diximus, orationem præstare formaliter Deo cultum; quia illum omnipotentem, & pium confitetur, & illi se subiicit, nobilissimum donum, nempe mentem propriam, sacrificando. Præterquàm quòd ipsum antecedens est expræssum D. Thom. dicentis loco citato: *Ad Religionem propriè pertinet reverentiam, & honorem Deo exhibere*.

Iam verò probatur consequentia: Actus exhibẽs formaliter cultum Deo elicitur â Religione: ergo si oratio hoc facit, â Religione elicitur. Antecedẽs probatur primò ex D. Thoma dicente: *Omnia illa, per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad Religionem*. Secundò probatur idem antecedens: Actus, qui specificat Religionem, & specificatur ab obiecto Religionis, elicitur â Religione: actus exhibens formaliter cultum Deo specificat Religionem, & ab ip-

ipſius obiecto ſpecificatur: ergo. Conſequentia eſt omnino formalis. Maior inde patet: Quia implicat attingi obiectum formale alicuius potentiæ, vel habitus, niſi ab actibus propriis habitus, vel potentiæ, cuius proprium eſt illud obiectum. Et quia habitus, ſicut & potentia, non ſpecificatur ab obiecto immediatè, ſed mediante actu; propterea idem actus, qui ſpecificatur ab obiecto habitus, ipſum habitum ſpecificat: vnde verum eſt, quòd actus, qui ſpecificatur ab obiecto Religionis, illã ſpecificat; ac per conſequens elicitur ab illa.

Iam verò minor negari non debet: Quia actus, per quem Religio attingit ſuum obiectum formale, & ſpecificatur ab ipſo obiecto, & ſpecificat Religionem, vt patet ex modò dictis: atqui actus exhibẽs formaliter cultum Deo eſt, per quem Religio attingit ſuum obiectum formale; ſiquidem cultus ille eſt obiectum formale Religionis: Vnde hæc definitur: *Virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit tamquàm primo omnium principio*: ergo tenet minor.

128. Confirmatur primò: Religio influit formaliter in actum orationis: ergo illum elicit. Antecedens admittitur â Proceribus ſententiæ nobis adverſæ. Et conſequentia probatur: Virtus influens formaliter in aliquem actum, vel illum imperat, vel elicit; nec datur alius modus formaliter influendi: atqui Religio non imperat actus orationis: ergo elicit. Cætera conſtant, & minor probatur: Prænotando diſcrimen, præ oculis habendum, quod eſt inter virtutem elicientem, & imperantem. Etenim virtus eliciens aliquem actum illum ordinat in finem intrinſecum, ſeu obiectum ſpecificativum ipſius. Virtus autem imperans ordinat actum imperatum in finem extrinſecum ipſi actui. Vt patet in charitate, cuius actus elicitus, nempe amor, dirigitur in finem ſibi intrinſecum â charitate. Imò charitas ipſa, medio ſuo elicito actu, attingit obiectum ſpecificativum vtriuſque. Actum verò imperatum non dirigit in finem intrinſecũ actus; ſed in proprium charitatis finem, qui actui extrinſecus eſt. Radix huius doctrinæ ea eſt: quòd virtus eliciens actum dat illi primum ſuum, & eſſentiale eſſe: vnde, cùm eſſe ſpecificativum actus veniat ab obiecto, ſeu termino intrinſeco ipſius; propterea idem eſt illum elicere, ac in talem terminum ordinare. Virtus autem imperans ſupponit actum; atque adeò & ipſius ſpecificum eſſe: quare influxus, quem in illum præſtat, non eſt, vt in finem intrinſecum dirigat; ſed vt in extrinſecum ordinet. Perpetuus eſt Angelicus Doctor in hoc diſcrimen ſtatuendo. Videatur in 3. diſt. 27. quæſt. 2. art. 3. quæſtiunc. 3. & in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 1. quæſtiunc. 3. vbi ait: *Actus ab illa virtute elicitur, qui ſecum convenit in propria ratione obiecti.* Ex his ergo

Probatur illa minor primò: Quia Religio dat primum, & ſpecificum eſſe actui orationis, vt virtuoſo, qualiter de illo loquimur: ergo illum elicit. Conſequentia conſtat ex immediatè dictis. Et antecedens probatur: Eſſe ſpecificum orationis eſt exhibere Deo cultum mentem ſacrificando: atqui hoc habet oratio â Religione, cuius eſt Deo cultum exhibere: ergo. ¶ Probatur ſecundò illa minor: Cùm actus convenit in propria ratione obiecti cum virtute in illum influente, tunc virtus non imperat; ſed elicit actum, vt modò ex D. Thoma vidimus: at oratio convenit cum Religione in propria ratione obiecti; ſiquidem vtraque reſpicit eumdem cultum: ergo.

§. III. *Argumenta.*

129. ARguitur primò: Actus intellectus nequit elici ab habitu reſidente in voluntate: ergo oratio, quæ actus eſt intellectus, nequit elici â Religione, quæ in volũtate reſidet. Probatur antecedens: Habitus elicit actum, ad quem concurrit, elevando potentiam: at habitus illam ſolùm potentiam elevat, in qua eſt: ergo.

130. Confirmatur primò: Intellectus eſt potentia conſummativa orationis: ergo in eo debet reſidere virtus,

quæ

quæ ad eius elicientiam concurrit. Ergo hæc virtus non eſt Religio. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quæ patet ex eo, quod communiter dicitur, nempe, quòd virtus ponitur in potentia conſummativa operis. Antecedens verò probatur: Quia nihil aliud intelligitur per potentiam conſummativam operis, niſi potentia elicitiva illius operis, cuius eſt elicitiva: ergo.

131. Confirmatur ſecundò: Mediatio obeſt elicientiæ: at inter Religionem, & orationem mediat intellectus: ergo nequit Religio orationem elicere. Probatur maior: Si namque mediatio non obeſſet, poſſet virtus elicere actum, etſi alia virtus mediaret: at hoc eſt falſum, vt patet ex numero 125. ergo.

132. Reſpondetur argumento negando antecedens. Ad probationem negetur minor, vel claritatis gratia diſtinguatur: *In qua eſt*, ſive formaliter, ſive per virtutem ab illo derivatam, concedatur: formaliter præciſè, negetur. Duplici modo eſt habitus in aliqua potentia, & vtroque eſt potentiæ elevativus. Primo modo eſt formaliter in ſe: & hoc modo Religio eſt in voluntate, eamque elevat, vt ſuos actus eliciat. Secundo modo eſt per virtutem â ſe deciſam; qualiter in inſtrumentis eſt principale agens: & hoc modo eſt Religio in intellectu; ſiquidē illi imprimit motionem quamdam, media qua intellectus actum orationis producit.

Quæ, quia ſunt præſentis controverſiæ cardo, ampliùs explicare oportet. Etenim oratio & dicit ētitatem phyſicam, & etiam rectitudinem virtuoſam. Entitatem habet ab intellectu, qui illam producit, ſine eo, quòd volūtate adiuvante indigeat. Eſt enim entitas hæc locutio quædam, per quam intellectus propriam indigentiam fatetur. Quæ quidem locutio indifferens omnino eſt, nec ex huius vi habet, per quod conſtituatur in eſſe virtutis. Aſt ſi hæc entitas phyſica, ſeu locutio, formalizetur per virtuoſam rectitudinem, qua illa locutio elevatur, vt ea expreſsio indigentiæ fiat coram Deo, eo animo, vt media ipſa expreſsione, Deo cultus conferatur; iam illa expreſsio hac rectitudine pulchra, in ſacro virtutum canone conſtituitur. Et hoc eſt, quod â Religione habet oratio: Quiaque hæc rectitudo eſt de linea voluntatis, vt nemo negat; propterea ab habitu reſidente in voluntate producitur. Vnde Religio per ſe ipſam elevat voluntatem; & media motione, quam intellectui imprimit, elevat intellectum, vt vtraque potentia orationem producat, intellectus producens entitatem, & voluntas rectitudinem. Quod & nil aliud retrudit punctum hoc, quod tantùm diſplicet Doctoribus ſententiæ advetſæ. Verùm contra dicta

133. Obiicies primò: Implicat Religionem imprimere intellectui motionem, per quam confortetur ad eliciendam orationem, vt virtuoſam: ergo data doctrina non tenet. Probatur antecedens. Actio â Religione procedens eſt immanens: ergo nil poteſt imprimere intellectui. Patet iſta: Quia actio immanens nil poteſt facere extrà propriam potentiam, ad differentiam actionis tranſeuntis.

134. Obiicies ſecundò: Si dicta vera ſunt, oratio potiùs eſt actus voluntatis, quàm intellectus: ergo non debet abſolutè dici actus intellectus. Probatur antecedens primò: Quia in eſſe virtutis provenit oratio â voluntate, licèt eius phyſica entitas ſit ab intellectu: ergo potiùs debet dici actus voluntatis; cùm ab ea habeat, quod principale eſt. ¶ Secundò probatur idem antecedens: Quia, vt patet ex num. 128. eius eſt actus, â quo habet ſuum ſpecificum eſſe: ſed eſſe ſpecificum orationis eſt â voluntate: ergo. Probatur minor: Eſſe ſpecificum orationis eſt eſſe virtutis ipſius: ſed hoc habet â voluntate, à qua formalizatur entitas, quam habet ab intellectu: ergo.

135. Reſpondetur ad primam obiectionem, ea vtentes omnem Philoſophiam evertere. Nil enim certius in ea, quàm reciproca motio, quæ inter intellectum, & voluntatem verſatur;

cùm

cùm certo certius sit, actus intellectus, & voluntatis immanentes esse. Vnde id ipsum de Religione dicentes respondemus: eius actus esse quidem formaliter immanentes, sed virtualiter transeuntes: quarè virtutem suam imprimunt intellectui, vt ea media operetur.

136. Secunda obiectio cum suis probationibus procedit ex siniſtra intelligentia eorum, quæ in præsenti materia omnino inspicienda sunt. Itaque actus procedens ab aliqua potentia, non absolutè sumpta, sed prout ab alia dependet; dependet â duplici illa potentia; ab vna, vt â mouente; ab alia verò, vt mota: ita taliter, quòd in potentia mota cõpletur talis actus. Vnde, cùm â duplici illa potentia dependeat, ab vtraq̃ accipit esse, quod vtriusque causalitati correspondet: quarè, cùm illæ potentiæ concurrant, vna vt movens, & alia vt mota, actus habet â potentia movente id, quod formale est: â potentia autem mota habet id, quod est materiale. Ratioque huius ea est: quòd vnumquodque agit, & movet secundùm quod est in actu; agitur tamen, seu movetur secundùm quòd est in potentia: vnde movens, vtpotè in actu, tribuit id, quod est actuale, formale, & specificum; quæ idem quoad præsens sunt. Potentia verò mota, vtpotè in potentia, tribuit id, quod est materiale, entitativum, seu substantiale; hæc enim idem omnino sunt.

Hoc suppoſito, actus iste â duplici hac potentia dependens, absolutè, & simpliciter tribuitur illi potentiæ, â qua habet, non id, quod est formale; sed id, quod substantiale est. Quod dicimus tum auctoritate, tum ratione ducti. Auctoritate quidem, quia D. Thomas, & cum eo communiter Theologi sic sentiunt, docentes electionem esse absolutè, & simpliciter actum voluntatis, â qua actus electionis habet substantiam: licèt ab intellectu habeat, quod formale est in ipso actu. Simile evenit in actu imperii. Videri debet Angelicus Doctor, 1. 2. q. 13. art. 1. in corp. Vbi hæc clarissimè tradit, vbi loquutus de actu electionis ait: *Ille actus, quo voluntas tendit in aliquid, quod proponitur, vt bonum, ex eo, quod per rationem est ordinatum ad finem, materialiter quidem est voluntatis, formaliter autem rationis. In huiusmodi autem substantia actus materialiter se habet ad ordinem, qui imponitur à superiori potentia; & ideò electio substantialiter non est actus rationis; sed voluntatis. Perficitur enim electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur. Vnde manifestè actus est appetitivæ potentia.* Ecce D. Thomam electionem absolutè nominãtem actum appetitivæ potentiæ; ex eo, quòd ab illa habet substantiam. *Quæ doctrina præ oculis habenda est, quia multoties invenitur apud D. Thomam similis locutio, cuius rationem habes tract. sequẽti, disp. 6. à num. 69.* Aiunt doctissimi Salmat. in annotatione ad citatum articulum D. Thomæ: videantur.

137. Ex dictis ergo colligitur regula generalis ad cognoscendum, cui potentiæ, quando plures concurrunt, attribuendus est actus, vt imperanti, & cui vt elicienti: & ex his, quæ tum per se; tum medio aliquo suo habitu, actũ eliciunt, habetur, cui attribuendus sit talis actus quoad substantiam; cui verò non. Vt imperanti, attribuitur illi potentiæ, quæ concurrit modo dicto numer. 128. Ex iis verò, quæ ad elicientiam concurrunt, alia concurrit, vt superior, & movens; alia verò, vt inferior, & mota: prima tribuit, quod formale est in effectu; secunda autem id, quod est materiale. Quod, præter dicta numero præcedenti de electione, docet clarissimè D. Thomas de verit. q. 14. art. 5. dicens: *Quandocumque duo sunt principia mouentia, vel agentia ad invicem ordinata, id, quod in effectu est ab agenti superiori, est sicut formale; quod verò est ab inferiori agenti, est sicut materiale.* Et quia potentiæ tribuenti id, quod materiale, seu substantiale est in actu, attribuitur iste, vt patet ex verbis eiusdem Angelici Doctoris num. antecedenti: propterea actus tribuitur absolutè, & simpliciter potentiæ concurrenti, vt motæ.

Ratioque ibi assignata â S. Thoma

hoc

hoc convincit: quia illi potentiæ attribuendus est absolutè actus, in qua iste perficitur, & completur: completur,& perficitur in potentia substantiam actui dante, ac vt motæ concurrente: ergo huius est actus absolutè. Consequentia est formalis. Maior est expressa Divi Thom. iis verbis: *Perficitur enim electio, &c.* Vbi ex eo, quòd electio perficitur in voluntate, concludit electionem esse voluntatis actum. Minor autem negari non debet.

138. Hanc generalem regulam materiæ præsenti applica, & factam obiectionem, pluresque alias, quibus adversarii vtuntur, contemnes. Intellectus, & voluntas concurrunt ad orationem. Voluntas, vt movens intellectum ad petendum: non enim petit intellectus, nisi quod voluntas desiderat: vnde â voluntate habet oratio id, quod formale est. Intellectus concurrit, vt motus: vnde ab illo habet oratio substantiam: quiaque actus dicitur absolutè eius potentiæ, quæ substantiam tribuit; propterea diximus quæst. præcedenti,orationem esse actum intellectus: & modò asserimus, ipsam orationem elici â Religione residente in voluntate. Per quæ patet ad obiecta. Videantur Salmanticenses citati.

139. Ad primam confirmationem ex num. 130. respondetur 1. dist. antecedens: *Orationis* quoad substantiam, conceditur: quoad rectitudinem, substantiam illam formalizantem,negatur. Et deinde negentur consequentiæ:quia virtus non ponitur in potentia cõsummativa actus quoad substantiam; sed in potentia consummativa actus quoad formale rectitudinis: eò quòd actus quoad substantiam, cùm non superet capacitatem potentiæ,non eget ista virtute confortante: ast, quia in esse virtutis excedit potentiæ vires, indiget virtute vires conferente.

Respondetur secundò:Concesso antecedenti distinguendo primum consequens: *Virtus* in se,& formaliter,nego: in sua motione ab ipsa virtute proveniente, concedo: & sic Religio media sua motione residet in intellectu,quam quàm in se, & formaliter sumpta, subiectetur in voluntate.

Respondetur tertiò distinguendo idem consequens; *quæ ad eius elicientiam concurrit*, si talis elicientia foret rigorosa, concedo: Cùm non est rigorosa; sed impropriè, seu largè talis,nego consequentiam. Licèt, cùm solùm mediat potentia, detur elicientia; tamen hæc elicientia non est ita propria, ac illa, quæ datur, cùm nec virtus, nec potentia mediant. Et inter hanc duplicem elicientiam hoc interest: quòd elicientia propria requirit virtutem in potentia; at elicientia impropria hanc virtutem non requirit; sed solùm motionem â virtute derivatam. Per quod patet ad secundam confirmationem ex num. 131.

140. Arguitur secundò: Rectitudo orationis est de linea intellectiva: ergo nihil est in oratione, quod â Religione provenire possit. Probatur antecedens: Oratio,vt diximus num. 95. est imperium deprecativum: sed rectitudo imperii est de linea intellectus; cùm ordinet vnum ad alium: ergo.

141. Confirmatur primò: Rectitudo orationis provenit ab illa motione, quæ â voluntate descendit in intellectum: atqui illa motio est virtus intellectiva: ergo. Probatur minor:Quia quod ab intellectu descendit in voluntatem, fit de linea volitiva: ergo quod â voluntate descendit in intellectum, fit de linea intellectiva.

142. Confirmatur secundò: Id, quod participat intellectus, vt orationem eliciat, est vera virtus: at non est Religio: ergo hæc non concurrrit ad elicientiam orationis. Probatur maior primò: Quia virtus est dispositio perfecti ad optimum, vt patet ex 3. physicor. cap. 3. Sic est id, quod participat intellectus,vt orationem eliciat, vt de se patet: ergo. *Probatur* secundò illa maior: Quia si illud, quod intellectus participat, poneretur virtus, nil magis faceret, quàm modò facit: ergo prout modò ponitur, est virtus.

143. Respondetur ad argumentum negando antecedens. Ad proba-

tionem dicas: quòd, licèt oratio dicatur imperium deprecativum ob dictanum. citato; differt tamen ab imperio in eo, quòd imperium, cùm sit superioris, regulat, quæ imperat, quod solius intellectus est. Ast imperium deprecativum est inferioris; eoque regulare non potest; sed petere; quod quidem nullam rectitudinem exprimit: si namque mala, vel bona malè petat, dabitur entitas physica orationis; sed sine rectitudine virtuosa. Vnde requiritur voluntas hanc rectitudinem conferens; atque adeò orationis rectitudo propria voluntatis est.

144. Ad primam confirmationem negetur minor. Ad probationem concesso antecedēti negetur consequentia. Discrimen est, quòd intellectus, vtpotè potentia perfectissima, continet formas omnium: atque adeò nedum continet verum, sed etiam bonum: non quod attingat per proprium ipsius actum, sed quod per id, quod imprimit voluntati, attingat. Voluntas verò, quia inferior est non potest continere in se rationem veri; quia hæc ratio nimis abstracta est, solùmque attingere potest rationem boni, quæ minùs abstrahit, vtpotè, quæ concernit existentiam. Vnde id, quod descendit ab intellectu in voluntatem, fit de linea voluntatis; non autem ê contra. Ex quo sequitur, quòd descendens ab intellectu in voluntatem respicit rectitudinem propriam lineæ volitivæ; quod verò habet â voluntate intellectus, cùm non transeat ad lineam veri, illud attingere non potest; sed manendo intra lineam boni illud solum attingit. Et hoc est, quod evenit in oratione, cuius rectitudo est propria voluntatis, vt sæpe dictum est.

Explicatur hoc: Etenim quod intellectus communicat voluntati, cùm sit â potentia superiori, perfectissimum quid est, eoque habet rationem formæ simpliciter perficientis voluntatem. Quod verò hæc communicat intellectui; cùm sit â potentia inferiori, non perficit illum simpliciter; sed solùm secundùm quid: est enim modus quidam vialis, & incompletus. Et inter id, quod per modum formæ perfectæ communicatur, & id, quod per modum modi confertur, hoc interest: quòd primum perficit potentiam receptivam in ordine ad obiectum proprium ipsius potentiæ: vnde fit de linea ipsius, respicitque potentiæ obiectum, vt sui proprium. Secundum verò extrahit potentiam receptivam â linea suæ capacitatis essentialis: non enim datur, vt illam potentiam perficiat in ordine ad proprium obiectum; sed potiùs vt illam extrahat ad obiectum alterius. Ex quo habes, quòd id, quod ab intellectu descendit, est forma perfecta, simpliciter perficiens potentiam in ordine ad proprium obiectum, quod etiam proprium est talis formæ, vt patet in Iustitia, quam ab intellectu participat voluntas, & aliis virtutibus moralibus, quæ derivantur â ratione, velut quædam eius sigillationes, vt tradit D. Thomas quæst. 1. de virtut. art. 9. Cæterùm id, quod â voluntate derivatur in intellectum, est quidam modus imperfectus gerens vices virtutis, â qua derivatur; vnde proprium obiectum virtutis, pro qua substituitur, respicit. Quarè modus, quem Religio imprimit intellectui, vt orationem eliciat, manet de linea affectiva, respicitque idem obiectum, ac Religio; eoque oratio dicit rectitudinem propriam lineæ volitivæ.

145. Per quod ad secundam confirmationem negetur maior: Cuius prima probatio non vrget: quia, licèt verum sit, quòd virtus est dispositio perfecti ad optimum: tamen ly *perfecti* positum in definitione virtutis, signat subiectum perfectum, constitutum per ipsam virtutem: cùm autem intellectus non perficiatur per id, quod â Religione participat; eò quòd est quidam modus imperfectus, vt dictum est; propterea, licèt ille modus sit dispositio ad optimum, scilicèt ad actum orationis, non autem est dispositio subiecti perfecti per ipsam dispositionem; eoque nec virtus est.

Adde: quòd ly *dispositio* iuxta communem vsum Doctorum non sumitur, prout

prout differt ab habitu; sed prout est idem, ac habitus, per modum entitatis completæ perficientis, constituentisque subiectum, quod formalizat. Modus autem dictus non est habitus; sed quoddam viale, modaleque incompletum: Vnde, cùm non participet rationē genericam virtutis, virtus esse non potest; sicut Angelus nō est homo; quia, quamvis rationalis sit, non participat rationem genericam animalis.

Ad secundam probationem maioris negetur antecedens; quia, si ille modus esset virtus, redderet intellectum simpliciter perfectum, quod nunc non facit; sed tantùm perficit illum secūdùm quid. ¶ Adde. Quòd, si esset virtus, faceret id, quod nunc facit: verùm faceret virtute propria; non autem virtute, & nomine Religionis, cuius vices gerit, estq; viçaria, illa virtuositas.

DISPVTATIO TERTIA.

De necessitate orationis.

ORationis necessitatem omnes clamant; sed quāquàm omnibus nota sit, plura circa illā solēt disputare Doctores: tum circa necessitatis modum, seu obligationis gradū: tum circa tempus, quo hæc obligatio vrget. Nos verò selectiora solummodò disputantes, videbimus, qua necessitate oratio necessaria sit, & an in primo instanti vsus rationis sit necessaria?

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm oratio necessaria sit, & qua necessitate?

1. LOquimur de oratione sive mentali, sive vocali, &, vt sine confusione loquamur, scias primò: Necessitatem, quoad præsens, esse duplicem: aliam medii, & præcepti aliam: Id est necessarium necessitate medii, quod requiritur vt medium ad cōsequendum aliquem finem. Et eo modo, quo ad hoc requiritur, erit necessarium: vnde dividitur in necessarium absolutè, & ex suppositione: illud est, sine quo finis absolutè haberi non potest; istud verò, sine quo ex suppositione non potest haberi. Insuper medium necessarium, aliud est tale simpliciter; aliud verò ad meliùs esse. Item aliud medium est necessarium ex ipsa natura finis obtinendi, vt gratia relatè ad gloriam; aliud verò non est necessarium ex ipsa natura finis; sed ex determinatione dirigentis ad finem, vt Baptismus, qui in omnibus, sive adultis, sive parvulis, sive ratiocinantibus, sive amentibus requiritur: & potest esse necessarium quoad aliquos, vt mandatorum observatio, quæ in ratione vrentibus requiritur; non autem in infantibus.

Necessarium necessitate præcepti attenditur penès præcipientem, qui sua lege, seu imperio, cogit ad hoc, vel illud faciendum, omittendumve. Et hoc, iuxta diversitatem præceptorum, dividitur in præceptū naturale, Divinum, & humanum. Quorū notitiam, & aliorum, quæ priùs diximus, passim apud Auctores Scholasticos, Moralesque reperies. Nobis verò hæc indigitasse sufficiat.

Circa præsentem difficultatem leve disidium est in resolutione sumenda; sed illam ab Heterodoxorum ictibus vindicare; non levem curam requirit. Sunt enim, quæ in necessitatem orationis iaculantur, gravissima, tam in se ipsis, quā ob abstrusas materias, quas concernunt.

§. I. *Proponitur, & probatur noſtra prima Concluſio.*

2. PRima Concluſio: *Oratio eſt neceſſaria neceſsitate medii ad ſalutem.* Sic cõmuniſsimè Theologi cum Divo Thoma in 4. diſt. 15. art. 1. quæſtiunc. 3. & cum Sanctiſsima Thereſia pluribus in locis ſuorum operum. Videatur lib. vitæ cap. 11. & in itinere cap .16. Probatur primò auctoritate D. Thomæ citati: *Ad orationem*, ait, *quilibet homo tenetur, ex hoc ipſo, quòd tenetur ad bona ſpiritualia, ſic procuranda, quæ non niſi Divinitùs dantur: Vnde alio modo procurari non poſſunt, niſi ab ipſo petantur.* Et inibi ad 1. ait: *Amor, qui maximè voluntarius eſt, neceſſarius eſt, ſi quis velit ad ſalutis finem pervenire, & hoc modo etiam oratio neceſſaria eſt, & ſub præcepto cadens reſpectu eorum, quorum voluntas ſub neceſsitate prædicta cadit.* Hæc Angelicus Dr. in quibus & ſuam nobis mentem revelát, quam ſectemur, & fundaméta ſternit, nè impingamus. Ex iis ergo ſic breviter; ſed efficaciter, probatur concluſio noſtra.

3. Sine oratione non poteſt conſequi ſalus: ergo oratio eſt ſimpliciter neceſſaria ad conſequendam ſalutem. Patet iſta ex dictis num. 1. de neceſſario ſimpliciter. Antecedens probatur: Quivis tenetur ad procuranda bona ſpiritualia gratiæ, & gloriæ, quæ non niſi Divinitùs dantur: ſed ad iſta bona procuranda requiritur ſimpliciter oratio: ergo. Probatur minor: Oratio requiritur ſimpliciter ad illa bona, quæ non habẽtur, niſi petantur: ſic ſunt prædicta bona, vt patet ex prima auctoritate D. Thomæ: ergo tenet minor.

4. Confirmatur primò: Amor Dei eſt neceſſarius ſimpliciter ad ſalutem conſequendam: ergo & oratio. Probatur cõſequentia ex ſecunda D. Thomæ auctoritate, vbi non ſolùm ponit orationem neceſſariam ad ſalutem; ſed eodem neceſsitatis modo requiri adſtruit, ac amor requiritur, ibi: *Et hoc modo oratio etiam neceſſaria eſt.* Ergo cùm amor ſit neceſsitate medii neceſſarius, ſimili modo oratio neceſſaria eſt.

5. Confirmatur ſecundò: Ad ea eſt ſimpliciter neceſſaria oratio, reſpectu quorum voluntas cadit ſub neceſsitate ſimpliciter, licèt ex ſuppoſitione: ſed vt voluntas ſalutis finem conſequatur, neceſsitatur ſimpliciter ad amorem habendum, & ad alia plura: ergo ſimili neceſsitate adſtringitur ad orationem, vt eumdem finem obtineat. Cõſequentia bona eſt, & minor certa; maior verò eſt expreſſa D. Thomæ præcitati.

6. Dicis: Durum omnino eſt ponere tantam neceſsitatem in oratione, ac in amore, in ordine ad conſequutionem ſalutis: ergo oratio non eſt modo dicto neceſſaria. Antecedens videtur certum: Eſt enim amor, qui adhuc inter Theologicas virtutes primas fert: illo in hac vita Deo vnimur, & in futura beamur: illo omnes aliæ virtutes valorantur, quæ ſine illo, aut prorſus eradicantur, aut in cadaver redactæ moriuntur; in his, & aliis innumeris amor eminet: ergo cum illo nequit oratio parificari.

Reſpondetur: Certo certiùs eſſe, amorem Dei eſſe inter omnes virtutes perfectiſsimum. Verùm hic exceſſus impertinens omnino eſt in præſenti: vbi non rerum perfectionem diſquirimus; ſed orationis neceſsitatem diſputamus: & licèt amor, quoad perfectionem præſtet; tamen hic exceſſus non arguit orationem neceſſariam nõ eſſe; vt patèt in fide, quæ omnino neceſſaria eſt ad ſalutem: ſine fide enim impoſsibile eſt placere Deo; & tamẽ fides multùm diſtat â perfectione charitatis: ergo licèt oratio ſit minùs perfecta, eſt æquè neceſſaria.

Quod durum non erit cognoſcenti, quòd impoſsibilis eſt beatitudinis aſſequutio, niſi prout eſt nobis â Deo conferenda: atqui Deus decrevit conferre nobis ſalutem media oratione: ergo ſine illa conſequi non poteſt. Cætera certa ſunt, & minor eſt pluſquàm certa. Primò: Quia conſtat ex innumeris locis ſacræ Scripturæ, ait enim Dominus Lucæ C. 18. *Oportet ſemper orare.*

orare. Et nè putares verba hæc consilium, & non præceptum continere, ait Chrisostom. *Dum, oportet, dicit, necessitatem inducit.* Insuper ait ipse Dominus: *Petite, & accipietis.* Vbi tanquàm medium necessarium ad accipiendum assignatur oratio. Et clarissimè Iacobi cap. 5. dicitur: *Orate pro invicem, vt salvemini.* Quibus verbis evidenter ostenditur, quòd non aliter, nec aliis nisi orãtibus panditur Ætherea domus omnipotentis olympi. Ergo quãquàm absolutè posset nobis aliter beatitudo conferri; facta tamen suppositione Dei decernentis illam, vt medium ad salutem, quod ex adductis auctoritatibus nobis constat, est iam simpliciter necessaria. Quod omne etiam invenitur in Baptismo, vt vidimus initio huius quæstionis.

7. Instabis: Etsi ex dictis habeatur orationem esse simpliciter necessariam; hæc tamen necessitas non est per se, hoc est, ratione ipsius orationis; sed per accidens, id est, ob alias virtutes: ergo non est adeò necessaria.

Respondetur primò: Quòd si oratio conceditur nobis simpliciter necessaria; quòd hæc necessitas sit ratione ipsius orationis, vel ob alias virtutes, nihil, aut parum refert. Et certè argumenta opposita, vt mox videbimus, quamcumque necessitatem, & etiam vtilitatem; imò & honestatem orationis, impugnant. Vnde ea, per quæ necessariam esse convincimus, adversum placitum destruunt.

Respondetur secundò: Orationem esse per se necessariam ad consequendam salutem. Et hoc dupliciter: primò quia requiritur, vt auxilia, & virtutes consequantur, & perseverantia vsque in finem. Quæ certissima sunt, vt pluribus ostendere possemus. Sed nõ omittam Augustinum dicentem lib. de bono perseverantiæ cap. 16. *Deum danda non orantibus alia, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseverantiam.* Quibus verbis præter illam primam illustrationem, quæ actum nostrum præcedere debet, omnia sunt materia per orationem postulanda; quia non nisi orantibus præparata sunt. Dicere verò, quòd ista necessitas est per accidens, est sinistra intelligentia necessitatis per se, & per accidens.

Aliud est enim, quòd res sit necessaria per accidens, & aliud, quòd sit necessaria per aliud; seu propter aliud. De quo videre poteris nostros Complutenses, & Salmanticenses tract. 21. disp. 35. dub. 2. num. 32. Propter finem sunt necessaria omnia media: vnde si coincideret necessarium propter aliud, & per accidens, nullum medium foret per se necessarium. Imò destrueretur status quæstionis, & celebris divisio, cui innititur, necessarii in necessarium necessitate medii, &c. Nam quidquid necessarium est necessitate medii, non est necessarium propter se, sed propter aliud. Hoc ergo modo est necessaria oratio: ac per consequens non per accidens, sed per se necessaria est; licèt necessitetur propter alia; nempe vt consequantur auxilia, vt habeantur virtutes, vt obtineatur perseverantiæ donum, & ipsa gloria. Quid autem sit necessitas per accidens postmodum num. 51. operosiùs ex Salmanticens. aperiemus.

Secundò est oratio necessaria per se; quia ipsa, quamquàm orans nulla re indigeret, adhuc necessaria foret. Quod, vt capias, memẽto illius duplicis respectus, quem orationem habere in superioribus diximus: scilicèt respectus ad rem petitam, & respectus ad Deum, à quo petitur. Secundus respectus præcipuus est; eo quòd destrueretur natura orationis, si ille respectus non daretur. Primus autẽ necessarius est etiam: ast non vt essentiale constitutivum; sed vt circunstantia indispensabilis ex vi præsentis constitutionis, in qua pluribus indigemus, quæ, vt obtineamus, necessaria omnino est oratio. Et de oratione, prout dicit istum respectum, diximus paulò ante esse per se necessariam; quia non est alius modus illas res obtinendi, nisi media petitione.

8. Nunc verò addimus, orationem esse per se necessariam, secundùm quod

quod dicit illum essentialem respectum ad Deum, cui per mentis oblationem cultus gratissimus offertur. Moveor ad hoc: quia homo tenetur ad offerendum Deo cultum, & ipsi omnia sua consecrare: sed ad hoc est necessaria per se oratio: ergo.

9. Dices: Est quidem necessarium Deo cultum exhibere, quod sanè pertinet ad Religionem; cæterùm non est necessarium, vt fiat per actum orationis; quippe fieri potest per alios actus ipsius Religionis, vt per devotionem. Quod si fiat recursus ad alias virtutes, clariùs hoc patet; quis enim dubitet, posse quempiam supplere illum ipsum cultum, qui media oratione Deo offertur, per actum charitatis? Ergo oratio non est modo dicto necessaria.

Respondetur primò: Posse certè per alium actum eiusdē Religionis,& etiam per aliam virtutem â Religione v. g. per charitatem, suppleri,quod per orationem Deo exhibetur. Verùm qui ex hoc negat necessitatem orationis, negabit etiam esse necessariam pœnitentiam ad abolenda peccata; eo quòd actus charitatis est virtualis dolor de peccatis, cum quo cōpati peccata haud possunt.

Respondetur secundò: Per nullam virtutem distinctam â Religione, nec per alium actum Religionis, quàm per orationem, posse Deo offerri illum cultum, quem oratio exhibet: quippe cultus iste consistit in sacrificio propriæ mentis, quæ per solam orationem sacrificatur,vt ex superioribus notum est: ac propterea datur speciale præceptum de oratione sic sumpta, vt docet Divus Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 3. verùm hoc ad aliam conclusionem accedit.

§. II. *Secunda conclusio.*

10. NOstra secunda cōclusio: *Oratio necessaria est necessitate præcepti.* Non loquimur de præcepto Ecclesiastico; sed de naturali præcepto, & in hoc sensu communis est inter Theologos conclusio. Eam docet D. Thomas locis citatis. Clarèque habetur in sacra Scriptura, vbi frequentissimè modo imperativo nobis oratio proponitur, vt patet ex textibus suprà adductis. Idem cōstat ex eo, quòd Ecclesia vtitur ante orationem dominicam, vbi dissertè asserit, quòd talem orationem dicimus *præceptis salutaribus moniti, & Divina institutione.*

11. Deinde probatur hac ratione: Media necessaria ad salutem sunt nobis â Deo præcepta: oratio est medium necessarium ad salutem, vt vidimus §. antecedenti: ergo oratio est â Deo præcepta. Consequentia est in tertio modo primæ figuræ. Maior probatur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 2. vbi ait: *Dicendum, quòd ea, quæ sunt necessaria ad salutem, cadunt sub præcepto Divinæ legis.* Idem dixerat quæst. 2. art. 5.

12. Confirmatur primò: Per præcepta dirigitur homo in vitam æternam: ergo de iis, quæ necessaria sunt ad salutem, dantur præcepta: ergo cùm oratio necessaria ad salutem sit, sequitur, quòd cadit sub præcepto. Secunda consequentia constat ex prima, quæ probatur primò: Si de necessariis ad salutem non darentur præcepta, deficeret providentia in necessariis: ergo. Probatur antecedens: Deficiente directione deficeret providentia: at deficiente præcepto deficeret directio: ergo. ¶ Probatur secundò idem antecedens: Ex inductione fidei, Spei, charitatis, & aliorum, quæ, quia necessaria sunt ad salutem, cadunt sub præcepto: ergo similiter de oratione dicendum est.

13. Confirmatur secundò: Deum colere, & revereri cadit sub præcepto, vt patet ex illo Matth. *Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: Sed oratio Deum colit, revereturque: ergo cadit sub præcepto.

14. Dices: Tale præceptum implicat: ergo non datur. Antecedens probatur primò: Necessarium necessitate medii non est necessarium necessitate præcepti: oratio sic est: ergo de ea non datur præceptum. Probatur maior: Necessarium adequatè dividitur in necessarium necessitate medij, & præcepti: ergo cùm membra dividentia debeant se excludere; quod est necessarium primo

me modo, non potest esse secundo modo necessarium.

Probatur 2. illud principale anteced. Si tale præceptũ daretur, vel esset naturale, vel Divinum: neutrum potest dici: ergo. Probatur minor quoad primam partem: Præceptum naturale dictatur â naturæ lumine, sequiturque rationem naturalem: sed implicat, quòd oratio dictetur â lumine naturæ, aut sequatur rationem naturalem; cùm sit in se quid supernaturale, mediumque ad consequendam beatitudinẽ supernaturalem: ergo præceptum de oratione non potest esse naturale. Sed nec divinum: probatur: Quia tale præceptum vel est affirmativum, vel negativum: at præceptum de oratione nequit esse affirmativum, nec negativum: ergo. Probatur minor quoad primam partem: Præceptum affirmativum non obligat ad semper, quamquàm semper obliget: sed præceptũ orationis obligat semper & pro semper: ergo. Minor in qua est difficultas probatur clarissimè iis testibus, quibus nos ipsi vsi sumus suprà: ait enim Christus Dominus Lucæ cap. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* & 1. ad Thesal. 7. dicitur: *Sine intermissione orate.* Ergo si hæc verba continent præceptũ de oratione, tale præceptũ nõ erit affirmativum, vtpotè *sine intermissione* obligans. Sed nec negativum est: probatur: Hoc præceptum imperat actum positivũ: ergo negativum non est.

Insuper probatur hoc præceptum non esse Divinum: Præcepta Divina modificantur ab Ecclesia, quoad tempus adimpletionis eorum, vt inductivè ostendi potest: sed Ecclesia non adhuc determinavit; imò nec potest determinare tempus pro oratione: ergo. Probatur minor: Quia, cùm hìc loquamur de oratione abstrahente â mentali, vocalique, & Ecclesia non possit de occultis iudicare; eò non potest orationem sic sumptam præcipere: ergo.

15. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem distinguo maiorẽ: *non est* formaliter, concedo: entitativè materialiter, nego maiorem. Qua distinctione evanescit difficultas: quia necessitas medii sumitur per ordinem ad finem: necessitas autẽ præcepti attenditur per ordinẽ ad præcipientem; vnde, licèt in eadem entitate coincidat hæc duplex necessitas; tamen, cùm sumatur per ordinem ad diversa, datur sufficiens distinctio, vt possit ad vtramque divisionis partem attinere. Quod mille exemplis poteris comprobare.

Ad secundam probationem antecedentis respondetur: Quòd, cùm hìc loquamur de oratione, quæ est virtus supernaturalis, certum debet esse, quòd tale præceptum est Divinum: tum ob ea, quæ in obiectione tanguntur: tum quia est â Deo Auctore supernaturali. Insuper est naturale; quia suppositâ fide, & cognitione beatitudinis supernaturalis; & omnium eorum, quibus homo indiget, vt talia consequatur; valde naturale est, quòd homo videns propriam indigẽtiam recurrat ad Deũ, qui solus potest illum â sua miseria elevare, auxilia conferens, quibus bonum illud consequatur. Videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 1. ad 1. vbi asserit, quòd infidelitas est aliquomodò contra naturam; quia licèt fides sit supra naturam, vtpotè virtus supernaturalis; tamen, quia, suppositâ fide, *in natura humana est, vt mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi*; ideò ex hac parte præceptum fidei est naturale; eoque contra naturam infidelitas ei opposita. Vnde obiectio volens hoc præceptum orationis esse vel purè naturale, vel purè Divinũ, peccat; cùm habeat vtrumque, nempe, & naturale, & supernaturale.

Quare in forma respondetur negando maiorem: Non enim est hoc præceptum naturale; vel Divinum; sed vtrumque; non purè, sed partim est Divinum, & partim est naturale modo dicto. Deinde negetur etiam minor, ad cuius primam probationem, quatenus doctrinæ datæ obstare potest, distinguitur maior: *præceptum naturale* purè tale, conceditur; partim tale, subdistinguatur: *dictatur à naturæ lumine* sup-

ſuppoſita fide, concedatur: ea non ſuppoſita, negetur. Et ſic reſolvatur tota illa probatio.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: Tale præceptum, quod Divinũ certè eſt, eſſe abs dubio affirmativum; vnde non obligat ad ſemper. Illæ auctoritates, quæ contrarium probare videntur, non obſunt: quia illis non iubemur, quòd continuò ſimus in oratione actuali: quippe oratio, vt ait Divus Thomas loco citato ex 4. ſentent. poteſt ſumi & in ſe, & quoad effectum. Oratio in ſe non iubetur ad ſemper. Quoad effectum verò ad ſemper præcipitur; quia prout ſic nihil aliud eſt oratio, quàm recta, & ordinata operatio, ad quam ſemper obligamur. Et certè, vt ait Gloſſa in 1. ad Theſal. *Non ceſſat orare, qui non ceſſat bene agere*: & ſic intelligendi ſunt textus illi, ait Angelicus Doctor, aliter impoſsibilia præciperẽt. Videatur ipſe D. Thomas dicta q. 83. vbi aliter textus dictos explicat.

Ad vltimam probationem dicas: Eccleſiam ſtatuiſſe quidem tempus, quo hoc præceptum impleatur: ſiquidem Eccleſiaſticis aſsignat horas canonicas; & pro omnibus ponit celebrationem Divinorum officiorum, & Miſſarum, omnes adeſſe imperans, vt huic præcepto ſatisfaciant.

16. Inſtabis: Tam horæ canonicæ, quàm alia ex iis, quæ diximus, pertinent ad orationem vocalem: ergo cùm hìc loquamur de oratione abſtrahente, non eſt ad rem data doctrina.

Reſpondetur: Eccleſiam præcipere, quòd Miſſarum ſolemnia celebrentur, in quibus dantur celebrantes, & intereſſentes. Celebrantibus imperat plura, quæ vocaliter dicãt, ſed alia etiã tradit quæ non iubet vocaliter recitari: quin potiùs iuxta communem vſum mentaliter fiunt: vt patet in præparatione ad Miſſam, in gratiarum actione poſt illã, in oratione, quam poſt ſacratiſsimi corporis Domini Noſtri ſumptionem fieri ordinat, & etiam in mementis, & in aliis. Nec negamus cum Suario poſſe Sacerdotem in dictis orationibus orare vocaliter, voce valde ſubmiſſa. Hoc tamen dictis non obeſt; quia Eccleſia inquit: nunc vrget tempus adimplendi præceptum orandi: in hoc ergo tempore, in quo ex mea deſignatione vrget hoc præceptum, præcipio Sacerdotibus, vt hæc, & illa vocaliter dicãt: alias orationes etiam facere præcipio; ſed quòd vocaliter, vel mentaliter fiant, ad arbitrium Sacerdotum relinquo: quomodocumque autem fiant præcepto ſatisfaciunt. Idem proportionabiliter dic de intereſsẽtibus: nam eis præcipit Eccleſia, quòd Divinis officiis aſsiſtant orantes: quòd verò oratio hæc vocalis, mentaliſve ſit, eorum libito committit.

17. Replicabis: Non poteſt Eccleſia præcipere orationem vel vocalẽ, vel mẽtalẽ pro libito orantis, faciendam, quin poſsit præcipere orationem vocalem, mentalemque: at Eccleſia nõ poteſt præcipere orationem mẽtalem: ergo. Probatur maior: Non poteſt quis præcipere aliqua ſub diſiunctione facienda, quin ſupra illa, quæ iubet, iuriſdictionem habeat: ergo vt Eccleſia præcipiat orationem vocalem, ſeu mẽtalem, debet ſupra vtramque iuriſdictionem habere.

Vt clarè procedas, ſcias: hoc effatum: *Eccleſia præcipit orationem mentalem* (de hac enim eſt ſpecialis difficultas) triſariam capi poſſe: primò ita vt præceptum cadat ſupra orationem mentalem, qua oratio præcisè eſt: ſecundò ſupra ipſam, vt oratio mentalis eſt: tertiò ſupra eandem, non vt oratio, nec vt mentalis eſt; ſed vt tali tempore exercenda eſt. Secundùm hanc triplicem acceptionem

Reſpondetur primò: Eccleſiam non præcipere orationem mentalem, nec vt mentalem, nec vt orationem; ſed aſsignare tempus, in quo præceptum â ſuperiore latum impleatur: vnde tale præceptum habet â Deo vim obligandi: quòd verò hìc, & nunc ſatisfieri debeat, habet ab Eccleſia, quæ certè hoc præcipere poteſt: quin propter hoc ſupra ipſam rem præceptam quoad ſubſtantiam, poteſtatem habeat, vt cernere eſt in pluribus aliis præceptis Divi-

nis

nis, quorum adimpletionis tempus designat Ecclesia. Nec propter hoc aliquis dixit, Ecclesiam potestatem habere supra substantiam talium præceptorum.

Respondetur secundò: Ecclesiam præcipere orationem mentalem, non quia mētalis est; sed vt oratio est. Quod vt faciat, sufficit, quòd potestatem habeat supra orationem vocalem. Vrget enim præceptum satisfaciendi præcepto orationis; & ait Ecclesia: nunc orādum tibi est: ora ergo, vel vocaliter, quod tibi præcipere possum; vel mentaliter, quod tibi imperare non valeo: quoquo modo autem ores, præceptum imples: & quia orationē vocalem præcipere valeo; ideò absolutè orare iubeo.

Respondetur tertiò: Ecclesiam posse præcipere orationem mentalem, qua mentalis est, non auctoritativè, vt Domina illius interioris actus, de quo iudicare non potest; sed ministerialiter vrgendo, media propositione obligationis, vt præceptum â superiori auctoritate impositum, impleatur. Sic enim multoties videmus Ecclesiam præcipere orationem purè mentalem pluribus.

18. Si dicas: Hoc esse cōtra D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. asserentem: Ecclesiam ea solùm præcipere, quæ potest iudicare: vnde, cū non possit iudicare de occcultis actibus orationis mentalis, sequitur, quòd nec illos præcipere valeat.

Respondetur D. Thomam intelligi de præcepto, non ministerialiter, sed auctoritativè lato. *Præterquàm quòd*; licèt Ecclesia non possit cōtentiosè compellere, nec iudicare de interioribus; potest tamē mediis suis Ministris in foro Sacramentali iudicare.

§. III. *Argumenta.*

19. MVltifariam, multisque modis, assertis veritatibus opponuntur multi; adeò in illas acti, vt non solùm necessitatem negent; sed etiam orationis vtilitatem, honestatem, aliaque huc concernentia, deturbent. Diversis viis procedunt, de quo videri potest Castro verbo *oratio*: omnes tamen conveniunt in hoc, quòd oratio non est necessaria ad salutem; atque adeò nec præcepta: sic hæretici sentiunt. Est etiam in hac parte suum inter Orthodoxos dissidium; alii enim magis, alii minùs necessariam orationem recognoscunt. Argumenta contra vtramque cōclusionem promiscuè proponemus.

20. Arguitur primò: Oratio dedecet liberalitatem Divinam: ergo non est â Deo præcepta: ergo nec necessaria. Secunda consequentia constat ex prima: quicquid enim est necessarium ad salutem, præceptum â Deo est, vt vidimus num. 11. ex D. Thoma. Prima consequentia certissima est: Implicat enim Deum præcipere, quod ipsum dedecet. Antecedens probatur: Quia est cōtra rationem summè liberalis expectare petitionem, vt indigētibus subveniat, sicut ait Seneca: sed oratio est petitio indigentis: ergo contraria est Divinæ liberalitati.

21. Confirmatur: Volenti, scientique, quibus homo indiget, non est oratio necessaria, vt subveniat: sed Deus, quia summè bonus, & summè sciens, scit, vultque, quibus egemus, priùs quàm petamus: ergo illi necessaria oratio non est.

Respondetur argumento negando antecedens: Ad probationem respondetur primò: liberalem secūdum, quem solum cognovit Seneca, egere illa anticipatione in sucurrendo, vt liberalis credatur: Deus autem, cuius natura bonitas, his expræsionibus non indiget.

¶ Respōdetur secundò distinguendo mai. *Expectare petitionem*, quam ipse nō causat, transeat: ad quam ipse præmovet, & movet, nego maiorē. Liberalis â quo aliquid petimus; si causa est petitionis, quam facimus, est maximè liberalis; quia & tribuit, quod petimus, & media confert, quibus desiderata petamus. Vnde, cùm Deus sic se habeat: per hoc, quòd petitionē expectat, summam liberalitatem ostendit.

Respondetur tertiò. Deum in conferendo nobis sua bona respicere nostram vtilitatem: & quia vtilissima est, nobis oratio; cùm mediāte ea nostram indigentiam, miseriamque cognoscamus,

mus, mentemque noſtram Deo conſecremus: ideò non eſt contra Dei liberalitatem petitio noſtra; ſed potiùs oſtenditur maximè liberalis; dũ cõſulens vtilitati noſtræ imperat, vt petamus.

Denique reſpondetur quartò: Deum plurima nobis conferre beneficia, quæ non petimus, imò illa nobis adiicit, quæ oratio petere non præſumit. Quare etiã ex hac parte lucet sũma Dei liberalitas, qui vel non petẽtes ſuis gratiis decorat: & petẽtibus, quæ nocerent, iis abiectis, profutura, quæ nec cogitãt, impertitur.

22. Ad confirmationem reſpondetur: Orationẽ non eſſe neceſſariam, vt Deus ſciat hominum indigentias; ſed vt nos Deo ſubiiciamus, eique cultum, & obſequium offeramus, vt ſæpiùs dictum eſt. Nec, cùm Dominus interrogabit Petrum de eius amore, illum Petri amor latebat; ſed fecit, vt Domino ſubderetur, eadem lingua faſſus, qua priùs illum negabat.

23. Arguitur ſecundò: Oratio habẽt rationem cauſæ relatè ad illum, ad quem funditur: ergo illam Deus non præcipit. Probatur antecedẽs: Movens, & inclinans aliquem ad aliquid faciendum habet rationem cauſæ reſpectu moti, & inclinati: ſi oratio eſſet neceſſaria, moveret, & inclinaret Deum: ergo, &c. Minor certa eſt: Ille enim eſt effectus orationis. Maior verò etiã patet: Nihil enim aliud requiritur, vt aliquis ſit cauſa, niſi quòd moveat, & inclinet.

24. Confirmatur: Qui orat vel intendit Deum movere, vel non? Si non: ad quid orat? Si ſic: Ergo oratio Deum movet.

25. Reſpondetur: Orationem habere rationem cauſæ relatè ad rem, quã petit, vt de ſe patet: at relatè ad perſonam, â qua petit; ſi talis perſona creata ſit, habet oratio rationem cauſæ moralis; quia media illa excitatione, & inclinatione, quam oratio cauſat, nequit non eſſe cauſa moralis illius perſonæ vt ſic inclinatæ.

Cæterùm reſpectu Dei negandum omnino eſt orationem habere rationẽ cauſæ: Deus enim omnium ſuprema cauſa eſt: vnde oratio noſtra non movet; nec excitat Deum, vt tribuat, quod petimus; ſed ipſe Deus ab æterno decrevit nobis hæc, & illa dare: & quia eſt ſupremus Proviſor, nihil eſt in effectu, quod eius providentiam ſubterfugiat, atque adeò decrevit cõferre beneficia, & decrevit cauſas, medijs quibus illa conferret: vnde, ſicut decrevit tritici multiplicationem media induſtria hominum, & labore, ſic ſtatuit nobis benefacere media oratione, quæ elauditur ſub illa ſerie, quam providẽtia aſſumit, vt nobis benefaciat. Nemo ambigit, poſſe Deum concedere ſine oratione id, quod media oratione concedit: ſicut potuit triticum multiplicare ſine hominum labore, qui certè iam neceſſarius eſt, ex quo â Deo decretus eſt. Sic & oratio, ex quo Deus illam ſtatuit, vt cauſam proximam eorum, quæ nobis concedere vult, neceſſaria prorſus eſt, habetque rationem cauſæ relatè ad rem obtinendam; ſuam verò efficaciam habet â Deo, qui ſolùm â ſua infinita bonitate motus inclinat ſe ad nobis benefaciendum.

Per quod patet ad argumentum, & confirmationem: Oratio reſpectu Dei non habet rationem cauſæ; nec hoc, quod eſt movere, & inclinare, eſt effectus indiſpenſabilis orationis: ſiquidem, cùm ad Deum funditur, illum effectum non habet: funditur tamen, quia Deus decrevit benefacere mediante oratione, vt cauſa intermedia, vt ex dictis patet.

26. Arguitur tertiò: Oratio terminatur ad ſuperfluum, vel impoſsibile: ergo nec eſt neceſſaria; nec â Deo præcepta. Probatur antecedẽs: Vel habet Deus ab æterno decretum conferre illud, quod media oratione petitur; vel nõ? Si ſic: ſuperfluè petitur; quia, licèt non petatur, conferetur. Si non: impoſsibile petitur; quia ſtante decreto de non conferendo bonum, impoſsibilis redditur eius collatio.

27. Vrgetur hoc primò: Qui orat, vel intendit mutare Divinam voluntatem; vel non? Si ſic; impiè facit. Si non: ad quid orat? cùm Deus non poſsit cõ-

cedere

cedere id, quod petit, quin voluntatem mutet.

28. Vrgetur secũdò: Qui orat: vel scit Deum decreviſſe conferre bonum, quod petit; vel scit decreviſſe contrarium? Si primum; ſuperfluè orat, vt dictum est. Si secundum: impiè petit; cùm ſupponat Deum mutabilem,

29. Si dicas: Neutrum scire; & ideò petit. Contra est: Ergo orans cum hac ignorantia nec absolutè, nec ſub conditione potest petere. Patet iſta quoad ſecundam partem: Conditio, ſub qua posſet petere, est hæc: *Si contrarium determinatum non est*: Sed hæc conditio ſupponit prædefinitã collationem boni, pro qua orat, cùm voluntas Dei nõ posſit excogitari ſuſpenſa: ergo petitio hæc conditionata ſuperflua est. Pro prima verò parte probatur eadem cõſequentia: Quia non potest absolutè ab aliquo peti id, quod ignoratur, an posſit, vel nõ posſit cõcedere: ſed qui modo dicto â Deo petit, ignorat, ſi Deus potest, vel nõ potest cõcedere, quod petit: ergo. Probatur minor: Si Deus decrevit nõ conferre illud bonũ, reddita iam est impoſsibilis eius collatio: ergo qui ignorat hãc determinationẽ, nescit ſi collatio boni, quod petit, ſit poſsibilis.

30. Faciliùs hæc vrgentur, quàm enodantur. Continent quippe ſenticoſam difficultatem, quæ â primis ſæculis multis, & quidem ingenioſiſsimis, paravit ruinam. Alii enim videntes neceſsitatem orationis dicebant, orationem mutare Divinam volũtatem. Alii ex oppoſito credentes immutabilitatem Dei, orationis neceſsitatem negavere. Quibus plures ex iis Catholicis, qui literas nec nominare sciunt, volũt tamen videri ſapientes, morem gerunt: continuè hæc pipientes: vt quid Miſſæ, carnis maceratio, & huiuſmodi alia? Quia ſi Deus decrevit nos ſalvare, ſine his omnibus fiet: ſin minùs; numquàm eveniet. Hæc viri aliàs Catholici, qui circa res temporales nulli ſolicitudini parcunt, vt in dies augeãtur. Si hæc crocitantes linguam latinam noſcerent, ad Caietanum remitterem 2.2. quæſt. 83. vt ſub tanti Doctoris ferula pretium ſtultitiæ ferrent.

Vt autem obſcuræ huic materiæ aliquam lucem conciliemus, habendum præ oculis est: quòd vel Deus decrevit dare, quod ab ipſo petimus, vel non? Si ſecundum aſſeras, quamquàm ores, non obtinebis: & in hoc apparet immutabilitas voluntatis Divinæ. Si primum dicas: obtinebis quidem; ſed quidem ſine oratione neutiquàm obtinebis: & hoc oſtendit orationis neceſsitatem. Ratioque huius ea est: quòd decretum Dei, vt ex dictis patet, non terminatur ad rem abſolutè; ſed vt mediis hiſce cauſis intermediis concedendam: atque adeò, cùm oratio cauſa intermedia ſit, eaque proximior, non dabitur res petita ſine oratione; ſicut triticum ſine labore nõ dabitur. Et in hoc etiam apparet Dei dominium illæſum: quia in prima conſideratione, cùm non obtineatur, quod petitur, explicatur Dei immutabilitas. In ſecunda verò, cùm obtineatur ex ipſius decreto, ſemper, & dare, & negare in eius ſupremam voluntatem refunditur. Et quod de oratione diximus, de auxiliis, & aliis mediis ad finem conſequendum neceſſarijs affirmamus: omnia enim illa â Deo habent ſuam efficaciam, non â libero arbitrio, aut â noſtra cooperatione. Quod, quia â noſtris Thomiſtis paſsim explicatur, indigitaſſe ſufficiat; vt videas cohærentiam doctrinæ, & quòd nihil aliud de oratione dicimus, niſi quod cuiuſcumque medii est propriũ. Et quia factis argumentis, & ſimilibus orationem ê medio tollebant hæretici, vt omnia, quæ in illam obiiciebant, videantur profundiſsimè enervata, vidẽdus omnino est D. Thomas 3. contra Gent. cap. 56. & 1. p. q. 23. art. 8. aſt, nè longiùs evagemur, & obiecta diſſolvamus,

31. Scias: Orationẽ noſtram menſurandam eſſe cum voluntate Dei, qui duplicem voluntatem habet: aliam antecedentem, ſeu ſigni: aliam cõſequentem, ſeu beneplaciti. Quarum notitiam ex Theologia Scholaſtica petere debes. Non tamen omittam, quòd voluntas

antecedens respicit bonum absolutè; voluntas verò consequens respicit bonum, vt vestitum omnibus suis circunstantiis: vnde id, quod est bonum respectu volũtatis antecedentis; atq; adeò amatur, solet non esse bonum, vt attinet ad voluntatem consequentem: quia res, quæ absolutè sumpta est bona, potest per aliquam circunstãtiam vitiari. Quod patet in proiiciente merces, nè vitam amittat. Hoc etiam modo Deus voluntate antecedenti vult omnium hominum salutem: ast quia in magna domo non solùm sunt vasa honoris; sed etiam contumeliæ; propterea voluntate consequenti non omnium salutem decernit.

Nostra ergo mens debet in petendo confirmari cum voluntate Dei antecedenti, vt docet D. Thomas dicta quæst. 83. art. 5. ad 2. vbi ait: *Ad secundũ dicendũ: quòd, cùm orando petimus aliqua, quæ pertinẽt ad nostrã salutẽ, cõformamus volũtatẽ nostrã volũtati Dei, de qua dicitur 1. ad Thimot. 2. quòd vult omnes homines salvos fieri.* Quod si de voluntate consequenti nobis constaret, tunc cùm ea conformaremur: verùm, cùm de illa nobis non constat, conformamur cum antecedenti. His hac brevitate dictis:

32. Respondetur argumento negando antecedens. Ad probationem dicas: Nostram orationẽ respicere rem petitam, prout pertinet ad voluntatem antecedentem, qualiter bona est. Atque adeò res illa non est, vt â nobis petitur, impossibilis: quia impossibilitas, quam habere potest, est ex suppositione, orta â decreto de non conferendo talem rem: hoc autem decretum non est voluntatis antecedentis, sed consequentis, cuius est decernere: vnde illa res v. g. salus Petri petitur, vt est bona, & possibilis; cùm adhuc non intelligatur suppositio illam impossibilem reddens. Et ob eamdem rationem non petitur superfluè, quia adhuc decretum extare non intelligitur. Per quod patet ad cõfirmationes.

Ad primam quidem, quia orans conformatur cum voluntate Dei antecedenti, quam certè mutare non intendit, & quæ ædhuc intelligitur sine decreto reddente impossibilẽ rem, quam oratio petit. ¶ Ad secũdam dicas: Orãtem scire, adhuc non intelligi decretum de conferendo, vel non conferendo rem, pro qua orat, quia hoc decretum est voluntatis consequentis, cum qua non regulatur, sed cum antecedente.

Nec solutionem inter arguendum datam sustinemus: quia, cùm voluntas, quam oratio respicit, velit certissimè illud bonum; ideò petit, quod scit Deũ velle, eoq; non sub conditione aliqua speciali; sed absolutè petit. Vnde, cùm scimus rẽ esse bonã, absolutè petimus, si autẽ ignoramus an sit; vel nõ sit bona, tunc petimus sub hac conditione: *Si Deo placet.*

33. Contra dicta tamen obiicies primò: Si oratio respiceret voluntatem antecedentem, esset, vt ea media moveretur voluntas consequens ad sic; vel aliter decernendum: sed hoc non cohæret cum supremo Dei dominio, vt dictum est: ergo data doctrina ruit. Probatur maior primò: Quia si non sic concurreret, ad nihilum deserviret illa antecedentia. Secundò: Quia quæ se tenent ex parte actus primi influũt in actum secundum: sed voluntas antecedens se habet, vt actus primus respectu volũtatis consequentis: ergo.

Respondetur negando maiorem. Cuius primam probationem dicimus non vrgere: quia illa antecedentia nõ est causalitatis; sed præcisionis. Supponit enim, qui orat, voluntatem consequentem iam decreviisse, quid faciendum sit: non tamen ab illa regulatur; quia ignorat, quid per illam decretum sit; atque adeò, quid sit bonum, possibileq; respectu ipsius. Quod non evenit per ordinem ad voluntatem antecedentem, respectu cuius bonum est, & possibile id, quod petitur. Vnde orans scit cum tali volũtate conformari, dum petit: & ideò absolutè petit.

Vnde, vt omnis æquivocatio vitetur, memento, quòd non dicimus, orãtem respicere volũtatem signi; ac si ab

æterno illa oratio prævideretur â Deo, vt sic; vel non sic decerneret: hoc enim foret ingens absurdum devorare Thomistam dedecens: sed asserimus, quòd orans videt Deum per suam voluntatem antecedentem velle, v. g. hominũ salutem: & hoc sat est, & requiritur, vt petat salutem omnium hominum: in hoc enim certus est, se petere rẽ â Deo volitam: quòd verò posteà per voluntatem consequentem huius, vel illius salus non decernatur, hoc cùm non cõstet, non impedit orationem.

Ad secundam probationem maioris patet ex dictis, nos non ponere orationem vt potentem influere in voluntatem consequentem: sed consideramus obiectum voluntatis antecedẽtis, illudque petimus. ¶ Adde: Voluntatem antecedentem non se habere per modũ actus primi, nec voluntas consequens vt actus secũdus: sed prima respicit obiectum secundùm se; secunda verò, vt vestitum omnibus circũstantiis. Et quæ sic se habent, valde distant, vt possint influere, vt patet in proiiciẽte merces, vt vitet naufragium.

34. Obiicies secundò: Oratio terminatur ad futura: ergo respicit voluntatem, quæ causat futuritionem, quæ abs dubio est voluntas cõsequens. Probatur antecedens: Oratio petit, quod consequi sperat: at non potest sperare possibilia; sed futura, vt de se patet: ergo.

Respondetur: Verum esse, quòd oratio terminatur ad futura, non quæ vt talia cognoscat; cùm ignoret, si Deus illa decrevit; sed quæ sperat in Dei misericordia futura esse: ast, quia illi non constat, quid decretum sit, regulatur per voluntatem antecedentem: quod non faceret, si cognosceret decretum Dei; tunc quippe per voluntatem consequentem regulari deberet. Vt patet in eo, cui Deus revelaret suam dãnationem: hic enim non posset petere suã beatitudinem, sicut nec sperare; quia huic iam constat de voluntate consequenti, eòque tunc non regulatur per antecedentem.

35. Dices: Licèt huius hominis salus negata sit; tamen voluntate antecedenti illam vult Deus: sed hoc sufficit, vt possit peti, etsi constet de eius negatione: ergo. Minor probatur primò: Cum illa revelatione compatitur respectus ille primarius constitutivus orationis: sed remanente hoc respectu, etsi alia desint, subsistit oratio: ergo. Maior patet: Quia oratio, vt suprà ex D. Thoma vidimus, primariò tendit ad exhibendum Deo cultum; secundariò verò terminatur ad rem volitam, & per illum respectum primarium constituitur species orationis; qui quidem respectus semper remanet; nam in quacũque providentia manet mens offerenda Deo, & Deus, cui mens offeratur.

Probatur secundò illa minor principalis: Possumus, & debemus petere salutem omnium hominum, ex quo sciamus Deum velle omnes homines salvos fieri: sed scimus certò non omnes homines salvandos esse: ergo.

36. Confirmatur: Si Deus alicui revelaret esse reprobandum ob peccatum non orandi; adhuc cum hac revelatione teneretur orare; aliàs si non teneretur, non peccaret omittendo orationem: sed tunc certò constabat de negatione salutis: ergo cum sciẽtia de negatione salutis stat oratio circa salutẽ.

37. Ad obiectionem negetur minor. Ad primam probationem dicimus: In moralibus malam circunstantiam vitiare actum: atque adeò in casu posito non remanet oratio in esse virtutis; quia, licèt ille actus esset petitio â Deo; non autem foret rei decẽtis; non enim est decens petere â Deo, quod certò scimus, esse contra ipsius voluntatem: imò, quod iam impossibile est. Vnde talis actus non est actus orationis.

Ad secundam probationem distinguo maiorem: *Omnium hominum* collectivè, nego: divisivè, concedo. Ex quo enim nobis constet, non omnes homines salvandos esse, non possumus salutem omniũ collectivè petere: quia verò intra hanc collectionem ignoramus, qui sint, vel non sint prædestinati; propterea omnium eorum salutem petimus. Nec huius alia ratio quærenda

da eſt præter dictam: in primo enim caſu non poſſumus petere; quia nobis cõſtat de voluntate conſequenti. In ſecundo verò, quia de illa nobis non cõſtat, regulamur per voluntatem antecedentem. Videatur D. Thomas dicta quæſt. 83. art. 7. ad 3. vbi ait, quòd, quia non poſſumus prædeſtinatos â reprobis diſtinguere, pro omnibus oramus. In quibus verbis tota præcedẽs doctrina continetur, quia vt patet: ſi poſſemus prædeſtinatos â reprobis ſeparare, ſolùm pro illis peteremus; quia iam tunc nobis de voluntate conſequenti cõſtaret: quia verò nunc illam ignoramus, recurrimus ad voluntatem ſigni, vt per eam noſtras petitiones regulemus: eoque petimus pro omnibus diviſivè.

38. Replicabis: Dũ nobis iam conſtat de voluntate conſequenti, ſuperfluè petimus ſalutem: ergo data ſolutio non tenet. Probatur antecedens: Cùm conſtat de reprobatione facta per voluntatem conſequẽtem, non poteſt ſalus peti; eo quòd reddita iam eſt impoſsibilis: ergo cùm nobis conſtat de ſalute prædeſtinata, vanè illam petimus. Patet iſta: Quia vanè ab aliquo petimus id, quod iam ipſe conceſsit.

Reſpondetur negando antecedens: Ad probationem nego conſequentiam, & paritatem. Diſcrimen eſt, quòd, vt ſuprà ex D. Thom. vidimus, Deus decernit ſalutem, vt media oratione concedendam: Vnde ex hoc ipſo, quòd prædeſtinata ſit, debemus orare: aliter deficiente cauſa, iam neceſſaria, ad conſequutionem ſalutis, hæc non conſequetur. Relatè autem ad reprobationem nullum influxum oratio habere poteſt: vnde, ex quo de illa conſtat, oratio ceſſare debet.

Ad confirmationem reſpondetur: Caſum illum eſſe implicatorium; quia facta illa revelatione non manet in illo poteſtas ad orandum: eoque non peccaret omittendo orationem: ſicut nec ſalutem ſperare teneretur.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm in primo inſtanti vſus rationis vrgeat orationis præceptum?

NOn eſt animus omnes temporis differentias percurrendi, in quibus Theologi, ſi præceptũ orationis vrgeat? explorant. In hoc ſolùm convenientes, quòd vix duo inveniuntur, qui non ſint toto Cœlo diſtantes. Solummodò de primo inſtanti vſus rationis diſputo. Et quia in eo eſt ſpecialis difficultas; & quia connexionem plurimam habet cum celeberrimo Thomiſtarum dogmate, amoris præceptũ in dicto inſtanti obligare ſtatuente. Verum quidem eſt, quòd ex eo, quod circa hoc dixerimus, plura circa alia tempora colligentur.

§. I. *Præmittuntur aliqua, & referuntur Sententiæ.*

NE iam dicta repetamus, memento, amabo te, eorum, quæ in ſuperioribus diximus. Ibi enim habes, intellectum media oratione Deo ſubiici; & in illa dari duplicem reſpectum: primum ad rem petitam: ſecundũ, & præcipuũ ad Deũ, qui medio hoc reſpectu colitur. Decrevit enim obſequium ſibi ſumere, ex eo, quòd homo propriam indigentiam faſſus ipſum omnipotentem media ſua petitione fateatur. His ergo ſic refricatis, vt ad reſolutionem accedamus:

39. Scias primò: Inſtans primum vſus rationis complecti ſpatium illud, quod primò quis inſumit in diſcernendo inter bonum, & malum, amplectiturque reſolutionem, poſt hanc diſcretionem effformatam. v. g. puer, cùm primò incipit medio diſcurſu, vt homo vivere, â belluiſque ſegregari, conſiderat (Auctore naturæ hoc agente) ſe duplici natura conſtare, alia, qua in bonum rationi diſſonum rapitur; alia, qua in bonũ rationi conſonũ fertur. Nec intelligas, in adeò infantili ætate hæc poſſe ſignatè cognoſci; ſed exercitè: non enim

po-

potest tunc hæc perfectè cognoscere, nec hoc requiritur. Sed videt se hinc inclinatum in bonum, quo ratio deliciatur; illinc propensum in aliud bonum, quod appetit appetitus: & quia tunc tẽporis vrget obligatio eligendi finem, in quem se, suaque omnia dirigat, propterea debet vnum ex illis bonis assumere: vtrumque enim assumere non valet. Et resolutio, quæ tunc sumitur, terminat illud spatium, quod dicimus vsus rationis primum instans.

Scias secundò: Puerum perventem ad vsum rationis incipere magnum hoc vitæ rationalis iter: atque adeò debere sibi præstituere finem, in quem tẽdat: vt in quocunque itinere, quod aggredimur, nobis evenit: priùs enim scopum eligimus, & posteà media, quibus in illum perveniamus; non aliter de mediis acturi, nisi quia finem illum desideramus. Vnde, cùm vitæ iter longius, & periculosius sit quocumque alio, debet speciali motivo finem habere.

Scias tertiò: Quòd, licèt puer sit adeò rudis, iam tunc incipit esse Dominus suorum actuum; eoque ex tunc liberè operatur. Quanquàm naturæ Auctor suam solicitudinem maximè ibi ostendat, illuminans puerum illum, vt malum fugiat, & bonum amplectatur, media qua illuminatione intimat pientissimus Deus suam legem, quæ ex tunc incipit obligare: vnde intimat illi, subiectum debere esse Auctori naturæ, â quo quicquid boni habet, accipit, & â quo sperat pluribus aliis bonis ditari, & sine quo non potest sequi bonũ; cùm ex se solùm possit, quod non est meritorium operari. Et hoc ostenditur nobis apud Ioann. cap. 1. vbi dicitur: *Illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum.* Quod de adventu ad vsum rationis intelligit Noster D. Cyrillus: quia tunc certè ille puer venit in mundum, vt homo: quia tunc media illa Dei illuminatione incipit libertate gaudere vt homo: priùs enim, licèt in mũdo esset, non erat, vt homo; cùm non liberè operaretur, vt homo: ab hoc verò instanti operatur, vt homo, cognoscens suæ salutis indigentiam, & quòd ex se consequi illam non potest; sed quòd solicitare debet adiutorem fortem, cuius auxilio superet scopulos ab inimicis suæ salutis obiectos.

Scias quartò: Pueros pervenientes ad vsum rationis alios esse, qui notitiam aliqualem habent Dei: quia hi, vtpotè inter fideles enutriti, vel antequã ad illud instans perveniant; si Deũ nominare audiunt, ingeniculantur, & pugnis pectora tundunt. Alios verò esse, qui nihil de Deo audierunt. Verùm, cùm ratio libertatis sit communis; propterea omnibus etiam communis est obligatio se in Deum convertendi: aliter tamen, & aliter secundùm differentiam ipsius Dei, vel vt Auctoris supernaturalis, vel naturalis; vel explicitè, aut implicitè, & in confuso cogniti. Quæ prolixè tradere, Scholasticorum est; nec ad resolutionem sumendam potest vel minimum deservire.

His scitis, in præsenti difficultate duplex extrema versatur opinio. Prima negativa est. Illam defendunt Navarrus loco supra citato, P. Suarez, Magister Ioan. â S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 3. & alii. Hi Auctores diverso motivo ducuntur, vt idem negent. Alii enim moventur, quia non cognoscunt in primo instanti vsus rationis obligationem se in Deum convertendi. Alii verò, quia, licèt hanc obligationem fateantur ex 1. 2. quæst. 89. art. vltimo; negant tamen tunc obligare orationis præceptum: quamvis enim hi non negent, orationem requiri ad illam conversionem; dicunt tamen hoc esse per accidens ratione præcepti amoris Dei. Secunda sententia tenet, vrgere in dicto instanti orationis præceptum. Hanc iudicamus esse de mente Divi Thomæ, & Seraphicæ Theresiæ locis infra referendis; etiam eam tenent Silvester in sum. verbo *oratio* Magister Torre 2. 2. quæst. 83. art. 2. disp. 2. num. 7.

§. II. *Eligitur sententia affirmativa.*

40. NOstra conclusio: *In primo instãti vsus rationis vrget orationis præceptũ.* Probatur 1. ex illo Zach. cap. 1. vbi monet Deus: *Cõvertimi-*

timini ad me, & ego convertar ad vos. Quod pueris ad rationem pervenientibus dictum esse docet D.Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 6. ad 3. iis verbis: *Hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dixit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Ex quo sic argumentor: In primo instanti vsus rationis tenetur homo ad conversionem in Deum, vt patet ex verbis Zachar. adiuncto glossemate D. Thomæ: atqui oratio est conversio hominis ad Deũ: ergo tenetur ad orationem. Consequentia formalis est, & minor probatur ex Hugone adducto â Sylva locorum communium, vbi veluti definiens orationem ait: *Oratio est piæ mentis, & humilis ad Deum conversio fide, spe, & charitate subnixa.* Ergo tenet minor.

41. Probatur secundò ex Matth. 6. vbi præcipit Christus: *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius.* Quæ verba, sicut & præcedentia, intelligit D. Thomas de eodem primo rationis vsu 7. de malo art. 10. ad 9. qua luce sic procedo: In dicto instanti debemus quærere regnum Dei ex Domini imperio: atqui regnum Dei quæritur oratione: ergo in primo illo instanti debemus orare. Minor probatur ex ipso Domino dicente: Matth. cap. 21. v. 13. & cap. 7. v. 8. *Domus mea domus orationis est, in ea omnis, qui petit accipit, qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Quæ verba ad rem propriſsimè applicat D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 3. quæstiũc. 3. ad 4. vt postea expẽdemus.

42. Si dicas: Hæc multùm generalia esse, & cuicumque virtuti applicari queunt: siquidem charitas, v. g. est conversio in Deum, & similiter pœnitentia, fides etiam, & spes; quibus etiam ipse Deus quæritur: ergo nihil speciale probant de oratione.

Respondetur: Nos non proprio discursu; sed auctoritate fundare dictas probationes: vnde, cùm illæ de oratione probent, quòd intendimus, nihil obest, quòd aliis virtutibus valeant applicari. Quod, si de charitate intelligas, obviis manibus fatemur, vrgere tunc præceptum charitatis. Pœnitẽtia non est propriè conversio in Deum: præterquamquòd in nostro casu locum non habet; quia, licèt puer peccatum originem habeat, hoc non est materia per pœnitentiam destruenda. Vnde patet, quòd, licèt in illo instanti convertatur homo in Deum media fide, credendo de Deo, quia est, & media spe eum habendo vt remuneratorem, & media charitate illum summoperè, quantum status patitur, diligendo; etiam convertitur in ipsum media oratione.

43. Probatur tertiò Conclusio ex Magno Augustino lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 56. vbi dicitur: *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire: nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem auxilium promereri.* Ex quo hæc ratio deducitur: Homo perveniens ad vsum rationis tenetur ad salutem venire: atqui sine oratione non consequetur salutem: ergo ad orationem tenetur. Maior certa est: Quia ille homo vel maculatus est labe originea, â qua tunc exire debet, & iustificari, vt modò supponendũ est, vel, si iam per Baptismum est iustificatus, debet primitias suæ libertatis Deo offerre. Minor verò ex allata auctoritate clarissimè constat. Siquidem homo ille debet facere id, sine quo non consequetur auxilum: ergo orare debet.

44. Confirmatur ex eodem Divo Augustino, qui lib. de nat. & grat. cap. 43. ait: *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo admonet, & facere, quod possis, & petere, quæ non possis*: atqui in primo rationis instãti cognoscit homo se pluribus indigere, quæ non cõsequetur, nisi â solo Deo: ergo tunc tenetur orare, vt possit, quod desiderat, obtinere.

45. Deinde probatur conclusio ratione eruta ex Angelico Præceptore loco citato ex sent. art. 1. quæstiunc. 2. ad 2. Ascensus in Deum, vt in quo auxilium quærit, est oratio: sed homo veniens ad rationis vsum tenetur ascendere in Deum auxilium in ipso quærens: ergo tenetur orare. Consequentia bona est. Maior est expressa D. Tho-

mæ

mæ citati dicentis: *Alius est ascensus in Deum vt in quo* (nomo) *auxilium quærit, vt in psam. 122. dicitur, ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis, & talis ascensus est oratio.* Minor verò certissima est, vt patet ex n. præcedenti.

46. Confirmatur ex eodem Angelico Præceptore verbis iis, quæ retulimus num. 2. ad præsens propositum applicatis: *Ad orationem quilibet tenetur ex hoc, quòd tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ non nisi Divinitùs dantur; vnde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur.* Atqui homo in primo rationis instanti tenetur ad procuranda bona spiritualia, quæ non nisi Divinitùs dantur; nec aliter procurari possunt, nisi ab ipso flagitentur: ergo ex hoc tenetur ad orationem.

47. Probatur denique conclusio ex Seraphica M. N. D. Theresia, quæ inter Cœlestia monita, quæ â summo Cœlo nobis dedit in 17. sic ait: Res quælibet, quæ magni momenti est, antequàm decernatur, per orationem trâseat; similia dixerat monito 10. modò sic: sed sic est, quòd perveniens ad vsum rationis rem gravissimam decernit: ergo vt rectè decernat, orare debet.

48. Confirmatur primò: Homo perveniês ad rationis vsum recipit magnos favores â D.O. M. ergo in illo instâti debet orare. Antec. patet: quia tunc incipit ratiocinari, & ad virtutem, & in Cœlum tẽdere. Consequẽtia verò probatur: Quia sine ianua, per quã Cœlestes favores ingrediuntur, isti non habentur, vt patet vel ex materiali exemplo ianuæ materialis, & domus: atqui oratio est ianua, per quam ingrediuntur favores magni, quibus Deus animam honorat, vt ait. Seraph. Theresia lib. vitæ suæ cap. 8. Ergo vt illos recipiat, debet orare, qui ad vsum rationis pervenit.

49. Confirmatur secundò: Dictus homo incipit tunc tendere in Cœlum: ergo debet intrare iter regale, quo in Cœlum itur: ergo tenetur orare. Cætera de se, & ex dictis constãt, & secunda consequentia probatur: Quia oratio est regale iter, quo in Cœlum itur, ex Santissima Theresia lib. de itinere perfectionis, cap. 21. sed homo illẽ tenetur hoc iter arripere: ergo & orare.

§. III. *Commune Adversariorum effugium.*

50. AUctores oppositi videtes nostrã conclusionẽ affatim cõmunitã, illã illudere conãtur cõmuni effugio, quo vtũtur. Dicunt enim, quòd licèt puer perveniês ad vsũ rationis orare debeat: hoc non provenit ex obligatione, quam ad orandum habeat; sed quia vrget tunc tempus adimplendi alia præcepta, ob quorum adimpletionem orat: quòd si hæc alia præcepta tunc non vrgerent, nulla ratione teneretur orare: vnde oratio non requiritur per se; sed per accidens. Et hoc est, quo solo omnes rationes nostras dissolvere putant.

Aiunt enim, requiri quidem orationem, vt asserunt D. Augustinus, Angelicus Doctor, Seraphica Theresia, & nostræ rationes convincunt; ast, quia solùm per accidens requiritur; propterea præceptum non datur de oratione tunc habenda.

51. Verũ, vt num. 7. dicebamus, hoc provenit ex siniſtra intelligẽtia necessitatis per se, & per accidens. Quarũ perfectam explicationem ad hũc locum reservavimus. Vt ergo ab obligatione ex tunc cõtracta liberemur, scire debes ex præclaro nostro Salmant. Collegio tract. 13. disp. 20. dub. 1. num. 6. ex duplici capite posse provenire obligationem ponendi aliquem actum. V. g. diligẽdi Deum; vel fundẽdi orationem in aliquo determinato tempore: scilicet aut ex periculo intrinseco, orto per se ex absentia talis actus; aut ex periculo extrinseco proveniente, non ex carentia talis actus; sed aliunde: tunc autem periculum est intrinsecum, quãdo actus requiritur nõ casu; aut ex huius, illiusve accidentis occursu; sed ex natura rei, & ex ordine Divinorũ præceptorum. Non enim alia via, quàm per talis actus positionem potest caveri periculum, iuxta communem rerum ordinem. Quod quidem periculum non vi-

vrget cõtra hoc; aut illud præceptum determinatum; ſed generaliter contra omnia, vel contra plura. Quod maximè verum eſt, quando præceptum non hunc, aut illum gravat, ſed plures; & hoc in eadem occaſione. Tunc enim ipſe rerum ordo per ſe poſtulat, vt tunc temporis detur præceptum de tali actu tunc exercendo: & hoc eſt præceptum obligare per ſe.

Periculum verò extrinſecum datur; quando non ordo rerum, aut Divinorum præceptorum; ſed occaſio aliqua accidentaliter occurrens poſtulat, vt adhibeatur talis actus ad tale periculum cavendum: vnde, cùm periculum non incurratur ex abſentia actus, poteſt tolli, tolliturque multoties ſine illo per ſolam abſentiã occaſionis: quamobrem, quòd actus tunc adhibeatur, non per ſe petitur â præcepto ipſius actus; ſed accidentaliter ratione alterius præcepti, cuius adimpletio per talem occaſionem impeditur. Vt ſiquis ponatur in occaſione frãgendi ieiunium, niſi oret: tunc orare debet: verùm oratio illa non per ſe ponitur, ſed per accidens, hoc eſt, ratione tentationis, tunc accidentaliter occurrentis, qua ablata, oratio non requiritur.

Ex quibus habes: Quòd idem eſt, actum requiri per ſe, ac eſſe talis conditionis, vt ex non poſitione illius ſequatur periculum frangendi alia præcepta: quia tunc poſitio illius actus eſt cauſa evadendi periculum; & ipſius abſentia eſt cauſa periculum incurrendi. Tunc verò requiri per accidens; cùm abſentia eius non eſt cauſa periculum incurrendi, hoc enim aliunde incurritur. Vnde licèt poſtquàm periculum iam eſt præſens requiratur actus ille, vt lex non violetur: tamen non per ſe; ſed per accidens requiritur, v. g. Tẽtatur quis vt ieiunium violet, ita vt niſi auxilium â Deo petat, franget præceptum ieiunii. Certum eſt, hunc debere orare: aſt hoc eſt per accidens: nempe ratione illius occaſionis, quam certè non induxit orationis abſentia: vnde, ſicut non fuit introducta per abſentiam orationis: ita nec, vt caveatur, requirit per ſe orationem.

52. In hoc explicando immorati ſumus; quia, vt diximus, hoc eſt vnicum Adverſariorũ effugium. Quod tam ex modò dictis, quàm ex aliis, anteà expenſis, conſtat valde ruinoſum eſſe. Quare

Contra illud facit primò: Quòd oratio requiratur in primo inſtanti vſus rationis propter alia, non obeſt, vt ipſa per ſe requiratur: ergo ruit oppoſitum fundamẽtum. Antecedens probatur ex iis, quæ diximus num. 7. Quia, vt ibi dicebamus, ſi, quæ propter alia requirũtur, nõ requirerẽtur per ſe, nullum medium foret neceſſarium per ſe; cùm omnia ſolùm propter finem requirantur: ergo licèt oratio requiratur propter alia, per ſe neceſſaria eſt.

53. Contra ſecundò: In dicto primo inſtãti requiritur oratio ob periculum intrinſecum ortum ex abſentia talis actus: ergo tunc per ſe riquiritur. Patet iſta ex modò dictis. Antecedens verò probatur: Quia periculum imminens in illo inſtanti non caſu imminet; ſed ex natura rerum: non eſt contra vnum, aut aliud præceptum; ſed contra plura: non eſt contra hunc, aut illum hominem; ſed generaliter contra omnes: non in diverſis temporibus; ſed in eodem; nempe cùm ad rationem perveniunt: atqui hæc ſunt manifeſta ſigna orationem per ſe requiri in illo inſtanti: ergo. Conſequentia bona eſt, maiorem negabit nemo. Et minor conſtat ex toto num. 51.

54. Confirmatur hoc: Ex abſentia orationis in dicto inſtanti ſequitur periculum frangendi alia præcepta tunc occurrentia: ergo poſitio orationis per ſe requiritur. Conſequentia patet ex dictis. Et antecedens probatur primò: Quia ex non præparatione ad magnum, & periculoſum iter conficiendum; ex non petitione auxilii, cùm imminent plures, eæque graviſsimæ difficultates, quas conſtat ſuperari non poſſe ſine recurſu ſupplici ad potentem, ſequitur periculum frangendi tunc obligationes occurrentes: at hæc eveniunt in dicto inſtanti; ſiquidem tunc homo ingredi-

tur

tur hoc mare magnum, & spatiosum, vbi sunt reptilia, quorum non est numerus, & tunc maximè anhelant, vt sint prima libertatis possessio: ergo absentia orationis illa pericula incurrit.

Probatur secundò ipsum antecedens: Ex absentia auxilii indispensabiliter requisiti ad impletionem præceptorum in illo instanti obligantium, sequitur periculum frangendi talia præcepta: ex absentia orationis in tali instanti sequitur absentia auxilii: ergo & periculum frangendi præcepta. Minor, in qua aliquis dubitare posset, probatur ex verbis D. Augustini positis num. 43. vbi asseritur neminem nisi orantem auxilium promereri: ergo ex non positione orationis sequitur carentia auxilii.

Vrgetur hoc: Etenim eodem modo requiritur invitatio Dei, vt homo ad salutem veniat, & auxilium ipsius, vt homo post invitationem salutem operetur; ac requiritur oratio, vt tale auxilium consequatur: atqui invitatio, & auxilium Dei omnino per se requiruntur, vt homo ad salutem veniat, & illam operetur: ergo & oratio per se requiritur, vt consequatur auxilium. Minorem nullus Catholicus negabit. Maior verò constat ex dictis Augustini verbis in dicto numero relatis, quæ sic se habent: *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire: nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari: nullum nisi orantem auxilium promereri.* Vbi eodem modo loquitur de veniente ad salutem per invitationem; de operante salutem per auxilium; ac de promerente auxilium per orationem. Vnde, cùm in dicto instanti maximè verificetur Dei invitatio, & salutis operatio, etiam vrget ibi maximè necessitas orationis.

Ad hæc: Ideò auxilium requiritur per se ad salutem; quia sine auxilio non est salus: atqui sine oratione non est auxilium: ergo per se requiritur. Minor probatur ex ipsis verbis dictis ibi: *Nullum nisi orantem auxilium promereri.* Et etiam ex illis positis numero 7. vbi ait idem Augustinus: Deum alia bona non orantibus: *alia non nisi orantibus præparasse.*

55. Contra tertiò, & præcipuè contra illos Thomistas, qui modò ex adverso sunt: Quia, vt ipsi fatentur, oratio est necessaria pro primo instanti vsus rationis: atqui est necessaria per se: ergo non tenet eorum evasio. Probatur minor: Quod cadit sub præcepto Divinæ legis, est necessarium per se: sic est oratio: ergo. Cætera constant, & minor probatur: Quod est medium necessarium ad salutem, cadit sub præcepto Divinæ legis: oratio in dicto instanti est medium necessarium ad salutem, de qua tunc maximè agitur: ergo tunc cadit sub præcepto. Cõsequentia est omnino formalis. Minorem non negabunt Aduersarii; cùm fateantur, orationem necessariam esse in illo instanti; licèt per accidens. Maior verò continet expressissimam doctrinam D. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 5. vbi, vt vidimus numero 11. ait: *Quæ sunt necessaria ad salutem, cadunt sub præcepto Divinæ legis.* Vnde, cùm in dicto instanti agatur maximè de salute hominis, ad quam oratio necessaria est; sequitur orationem tunc cadere sub præcepto; atque adeò non per accidens, sed per se requiri: siquidem præcepta Divinæ legis nõ sunt de accidentaliter requisitis.

56. Confirmatur: Quotiescumque aliquis non potest aliter consequi, quod debet habere, tenetur per se orare: atqui veniens ad vsum rationis non potest consequi ex se multa, quæ tunc temporis debet habere; vt sunt expulsio culpæ originalis (si adhuc illa maculatur) auxilia, quibus virtutum, maximè Theologalium, actus eliciat, & huiusmodi alia: ergo in illo instanti tenetur per se orare. Maior, in qua poterat esse difficultas, probatur ex eodem D. Thoma, qui 3. part. quæst. 21. art. 1. in corp. loquente de obligatione, quam Christus Dominus habuit ad orandum ait: *Quia in Christo est alia voluntas Divina, alia humana, & voluntas humana non est per se efficax ad implendum, quod vult, nisi per virtutem Divinam: inde est, quod Christo, secundum quod est homo, & humanam vo-*

luntatem habet, competit orare. Quibus verbis & maior illa probatur, & hactenus dicta fulciũtur, & vberioris doctrinæ, & claritatis gratia, ſic dictã auctoritatem ad noſtrum propoſitum applicamus: quia voluntas humana Chriſti non eſt per ſe efficax ad conſequendum, quod vult, niſi per virtutem Divinam, debet Chriſtus per ſe orare, implorando ipſam Divinam virtutem: atqui perveniens ad vſum rationis non eſt per ſe efficax ad obtinendum, quod pro tunc vult, niſi per virtutem Divinam: ergo tunc per ſe tenetur orare.

Ad hæc: Dari præceptum per ſe obligans ad orationem nobiſcum tuẽtur ii, qui modò nobis contrariantur: ergo tale præceptum aliquando obligat. Ergo obligat in inſtanti dicto. Prima conſequentia nota eſt: nõ enim daretur præceptum; ſi aliquando non obligaret. Secunda autem conſequentia probatur: Quia nunquàm magis viget neceſsitas orationis tam ex parte rerum petendarum, quàm ex parte cultus Deo exhibendi; ſiquidem tunc incipit ille homo vitam rationalem, ingrediturque viam ſpiritus, quem ex tota mẽte debet Deo conſecrare, vt primitias ei offerat ex omnibus, quæ poſsidet: ergo cùm per orationem mens conſecretur, & alia tunc neceſſaria conſequantur, in dicto inſtanti obligat per ſe oratio.

§. IV. *Argumenta.*

57. VEl nulla, vel pauciſsima ſunt argumẽta neceſsitatem orationis pro primo rationis inſtanti impugnantia, quæ pariter non impugnent neceſsitatem converſionis in Deum medio amore, quorum ſolutio apud noſtros Salmant. Gonet, & alios Thomiſtas videnda eſt: quarè pauca afferemus. Arguitur primò: Si homo veniens ad vſum rationis teneretur orare, eſſet, quia tunc teneretur converti in Deum: ſed ex quo tunc teneatur converti in Deum, non ſequitur obligatio ad orationem: ergo. Probatur minor: Quando quis orat ad Deum, iam ſupponitur converſus in ipſum ex ad Roman. 10. vbi dicitur: *Qnomodò invocabunt, in qnem non credidérunt*? ergo ad converſionem non requiritur oratio.

58. Confirmatur primò: Per hoc, quòd homo ille convertatur in Deum, fugit malum, & finem honeſtum ſibi præfigit, in quem ſe, ſuaque omnia dirigat: ergo tunc non tenetur orare. Patet iſta: Quia ſi teneretur, eſſet ob contenta in antecedenti, quod probatur: Quia ille homo, ex quo ſit converſus in Deum, reſpicit bonum honeſtum, vt finem vltimum: ergo cùm hic finis ſit incõpatibilis cum bono delectabili, hoc fugit, in illumque dirigitur.

59. Confirmatur ſecundò: Homo, de quo loquimur, vel eſt educatus inter fideles, & baptizatus; vel non? Sed neutro modo tenetur orare: ergo. Minor pro prima parte probatur: Quia, ſi eſt baptizatus, habet quicquid requiritur, vt convertatur; ad hoc quippe ſat ſunt fides, & virtutes infuſæ cum communi auxilio gratiæ: ſed hæc omnia habet ille homo, ex quo baptizatus ſit: ergo. Pro ſecunda parte probatur eadem minor: Quia, ſi homo ille baptizatus non eſt, non tenetur orare vſque dum illuminetur ſupernaturaliter: ſed poſtquàm illuminatur, ſufficit illa illuminatio cum adiuvante gratia, vt convertatur: ergo nullo modo orare tenetur.

Pater Suarez permittens obligationem amoris Dei in puero veniente ad vſum rationis, negat ipſum ad orationem teneri facto argumento cum ſuis confirmationibus. Illis tamen non ſolùm impugnatur noſtra ſententia; ſed etiam, ni vehementer fallor, tollitur ê medio neceſsitas orationis nobiliori, & vrgentiori ex parte. Quippe, ſi antequàm homo oret, ſupponitur converſus in Deum, non orabit peccator auxilum pro ſua converſione petens, quia, cùm iam ſit in Deum finem vltimum converſus, ſupponitur bono commutabili averſus; atque adeò ſine culpa. Si homo ille eſt fidelis, quamquàm ingenti peccatorum ſarcina gravetur, ſat eſt fides, quam habet, vt communi auxilio gratiæ convertatur. Si infidelis eſt; ante illuminationem non tenetur ora-

re;

re; post illam verò, cum illa, & gratia auxiliante convertitur. Vnde solùm orabimus pro pluvia petenda, & similibus, aut pro aliis personis: quæ quis non videat quã absurda sunt; cùm continuus suam salutem desiderantium clamor sit directus, vt peccatorum remissionem obtineant: & Ecclesia de hoc Missam specialem habeat?

60. Ad argumẽtum ergo respondetur primò: Quòd oratio, vt vidimus num. 40. est ipsa conversio in Deum; vnde nõ potest cõversio orationẽ præcedere. *Secundò* respõdetur distinguendo maiorem: *Converti in Deum*, quem media illuminatione tunc recẽpta cognoscit, concedatur. Quem iam amat, & â quo iam accepit auxilium, vt amet, negetur. Deinde distinguitur minor: *ad orationem* pro illuminatione, conceditur. Pro auxilio ad amorem, & ad alia, negatur: sicque resolvatur totum argumentum.

Explicatur solutio: Homo veniens ad vsum rationis illuminatur certè à Deo, vt initio quæstionis dicebamus. Hæc illuminatio suggerit illi, debere amplecti bonum honestum, Deumque amare; vel explicitè, vel in confuso, de quo Salmanticenses vide; debereque quærere, vt hoc faciat, auxilium illius, qui sibi proponitur diligendus. Hæc omnia suggerit illa illuminatio, hæcque omnia perpendit homo ille, iam media illuminatione conversus; ast non adhuc amans; vsque dum â finis bonitate allectus determinat, Deum sequi, ad quod ab ipso Deo auxilium petit, tuncque orat. Vnde habetur, quòd ad primam gratiam oratio non præcedit: verùm antecedit alias, quod perspicuè docuit Augustinus iis verbis iam dictis: *Deum alia danda non orantibus, sicut initium fidei: alia non nisi orantibus præparasse.* Et idem docuit de Ecclesiast. dog. illis aliis: vbi priùs ponit Deum invitantem, posteà hominem orantem, & media oratione auxilium promerẽtem. Quia priùs Deus hominem illuminat invitando, posteà homo media hac illuminatione cognoscẽs Deum, vt dignum, qui ametur, illum amare statuit, quod non faciet sine auxilio, nec hoc sine oratione habebit.

Ad primam confirmationem dicas: Quòd per hoc, quòd homo convertatur in Deum illum diligendo, habet, quod confirmatio refert: verùm hoc sine oratione non faciet. Per hoc verò, quòd convertatur in Deum media dicta prima illuminatione, non fugit malum; sed cognoscit bonum, quod sequi debet. Et vtinam omnes, qui media fide in Deum conversi sumus, taliter operemur, vt malum fugientes, sequamur bonum.

Ad secundam confirmationem negetur minor pro vtraque parte; quia vltra hoc, quod est posse Deum amare, requiritur auxilium, quo hoc fiat, & pro hoc auxilio oratio funditur: Quod semper verificatur, & maximè in nostro casu: quia tunc incipit ille homo operari, vt rationalis: tunc incipitur totius vitæ iter: atque adeò necessarius est recursus ad Deum, â quo petenda tunc plura occurrunt. ¶ Adde: Orationem non solùm requiri in dicto instanti, vt medium ad alia; sed etiam propter se ipsam requiritur; hoc est ex motivo Religionis. Quia tunc viget obligatio offerendi Deo primitias suæ mẽtis, quæ solummodò per orationem cõsecratur. Vide dicta â num. 7.

61. Arguitur secundò: Si in dicto instãti daretur obligatio ad orationem, puer tunc non orans peccaret; eoque teneretur hoc in Confessione aperire: sed hoc â nemine fit, nec iubetur: ergo talis obligatio non datur.

62. Confirmatur primò: Quia vix possibile est humano modo, ait Suarez, tam subitò illam obligationem recognoscere, & implere: ergo non datur. Patet ista: quia aliàs ad impossibile obligaretur homo ille.

63. Confirmatur secundo ex Magistro Ioan. â S. Thom. in 2. 2. quæst. 83. fol. mihi 346. Si daretur talis obligatio in dicto instanti, illam frangeret, qui non oraret, licèt poneret actum virtualiter, & æquivalenter, continentẽ orationẽ: sed in dicto instanti, & in mortis articulo, nõ peccat, qui nõ orat, dum-

dummodò ponat actum amoris Dei, in quo æquivalenter, & virtualiter, oratio continetur: ergo non datur obligatio ad orationem in illo primo instanti vitæ rationalis; sicut nec in vltimo.

Respondetur argumento concessa maiori, negando minorem: Debet enim in Cõfessione aperiri fractio illius præcepti. Quòd verò hoc non ab omnibus fiat, provenit, vel quia cõtrariũ probabiliter opinantur, vel quia non recordãtur, illã non impleviſſe, quod sat est, vt ad confitendum deobligentur: vel quia, vt Caietanus tenet, sufficit dicere: se confiteri de omni eo, quod in Deum fecit: vel denique non opus est hac expressione: quia, cùm hoc præceptum sit connexum cum præcepto amandi Deũ: si bene orat, amabit quidẽ: si non amat, est quia non orat: vnde dicens se contra vnũ ex his duobus præceptis peccasse; abs dubio asserit, se in alterum deliquisse.

Ad primam cõfirmationem respondetur: Verum esse, quòd illa humano modo non fiunt: est enim providentiæ Auctoris naturæ opus illud; sine quo nil faceret tam tenera ætas. Vnde ipse naturæ Auctor supplet sua benigna providentia defectus, qui ab illa ætate impræscindibiles sunt. Nec verum supponit ly *tam subitò*: non enim ad temporis angustias reducimus hoc negotium: nec pro omnibus idem spatium temporis designamus. Instãs illud non physicum; sed morale est, vt prælibavimus. Et ipsum morale instans brevius, longiusve est, secundùm agilitatem, vel tarditatem intellectus pervenientium ad illud. Debuisſetque Suarez animadvertere, se hanc nostram opinionem impugnare, adhuc permissa doctrina D. Thomæ asserentis dari pro illo instanti præceptum amandi Deum: quo admisso, nescio quid particulare inveniat in oratione, vt non possit eius obligatio recognosci, & impleri; si permittit impleri posse amoris præceptum: cùm sint adeò inter se connexa, vt simul cognoscantur, impleanturque.

Ad secundam confirmationem respondetur ex doctrina ipsius Magistri, qui immediatè antè, nempe pag. mihi 344. agens de necessitate orationis absolutè, & sine determinatione ad speciale tempus, hæc habet: *Sed inquires: an quando dicitur oratio necessaria necessitate medii :::: sufficiat oratio virtualiter, vel causaliter, v. g. desiderium obtinendi aliquid à Deo; vel amor Dei, in quibus tãquam in causa, & virtute continetur oratio?* Huic interrogationi respondet egregius hic Theologus, quòd etiamsi intellectus formaliter non petat, neque formaliter moveatur ascendendo in Deum; si tamen virtualiter ascendit faciendo aliquem actum, quo virtualiter procuret ipsam salutem â Deo, satisfacit necessitati orationis. Hæc doctissimus hic Magister.

Et tacitæ obiectioni occurrens, addit: *Hoc tamen non tollit, quin oratio simpliciter sit medium simpliciter necessarium ad salutem; sicut pœnitentia est medium necessarium peccanti mortaliter, licèt actus charitatis, qui eminenter virtualiter continet pœnitentiam, sufficiat loco illius ad iustificandum.*

Hanc ipsissimam doctrinã, quam tradit citatus Magister circa orationem absolutè sumptam, applicamus orationi, vt vrgenti in primo rationis instanti. Vnde dicimus, quòd, licèt tam in primo, quàm in vltimo instanti possit oratio suppleri per alium actum illam virtualiter continentem, *hoc non tollet, quin oratio simpliciter sit simpliciter necessaria ad salutem pro illis instantibus.*

Adde: Quòd, licèt nõ negemus, quòd si veniẽs ad rationis vsum haberet amorem Dei, non teneretur orare; vnde tamen constat, illum habere Dei amorem? Et insuper, quod scimus, est, hunc ipsum amorem, auxiliumque ad illum, non nisi orantibus dari, vt patet ex dictis: ergo semper verum est, orationem necessariam esse per se: atque adeò in primo instanti vsus rationis per se requiritur oratio.

DIS-

DISPVTATIO IV.

De iis, qui poſſunt orare.

MVlti ſunt, qui orare valent, & debent: Imperium quippe orationis, quod diſputatione præcedenti luſtravimus, vaſtiſsimum certè eſt, & numerum penè innumerum diverſarum nationum comprenhendit. Orat peccator, vt in gratiam læſi Numinis revocetur: orat iuſtus, ne retr o aſpiciens in ſtatuam inſulſam ſalis convertatur: orat viator, nè tumentes vortices, quos mundi ſinus in Myoparonem vibrat, vrnam conferant ſepulchralem. Orat comprehenſor, vt ergaſtuli horror, quo ſuum corpus fædatur, infelicitatis decorem commutetur. Orat Angelus pro afflictis, & captivis. Orant omnes quotquot in rationis clara ſede ſedem habent. In quo non eſt ſpeciale diſsidium. Sed an, in quocumque ſtatu conſiderentur, eis orare conveniat, & an pro aliis orare valeant? habet ſpecialem difficultatem. Et hanc cauſant exiſtentes in Purgatorio, & in Empyreo. Similiterque eſt ſpeciale dubium in hac parte circa D. O. M. qui cùm ſupra omnia ſit, dubitatur, an orare poſsit? Has ergo difficultates in hac diſputatione verſabimus. Quarum

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Deo conveniat propriè, & formaliter Orare?

1. LOquimur, vt titulus exprimit, de oratione, quæ propriè talis ſit, de qua ſuprà diſput. 2. q. 2. egimus. Vt autem via diſputationi aperiatur, ſcire oportet: Deũ poſſe ſumi, velut ſubſiſtit in natura propria; vel in aliena. Itidem vt ſubſiſtens in natura aliena poteſt ſumi, vel pro tempore, quo nobiſcum converſabatur in terris; vel pro hoc, quo regnat in Cœlis.

2. Verùm, vt certa ab incertis ſeparemus: tenendum omnino eſt, Deum in propria natura ſubſiſtẽtem orare nõ poſſe. Quod patet: quia oratio eſt elevatio mentis in Deum; vel petitio decentium â Deo: ergo Deus in propria natura ſubſiſtens orare non poteſt. Probatur conſequentia: Quia Deus non poteſt elevare mentem in Deum; nec aliquid â Deo petere; cùm nemo in ſe ipſum mentem elevet; nec aliquid petat â ſe ipſo: ergo.

3. Confirmatur: Oratio eſt manifeſtatio propriæ indigentiæ, vt orans ab ea ſublevetur: ſed Deus nec habet, nec habere poteſt indigentiam, â qua ſublevetur: ergo non poteſt orare.

4. Contra hanc tamen ſuppoſitionem obiicies primò: Quia oratio non ſolùm eſt ad Superiorem; ſed etiam ad æqualem: atqui Perſonæ Divinæ ſunt æquales: ergo vna aliam orare poteſt. Probatur minor ex D. Thoma 2. 2. q. 83. art. 1. dicente: *Oratio petit aliquid fieri ab his, qui ei non ſubiiciuntur, ſive ſint æquales; ſive ſint ſuperiores*: ergo tenet maior.

5. Obiicies ſecundò: Vna perſona accipit ab alia: ergo perſona accipiens poteſt orare, vt ei concedatur id, quod accipit. Antecedens patet: Nam Filius â Patre, & ab vtroque Spiritus Sanctus accipit eſſe.

6. Confirmatur: Nam ad Roman. 8. dicitur: Spiritum Sanctum pro nobis poſtulare: ſed poſtulatio oratio eſt, vt patet per D. Paulum 2. ad Thimot. ergo.

Reſpondetur ad primam primò: Omiſſa maiori, & cõceſſa minori negando conſequentiam: Contra quod non procedit Sanctus Thomas, ſiquidem oratio requirit diſtinctionem volutatum; vt ſic vna poſsit dare, quod alia de-

desiderat obtinere. Vbi autem datur eadem voluntas, quamquàm detur diversitas personarum, non potest oratio salvari.

Respondetur secundò: Quòd, cùm Divus Thomas ait, orationem terminari posse ad æqualem, intelligitur de æquali materialiter, non formaliter: potest enim quis petere ab amico, seu alio æquali: at si vterque consideretur, vnus vt petit, & alius vt â quo petitur, iam primus sub illa consideratione est inferior; alius autem Superior est: atque ideò semper verificatur, quòd oratio tendit in Superiorem: vel materialiter, & simul formaliter: vel ad minùs formaliter. Vnde, cùm inter Personas Divinas non sit dabilis hic formalis excessus, ad orationem requisitus, nec ipsa oratio potest dari.

Ad secúdam obiectionem distinguo antecedens: *Accipit* necessariò, concedo. Gratuitò, nego antecedens. Oratio requirit libertatem in dante, & in petente, quæ imaginari non potest inter Divinas Personas, vel communicantes esse, vel accipientes. Præterquamquòd, cùm eadem voluntate gaudeant, numquàm poterunt orare.

Ad confirmationem dicas: Spiritum Sanctum dici pro nobis postulare; quia nos postulare facit. De quo plura sunt in Sacra Scriptura. Videatur Extaticus noster Patens Divus Ioannes â Cruce in flamma vivi amoris.

7. Dices cum Magistro Lumbier quæst. 35. art. 3. Verbum Divinum ante carnis assumptionẽ orasse Patrem æternum nomine humanitatis assumẽdæ: ergo saltim sub hac consideratione Persona Divina orare potest.

Respondetur: Hanc Theologiam inauditam fore, eamque faciliter amãdamus. *Primò*, si Verbum oravit Patrẽ nomine humanitatis, quam postmodũ assumpsit, etiam Pater poterit nunc orare Filium nomine humanitatis, quã potest assumere. *Secundò*, Verbum, vt imaginatur orans, vel est Patri æquale; vel non? Si non: extra chorum agit Lumbier; loquimur enim de Personis, vt sunt æquales. Si sic: falsum asserit, vt ex dictis constat. *Tertiò*, si nomine humanitatis in tempore assumendæ potuit Verbum ab æterno orare; pariformiter posset ab æterno crucifigi. Quæ omnia, cùm planè absurda sint, tenendum est: Deum in propria natura orare haud posse. Quare tota difficultas devolvitur ad Deum vt in natura aliena subsistentem. Et pro diversitate statuum diversas conclusiones proponemus.

§. I. *Dirimitur prima pars dubii.*

8. PRima conclusio: *Christus Dominus in hoc Mũdo verè, & propriè oravit.* Conclusio hæc non tam est rationibus comprobanda, quàm frequenti ipsius Christi D. praxi stabilienda. Oravit quippe Dominus mentaliter, oravit vocaliter; oravit solus, & coram aliis; oravit pro se, & pro aliis: vnde õnibus modis oravit. Quod ex clarissimis Sacræ Scripturæ testimoniis constat. Et â primo orationis modo incipiens: oravit Dominus mentaliter; siquidem Lucæ 6. dicitur, quòd *exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quod de oratione mentali intelligit Pater Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 1. num. 7. Ex quo testimonio etiam constat, quòd oravit solus; ad hoc enim in montem exiit. Itidẽ oravit vocaliter, vt patet ex Matth. cap. 26. vbi dicitur: *Procidit in faciem suam, orans, & dicens.* Et ex Luca 23. vbi ipse Dominus ait: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Et hi textus ostendunt Christum orasse aliis orationis modis: quia in primo non solùm vocaliter oravit, sed oravit pro se, petens, vt calix transiret. Secundus verò textus proponit Dominum orantem vocaliter, & pro aliis, & coram aliis. Pro aliis, vt patet ex ipsis verbis. Coram aliis; siquidem ipsi, pro quibus indulgentissimus orabat, insanientes audiebant. Nec soli quidem; nam etiam auscultabat verba orantis regalis aula ipsius Numinis patientiss. Beatissima, scilicet, Virgo MARIA, Mundi Regina, & Cœli Domina; & hoc ipsum aliæ fœminæ audiere: quippe *Stabant iuxta Crucem Iesu Mater eius, &*

Sororis, Matris sius, &c. Vnde non est orationis modus, quem Christus non exercuerit. Quarè conclusio nostra est de fide, vt ostendunt adducti textus, & alii innumeri, quos prætermimus. Eam docet D. Thom. 3. p. q. 21. art. 1. quem Theologi sequuntur: sicut Scholastici Magistrum in 3. dist. 17. Idem tenet Seraphica Theresia Epist. 8. numero 17.

9. Præcipua tamen ratio pro conclusione desumitur ex dictis: Nã Scriptura clarissimè docet Christum Dominum, dũ in mundo erat, orasse: at non est, cur hæc oratio non sit propriè, & formaliter talis: ergo oravit in hoc mũdo oratione propriè tali. Minor probatur primò: Quia si illa oratio non esset propriè talis; nec illam Christus toties exercuiisset; nec illam nobis Scriptura tam accuratè commendasset, omnes eius circumstãtias proponens. Probatur secundò ipsa minor ex illa Theologorum regula, cuique nota: Verba Sacræ Scripturæ accipienda sunt in sensu proprio, quando ex hoc nullum sequitur inconveniens: sed ex hoc, quòd dicamus, Christum verè, & propriè orasse nullum sequitur inconveniens, nec hactenus ostensum est: ergo tenet minor.

10. Confirmatur: Christus verè habuit indigentiam auxilii â Deo, vt suum desiderium expleret: ergo verè petivit hoc auxilium. Ergo verè oravit. Patet ista: Quia oratio est *petitio decentium à Deo.* Prima consequentia etiam constat: Quia cum summa prudentia, & Sanctitate Christi non compatitur habere indigentiam auxilii, & illud non petere. Iam verò probatur antecedens: Quia plura, quæ Christus tam sibi, quàm aliis desiderabat, non poterat â se ipso habere: ergo. Hoc antecedens probatur multipliciter: primò: Quia si â se ipso posset habere, quod optabat, vanè ad suum Patrem recurreret petẽs, quod feciſſe, allati textus ostendunt; est enim valde superfluum ab alio petere, quod quis potest habere â se ipso: ergo cùm Christus Dominus toties recurreret ad suum Patrẽ, signum est, quòd â se ipso habere non poterat, quod petebat. *Probatur secundò:* Quia Christus, qua homo, non est Omnipotens: ergo idẽ, quod priùs. *Probatur tertiò:* Quia permisso, quòd habere posset â se ipso; quod volebat, attenta materia concupita; tamen vt illam obtineret, concursu Dei indigebat; aliter non considerareturet, vt homo, destrueretur que status quæstionis: ergo hoc auxilium, seu concursum debebat, vt minus, petere â Deo.

§. II. *Deciditur dubium quoad secundam partem.*

11. Secunda conclusio: *Nunc etiam in Cœlo Christus orat oratione propriè tali.* Antequàm conclusionem probemus, scias breviter: Orationem propriè talem, aliam esse virtualem, seu interpretativam; aliam formalem, seu expressam: hæc consistit in actu intellectus, quo petitur, quod desideratur. Illa consistit in ostensione alicuius rei, qua movetur Superior, vt concedat id, quod illam ostendens vult tam sibi, quàm aliis. Et in hoc consistit sententiarum varietas. Nemo enim Catholicorum negare potest Christum in Cœlo pro nobis orare. Verùm alii dicunt, hanc orationem esse interpretativam; quatenus, scilicet, ostendit Patri suã Sacratissimã humanitatẽ vulneratã, vt eius intuitu moveatur Deus ad nostri miserẽdũ. Atque ita sentiũt Medina, Vasquez, Becanus, & alii relati â nostris Salmant. tract. 21. disp. 30. n. 23. Ex opposito verò alii docent, talem orationem esse formalem. Sic D. Thom. pluribus in locis, & Seraphica Theresia Epist. 27. num. 4. quos sequuntur Theologi communiter.

12. Probatur primò ratione fundata in Sacra Scriptura: Christus in Cœlo interpellat pro nobis, vt noster advocatus: ergo in Cœlo pro nobis orat oratione formali. Patet ista: Quia vt Advocatum interpellare, idem est, ac formaliter orationem fundere pro iis, respectu quorum Advocatus est. Antecedens verò constat ex Epist. Ioan. 1.

cap. 2. vbi ait: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum-Christū iustum.* Et ex Roman. 8. vbi dicitur: *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Vnde cùm non detur motivum vrgens, vt hanc interpellationem, & advocationem non intelligamus propriè, & formaliter; sed solùm virtualiter; seu interpretativè, textus dictos intelligere debemus in sensu omnino formali, iuxta dicta num. 9.

Probatur secundò conclusio: Quòd Christus sit Deus, & in Cœlo sit, non obest, vt oret oratione formali: ergo sic orat. Consequentia bona est, etiam apud Adversarios. Antecedēs verò pro 1. parte probatur: Christus in hoc mūdo existens oravit oratione formali, vt nobiscū fatentur Auctores cōtrarii: sed tunc erat verus Deus: ergo Deitas non impedit, quòd oret oratione formali. Quoad secūdam partem probatur idem antecedens: Sancti, qui sunt in patria, orant pro nobis propriè, & non interpretativè: ergo status patriæ non obstat huiusmodi orationi in Christo. Patet ista â paritate: nec poterunt Auctores oppositi assignare inter Sāctos, & caput eorum Christum, discrimen, vt illi, & non hic, possint veram orationem cum beatitudine componere. Antecedens est D. Thomæ dicta quæst. 83. art. 11. & constat ex Ecclesiæ praxi canentis: *Sancte Petre, ora pro nobis.*

14. Probatur 3. conclusio: Christus in Cœlo *orat in nobis, & orat pro nobis, & oratur à nobis: orat pro nobis, vt Sacerdos, orat in nobis, vt caput nostrum, oratur à nobis vt Deus noster.* Verba sunt D. Augustini in Præfat. Psam. 85. atqui Christus in Cœlo orat in nobis, vt caput nostrum, & oratur â nobis, vt Deus noster oratione formali: ergo similiter oratione formali orat pro nobis, vt Sacerdos. Minor pro secunda parte est innegabilis. Pro prima verò etiam est certa: Quia orare Christum in nobis vt caput nostrum, est influere in nos, qui sumus membra eius, vigorem, vt oremus, nostrasque orationes valorare: quod sanè non interpretativè; sed propriè facit. Iam verò consequentia probatur primò: Quia Augustinus eodem modo loquitur de triplici illa oratione: ergo si quam facit in nobis, & nos ad illum facimus, est propria, & formalis; pariter illa, quam pro nobis facit, formalis erit. Probatur secundò eadem consequentia: Ideò oratio, quam in nobis facit, & quam ad eum facimus, est propriè talis; quia ipse est propriè, & formaliter caput nostrum, & Deus noster: sed etiam est formaliter, & propriè Sacerdos: ergo orat formaliter.

15. Probatur quartò: Quotiescumque alicui conveniunt prædicata opposita ob diversas naturas, seu proprietates, illa prædicata fundantes, totiès modo, quo illæ naturæ, seu proprietates, conveniunt, conveniunt etiam prædicata fundata: atqui orare, & orari sunt prædicata opposita Christo convenientia ob naturam Divinam, & humanam, quæ ipsi formaliter cōveniunt: ergo pariter orare, & orari cōveniunt ei formaliter. Consequentia est omnino formalis. Et ex secunda eius parte, quam Adversarii concedunt, firmatur prima hoc discursu: Eatenus orari convenit Christo propriè, & formaliter in Cœlo, quia ibi formaliter habet Divinam naturam, quæ fundat hoc prædicatum: ergo cùm ibi etiam habeat naturam humanam, ob quam ei orare convenit, hoc propriè, & non interpretativè convenit illi in Cœlo.

Minor verò facti syllogismi est certa. Maior verò potest inductivè ostēdi; sed nè diutiùs immoremur, aut longiùs divertamur, in ipso Christo Domino ostenditur. Ipse enim est nunc in Cœlo propriè minor Patre, & etiam propriè est ei æqualis, ob naturas Divinam, & humanam, quarum prima coæqualitatem; secunda verò minoritatem fundat. Et sic de aliis, quæ passim offeruntur: ergo cùm Christo in Cœlo conveniant illa prædicata, nempe orari vt Deus, & orare vt homo est; propriè, & formaliter, & non interpretativè conveniunt, sicut Deitas, & humanitas, propriè, & non interpretativè conveniunt.

* * *

§. 3.

§. III. *Argumenta contra primam concluſionem.*

16. Contra primam cõcluſionem ſolùm ſunt aliquæ obiectiones, quarum aliquæ ipſam; aliæ verò ea, quibus probatur, impugnant. Obiicies ergo primò: Oratio, quâ Chriſtus exercuit in hac vita, non fuit vera oratio; ſed figura quædam, & indicium orationis: ergo non oravit verè. Probatur antecedens ex Theophylacto in cap. 11. Ioan. iis nominibus Chriſti orationem nominante. Similia habet Damaſc. lib. 4. de fide cap. 19. vbi ait, Chriſtum ſolummodò per ſimulationem oraſſe; vt etiam fecit, quando *finxit ſe longiùs ire*: ergo tenet antecedens.

17. Confirmatur: Oratio Chriſti non proficiebat ad expreſsionem ſui deſiderii coram Deo; ſed ſolùm ad noſtrum exemplum: ergo non erat vera oratio. Patet iſta: Quia oratio eò dirigitur, vt ſuum deſiderium oſtendat; eòque dicitur â D. Thoma *deſiderii interpres*. Antecedens autem probatur ex verbis ipſius Chriſti relatis â D. Ioan. cap. 11. *Ego ſciebam, quoniam ſemper me audis: ſed propter populum, qui circumſtat, dixi; vt credant, quia tu me miſiſti.* Vnde Hilarius lib. 10. de Trinit. ait: *Cùm ſibi non proficeret deprecationis ſermo, ad profectum tamen noſtræ fidei loquebatur*: ergo.

Reſpondetur obiectioni negãdo antecedens: Ad probationem dicendum: Chriſtum Dominum, & eſſe verum hominem, & verum Deum; inſimulque oraſſe mentaliter, & vocaliter, vt vidimus num. 8. Itidem oraſſe propriè, hoc eſt, petiiſſe decentia â Deo: & impropriè; non in illo ſenſu, quo nunc loquimur de oratione impropria; ſed in illo, quo ſuperiùs diximus gratiarum actionem, & alias orationis partes, eſſe quidem propriè orationem; at nõ eſſe propriam, & rigoroſam orationem: hoc enim ſoli petitioni reſervatur. Si his vti ſciveris, plura, quæ hìc ex Scriptura, & Patribus accumulant Adverſarii, ſanè capies.

Igitur ad dictam antecedentis probationem reſpõdetur: Theophyl. apellaſſe eo loco orationem Chriſti *figuram orationis*: quia ibi Chriſtus, vt ex textu patet, nihil vocaliter petiit, ſed ſolùm referuntur gratiæ, quas ſuo Patri egit: Quiaque actio gratiarum non eſt rigoroſè oratio, vt dictum eſt; propterea Chriſtus non dicitur ibi propriè oraſſe. Ad Damaſcenum dicitur: Chriſtũ orãdo ſimulaſſe, ſeu occuluiſſe Deitatem, ſecundùm quam, ſi operaretur, poſſet abs dubio facere id ipſum, quod ſupplex precabatur. Vnde oratio Chriſti dicitur, & quidem eleganter, ſimulatio quædam, ſiquidem, ea media, abſcondita eſt fortitudo ipſius.

Ad confirmationem reſpondet Div. Thomas 3. p. quæſt. 21. art. 3. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd Hilarius loquitur, quantùm ad orationem vocalem, quæ non erat ei neceſſaria propter ipſum; ſed propter nos.* Et ex hoc intelliguntur ea Chriſti verba in contrarium adducta. Chriſtus enim dum vocaliter orabat, non propter ſe ipſum; ſed noſtri cauſa faciebat: quia non indigebat voce, vt ſuum deſiderium exprimeret; ſed vt nos inſtrueret, vtpotè Legifer, ac Præceptor noſter: vnde D. Thomas citatus ait: *Chriſtus ad hoc vti voluit oratione ad Patrem, vt nobis daret exemplum orandi.*

18. Obiicies ſecundò: Chriſtus, vt homo, eſt omnipotens: ergo non eguit oratione. Patet conſequentia: Eo enim oramus, vt obtineamus ea, quibus indigemus. Antecedens verò probatur: Chriſtus habuit omnem poteſtatem in Cœlo, & in terra, vt ipſe Dominus teſtatur apud Matth. cap. vltimo: ergo fuit omnipotens; ſiquidem omnipotens eſt, qui, vbicumque ſit, omnem poteſtatem habet.

19. Confirmatur: Chriſti humanitas habet propter vnionem ad verbum aliquam potentiam, quam in proprio ſuppoſito non haberet: ergo eſt omnipotens. Patet conſequentia: Quia iſta potentia creata non eſt; cùm omnem creatam poteſtatem habere poſſet ſine vnione. Antecedens probatur: ad mo-

dum perfectiorem essendi sequitur modus perfectior operãdi, perfectiorq; potẽtia: sed Christi humanitas ob vnionẽ ad Verbũ habuit perfectiorem modum essendi, melioremq; dispositionem: ergo & perfectiorem potentiam.

20. Ad hæc: Operari sequitur ad esse: atqui esse Christi est increatum, vt modò suppono; siquidem existit per existentiam Divinam: ergo & eius potentia increata est.

Ad obiectionem respondetur primò: Christum vt Deum omnipotentem esse, & de se ipso sic sumpto loquitur, dum ait, datã sibi â suo Patre esse, â quo, & suum esse habet, omnem potestatem in Cœlo, & in terra. ¶ Respondetur 2. Christũ etiã vt hominẽ habere omnem potestatẽ, qua potest homo fulgere; siquidẽ fulget potestate capitis, qua inter creatas res visibiles, aut invisibiles nulla maior, aut excellentior inveniri potest. Verùm potestas hæc non est omnipotentia, tum, quia id, quod vt forma hãc potestatem tribuit, est entitas creata. Tum, quia hæc, quamtumvis insignis potestas, non abstulit, Christum indiguisse Dei auxilio, vt operaretur, vt num. 10. dicebamus. Vnde licèt possit dici, habuisse moraliter omnipotentiam; non tamẽ omnipotẽs dicẽdus est.

Ad confirmationem respondetur distinguendo antecedens: *Aliquam potentiam* mo ralem, conceditur: physicam, negatur. Ex quo enim illa humanitas assumpta fuit â verbo, maxima perfectione enituit, evectaque fuit ad altum gradum essendi formam constituentem hominem, qui est omnium hominum, & Angelorum caput. Verùm, quia in esse capitis constituitur per gratiam habitualem, quæ physicè accepta est eiusdem speciei cum nostra gratia; solùmque moraliter differens, propter societatem, quam habet cum gratia vnionis; propterea nullam potentiam physicam habet illa humanitas, quam in proprio supposito non haberet: & hæc potentia physica requirebatur, vt omnipotens diceretur. Per quod patet ad probationem antecedentis.

Ad vltimum respondetur: Quòd operatio sequitur ad esse naturæ; & ideò quia in Christo dantur natura Divina, & humana, dantur etiam operationes humanæ, & Divinæ; ad esse verò personale, seu existentiale non sequitur operari. Vnde, quamquàm in equo ponas existentiam humanam, numquàm inde alias operationes videbis, quàm equinas. Quod in nostro casu verificatur. Licèt enim Christus Dominus solũ vnicam existentiã, eamq; Divinam habeat, habet operationes Divinas, & humanas, ob rationem dictam. Verum quidem est, quòd tales humanæ operationes, ex quo sint ab humanitate assumpta, & â Divina existentia terminata, sunt infinitè satisfactoriæ, & valorosæ. Verùm hoc non potentiam infinitam physicam arguit, vt dictum est.

21. Dices: Humanitati Christi Domini cõmunicata fuit existantia Divina, vt cõstat ex immediatè dictis: ergo & õnipotentia. Probatur ista primò: Quia cui communicatur aliqua natura, communicantur etiam attributa talis naturæ: sed existẽtia Divina est prorsus idem cum Divina natura, & omnipotentia est attributum eius: ergo cui communicatur existentia, omnipotentia etiam communicatur. *Probatur secundò*: Subiectum capax habendi existentiam Divinam, etiam habere potest omnipotentiam; cùm vtraque sit prædicatum Divinum: ergo idem, quod priùs.

Respondetur negando consequentiam: Ad primam probationem dicas: Naturam Divinam esse omnino idem cum Divina existentia. Cæterùm alia est expressio naturæ, & alia expressio existentiæ: quæ expressionum diversitas sat est, vt ad extra non cõmunicentur attributa, licèt communicetur natura: quippe terminat non sub expressione naturæ; sed sub munere existẽtiæ; & attributa nõ sunt proprietates naturæ sub expressione existentiæ; sed sub munere naturæ.

Ad secundam probationem dico: Quòd existentia communicatur per modum purissimi termini, in quo nulla imperfectio datur. Ast si communicaretur omnipotentia, foret per modũ for-

formæ, quod Divino prædicato repugnat. Nec aliter, quàm per modum formæ communicatæ posset denominare, & constituere humanitatem omnipotentem; sicut ipsa existentia Divina humanitatem terminans non constituit Deum; quia non vt natura; sed vt terminus communicatur.

22. Obiicies tertiò: Christus scivit per scientiam beatam, & infusam omne, quod erat futurum, aut non futurum: ergo nihil setiò petiit, nec oravit. Antecedens patet ex 3. p. quæst. 10. & 11. Et consequentia probatur: Quia nemo cordatè petit id, quod certò scit se obtinere non posse; aut id, quod iam concessum est: sed Christus per hoc, quòd sciret, quod erat futurum, sciebat, hoc iam concessum esse; & per hoc, quod sciret non futurum, sciebat, hoc obtinere non posse: ergo non oravit ex animo orandi.

23. Confirmatur: Quia, vt vidimus disp. antec. num. 40. oratio est conversio in Deum spe subnixa: sed oratio Christi non fuit subnixa spe: ergo nec fuit vera oratio. Probatur primò minor. Quia Christus, vtpotè comprehensor, non habuit spem. *Secundò* probatur ipsa minor: Quia etsi in Christo spes daretur; illa tamen vti ad orandum non posset; quia, cùm cognosceret quid esset, aut non esset futurum; futurum non poterat sperare consequi; quia iam concessum habebat. Non futurum etiam sperare non poterat: ergo vera est illa minor.

Ad obiectionem cõcesso antecedenti negetur consequentia: Ad probationem dicatur: Materiam desideratam, quæ oratione petitur, multipliciter cõsiderari posse: primò enim considerari potest absolutè, & ab omnibus circunstantiis nuda. Secundò potest sumi, vt omnibus circunstantiis vestita. Et multoties evenit, quòd res, quæ absolutè est bona, & vt talis amatur, considerata cum omnibus suis circunstantiis respuitur, vt patet in proiiciente merces, quas absolutè sumptas amat; at illas ipsas, prout sunt naufragii causa, contemnit. De quo diximus disp. præced. num. 30. Itidem potest ipsa res considerari prout est obiectum voluntatis propriæ partis sensitivæ, quæ voluntas sensualitas, seu appetitus dicitur: & etiam prout est obiectum voluntatis rationalis, quæ adhuc consideratur dupliciter: primò, vt natura, secundò, vt formaliter rationalis. Primo modo respicit obiectum secundùm se: secundo autem modo respicit illud cũ suis omnibus circunstantiis.

24. Ad rem ergo: Hæc, quæ conveniunt omni homini, inventa sunt in Christo, vt homo est. Et secundùm horum diversitatem respondendum est ad obiecta. Etenim voluntas rationalis Christi D. nunquàm desideravit, nisi quod sciebat futurum: vnde nunquàm eius intellectus oravit nisi pro re futura. Quia licèt oratio sit actus intellectus; hic autem solummodò petit, quod voluntas appetit; eoque, vt suprà ex D. Thom. vidimus, oratio dicitur desiderii interpres. Dum autem obbiicitur: si Christus sciebat hanc determinatam rem esse futuram: v. g. Sanctissimi sui corporis Resurrectionem, vt quid illam petebat? Respondet S. Thomas 3. part. quæst. 20. art. 1. ad 2. *Inter alia, quæ Christus scivit futura, scivit quædam esse facienda propter suam orationem, & huiusmodi non incõvenienter à Deo petivit.* De quo, quia de se patet, & quia multoties actum de illo in superioribus est, nihil aliud.

25. Voluntas autem per modum naturæ non respicit, seu terminatur ad obiectum, prout stat sub futuritione, nec prout non futuritionem dicit; sed ab vtroque abstrahit. Ratioque ea est: quòd hæc voluntas respicit obiectũ absolutè, & sine circunstantiis: futuritio verò, & nõ futuritio dicit volũtatem Dei cõsequentẽ, quæ in choro circunstãtiarũ numeratur. Quãobrẽ res ipsa cũ suis circunstantiis est non futura; atque adeò ab hoc scienti appeti non potest; absolutè considerata bona est, & prout sic, & appeti, & peti valet. Et huiusmodi aliqua petiit Christus, quãquã exauditus non fuerit, vt in ipsius persona asserit Parens eius David dicens: *Domine,*

ne clamabo per diē, & nō exaudies. Quod insimul constat ex oratione, quam in Ara Crucis fecit Reparator noster: ibi enim pro suis Crucifixoribus oravit, quorum aliqui per illam orationem salutem sunt consequuti, alii verò, non obstante illius orationis valore, æternaliter damnati fuere. Hæc omnia Christus evidenter sciebat, dum orabat: & tamen oravit pro Centurione, cuius salus futura erat; quia sciebat futuram, seu consequendam media sua oratione, atque adeò huius salutem appetiit voluntate rationali, & perfecta. Etiam pro aliis, qui damnati sunt, oravit, eòque eorum salutem voluit; ast hoc voluit per voluntatem illam per modum naturæ, quæ illorum salutem absolutè acceptam respiciebat: vnde semper bonum appetiit, & cordatè petiit.

26. Denique voluntas illa sensualitatis suum proprium respicit bonum, & huius voluntatis desiderium, sicut & aliarum, defert, dirigitque intellectus ad Deum, â quo petit, vt impleat id, quod illa voluntas appetit. Sic oravit Christus in horto exprimens sui appetitus desiderium Crucis patibulū horrentis, & tormentorum ingluviem formidantis. Et licèt Christus sciret necessariam iam esse passionem propter decretum factum, & quia vadis munus acceptarat: tamen his nō opponitur, quòd caro infirma perhorrescat opprobriis saturari; nec vlla prudentia prohibet, quòd intellectus coram Deo exprimat huiuscemodi infirmæ carnis horrorem. Quod quidem fecit Christus in hac oratione: & vt ait D. Thomas art. 1. cit. in corp. fecit, *primò quidem, vt ostenderet se veram naturam humanam suscepisse cum omnibus naturalibus affectibus. Secundò, vt ostenderet, quòd homini licet, secundùm naturalem affectum, aliquid velle, quod Deus non vult. Tertiò, vt ostendat, quòd proprium affectum debet homo Diuinæ voluntati subiicere.* Quæ vltroneus exscripsi, quia continent, quicquid in hac parte desiderari potest. Videatur totus articulus. Videatur etiam Seraphica Theresia loco citato num. 8. vbi adeò egregiè de hac Redemptoris oratione loquitur, vt eam insignibus notitiis Theologiæ Scholasticæ, Positivæ, & Mysticæ decoram eius eloquentissimus, ac Venerabilis Annotator prædicet.

27. Ex his omnibus habes primò, quid immediatè respondeas ad obiectionem, dicens: Christum vtique orasse pro re futura, & illam desiderasse per voluntatem rationalem, quæ semper impleta fuit; de hacque loquitur Div. Thomas laudatus, dum art. 4. asserit: *Omnis Christi oratio exaudita fuit.* Oravit etiā pro re non futura: ast istā desideravit vel voluntate sensualitatis, secundùm quam *homini licet aliquid velle, quod Deus non vult*, vt modò ex D. Thoma vidimus: vel desideravit per voluntatem, vt natura est, & sic non intendebat rem, vt non futuram, sed vt abstrahentem. Secundò habes nullam in Christo esse contrarietatem propter dicta; quia licèt contraria peteret; hoc tamen per diversas voluntates appetebat. Intellectus idem erat; sed non ob hoc diversa, seu contraria petens sibi ipsi contrariabatur, quia licèt petitio sit actus intellectus, iste tamen petit, vt motus â voluntate, & vt eius advocatus; sic enim intellectum nominat citatus D. Thomas. Vnde, cùm voluntates sint plures; propterea intellectus vt advocatus vnius voluntatis, petens diversum ab eo, quod petit vt advocatus alterius voluntatis, non sibi contrarius est: sicut nec mihi contrarius sum, dum Doctorum, inter se graviter disidentium, opposita sensa propono.

Tertiò habes: Voluntatem sensualitatis, & per modum naturæ, non semper exauditas fuisse ex hoc ipso, quòd eis non repugnet velle aliquid, quod Deus non vult. Vtì asserit S. Thomas 3. part. quæst. 18. art. 5. concludens: *Vnde patet, quòd Christus secundùm voluntatem sensualitatis, & secundùm voluntatem rationis, quæ consideratur per modum naturæ, aliud poterat velle, quàm Deus.*

Habes vltimò ex dictis solutionem non solùm obiectionis, pro qua hæc adducta sunt; sed etiam confirmationis illius,

illius, & probationis ſecundæ minoris. Ad primam verò probationem dicimus: Chriſtum Dominum non habuiſſe quidem ſpem Theologicam, quæ primariò tendit in ſperãtis beatitudinem, vt futuram; habebat tamen ſpem communiter dictam, quia plura deſideravit; & huiuſmodi ſpes ſufficit ad veram orationem, vt patet in Beatis, qui quamquàm ſpe careant, verè tamen orant. Videantur noſtri Salmanticenſes tract. 18. diſp. 3. dub. 2. Et Illuſtriſsimus Palanc. tract. de Spe.

§. IV. *Argumenta contra ſecundam concluſionem.*

28. ARguitur primò: Si Chriſtus in Cœlo oraret, ab eo peteremus, vt pro nobis intercederet; ſicut cum S. Petro, & aliis Sanctis facimus dicentes: *Sancte Petre, ora pro nobis*. Et: *Omnes ſancti, & ſancta Dei intercedite pro nobis*: Sed hoc non facimus; imò petimus, vt adiuvet nos, & miſereatur noſtri, dicentes: *Fili Redemptor Mundi Deus, miſerere nobis*: ergo Chriſtus in Cœlo non orat, niſi interpretativè.

29. Confirmatur: Si Chriſtus oraret propriè, & formaliter in Cœlo, talis oratio vel impetraret aliquid novum, & diverſum ab eo, quod meruerat in terris; vel non? Neutrum poteſt dici: ergo. Minor pro prima parte certa eſt: ex quo enim Redemptor noſter dixit: *Conſũmatum eſt*, totum noſtræ reparationis remedium peractum eſt; atque adeò quicquid vtilitatis ex eius oratione habemus, ex illo tunc conſequutum eſt. Pro ſecunda parte etiam conſtat eadem minor: Quia ſi in terris Chriſtus omnia nobis meruit, iam non habet, quod nobis impetret: ergo non orat formaliter.

Hoc argumentum, & eius confirmatio, & omnia, quæ oppoſiti Auctores afferunt, in ipſos regeri debent; nihil enim difficultatis habet oratio formalis, quam dicimus Chriſtum in Cœlis exercere, quæ non vrgeat in illam orationem interpretativam, quam adſtruunt. Et patet: quia ad Chriſtum non dicimus: *Ora pro nobis interpretativè*. Itidem: oratione interpretativa, vel meretur, & impetrat nobis novũ aliquid; vel non? Si non: vt quid interpretativè orat? Si ſic: ergo in via non meruit, quicquid ad noſtram ſalutem pertinet. Ergo falsò dixit: *Conſũmatum eſt*. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat, vt impetus Contrariorum reprimas, vel illo effato communi: *Væ tibi, væ nigræ dicebat cacavus ollæ*.

Reſpondetur ad argumẽtum negando maiorem: cuius inſerta probatio non vrget. Primò, quia, vt obſervant D. Thom. & Abul. in 6. Matth. quæſt. 83. art. 1. *Chriſtus* eſt nomen ſuppoſiti: quiaque Chriſti ſuppoſitum eſt Divinum, cui orare repugnat, vt vidimus â num. 2. propterea â ſimili locutione abſtinemus, ſicque vitamus Arii, Neſtoriique hæreſim æqualitatẽ inter Divinas Perſonas negantem.

Secũdò non vrget: Quia Chriſtus in Cœlo, & eſt minor Patre, & ei æqualis. Vt minor Patre orat, vt ei æqualis oratur. Cũ ergo ſupplices ad ipſum accedimus, non ſatìs prudenter faceremus; ſi ipſius ſupremam maieſtatem Divinam non reſpicientes, inferioritatem humanam rogaremus, contra vſitatiſsimam petentium conſuetudinem; eos, ad quos petituri accedunt, ſublimioribus titulis nominantium. Aſt licèt Chriſtus ſic oretur, non ſequitur ipſum formaliter non orare in Cœlo: ſicut nec ex eo, quòd cæcus ille ſecùs viam mendicans dixerit: *Ieſu fili David, miſerere mei*, ſequitur, adhuc apud Adverſarios, Chriſtum non oraſſe in Mundo.

Ad confirmationem negetur minor pro ſecunda parte: Ad probationem dicas: Chriſtum in terris meruiſſe nobis omnem noſtram ſalutem, quantùm ad copioſiſsimam, & ſuperabundantem ſufficientiam; efficax tamen huius remedii applicatio non excludit alias cauſas. Et ſic videmus, quòd poſtquàm Reparator noſter noſtram ſalutem operatus eſt, Sacramentis indigemus, ſub præſidiũ B. Virg. Mariæ cõfugimus, aliorum Cœleſtis Aulæ Militum imploramus opem; non quia his omnibus aliquid pu-

putemus obtinere, quòd Christus pro nobis natus, nactus iam nobis non sit; sed vt illa ipsa salus, quam iam nostram esse fecit Dominus, ac Redemptor noster, iis mediis nobis applicetur. Inter quæ media eminet oratio Christi Domini iam regnantis: rogat enim in Cœlo, vt nobis applicetur, quod lucratus est nobis in solo. Nec possum percipere, quid difficultatis horreant Auctores contrarii in oratione Christi, quod non videant in Sãctorum orationibus. Vel discrimen assignent, & erunt mihi Magnus Apollo.

30. Vltimò arguitur: Christus in Cœlo non meretur: ergo nec orat. Antecedens est certum, & consequentia probatur: Non potest Christus orare, quin aliquid impetret: sed non potest aliquid impetrare, quin mereatur; quia id, quod oratio impetrat, est, quod ipsa meretur: ergo si Christus in Cœlo non potest mereri, non orat.

31. Confirmatur: Beatissima V. MARIA, & alii Sancti orant in Cœlo coram Christo; iuxta illud: *Tuæ ad tribunal gratiæ patrona Virgo postulat. Et Apostoli cum vatibus apud severum iudicem, veris reorum fletibus exposcite indulgentiam.* Ergo Christus ibi non orat. Probatur consequentia: Si Christus orasset in Cœlo, non oraretur; sed simul cum aliis pro nobis peteret.

Ad hoc argumentum, in quo Patet Vasquez cõfundit impetrationem cum merito, respondetur: D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 4. art. 6. quæstiunc. 2. hoc ipsum argumentum afferre applicatum orationibus Beatorum, quas hæretici negabant: argumentum hoc est: 3. *Præterea, quicumque orat pro alio, alteri meretur: sed Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu merendi: ergo nec in statu orandi.* Ecce ipsissimum argumentum, quo Vasquius Christi orationem impugnat: ad illud verò respondet Angelicus Doctor sic: *Dicendum, quòd aliud est impetrare, & aliud mereri, vt dicetur; & ideò Sancti, etsi non possint mereri; possunt tamen suis orationibus nobis aliquid impetrare.* Hoc idem respondemus argumento â Vasquio obiecto.

Ad cõfirmationem respondetur: Indulgentissimam Patronam nostram, & Cœlicolas omnes coram Christo vtique orare: sed hoc non tollit, quin etiam ipse Dominus oret ad Patrem suum; est enim homo Deus: vt homo orat, & oratur vt Deus. Nec per hoc negamus, quòd etiam ad Christum hominem oremus; oramus quidẽ, & orãt Cœlites omnes, vt ad omnium caput: quarè, sicut ad Sanctos oramus, & ipsi pro nobis orant: sic potiori iure oramus ad Christum, & ipse pro nobis interpellat. Qui sit benedictus in sæcula.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm Sancti, qui in Cœlo sunt, orent pro nobis?

SPeciale motivum, vt hoc de Sanctis iam regnantibus exploremus, offerunt nobis Accatolici, qui suis versutiis nihil Sanctum, nihil firmum inter illa, quæ ad fidem nostram; vel ad eius dogmata spectant, patiuntur.

§. I. *Diversa placita relata, & Catholica veritas proposita.*

32. HÆresis, asserẽtium Sãctos iam regnãtes â nobis nec orari, nec adorati posse, tribuitur veluti primo eius Auctori Eusthatio Sebastẽsi Episcopo: Eum, insaniamque ipsius, vel extumulans, vel roborans, sequutus est Vigilantius, dicens apud Hieronymum lib. contra Vigilantium cap. 3. *Dum vivimus, mutuò pro nobis orare possumus: postquã autem mortui fuerimus, nullius pro alio exaudienda est oratio.* Hos postmodùm sequuti sunt eiusdem furfuris aliqui, de quo videri potest Belarminus de Sanctorum beatitudine, & noster Sapientissimus Liberius tom. 1. part. 2. controv. 10. Est tamen obseruandum: Hæreticos is-

tos

tos maltùm inter se disidere. Alii enim absolutè negant Sanctos pro nobis orare: & alii, licèt negent Sanctorum orationes pro hoc, aut illo individuo, pro hac, vel illa indigentia: concedunt tamen Sanctos orare in genere, vt patet in Apol. confes. Augustanæ. E contra verò Catholici, vt certum de fide tenent, Sanctos orare pro nobis. Sic D. Hieronymus loco citato, D. Ambrosius lib. 6. de viduis. D. Thom. in 4. distinct. 50. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1. & alibi. Noster Extat. Doctor loquutus de Angelis in suo cant. spirituali cantione 2. Non alios adducimus, quia omnes Orthodoxi sunt pro hac veritate.

33. *Nostra conclusio affirmativa est.* Probaturque brevitet; sed efficaciter: Sancti, antequàm moriantur, pro aliis orant: ergo & post mortem. Vtraque propositio certissima est. Et prima probatur ex D. Iacobo cap. 5. vers. 16. vbi dicitur: *Orate pro invicem, vt salvemini.* Quibus verbis oratio proponitur, vt vtilissima tum orantibus, tum ipsis, pro quibus funditur: his, vt media aliorum oratione ab ærumnis liberentur: illis, vt ægregio illo charitatis exercitio, præmium charitati debitum consequantur. Estque adeò vera dicta propositio, vt vel ipsi Hæterodoxi illã negare non audeant, prout constat ex relatis Vigilantii verbis. Consequentia autem probatur: Eò enim Sancti, dum vivunt, pro aliis orant, quia charitas, qua abundant, eos compellit, vt fratribus suis opem ferant: sed in patria perfectiori charitate flagrant; est enim inamissibilis, & securitatem salutis supponens, non est de propria felicitate solicita: ergo tunc perfectiùs pro vivis orant.

34. Confimatur primò: Inter Ecclesiam militantem, triunfantemque, datur communio, vtì in symbolo asseritur illis verbis: *Sanctorum communionem*: atqui hæc communio orationibus exercetur; in hoc enim nobiscum Beati communicant, quod in nostris laboribus opitulentur: ergo. Cætera constant, & minor est D. Ambrosii citati dicentis: *Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent: habes Apostolos proximos, habes Martyres proximos.* Qua auctoritate vtraque præmissa probatur: Maior quidem; quia dicens Sanctos esse nostros proximos, communio asseritur. Et minor: Quia huius communionis exercitium in orando pro nobis stabilitur.

35. Confirmatur secundò: Inter Ecclesiam militantem, & triunfantem est veluti contractus, vi cuius exules debẽt honorare Beatos, & isti illis debẽt auxiliari: sed exules venerantur Sanctos, eorum festa celebrãtes: ergo Sancti exulibus auxiliantur, pro eorum necessitatibus petẽtes. Ob hoc enim Sanctos veneramur, ait Euseb. Alexand. de Sanctis colend. *vt acceptis hymnis, & laudibus auditis, benignum Deum exorent, vt preces nostras caducas admittat.*

36. Præiactos discutsus, quos magna ex parte ex Div. Thoma citato deprompsimus, fulcit D. Hieronymus contra citatum Vigilantium, sic nervosissimè disputans: *Dicis in libello tuo, quòd, dũ vivimus, mutuò orare possumus, postquàm autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim, cùm Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes in Apocal. 6. impetrare nequiverunt. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt pro cæteris orare; quando de se adhuc debent esse soliciti; quantò magis post victorias, coronas, & triũphos? Vnus homo Moyses sexcẽtis millibus armatorum impetrat à Domino veniam. Et Stephanus, imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo, persequutoribus veniam deprecatur: & postquàm cum Domino esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus, ducentas septuaginta sex sibi dicit in navi animas condonatas: & postquã resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro iis, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mugire non poterit? Melior què erit Vigilantius canis vivens, quàm ille Leo mortuus? Rectè hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum consiterer.*

§. II. *Hæreticorum somnia dissipata.*

37. ARguitur primò: Si Sancti orarent pro nobis, omnes illi omnibus nostris indigentiis succurrerent: non omnes nostris omnibus indigentiis succurrunt: ergo pro nobis non orant. Maior videtur certa; si namque moti charitate orant, æqualiter viventes omnes, omnesque ipsorum calamitates, aspicient. Minor verò probatur ex praxi ipsa fidelium, vnum Sanctum invocantium tempore pestis, & alium pro dolore dentium, & sic de aliis: ergo.

Hoc argumentum est Magdeburgẽsium, Calvini, & aliorum sequacium, ad quod respondetur: negando minorem; cuius probatio non vrget: Sciunt enim Fideles Sanctos omnes pro omnibus orare. Invocant tamen specialiter aliquos in aliquibus necessitatibus, quia cognoscunt experientia, Deum mediis illis illas oppressiones sublevare: Cum hoc tamen stat cognitio de potestate aliorum, quos tunc non invocant. Sicut frequenter recurrunt Fideles ad certam imaginem Christi Domini, vel eius Sanctissimæ Matris, auxilium petentes; non quia cognoscant alias eorum imagines æqualiter ipsis opitulari non posse; hoc enim intolerabile foret; sed quia Deus media hac imagine magis suã benignitatẽ ostendere solet. Sic erga Sanctos dicendum est.

38. Excipe tamen Sanctissimũ Patriarchã D. IOSEPH, qui non in aliquibus indigentiis, sed in omnibus calamitatibus opem fert, teste experientia Sanctissimæ eius filiæ, ac Matris nostræ S. Theresiæ; de eo in lib. vitæ suæ cap. 6. dicentis: *A otros Santos parece les dio el Señor gracia para socorrer en vna necessidad; este Glorioso Santo tengo experiencia, que socorre en todas ::::: solo pido por amor de Dios, que lo pruebe, quien no me creyere, y verà por experiencia el gran bien, que es encomendarse à este Glorioso Patriarca, y tenerle devocion.* Hæc dicta sint pro veritate, & pro cordialissimo amore, quo erga hunc Sanctissimum Patriarcham afficior.

Fundamentum doctrinæ datæ num. 37. eruo ex Divo Ambrosio lib. citat. de vid. post medium, vbi loquutus de Martyribus ait: *Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia & ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viverent cognoverunt.* Vbi experiẽtia laborum pungere dicitur ad levamen: quapropter in labore aliquo speciali invocatur Sanctus ille, qui experientia didicit illius doloris vehementiam. Vnde in mammillarum dolore B. Agatha invocatur: in dentium pressuris Sancta Appolonia, & sic de aliis.

39. Arguitur secundò: Sancti non cognoscunt nostram indigentiam, nec orationes pro ipsa fussas: ergo non possunt orare pro nobis, nisi ad summum in genere. Consequentia certa est. Et antec. probatur: quia, vt Sancti cognoscerent nostram indigentiam, orationesque, debebant cordis hominum habere cognitionem: hanc cognitionem non habent: ergo. Maior patet, quia multoties tam passio, quàm oratio, sunt valde arcanæ. Minor verò probatur: quia hæc cognitio soli Deo asservata est, vt dicitur 3. Reg. 8. his verbis: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ergo.

40. Confirmatur: Si hæc scirent Beati, esset per revelationem ipsis â Deo factam: sed Deus hæc non revelat: ergo. Probatur minor: Si namque Deus hæc Beatis revelaret, tunc antequàm â Sãctis peteremus, vt pro nobis orarent, deprecaremur Deum, vt eis revelaret nostram orationem: sed hoc non facimus: ergo.

Respondetur argumento negando antecedens: Ad probationem distinguo maiorem: *cognitionem* participatam, cõcedo. Naturaliter, & â se, nego maiorem. Et sub eadem distinctione minoris, negetur consequentia. Cogitationes cordium dupliciter cognosci possũt: & cognitione naturali, & hac Deus *solus cognoscit cor omnium filiorum hominum*: Et cognitione participata â Deo: & prout sic Beati habent cordium cognitionem cõmunicatam â Deo ex beatitudinis dono; quia in verbo tamquàm

in

in clarissimo speculo indigentias nostras, nostrasque preces intuentur. Quippe lumen beatificum perfectius est alio quocumque lumine; vnde si lumen prophetiæ sufficiens est, vt Propheta possit cognoscere cogitationes cordis; perfectiùs hoc habent Beati; quia lumine perfectiori ornati sunt. Et hæc perfecta cognitio est penitùs consentanea statui beatifico, in quo Beati appetitus nihil desiderare potest, quod non habet, iuxta illud psalm. 16. *Satiabor, cùm apparuerit Gloria tua.* Et illud Ioann. 6. *Vt gaudium vestrum sit plenum.* Naturaliter enim desiderant Beati scire, qui fundūt suas preces ad illos; quid patiantur sui cultores, & huius desiderii adimpletionem habent, ea, quæ scire desiderant, in Verbo videntes.

41. Dices: Si res ita se haberet, non de illa dubitaret Nazianzenus oratione de Gorgonia sorore sub fine dicens: *Si tibi aliqua nostri sermonis est ratio, & hoc Sanctis à Deo munus, vt talia resciscant, suscipe nostrum Sermonem multo epitaphiorum loco.* Et similiter Origenes lib. 2. in ad Roman. circa principium ait: *Si Sancti, qui cum Christo sunt, agunt aliquid, & laborant pro nobis ad similitudinem Angelorum, qui salutis nostræ ministeria procurant: vel rursum peccatores, etiamsi extra corpus positi agunt aliquid secundùm propositum mentis suæ, Angelorum nihilominùs ad similitudinem Ministrorum: habeatur hoc quoq; inter occulta Dei, nec chartulæ commitenda mysteria.*

His, & similibus nugantur Achatolici, vt suadeāt esse contra Patrum mentem nostrū dogmā. Igitur Naziāzenus illis suis verbis non dubitat; sed petit secundùm vulgarem formulam deprecandi, qua dicimus: *Si vides indigentiam meam.* Vel: *Si misericordiam habes, mihi indigenti succurre.* Hac ipsa formula vsus est D. Paulus ad Philem. dicens: *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.*

Auctoritas Origenis extra chorum est. Ibi enim nec verbum habetur de cognitione Beatorum, sed de ipsorum genere. Dubitat ergo Origenes, an sicut Angeli boni curant Beatorum salutem, sicut & mali perniciem; ita animæ Beatorum, damnatorumque similiter erga nos munus Custodis, seu persequutoris habeant? Quem nodum non solvit, sed *inter occulta Dei collocat.* Ast D. Thomas in 4. dist. 50. art. 2. q. 4. ad 2. positivè negat tale ministerium; vt alibi diximus. His tamen non infringitur notitia, quam de nobis, nostrarumque rerum Sancti habent.

42. Si dicas: Apud Ecclesiast. cap. 9. v. 5. dicitur: *Viventes enim sciunt, se esse morituros, mortui verò nihil noverunt amplius*: ergo Sancti nostri notitiam non habent.

Respondetur: Illum textum loquī de damnatis, vt indicare videntur, quæ subdit: *Nec habent vltra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorū.* Quod de Beatis dici non potest, iuxta illud: *In memoria æterna erit iustus.* Vel si de iustis agit, loquitur de cognitione in ordine ad meritum: Beati enim nihil mereri iam possunt, vt inibi subditur: *nec habent vltra mercedem.* Vel denique loquitur de cognitione humano modo habita: vnde non negat, quòd alio modo cognoscant res, quæ apud nos sunt.

43. In declarando hunc modum variæ sunt sententiæ: De quo videre poteris Belarminum, Magistrum Torre, Ioannem à S. Thom. & alios. Nobis autem certissimum est, Beatos de nostris tribulationibus, & precibus notitiam hebere: sive illam habeant in Verbo formaliter; sive causaliter. Hoc est, sive illam habeant ex vi visionis beatificæ; sive per revelationem: sive hæc revelatio, & illa visio simul, & semel omnes orationes proponat præsentes, futuraſque: sive successivè, prout existunt. Qualitercumque fiat, cognitio habetur. Quod si per revelationem dicamus haberi; non ideò debemus petere à Deo, vt ipsis nostras orationes revelet; quia cognitio hæc pertinet ad statum Beatorum; atque adeò est illis debita: vnde superfluè foret petitio illa. Per quod patet ad confirmationem.

44. Instas: D. Augustinus lib. de cura pro mortuis cap. 13. probat mor-

tuos ignorare, quid vivi agant: ad quod in exemplum adducit Matrem ſuam, quam in Cœlo eſſe inibi fatetur; ſed tamen, quia ad illum conſolandum non properabat, ſuarum præſurarum notitiam non habere, dicebat. Et concludit Sanctus: *Si Parentes non interſunt: qui ſunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur? Iſaias Propheta dicit: Abraham nos neſcivit, & Iſrael non cognovit nos.*

Reſpondetur: Auguſtinum ſolùm denegare Sanctis notitiam naturalem eorum, quæ apud nos aguntur; non autem negat, nec poteſt, notitiam eorum ſtatui correſpondentem: cùm eodem lib. cap. 16. dicat: *Non ideò putandum eſt vivorum rebus, quoslibet intereſſe poſſe defunctos; quoniã quibuſdam ſanandis, vel adiuvãdis Martyres adſunt; ſed ideò potiùs intelligendũ eſt, quòd per Divinã potentiã Martyres vivorũ rebus interſint, quoniã defuncti per naturam propriã vivorum rebus intereſſe non poſſunt.* Quibus verbis, & Sanctos noſtri notitiam habere aſſerit, & hanc notitiam naturalem eſſe negat: atque adeò idem ſentit de aſsiſtentia erga nos: negat enim nobis intereſſe poſſe modo proprio converſationis humanæ; ſed non negat notitiam, & auxiliũ modo proprio ſtatus beatifici. Quod cõfirmat exemplo Matris ſuæ, quæ modo proprio cõverſationis humanæ ad eũ cõſolãdũ non veniebat, ſicut faciebat priùs quã moreretur. Colligitq́, & bene, quòd ſi hoc nõ faciũt Parentes, quibus noſtri, noſtrotũq́ cura fuit, minùs facient extranei, qui huiuſcemodi curam non habuerunt. Vnde nec Iſrael, nec Abraham ſic prederant ſuo populo.

Licèt inter hos Patriarchas, cùm hæc de illis dicta ſunt, & Matrem Auguſtini, aliosque Beatos, ſit maximum diſcrimen. Illi enim tunc non erant comprehenſores, detenti in Limbo: vnde cùm ex vna parte non poſſent naturaliter ſcire, quæ apud vivos agebantur; & ex alia non haberent ex vi ſui ſtatus ius ad iſtam cognitionem: morabantur in tenebris circa ea, quæ apud vivos eveniebant, niſi vi alicuius particularis revelationis eis lux aliqua conferretur. Beati autem habẽt ex vi ſui ſtatus, quòd hæc notitia ipſis debeatur.

45. Sed quid dicemus Calviniſtis Sanctos videre Deum ante iudicii diem denegantibus? Eos ſine iudicio procedere, hæc dum pipiunt. Videatur Cardinalis Belarm. lib. 1. de Sanctorum beatitudine. Vident certè Sancti Deum, & in eo, quidquid ad ipſos attinet, cõtemplantur. Vnde D. Gregorius lib. 4. Dialog. ait: *Quid eſt, quod ibi neſciant, vbi ſcientem omnia ſciunt.* Et Concilium Senonenſe in decretis fidei damnans errorem aſſerentium Sanctos non eſſe orandos, inquit: *Sed quàm ſit hoc non modò veritati, ſed etiam Scripturis contrarium non ignorat illud vniforme Divinitatis ſpeculum, in quo, quidquid eorum interſit, eluceſcat.* Videatur Magiſter in 4. diſt. 45. & inibi D. Thomas quæſt. 3. art. 1.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm exiſtentes in Purgatorio orent?

46. PLura in titulo comprehenduntur, quæ declarare debemus, vt ſine confuſsione procedamus. Multipliciter poteſt intelligi, quòd animæ, quæ in Purgatorio exiſtunt, orent. Primò enim poteſt intelligi, quòd orent oratione cõmuniter dicta; vel oratione rigoroſè accepta, de quibus multoties dictũ eſt. Secundò poteſt intelligi, quòd orent pro ſe; vel pro aliis. Tertiò, quòd orent attento ſtatu, in quo ſunt; vel ex ſpeciali aliqua Dei ordinatione. Quartò, quòd orent vel in generali, vel in particulari: in generali quidem quando orant pro omnibus ſuis fratribus militantibus; vel pro omnibus ſuis benefactoribus, quicumque illi ſint: & in particulari, ſi orent pro hac, vel illis perſonis, quas de-

determinatè sciunt hac indigentia gravari. Quintò denique potest intelligi, quòd titulus loquatur attento rigore metaphysico tam orationis, quàm Purgatorii, quod non ad aliud certè destinatum est, quàm ad pœnam: vel quòd loquatur de eo, quod magis pium videatur.

47. His ergo modis intelligi valet quæstionis titulus. Et ex hoc nunc supponimus primò, longè nos ire â Suario, & aliis, qui partem affirmativam tuentur, eo motivo ducti, quòd, nempe, sic sentire est *magis pium, & non est incredibile*, quod non semel repetunt; ac si alicuius momenti esset hic recursus; cùm rei natura exploratur medio disputationis rigore. Quarè inspicienda est natura Purgatorii, & motiva, ob quæ ibi animæ detinentur, vt sciamus, an ibi orent; vel non? Quod verò præter naturam illius status aliquando animæ orare dicantur, hoc speciali Dei providentiæ tribuendum est, quod sanè non convincit illum statum hoc ex se sustinere.

48. Secundò supponendum est: Animas in Purgatorio orare oratione cõmuniter dicta, quod probatur: Quia illæ animæ habent mentem elevatam in Deum, quem cordicitus amant, & cui se totas subiiciunt: ergo modo dicto orãt. Patet ista: Quia oratio generaliter dicta est elevatio mentis in Deum.

49. Confirmatur: Illæ animæ gratias Deo agunt pro beneficiis acceptis; eas enim ab inferno liberavit, confirmavit in gratia, & certitudine suæ felicitatis ditavit; nec est dubiũ; quin tanti benefactoris pietatem meditentur: sed gratiarum actio, & meditatio sunt species orationis communiter dictæ, vt disp. 2. quæst. 1. vidimus: ergo.

50. Vnde dubium remanet circa orationem, vt petitio est: in quo est multiplex sententiarum varietas, iuxta diversos modos, quibus propriè orare posse vidimus n. 46. Vt autem â non adeò necessariis segregemur, solùm referemus duplicem extremè oppositam opinionem. Prima affirmativa est, quam defendit turba magna Doctorũ ex omnibus gentibus, & linguis. Sic enim sentiũt Gabriel in Can. Missæ lect. 58. Medina cap. de orat. q. 4. & 5. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 10. & 11. Belarm. lib. 2. de purgat. cap. 15. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 2. part. 6. Magist. Torre. â S. Thom. nost. Philip. 22. quæst. 83. & alii plures: qui, licèt inter se dissideant in hoc, quòd illarum animarum oratio sit hoc; vel alio modo ex dictis; omnes tamen rigorosè orare tuentur. Secunda sententia docet illas animas minimè orare attenta sui status natura: hanc cẽsemus de mente D. Thomæ mox laudandi, eam expressè tenet mundi stupor Abul. in 6. D. Matth. quæst. 83. ad 4. argument. Hæc ipsa opinio conformior est doctrinæ Seraph. Theresiæ plurib⁹ in locis; præsertim in de itinere perfect. cap. 21. & in lib. vitæ cap. 8. & mans. 1. cap. 1. quibus suppositis

§. I. *Defenditur vera sententia.*

51. NOstra conclusio: *Animæ in Purgatorio existẽtes nõ orant.* Probatur primò: Illæ animæ nec nobis, nec sibi aliquid petunt: ergo nõ orant. Consequentia certa est: oratio enim nihil aliud est, quàm petitio facta Superiori, vt petenti; vel aliis, aliquod bonum concedat. Antecedens verò pro vtraque parte probatur: Nam illa oratio nec illis animabus, nec nobis servire potest: ergo nec nobis, nec sibi petunt. Patet ista: Quia numquàm fiet ab illis animabus, quod inutile, & superfluum est. Antecedens, in quo est difficultas, probatur: Vt oratio aliqua prosit; debet esse meritoria, satisfactoria, aut impetratoria: sed illarum animarum oratio nulli foret meritoria, satisfactoria, aut impetratoria: ergo. Maior continet, quod indispensabiliter requiritur, vt oratio prodesse possit. Minor verò pro prima parte probatur: Animæ illæ sunt extra viam: ergo mereri non possunt. Deinde probatur pro secunda parte: Illis animabus determinata iam est satisfactio â Supremo Iudice; quantum, scilicet, passuræ sint: ergo oratio non foret pro ipsis satisfactoria,

ria. Patet consequentia: Quia, vt egregiè ait citatus Abulens. *Satisfactio est recompensatio pro pœna debita; scilicet vt recipiatur aliquid pœnale pro altero pœnali*: Atqui in Purgatorio non datur hæc subrogatio vnius pœnalis pro alio; quia, vt dictum est, iam â Supremo Iudice determinatum est pœnale, quod subeundum est: ergo illa oratio non foret satisfactoria pro ipsis: subindeque, nec pro aliis: quia qui pro se satisfacere non potest; potiori iure non potest pro aliis satisfacere.

Iam verò quòd illa oratio non esset impetratoria probatur: Quia ad impetrandum requiruntur merita præsentia, vel præcedentia, & insuper acceptatio Dei volentis intuitu illorum meritorum concedere, quod ab ipso petitur, vt patet in Beatis: sed licèt animæ illæ habeant merita præcedentia, non adest voluntas Dei illa acceptans, vt pro tunc aliquid impetretur: ergo. Probatur minor primò: Quia non constat de tali voluntate. Secundò: Quia locus ille solùm institutum est ad exolvēdum vsque ad novissimum quadrantem: ergo.

52. Probatur secundò conclusio ratione cruta ex D. Thom. Si existētes in Purgatorio orarent, possent â nobis orari: atqui cordatè â nobis orari non possunt, vt plerique ex Adversariis fatentur: ergo non orant. Maior patet: Quia si earum oratio vtilis nobis foret, possemus ipsarum adiutorium implorare. Minor verò probatur ex D. Thoma loco citato ex sent. in argum. *Sed contrà*: Quia non est eiusdem orare, & quòd pro ipso oretur; atqui nos oramus pro animabus Purgatorii tamquàm pro in extrema laborantibus; nec sibi favere potentibus: ergo ipsæ pro nobis non orant. *Secundò* probatur illa minor ex eodem D. Thoma, ibi: Oratio est petitio inferioris ad Superiorem; vt multoties diximus: sed licèt ratione impeccabilitatis sint nobis superiores illæ animæ; tamen ratione pœnarum, quæ illius status propriæ sunt, sunt nobis inferiores: ergo idem, quod priùs. Minor, in qua poterat esse dissidium, est innegabilis: Quia in illa ratione, in qua aliquis alio indiget, est illo inferior: sed in ratione pœnarum indigent illæ animæ nostris orationibus: ergo sunt nobis inferiores.

§. II. *Obiectiones.*

53. ANgelicus hic discursus non placet Suario, & Belarmino: ob quod primus negat maiorem: aliud est enim, quòd animæ illæ orent; aliud verò, quòd nos eas oremus: primum quidē verum est; secundum autem falsum: bene enim percipitur posse animas Purgatorii orare pro se; vel pro aliis in generali; & quòd nos ad ipsas non oremus: quia vt cordatè ad ipsas oraremus, debebamus scire, illas cognoscere orationes nostras; atque adeò orare in particulari pro hoc ad hanc necessitatem in hoc tempore ipsarum patrocinium implorante: quod diversum quid est â præcedenti, & valde incertum; cùm ignoremus animas illas nostras orationes cognoscere: Vnde ex quo ipsæ pro se, vel pro Ecclesia militante in generali orent, non sequitur, non posse ad ipsas orare.

54. Hoc tamen non obest; sed reiicitur primò: Quia si illæ animæ orarent pro se, etiam pro nobis orarent; earum enim charitas perfectissima non pateretur cōtrarium: ergo si non orant pro nobis; nec pro se orant. Secundò reiicitur: Quia quòd cognoscant; vel non cognoscant nostras orationes ad nihilum valet; quia eo modo, quo eis conceditur orare in generali, potest concedi orare pro illo in particulari, qui ad illas recurrit; vel qui ferventiùs illis favet; vel qui indigentiùs illas implorat; quem certè Deus cognoscit. Quod demonstratur â simili: siquidem nos oramus, non solùm pro animabus Purgatorii in communi; sed etiam pro magis afflicta, magis desolata, magis in Beatissimam Virginem affecta, & sic de aliis: quod certè facimus, quia aliquas animas in Purgatorio esse, quibus eæ conditiones conveniant, scimus: quamquá, quæ illæ in individuo sint, nō sciamus; scimus verò Deum illas bene nos-

cere:

certè: ergo si nos sic oramus, quod non negabit Suarius, cur ipsæ animæ hoc pro nobis facere nō possent, si orarent? Non est ratio, quæ hoc suadeat.

55. Hoc tamen, quod ita verum, facile, solidumque apparet, non arridet Suario; eòque lib. 1. cap. 10. num. 27. ait, quòd hic discursus *non satisfacit; quia si nostra petitio ad illarum notitiam pervenire non debet, inutilis est; nec potest habere rationem virtutis.*

56. Sed contra primò: Licèt ad nostram notitiam non perveniat, quæ anima sit in Purgatorio magis afflicta, oramus tamen pro illa, oratione habente rationem virtutis: ergo pariformiter licèt ad notitiam animarum non perveniat oratio indigentis viatoris; orabunt tamen, petentes â Deo auxiliū pro eo, qui hac, vel illa, vel aliqua necessitate gravatus: hoc, vel illo, vel aliquo pondere pressus, illarum opem imploret.

57. Contra secundò: Eò nos oramus pro animabus, modo dicto determinatis; quia certò scimus aliquam esse magis v. g. afflictam, illamque â Deo cognosci: atqui animæ certò sciunt, aliquos earum opem implorare, earumq́ orationibus indigere: ergo.

58. Contra tertiò: Vt oratio habeat rationem virtutis, sufficit, & requiritur, quòd sit petitio decentium â Deo: atqui oratio, qua opem animarum imploramus, casu quo orarent, foret petitio decētium â Deo: ergo haberet rationem virtutis. Probatur minor: Quia illa oratio terminaretur ad Deum ab ipso petens, vt animas Purgatorii moveret ad orandum pro nobis: ergo tenet minor. Probatur antecedens: Terminus, sine quo subsistere non potest oratio, est Deus, vt patet per orationis definitionem; vnde, licèt oratio fiat ad Sanctos, terminatur ad Deum; tum vt illos moveat ad interpellādum pro nobis; tum vt eorum auxilio nostra oratio sublevetur; vtì adstruit D. Thomas dicta quæst. 83. ergo tenet antecedens.

59. Contra quartò: Quia iuxta opinionem adversam: animæ Purgatorii orant pro tota Ecclesia: sed Ecclesiæ indigentiam non agnoscunt media aliqua oratione ad ipsas facta: ergo licèt nostra oratio ad earum notitiam non perveniat, orabunt pro nobis; eòque possumus earum orationes petere. Minor probatur primò: Quia non facilè assignabitur illa oratio; quia Ecclesia potiùs orat pro animabus Purgatorii, quàm ipsas oret; dato tamen, quòd illam orationem funderet, ad earum notitiam minimè perveniret: vel si possent cognoscere hanc orationem Ecclesiæ; etiam particularium orationes cognoscent; non enim assignari valet prudens disparitas inter vtramque orationem.

60. Si dicas cum Adversariis: Animas Purgatorii pro Ecclesia orare; quia cognoscunt semper illam orationibus indigere; cùm semper necessitatibus oppleatur. Hoc si cum Suario dicas: Ex ore tuo te iudico, sic ex te contra te arguens: Animæ Purgatorii pro Ecclesia orant, quia sciunt ipsam semper necessitatibus circuiri: atqui etiam sciunt esse plures particulares indigentes, qui suis necessitatibus præssi, earum auxilium petunt: ergo vt pro istis orent, non obest, quòd non cognoscant eorum orationes in particulari; sed sat est, vt in generali tales orationes cognoscant.

61. Contra denique, & præcipuè retunditur hic discursus Suarii â Suario ipso: Quippe paucis interiectis, vel sui oblitus; vel nescio quo spiritu actus, id ipsum rotundè adstruit, super quo nunc ipsius anima nauseat: sic enim cap. immediatè sequenti numero 16. loquitur Doctor Eximius: *Orare possunt pro illis viatoribus, qui ipsis suffragantur, & curam habent orandi:: Illa enim oratio in particulari est pro talibus personis, quas Deus optimè novit, licèt ipsis animabus ignotæ sint.* Ex quo sic argumentor: animæ Purgatorii orant pro illis viatoribus, qui ad illas orant; licèt eorum notitiam non habeant; sufficit enim, quòd Deus tales viatores, & eorum orationes in particulari cognoscat: ergo non est necessarium, quòd animæ Purgatorii cognoscant orationes, nec

oran-

rantes in particulari, vt illis ſubveniant: ergo poſſumus illas orare oratione habente rationem virtutis, vt ab illis adiuvemur. Contra id, quod num. 41. dixit Suarez. Hæc ſecunda conſequentia cõſtat ex prima; & iſta ex antecedenti nota eſt. Antecedens verò continet formalem doctrinam Suarii: ergo ea attenta, poſſemus animas Purgatorii orare; ſi ipſæ orare poſſent: ergo quòd ad ipſas non oremus, provenit ex eo, quòd ipſæ non orant, attenta loci, in quo puniuntur, conditione.

62. Hæc dixerim; quin diſputare velim, an animæ poſsint cognoſcere noſtras orationes in particulari: quod certè arduum non foret ſtatuere: maximè cùm P. Suarez ingenuè illud fateatur cap. 10. citat. num. 28. Vnde ex hac parte corruit fundamentum magnum doctrinæ adverſæ: quia ſi exiſtentes in Purgatorio cognoſcunt in particulari orationes ad eos factas; & nihilominùs non orant pro nobis, vt aſſerit Doctor Angelicus, hoc non poteſt aliunde provenire, niſi quia animæ illæ non orant; ſi namque orarent, vtique noſtri miſererentur, & nobis indulgẽtiam Divinam implorarent.

63. Alia via procedit Cardinalis Belarm. contra diſcurſum D. Thomæ dicens lib. 2. de Purgat. cap. 15. quòd ratio D. Thomæ, qua probat animas Purgatorii pro nobis non orare, quia ſunt nobis inferiores, *non cõvincit*. Poſtquàm autem communi Magiſtro ſic reveretur, concludit: *Sed quamquàm hæc vera ſint; ſuperfluum tamen videtur, ab eis ordinariè petere, vt pro nobis orent: quia non poſſunt ordinariè cognoſcere, quid agamus in particulari.*

Cùm vidi Doctrinam huius graviſsimi Auctoris, expectabam alium finem, temque certam, cui fidere valeremus. Superfluum aſſerit ab animabus petere. Cur ergo? Nam ſi pro nobis orare poſſunt; & nos etiam poterimus ipſarum auxilium implorare. Vel ſi hoc facere ſuperfluum eſt; pariter ſuperfluè aſſeris; illas orare pro nobis: imò & falsò. Nec hoc inconveniens ceſſat per id, quod addis, nempe: *ordinariè*; nam ſi *ordinariè* petere ab ipſis ſuperfluum eſt; quãdo non erit ſuperfluum? Quam regulam aſsignas, vt oremus ad illas animas? Nullam certè; niſi quòd *ordinariè* orare eſt ſuperfluum.

64. Nec aliũ finẽ habere potuerunt rationes ab ipſo factæ: ſed illas videamus. Sic enim ait: Si animæ nõ orãt pro nobis, vel eſt, quia non videt Deũ; vel quia maximè torquentur; vel quia ſunt nobis inferiores: ſed ob hæc non poteſt dici, quòd non orent: ergo ratio Divi Thomæ non convincit. Minor pro prima parte probatur: Quia exiſtẽtes in Limbo orabãt pro populo: ergo. *Pro ſecunda parte* probatur eadem minor primò: Quia dives dãnatus orabat pro fratibus ſuis, Luc. 16. licèt eſſet in maioribus tormentis, quàm animæ in Purgatorio. *Secundò probatur*: Quia Martyres orabant pro ſe, & pro aliis, vt patet de Sancto Stephano Actor. 7. *Probatur tertiò*: Quia dolor non impedit rationem, & affectum animabus. *Probatur quartò*: Quia non eſt dubium, quòd pro ſe ipſis orent, etſi torqueantur: ergo ſimiliter pro nobis orant.

Pro tertia parte probatur illa minor primò: Quia nos oramus pro iis, qui ſunt nobis ſuperiores, & Sanctiores, vt pro Epiſcopis, & Pontificibus, & pro D. Paulo orabant olim Chriſtiani. *Probatur ſecundò*: Quia Animæ Purgatorii, etſi ſint nobis inferiores ratione pœnarum; ſunt tamen ſuperiores ratione gratiæ, & charitatis, in qua confirmatæ ſunt; quæ ſuperioritas ſat eſt, vt ad illas poſſimus orare.

65. Hæc, & non alia Belarminus, quæ certè rationem D. Thomæ non enervant. Reſpondetur ergo negando minorẽ quoad omnes ſuas partes. Prima enim eius pars eſt falſa; quia reddit non cauſam pro cauſa: quippe non ideò animæ pro nobis non orant, quia Deum non vident; cùm Patres in Limbo orarent, & nos ipſi pro invicẽ orare iubeamur, vt ſalvemur, vt ſuprà ex D. Iacobo dicebamus. Eò enim animæ illæ non orant, quia ſunt in Purgatorio, qui locus non eſt orandi; ſed patiendi. Etenim oratio nullum effectum ibi habere

po-

potest; cùm non possit mereri, nec satisfacere, nec impetrare: vnde superflua est. Oratio pro aliis locum habere non potest in Purgatorio; quia, cùm illæ animæ pro se non exolverint, non possunt ad extranea diverti. Oratio pro se locum etiam ibi non habet; quia illa oratio propter dicta superflua foret. Est iam definita pœna, quam illæ animæ subituræ sunt; quarè petendi tempus cessavit. Quod clarissima brevitate docuit D. Thomas dict. q. 83. art. 11. ad 3. iis verbis: *Ad tertium dicendum, quòd illi, qui sunt in Purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem; sunt tamen inferiores quantùm ad pœnas, quas patiuntur: & secundùm hoc non sunt in statu orandi; sed magis vt oretur pro eis.* Nota illa verba: *non sunt in statu orandi*, quibus denegatur oratio illis animabus ob statum, in quo sunt: non verò quia Deum non vident. Insuper ly *orandi* excludit tam orationem pro se, quàm pro aliis: siquidem cum vtroque orationis modo pugnat Purgatorii locus.

66. Secunda pars illius minoris etiam est falsa: quia quòd animæ Purgatorii non orent, non est, quia torquentur præcisè; sed quia torquentur in loco solùm ad patiendum destinatum: vnde inspecta illius loci natura, locus orationi non datur. Per quod patet ad omnes partes illius probationis. Ad primam quidem dicitur primò: Quòd illa illius damnati petitio non est oratio; hæc enim ex pio affectu procedere debet, quem quis apud inferos invenire præsumat? Sic respondent communiter Theologi, verũ potest instari: Damnatus quamquàm maximè torqueatur, potest petere modo possibili suo infernali statui: ergo qui est in Purgatorio, potest petere ex pio affectu; quod certè proprium est animæ iustæ; atque adeò orare potest. ¶ *Ideò* respondetur secundò: Nos nõ negare animabus Purgatorii capacitatem orandi: possunt quidem orare; sed non orant; nec attenta sui status conditione orabunt, quia cùm illæ status non patiatur otiosè, & inutiliter operari: propterea animæ illæ, etsi possint, non orant; quia optimè norunt otiosam, & inutilem fore suam orationem, vti observat Abulensis citatus. Quòd verò damnati inutiliter, & otiosè petant, quis negabit? Vnde assimilari non debent animabus Sanctis; nisi velit Belarmin. vel animas Purgatorii inutiliter procedere; vel seriò damnatos operari.

Ad secundam ipsius partis probationem constat ex modò dictis. Martyres enim erant in loco ad orandum idoneo: vnde quãquàm ferosissimè torquerentur, orabant. Quapropter sicut, si ego sic arguerem: Martyres dum torquebantur, merebantur, & satisfaciebant: ergo & Animæ Purgatorii merentur, & satisfaciunt: negares consequentiam; eò quòd in Purgatorio non est locus merendi, & satisfaciendi: sic tibi dico: Martyres orabant; ast animæ Purgatorii non orant, quia locus ille non est orationis; sed passionis. ¶ Ad tertiam probationem dicimus: ideò, quia tormenta non absorbent animarum rationem, & affectum, non orant: quia sunt cum plena advertentia ad non faciendum aliquid proprio statui repugnans: quiaque statui illi repugnat inutiliter operari: propterea, ne inutiliter operentur; non orant.

Ad quartam probationem respondetur, apud nos dubium non esse, quòd animæ Purgatorii non orant, vt eo ipso loco, quem, vt impugnet, citat. Belarm. asserit S. Thomas dicens, quòd illæ animæ *non sunt in statu orandi*.

67. Tertia pars illius minoris etiã falsa est, cuius primam probationem non adduceret Belarminus, si rationem D. Thomæ introspexisset. Non enim negamus, inferiorem pro superiore orare posse ad Deum, cui ambo subiiciuntur. Verùm qui orat, est in statu orandi, & insuper non eget eo ipso, quod alii petit. Ast qui extrema inopia laborat, non petit alii; sed sibi: quòd si in tali statu est, vt petere non possit; tunc nec sibi, nec alii petit. Et hoc est, quod invenitur in animabus Purgatorii: sunt enim in extrema necessitate, quæ adeò gravis est; vt eorum status

non permittat modum inquirendi remedium. Vnde non sunt in statu petendi sibi, aut aliis. Quod abs dubio docuit D. Thomas verbis illis, quæ num. §5. dedimus; & quæ Belarminus impugnat.

Quod vt penitiùs calleas, obserua D. Thomam eo articulo quærere: *Vtrùm Sancti, qui sunt in patria, orent pro nobis?* Quod disquirit Doct. Angelicus, vt cõclusione affirmativa destrueret errorem Vigilantii somniantis, quòd, licèt dum viuimus, pro aliis oremus; post mortem tamen nullus orat. Vnde contra hunc errorem procedens S. Thomas non resolvit, Sanctos ex se (vt ita loquar) orare: hoc enim non negabat Vigilantius; quin potiùs ante mortem orare dicebat; sed determinat: Sanctos orare, vt sunt in patria; quia ille felicissimus status, non solùm non impedit Sanctorum orationes; sed potiùs eas firmat ob perfectam charitatem, ob impeccabilitatem, & ob alia privilegia, quæ secum affert, apprimè conducentia, vt Sancti tam pro se, quàm pro aliis petant. Ex quo deducitur, titulum articuli præiactati sic esse paraphrassandum: *vtrùm status patriæ sit status orandi?* Ad quod affirmativè respondet S. Thomas.

68. Et quia rationes, quibus vtitur, magna ex parte conveniunt animabus Purgatorii: eæ enim sunt impeccabiles, perfectæ charitatis, & de beatitudine certæ: propterea posset quis dubitare, vt de facto dubitatur: an status Purgatorii, in quo illæ prærogativæ inveniũtur, sit etiã status orãdi, sicut est beatitudo, in qua illa privilegia dantur? Ad quod in argumento citato respõdet D. Thomas duo. Primũ, quòd animæ illius status sũt nobis quoad impeccabilitatẽ superiores; & ex hac parte non solùm pro se; sed etiã pro aliis orare possent: verùm considerata conditione illius status, nullatenus orant; quia prout sic sunt nobis inferiores inferioritate eas ad tantam inopiam redigente, vt non solùm omni remedio egeant; sed quòd vel ab ipso quærendo destituuntur. Verba D. Thomæ iterum exscribo: *Qui sunt in Purgatorio, etsi sint nobis superiores propter impeccabilitatem; sunt tamen inferiores quantùm ad pœnas, quas patiuntur, & secundùm hoc non sunt in statu orandi.* Videatur ipse D. Thom. q. 4. citata ex sentent. quæstiunc. 2.

Secunda probatio illius tertiæ partis novum modum arguendi, & sanè facilem, docet: ait enim D. Thom. Animæ Purgatorii, etsi sint propter impeccabilitatem superiores; sunt tamen inferiores ratione pœnarum: ergo non orant. Et opponit Belarminus; illæ animæ, etsi ratione pœnarum inferiores, sunt superiores ob impeccabilitatem: ergo orant. Bene, & optimè. Respondetur ergo: Quòd ob impeccabilitatem non repugnat illis animabus oratio; sed propter conditionem status, in quo animæ illæ impeccabiles inveniuntur.

Maneat ergo rationem D. Thomæ inconcussam persistere; quia illa animarum inferioritas, illas constituit in statu, in quo nec petere possunt.

§. III. *Argumenta.*

69. CONtra nostram Conclusionem arguitur primò auctoritate D. Thomæ in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. ad 4. vbi loquutus de modo, quo pœna venialis remittitur in Purgatorio ait: *Ad 4. dicendũ, quòd post hanc vitam, non datur meritum respectu præmii essentialis; sed respectu alicuius accidentalis potest esse, quandiu manet homo in statu viæ aliquomodò: & ideò in Purgatorio potest esse actus meritorius quantùm ad remissionem culpæ venialis.* Ex quo habemus primò, animas Purgatorii esse aliquomodò in statu viæ. Secundò habemus posse illas animas mereri: Ex quo infertur, quòd orare possint.

70. Hic textus difficultate non caret; eam tamen superare nititur Cardinalis Belarminus lib. 2. de Purgat. capit. 3. dupliciter: Primò dicens: D. Thomam hanc sententiam retractasse in quæst. 7. de malo art. 11. vbi contrarium docet. Secundò ait D. Thomam non loqui de merito propriè tali: sed solùm de eo impropriè sumpto.

Quam

Quam explicationē propriſsimā reor, eamque tradit ipſe Doctor Angelicus art. 11. citato. Vnde dicendū eſt: Quòd in ipſo egreſſu animæ â corpore, & ingreſſu in Purgatoriū elicit anima actū, vel charitatis, vel contritionis incompatibilem cum culpa veniali: quarè adveniente hoc actu perit culpa propter vtriuſque incompoſibilitatem: Et propter hoc aſſerit D. Thomas illam animā mereri remiſsionem culpæ: quæ certè eſt veriſsima locutio, licèt, vt dictū eſt, meritum illud non ſit morale, ſeu proprium; ſed improprium modo dicto. Ratioque ad id ſtatuendum ſolida eſt: quia ex vna parte anima non intrabit in Cœlum, vſque dum ab illa culpa abſolvatur: Ex alia verò iam non eſt meriti locus: Vnde, niſi de remedio provideretur, maneret anima illa in æternum â Paradiſo excluſa. Quapropter indulgentiſsimus Deus merita huius animæ intuens facit ipſam actum elicere; qui ob phyſicam incompoſibilitatem cum culpa, illam excludit. Videantur N. Salmanticenſes tract. 24. ad art. 4. quæſt. 83. â num. 9.

71. Arguitur ſecundò, & ſimul contra dicta replicatur: Exiſtens in Purgatorio eſt in via: ergo meretur, & orat. Conſequentia patet. Et antecedēs probatur 1. ex adducto D. Thom. affirmante, talem animam manere *in ſtatu viæ aliquomodò*. Secundò probatur ratione: Illa anima non eſt in termino: ergo eſt in via. Patet iſta: Quia non datur medium. Et antecedens probatur: Qui nō eſt in sūma felicitate; vel in sūma infelicitate, nō eſt in termino: exiſtēs in Purgatorio nō eſt in ſumma felicitate, nec in ſumma infelicitate: ergo.

72. Confirmatur primò: Exiſtens in Purgatorio habet charitatem imperfectam: ergo non eſt in termino. Probatur antecedens: Horrens, timenſque pœnam habet charitatem imperfectam; quia *perfecta charitas foràs mittit timorem*: exiſtens in Purgatorio horret pœnas, quas patitur; alias non eſſent involuntariæ, contra D. Thomam diſt. 21. citata. quæſt. 1. quæſtiunc. 4. ergo.

73. Confirmatur ſecundò: Dum homo movetur in alium, non eſt in termino: exiſtens in Purgatorio movetur in beatitudinem: ergo non eſt in termino.

Reſpondetur argumento negando antecedens, ad primam probationem dico: D. Thomam dicere illum eſſe *aliquomodò* in via; quia elicit actū aliquomodò meritoriū; quia ſicut qui propriè meretur, propriè, & ſimpliciter eſt in via: ita qui impropriè meretur; impropriè, ſeu *aliquomodò* dicitur in via eſſe. Quod cùm faciat exiſtens in Purgatorio, vt patet ex num. 60. propterea dicitur eſſe in via *aliquomodò*.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: Terminum præfixū ad meritum, vel demeritum, non eſſe gloriam, ſed mortem: atque adeò adveniente morte ceſſat via ad merendum, vel demerendū. Vnde, quamvis anima non ſit in Cœlo, nec in Inferno; ſed vel in Limbo, vbi Patres fuere; vel in Purgatorio, vbi preſſurarum torrente torrētur iuſti debitores, iam non eſt in via; quia huius per mortem clauſa eſt iannua. Quod patet exemplo corporei viatoris venientis ad civitatem; cùm fores clauſæ ſunt, qui iam perfecit iter, licèt expectet, quòd fores reſerentur; anteà enim ingredi civitatem haud poteſt: & tamen toto illo ſpatio, quo ad valvas moratur, iam non eſt viator; etſi viatoris ornamenta retineat, vſque dum ingrediatur civitatem. Similiter exiſtēs in Purgatorio viator nō eſt; etſi fidem, & ſpem, quæ ſunt viatoris notæ, conſervet. Per quod patet ad ſecūdam confirmationem.

Ad primam reſpondetur: Perfectam charitatem foràs mittere timorem culpæ propter pœnam; non verò timorem, & horrorem pœnæ ob culpam priùs commiſſam. Et quamquàm illas pœnas timeant, horreantque exiſtentes in Purgatorio, eas etiam amant, vt ſuæ puritatis inſtrumenta; & vt media, ſine quibus non poſſunt coronari. Videatur D. Thom. loco citato ex ſentent. quæſtiunc. 4. & 3. p. quæſt. 15. art. 6.

74. Arguitur tertiò: Exiſtentes in Purgatorio petunt liberari â ſuis anguſtiis:

tiis: ergo orant. Patet consequentia. Et antecedens probatur primò ex Div. Thoma quæstiunc. 4. citata, vbi in secundo argumento *Sed contra*, & in corpore asserit, animas illas frequenter suffragia petere. *Secundò probatur* ex repetitis historiis, & animarum apparitionibus, quæ passim recitantur: ergo tenet antecedens.

75. Confirmatur primò: Illæ animæ cognoscunt suam indigentiam, â qua liberari cupiunt, & cognoscunt Deum esse potentem, vt eas ab iis angustiis liberet: ergo illum orant. Probatur consequentia, quia, vt quis oret, nihil aliud requiritur, nisi ea, quæ in antecedenti continentur, vt de se notum est: ergo.

Confirmatur secundò: Fideles implorant, & quidem cum magno fructu, intercessionem existētium in Purgatorio: ergo ibi orant. Consequentia est evidens, & de antecedenti nemo est, qui dubitet, ob celebres experientias, quas habemus, & etiam patet: quia B. Paschasius, adhuc in Purgatorio existens, miraculum fecit in favorem ipsius intercessionem implorantium, vt refert D. Thomas in 4. dist. 15. citata: ergo vera est consequentia.

76. Respondetur argumento negando antecedens: Ad vtramque probationem simul dicimus: verum esse, quod in ipsis continetur; nobis autem non opponi. Ea quippe eveniunt ex Dei speciali voluntate, qui operari cum illis animabus vult, præter id, quod petit conditio Purgatorii. Hoc enim non est ex se orationis locus: Verùm Deus, qui causas animarum iudicat, imponit aliquibus animabus, vt socios quærant, qui mediis suis suffragiis, & orationibus opem illis ferant. Verùm, præcisa hac Dei speciali voluntate, non orabunt; quia debent conformari cum conditione status, in quo sunt, nè, si aliter faciant, inutiliter operentur.

77. Dices primò: Ergo anima, cui Deus hoc privilegium non concedit, potest illud â Deo petere: ergo & orare. Probatur prima consequentia: Id possumus â Deo petere, quod videmus aliis Deum concedere solitum: sed gratiam petendi suffragia dispensat Benignissimus Deus pluribus animabus: ergo illa carentes possunt â Deo petere.

78. Dices secundò: Animæ in Purgatorio non orant, nè inutile quid faciant: sed ex quo orent non sequitur, quòd aliquid inutile faciant: ergo. Probatur minor: Ex quo in Purgatorio possint orare, non sequitur, quòd ibi aliquem defectum committere possint: ergo ex quo actu orent, nullum defectum committunt. Antecedens patet: Ille enim status, nedum defectum; verùm, & potentiam ad deficiendum excludit. Et consequentia probatur: Si namque potentia ad orationem in Purgatorio non est potentia ad deficiendum; pariter orationis actus non est defectus, vt paritas, & proportio, quæ inter potentiam, & actum servari debet, ostendunt.

79. Respondetur ad primam negando consequentiam: Ad probationē dicas maiorem esse veram, si simus in statu petendi; tunc enim possumus: imò debemus â Deo petere gloriam, & ea, quæ ad gloriæ consequutionem conducunt. Existētes in Purgatorio non sunt in statu orandi; eòque non petent illius gratiæ participationem: quia oratio ibi facta non est medium ad consequutionem talis gratiæ propter dicta num. 51. quæ repetit ibi citatus Abulensis quæst. 83. ad secundum dicens: *Causa tamen potissima est, quia oratio sua non potest nobis, nec ipsis in aliquo prodesse, vt ostensum est; ideò numquàm orant.* Vnde nisi Deus mera benignitate sua, vel intercessione alicuius Cœlicolæ, aut peregrinantiū suffragiis, & orationibus motus, illam gratiam dispensat, non alius modus est tunc illam habendi. Hincque altè colligere debemus, perfectionem vitæ, quam obtinere tenemur; vt sic illi Purgatorio igni pabulum, in quo moretur, auferamus: & quòd, dum vivimus, patronos in Cœlo præparemus, qui, dum in Purgatorio simus, pro nobis orent; ad quod eximium remedium est ipsis Purgatorii animabus nunc opitulari; vt cùm cœlestem curiam inhabi-

bitent, nobis vbicumque degentibus, & egentibus gratiam rependant. Sciamus Animas in Purgatorio fore velut corpus ita languidum, & debile, vt ne moveri quidē possit, vt sibi ipsi subveniat, nec vocem dare ad alienam protectionem. Quamobrem Seraphica M. nostra Theresia ait loco cit. ex mans. 1. *El alma sin oracion es como cuerpo con perlesia, ò tullido, que aunque tiene pies, y manos, no los puede mandar.* Vbi nobis confert cœleste pro præsenti materia documētum: quippe si valet: *anima sine oratione est*: ergo *sibi subvenire non potest*. Ita ē converso valet: *anima sibi subvenire non potest*: ergo *est sine oratione*. Si namque oraret, illis angustiis minimè premeretur. Ast iustissimus, & benignissimus Deus eam, omni ex parte, fatigat, vt sic citiùs, quò graviùs, pulchriùs, quò acerbiùs purificetur.

80. Ad secūdam obiectionem respondetur: Actum orationis correspondentem potentiæ ad orationem in Purgatorio non esse inutilem; sed fructuosum: sicut ipsa potentia inutilis non est: actus enim ille, & potentia substernuntur Divinæ dispositioni, qua accedente, illas animas orare, dicimus. Verùm actus orationis, prout respicit cōditionem Purgatorii, omnino impertinens est, ob sæpiùs dicta: vnde, si animæ illum sic ponerent, inutiliter operarētur. Nec in hac anili, & transcendenti replica, ampliùs immorari oportet.

81. Ad primam confirmationem respondetur: Animas Purgatorii cognoscere quidem ea, quæ in antecedenti continentur; & insuper cognoscunt orationem suam ad nihilum valere: & ideò ab orando abstinent.

82. Ad secundam cōfirmationem respondetur cum Magistro Torre dicente: Illud verò, quod obiicitur de more fidelium se commendantium animabus Purgatorii nihil probat; cùm his, & similibus occupetur rude vulgus: sicut in implorando opem animarum Purgatorii pro custodia peccorum, pro inventione rerum perditarum, &c. Sapientes quidem eis opitulantur suis suffragiis, ab ipsis verò nihil petunt. Hactenus hic Magister 2. 2. quæst. 83. art. 4. disp. 6. cum D. Thoma, quem omnes Thomistæ sequuntur.

Ad illud de miraculo Paschasii respondet D. Thomas citatus, & ex eo Abulensis sic: *Ad tertiū dicendum, quòd Paschasius, qui erat in Purgatorio, miraculum fecit, eò quòd in miraculis non attenditur præcipuè Sanctitas eius, qui oratur; sed fides, & devotio orantis: nam Dominus infra 9. & Luca 8. mulieri, quam sanavit à fluxu sanguinis, dixit: fides tua te salvam fecit :: Non tamen exaudiebatur oratio eorum, qui orabant ad Paschasium, quasi Paschasius in Purgatorio existens oraret pro eis, quia pro nullo orabat, & si oraret, esset oratio inutilis; sicut cæterorum existentium in Purgatorio, vt suprà ostensum est.*

DISPVTATIO QVINTA.

De iis, qui possunt orari.

D. O. M. Orari debere nemo est, qui ābigat, qui vel ipsā orationis definitionē audivit: Certū est etiam ad Sanctos, qui in patria deliciantur, nostras orationes terminari, quod fide Sanctum est. Solùm potest esse difficultas circa modum, quo Sancti nostras orationes cognoscunt, vt sic, illis cognitis, nobis opitulentur. De quo videri valent Raphael de la Torre, & Magist. Ioannes à S. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 4. Qui hanc difficultatē egregiè versant. Nobis verò solùm disputare nunc placet, sub qua ratione oratio nostra à Deo terminetur? Et an possimus orare ad Sanctos, sive in Cœlo existentes, sive terrestrem Paradisum habitantes? Quod dicimus propter Magnū Patriarchā N. Parētem Eliam? Est enim in hoc Sanctissimo viro speciale dubium, quod in aliis Sanctis non datur. De animabus autem Purgatorii iā diximus q. præcedēti. Vnde solūmodò dictas quæstiones excitabimus.

QUÆS-

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Deus oretur ſub ratione perſonæ?

1. MAgiſter Torre artic. citato diſp. 1. num. 6. ait, præſentē quæſtionem excitari â Doctoribus Scholaſticis in 4. diſt. 15. vbi de ea agit D. Thomas. Poſtquàm autem hoc præmittit, ſubiungit: *Dubitatio meo iudicio frivola, & vt talis à D. Thoma in ſumma relicta: eò quòd indifferenter ad eſſentiam, & ad perſonas, prout devotio ſuggeſſerit, oratio fundenda eſt.* Et ſubdit: *Petitio namque factionem poſtulat; parùm curans de formalitate faciendi.*

2. Plura in his hic auctor devorat, quæ maturiùs cõſiderare debuiſſet. Frivolam dubitationem appellat, quam Doctores Scholaſtici, & Theologorum Princeps D. Thomas excitant loco citato ex ſententiariis. Cur ergo frivola eſt? Primò, quia in ſumma omittitur â D. Thoma. Secundò, quia oratio indifferenter terminatur ad eſſentiam, & ad perſonas prout devotio ſuggerit. Tertiò, quia oratio effectum quærit, parùm curans de formalitate faciendi. Egregiè. Dum infero: ergo D. Thom. in ſententiariis frivolas dubitationes verſat: eas vtì, quæ innumeræ ſunt, quas amittit in ſumma. Itidem: ergo frivolè quærit D. Thom. adhuc in ſumma, & cum eo hic Auctor, an oratio noſtra terminetur ad ſolum Deum? an etiam ad Sanctos? Quia oratio indifferenter terminatur iam ad Sanctos, iam ad Deum, prout devotio ſuggerit. Adhuc: ergo frivolè quærit D. Thom. etiam in ſumma, & cum eo hic Auctor, an oratio ſit actus appetitivæ virtutis? An ſit actus Religionis? (infinita prætereo) quia orans intendit conſequi, quod deſiderat: quod verò ſit oratio actus voluntatis, vel non? Aut quòd â Religione eliciatur, vel imperetur, valde materiale eſt, dummodò, quo caret, obtineat. Si vera hæc forent, ſine oleo, & opera quotquot vivimus, aſtris dominaremur omni ſapientia veſtiti.

3. Maneat ergo D. Thomam hanc quæſtionem cordatè in ſententiariis excitaſſe: Falſumque, illam in ſumma, vt iam dicam, omiſiſſe. Et etiam falſum eſt, quòd noſtra oratio indifferenter ad eſſentiam, & ad perſonam terminetur; ſi de ratione terminandi loquamur. Ac denique falſum ſupponit, dum eo modo vult, Theologos in diſputationibus procedere, ac in ſuis devotionibus idiotæ.

4. Ad rem ergo licèt oratio ad Deum terminetur: quia tamen aliud eſt id, in quod aliquid refertur, & aliud ratio ſub qua in illud ordinatur: propterea examinandum reſtat, an oratio reſpiciat Deum ſub aliqua ratione abſoluta, an verò ſub aliqua ratione relativa?

§. I. *Communis ſententia ſtatuitur.*

5. NOſtra concluſio: *Ratio ſub qua Deus à nobis oratur eſt abſoluta.* Concluſio hæc communiſsima eſt. Eam docet D. Thomas non ſolùm loco citato, ſed etiam 2. 2. quæſt. 83. art. 4. Abulenſ. in 6. Matth. quæſt. 88. & Seraphica Thereſia in de itinere perfect. cap. 23. Probaturque ratione D. Thomæ ſic formata: Deus oratur â nobis, vt Auctor gratiæ, & gloriæ: ergo oratur ſub ratione abſoluta. Patet conſequentia: Deus enim vt gratiam, & gloriam confert, operatur ad extra; atque adeò ſub ratione communi toti Trinitati; quæ quidē ratio, vtpotè communis, abſoluta eſt. Antecedens verò probatur: Deus oratur ſub illa ratione, ſub qua terminat orationis intentionem: atqui intentio orationis dirigitur ad Deum, vt gratiæ, & gloriæ Auctorem: ergo ſic illum reſpicit. Maior certa eſt. Probatur minor ex D. Thom. dicente art. citato in corpore: *Omnes orationes noſtræ ordinari debent ad*

gra-

gratiam, & gloriam consequendam. ergo tenet minor.

6. Confirmatur primò: Oratio respicit Deum, vt bonum: sed bonitas est ratio absoluta: ergo sub hac oratur. Minor patet; quia relationes, nec perfectionem, nec bonitatem dicunt, iuxta selectiores Thomistas. Maior verò probatur: Deus oratur, vt est sui communicativus: sed hoc habet, quia bonus est, de cuius ratione est, quòd suas divitias in nos diffundat: ergo.

7. Confirmatur secundò: Oratio respicit Deum, provt Deus intelligitur aliquam habitudinem dicere ad creaturas orantes, & prout istæ realiter ordinantur ad ipsum: atqui ratio, sub qua percipitur Deus cum aliqua habitudine ad creaturas orantes, & ad quam istæ realiter ordinantur, est absoluta: ergo oratio terminatur ad Deum sub ratione absoluta. Consequentia formalis est. Et maior omnino certa; non enim creatura Deum oraret, nisi aliquid ab eo speraret; vnde Deus oratus intelligitur cum aliquo ordine ad orãtem, qui realiter ordinatur ad Deum; sunt enim quasi correlativi. Minor verò probatur primò: Quia Deus vt terminat orationem, est causa creaturæ: atqui est causa creaturæ sub ratione absoluta, vt de se patet: ergo. ¶ Secundò probatur minor: Si namq; ratio illa non esset absoluta, sed relativa, orãs ad Filiũ æternum v. g. illum respiceret, vt filius est: atqui hoc absurdum est: ergo tenet minor. Maior certa est, & minor probatur: Filius vt talis non respicit nisi Patrem; nec ab alio nisi â Patre respicitur: sed absurdũ est dicere, quòd orans sic respiciat Verbum Divinum; aut sic ab illo respiciatur: ergo.

8. Vnde habes: Quàm immeritò dixerit Torre, orationem nostram indifferenter ad essentiam, & personam terminari; si per hoc, quòd ad personam terminetur, velit, quòd ratio terminandi sit relativa. Quippe nemo negat, orationem nostram terminari ad personas: cùm enim dicimus: *Spiritus Sancte Deus, miserere nobis*, personam oramus. Verùm ratio terminandi hanc orationem non est aliquid relativum; sed absolutum: quod vel ex ipsa orationis formula patet, dicimus enim, *Spiritus Sancte Deus*; atque adeò personam alloquimur sub ratione absoluta Deitatis: in quo certè devotio nostra arbitrari non potest.

9. Etiam habes contra ipsum Magistrum: Angelicum Præceptorem non omisisse in sua mirabili summa hanc quæstionem; quamquàm munus Resumptoris adimplens eam non versetsigillatim. Verùm asserens nostras orationes ad Deum dirigi, vt Auctorem gratiæ, & gloriæ: simul, & semel adstruit Deum esse principalem orationis terminum, & hunc per rationem absolutam constitui. Quod in Angelica Div. Thom. summa passim offendes. Videatur Caietanus, cit. loc. ex 2. 2. art. 11.

§. II. *Obiectiones.*

10. HAs rationes, quæ abs dubio conclusionem certissimam exprimunt, aliquas labefactare videntur. Obiicies ergo primò contra rationem probativam. Multa petit oratio, quæ non sunt gratia, & gloria: ergo Deus non oratur, vt Auctor est gratiæ, & gloriæ. Antecedens probatur primò ex dictis lib. 4. vbi agentes de petitione diximus, â Deo petenda esse plura, quæ non sunt gratia, & gloria. *Probatur secundò*: Quia Christus D. iubet nos orando petere ea, quæ in oratione dominica continentur: atqui in oratione hac, præter gratiam, & gloriam, plura alia petuntur, vt panis quotidianus, & liberatio â quocumque malo: ergo. *Probatur tertiò* ex D. Thom. citato art. 9. in corpore dicente: *Illa rectè solum orando petimus, quæ rectè desiderare valemus*: sed desiderare valemus valetudinẽ, scientiam, aliaque: ergo.

Respondetur ex D. Thoma loco citato, ex sent. art. 4. quæstiunc. 2. vbi hæc ait: *In illis, quæ desiderantur, est duplex distinctio attendenda: prima est, quia quædam desiderantur propter se ipsa, quædam propter aliud. Secunda est, quia quædam non habent superfluitatem desiderii, sicut virtutes; quædam autem habent,*

bent, sicut voluptates, diuitiæ, & huiusmodi. Bona autem temporalia, & propter aliud desideranda sunt, & cum quadam mensura: scilicet secundùm quòd sunt necessaria ad vitam præsentem agendam, & ideò hoc modo orari etiam pro eis potest. Per quod patet ad primam, & tertiam probationem antecedentis.

Ad secundã probationem dicimus: Illam esse confirmationem datæ doctrinæ. Christus enim Dominus illa sua Diuina oratione docuit nos res, quas petituri sumus, & modum, quem in petendo obseruare debemus. Res omnes, quas â Deo petituri sumus, continentur in illa oratione. Nec alia, qui Christi discipulato gloriamur, petere debemus; licèt aliis verbis illa ipsa petere valeamus. Quod egregiè tradit Augustinus Epist. 121. cap. 12. vbi locutus de oratione dominica, ait: *Liberum est aliis, atque aliis verbis; eadem tamen in orando dicere: sed non debet esse liberum alia dicere.* Eamdem vtilissimam doctrinam tradit Extaticus N. Parens D. Ioannes â Cruce lib. 3. ascen. cap. 43. per hæc verba: *Quando à Christo Señor Nuestro rogaron sus Discipulos, que les enseñasse à orar, es cierto les diria todo lo que haze al caso, para que nos oyesse el Padre Eterno, y solo les enseñò aquellas siete peticiones del Pater noster, en que se incluyen todas nuestras necessidades espirituales, y temporales.* Verùm has res temporales, desiderare, & petere debemus propter ipsas res spirituales; nõ autem propter se ipsas, vt modò ex D. Thom. vidimus: quòd si ipsæ res temporales petantur non vt gratiæ, & gloriæ subiiciuntur, sed aliàs: tunc petitio illa non est actus Religionis; sed petitio quædã, quæ certè oratio nõ est: vt monet laudatus Augustinus hisce verbis: *Quisquis id dicit, quod ad istam Euangelicam precem pertinere non possit: etiam si non illicitè orat, carnaliter orat, quod nescio, quomodò non dicatur illicitè: quandoquidem spiritu renatos non nisi spiritualiter decet orare.* Videatur Caietanus art. 4. cit. ex 2. 2. vbi profundè hoc declarat, & Mag. Ioan. â S. Thoma ibidem, vbi satis nervosè Caietanum cõtra Suarium, eum impugnantem, defendit.

11. Obiicies secundò contra primam confirmationem: Est probabilis opinio, quòd relationes Diuinæ dicunt suam bonitatem: ergo stando in hac opinione poterit Deus orari sub ratione aliqua relativa.

12. Confirmatur: Quamquàm relationes ex se non habeant bonitatem, illam dicunt ratione essentiæ, quam includunt: sed hoc sat est, vt possint terminare orationem: ergo. Probatur minor: Ad Sãctos terminatur oratio nostra, licèt non habeant ex se, sed ex Deo concedente, gratiam, & gloriam, propter quas illam terminant: ergo pariformiter poterit ad relationes terminari, etsi ex se non dicant bonitatem.

Ad obiectionem respondetur negando consequentiam: Quia bonitas, quam oratio respicit, debet esse sui communicativa: hoc enim intendit oratio, vt â summè bono participet bonitatem, qua mala propria exuat; bonitas autem illa relativa non est participabilis; vnde orationem terminare non potest. Dum autem dicimus, bonum esse sui diffusivum, non loquimur de bono relativo, quod, vt dictum est, non solùm non est communicabile; verùm ex se affert incommunicabilitatem: quarè bonitas ea relativa, quam illa opinio veneratur, apta non est, vt ad eam oratio terminetur.

Respondetur secundò ex D. Thom. art. 5. ex loco citat. sentent. quæstiunc. 3. vbi in argum. *Sed contra* ait: *Cùm bonitas sit attributum essentiale, videtur quòd oratio dirigatur ad Deum ratione naturæ.* Quibus verbis, & relationes non dicere bonitatem docet, & obiectionem diluit, & nostram conclusionem firmat.

Ad confirmationem concessa maiori distinguatur minor: quæ negari debet; si velit, relationem esse rationem terminandi. Si autem velit relationem, seu personam esse terminum *qui* orationis, quæ ad ipsam personam ratione bonitatis terminetur, concedi debet, & firmari paritate illa Sanctorum, ad quos certè non terminatur oratio nostra, nisi propter illa, quæ â Deo habent

bent. Vnde proportione ſervata, idem in vtroque caſu dicimus.

§. III. *Argumenta.*

13. Arguitur primò: Terminus, ad quē dirigitur oratio, conſtituitur relatione: ergo hæc eſt ratio ſub qua Deus oratur. Patet iſta: Nam ratio ſub qua attingitur terminus, eſt forma ipſum in eſſe termini conſtituens. Antec. verò probatur: oratio debet dirigi ad Patrem æternum, dicente Chriſto Domino apud Ioann. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Et ſimiliter apud Matth. 6. præcipit nos orare dicentes: *Pater noſter, qui es in Cœlis*: atqui Pater conſtituitur relatione paternitatis: ergo.

14. Confirmatur: Oratio Chriſti terminatur ad Patrem: ergo & noſtra; quia vtraque eſt eiuſdem ſpeciei; eòque eumdem terminum habere debet. Probatur antecedens. Nam Matth. 26. oravit Chriſtus, dicens: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat, &c.* qua veritate imbutus D. Ioannes ait: *Advocatum habemus apud Patrem*: ergo.

Vt his, ſimilibusque aliis reſpondeas, ſcias: nomen *Pater* dupliciter ſumi in Divinis, primò eſſentialiter: Secundò perſonaliter. Primo modo Pater eſt Deus, cōſtituiturque per Deitatem, quæ communis eſt omnibus Perſonis: nec Patri ſic ſumpto correſpondet ad intra aliquis terminus; ſed ſolū ad extra. Pater perſonaliter acceptus cōſtituitur Paternitate: Verū poteſt, debetque adhuc dupliciter cōſiderari ex D. Tho. quæſtiunc. 3. citata ad 1. quippe poteſt ſumi, vt eſt perſona quædam ab aliis diſtincta; vel provt eſt principium communicans Deitatem aliis perſonis: & prout ſic dicit omnes perſonas; quia ſe ipſum dicit, vt origo aliarum, & alias etiam perſonas dicit, vt â ſe originatas. Ita laudatus D. Thomas ex Hilar. lib. 8. de Trinitat. Ex iis ergo

Ad argumentum reſpondetur dupliciter: primò, negādo antecedens. Ad probationē diſtinguatur maior: *ad Patrē* eſſentialiter ſumptum, concedatur: perſonaliter acceptum, negetur. Et hac diſtinctione explicentur auctoritates in contrarium adductæ, quæ ſanè loquuntur de Patre eſſentialiter ſumpto. Videatur Abulenſis præcitatus quæſtione 88.

Reſpondetur ſecundò negando ſimiliter antecedens, & diſtinguatur maior: *Ad Patrem*, vt eſt perſona quædam diſtincta ab aliis, negatur: Ad Patrem, vt dicit alias perſonas tamquàm ab ipſo habentes Deitatem, conceditur. Sicque argumentum reſolvatur. Illæ quippe auctoritates intelligendæ ſunt de Patre hoc ſecundo modo accepto, qualiter tam ipſe, quàm aliæ Divinæ Perſonæ dicunt, vt rationem formalem prædicatum abſolutum; ſiquidem ratio formalis conſtitutiva principii, & termini Divinarum proceſsionum, abſoluta eſt, vt modò ſupponi debet.

Ad confirmationem reſpondetur: Quòd, vt dictum eſt, Pater vel ſumitur eſſentialiter; vel ſi perſonaliter, non accipitur, vt eſt perſona quædam diſtincta ab aliis; ſed provt illas modo dicto dicit: & vtroque modo, dum Pater oratur, orantur aliæ perſonæ.

15. Arguitur ſecundò: Si Deus oraretur ſub ratione abſoluta, non poſſet vna perſona orari ſine alia: ſed poteſt, & de facto oratur: ergo non oratur ſub ratione abſoluta. Cætera conſtant, & minor probatur ex praxi Eccleſiæ dirigentis ſuas orationes ad Patrem, & ad Filium, non verò ad Spiritum Sanctum: ergo.

16. Confirmatur: Poteſt quis vnam Perſonā orare; quin alias oret: ergo terminus formalis orationis eſt relatio. Probatur ātecedēs primò: Actus liber poteſt ſic, vel aliter fieri; ſicut poteſt fieri, vel non fieri: ſed oratio eſt actus liber; & terminari ad vnam perſonam, vel ad aliam eſt ſic, vel aliter fieri: ergo poteſt ad vnam, vel ad aliam terminari. *Probatur ſecundò* antecedens: Poſſumus, & debemus gratias agere ob beneficium redemptionis: ſed hoc reſpicit perſonam Verbi, & non alias: ergo.

Reſpondetur argumento negando minorem: Ad probationē dicas: Quòd

licèt vna persona possit orari, quin aliæ nominentur; oratio verò ad omnes terminatur ob rationem dictam: nempe, quia ratio terminãdi est omnibus communis: quòd si aliquis vnam personam oraret ob specialem affectũ erga illam, quem ad alias non haberet, talis affectus culpabilissimus foret, ad hæresimque pertineret; quia hic affectus subsistere nequit, nisi reguletur per cognitionem supponentem vnam personam meliorem alia; seu habere diversam bonitatem: quod certè falsissimum est. Vnde oratio debet terminari, vel ad Deum absolutè; vel ad omnes personas sine alicuius exclusione: quòd si aliqua exprimatur, hoc non intelligẽdum est; ita vt aliæ tunc eodem actu non orentur; quod certè facit Ecclesia, cùm ad vnam personam dirigit orationem.

17. Persistis tamen: Cur Ecclesia non dirigit orationem ad Spiritũ Sanctum? Respondetur ex D. Thoma præcitato ad 2. falsum id prorsus esse; cum *etiam ad Spiritum Sanctum Ecclesia orationes aliquas dirigat, & hymnos, qui loco orationum in Ecclesia recitantur; sicut patet; nunc Sancte nobis Spiritus: & veni, creator Spiritus.* Et vt observat relatus Abulensis, Ecclesia petit ab Spiritu Sãcto non sub ratione sibi propria; sed sub ratione aliis communi; ideò in primo loco dicitur: *Vnum Patri cum Filio.* In secundo verò illum nominat creatorem, quod sanè commune est: vt hac methodo ostendat Ecclesia, Spiritui Sancto competere dare, quod ab ipso petitur, ex eo, quòd vnum; seu vnus Deus cum Patre, & Filio.

Cum hoc tamen stat, quòd ratò Ecclesia dirigat suas orationes ad Spiritũ Sanctum, cuius rei rationem pulchrè assignat D. Thomas inibi his verbis: *Ad secundũ dicendum, quòd Spiritus Sãctus ex personali proprietate habet, quòd sit donum; & ideò magis convenit, quòd ipse petatur, quàm quòd ab eo aliquid petatur.*

Ad confirmationem respondetur negando antecedens: Ad probationem dicendum: Liberum certè esse orare: sed ex quo oretur, debet oratio terminari ad suum propriũ terminum, qui communis est omnibus Divinis personis. Et sic fieri debet ex duplici respectu invẽto in oratione, de quo in superioribus actum est. Siquidem oratio, & Deum colit, & ab eo vult obtinere, quod petit. Quia est Dei cultus, non potest terminari ad Deum cum exclusione personarũ, nec ad vnã personã cum exclusione aliarũ; quia eadẽ latria coluntur, eò quòd eadem ratio in omnibus reperitur. Sicut ob similẽ rationem nõ potest Deus sine personis, nec vna persona sine aliis intuitivè videri. Itidem quia oratio vult obtinere, quod petit, debet ad omnes personas terminari: Quia omnes tres Personæ sunt idem omnipotẽs Dominus, vnica gaudens voluntate. Vnde cùm oratio tendat ad inclinandam volũtatem Dei; ex quo ad Patrem tendat, filii voluntatem satagit inclinare: &, si aliter desideret, non erit oratio, sed execratio.

Ad secundam probationem respondetur: Id ipsum, quod per modum termini fecit Verbum carnem assumens, facere per modum efficientis omnes Divinæ Personæ: vnde non est ratio, quæ magis moveat in vna, quàm in alia.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm Ad Sanctos orare valeamus?

LIcèt quid tenendum sit circa quæsitum præsens maiori ex parte constet ex dictis quæst. 2. disput. antecedentis. Quia tamen aliqua motiva, quæ ibi exprimere non potuimus, habent Hætherodoxi, vt nos ad Sanctos orare possimus, negent: propterea excitamus præsẽtem controversiam, in qua omnino certum est, idem prorsus esse ad Sanctos orare, ac eorum implorare patrocinium.

§. I.

§. I. *Superstites possunt orare Sanctos.*

18. Assertio hæc est omnium Catholicorum, eamque probamus primò ex genes. 48. vbi Iacob filiis Ioseph benedicens, invocans protectionem Angelorum dixit: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Hoc ipsum constat innumeris aliis scripturis, in quibus tam Angelorum, quàm hominum Beatorum patrocinium imploratur.

Probatur secundò ex vsu antiquissimo Ecclesiæ ad Sanctos in Litaniis orãtis, eorumque protectionem deposcentis. Quas Litanias vetustissima Concilia indixere: vnde horum vestigia indefectibilia sequentes orare possumus ad Sanctos cum Christo regnantes.

19. Si dicas: Litanias in iis Conciliis vocari *Kyrie eleison*, *Christe eleison*: hoc enim, & non aliud iuxta græcum nomen vocant Græci Litanias, vt constat ex D. Basil. Epist. 63.

Respondetur primò: In illis Conciliis vocari Litanias id ipsum, quod nunc: nõ enim ibi Litanias iuxta nomen græcum vsurpabant; sed iuxta proprietatem latinam, secũdùm quam Litania est invocatio Sanctorum, vt docet Strabo cap. 28. de rebus Ecclesiast. verùm ista relinquentes nostris cõtroversistis, qui cum Hæreticis immediatè digladiãtur, vt ostendant, Sanctorum invocationem non esse novitatem Papistarum, nullo antiquitatis fundamento Sanctam, sed ab Ecclesiæ exordio, vnanimi Patrum etiam Grecorum consensu Sancitam: de quo videri potest egregius N. Liberius â Iesu in suis controver. dogmat. tom. 1. p. 2. controv. 11.

Respondetur secundò: Nobis, qui Romanam Ecclesiam regulam indefectibilem veritatis agnoscimus, sat esse ipsam in dictis Litaniis Sãctos omnes invocare, vt preces ad Sanctos fussas licitas esse dicamus: Quia est insolentissima insania, iuxta Augustinum Epist. 118. ad Ianuar. contra praxim vniversalem totius primitivæ Ecclesiæ disputare. Vnde cùm vniversalis Ecclesiæ praxis â primis temporibus Sanctos in Litaniis invocet, insani est disputare hanc veritatem.

20. Probatur tertiò conclusio argumento, cui nũquàm Acatholici potuere, vel apparenter satisfacere: si nasque ad Sanctos non possemus orare; esset, vel quia nobis ipsi succurrere nolunt, vel quia non possunt, etsi velint, vel quia ignorant nostras preces; vel denique quia per Sanctorum invocationem aliqua iniuria Christo irrogaretur: sed hoc omne falsum est: ergo ad Sanctos orare possumus. Maior continet omnia capita, quæ possent hanc invocationem superfluam ostendere. Minor verò probatur quoad omnes suas partes.

Quoad primam quidem: Quia si Sancti dum erant in hac miserabili vita, charitate fervidi, volebant fratribus suis afflictis opem ferre; meliùs in Cœlesti curia iam regnantes hoc optabunt. Incredibile enim est, D. Stephanum pro suis persecutoribus orasse in terra, & nolle petere pro suis cultoribus in Empyreo, vti D. Hieronym. disp. 4. num. 36. aiebat, vbi Stephanus ipse, aliique Cœlicolæ beantur, *de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate soliciti*, vt ait D. Cyprianus Serm. de mortalitate.

Quoad secundam partem constat eadem minor: Quia si Sancti, dum in terra indigentes erant, poterant aliis auxilium præstare, vt Calvinus, Vigilantius, aliique Acatholici tenent; perfectiùs hoc ipsum possunt iam felices. ¶ Quoad tertiam partem patet ex dictis quæst. 2. citata num. 42. ¶ Vltima etiam ratio nullius momenti est; quia si Sanctos viventes invocamus, quin ex hoc nostro Reparatori aliqua iniuria irrogetur: nulla certè irrogatur per invocationem eorum, qui iam in Cœlo sunt.

Confirmatur: Beati nobis præsident, nostri curam agunt, resque nostras gubernant: ergo volunt, possuntque nobis succurrere, ac sciunt, quæ apud nos aguntur; nec Christo iniuriam irrogat, qui illos invocat. Consequentia nota est, & antecedens probatur multiplici-

ter. Primò quidem dicurſu ſuperiùs facto: Superſtites curant de honore, & cultu Beatorum, eorum feſta celebrantes: ergo Beati ſuis orationibus ſolicitant ſublevationem noſtræ miſeriæ; aliter non daretur mutua correſpondentia inter hos fratres componentes idem corpus, cuius caput Chriſtus eſt. Et certè ex Eccleſia, & Patribus, in hoc conſiſtit communio Sanctorum, vt ſupra dicebamus, colligiturque ex verbis illis, quæ Sacrum celebrantes dicimus: *Vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem; & illi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Probatur ſecũdò antecedens ex verbis Chriſti Domini Matth. 24. dicentis: *Beatus ille ſervus, quẽ, cùm venerit Dominus eius, invenerit ſic facientem, amen dico vobis ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Bona autem Domini ſunt fideles, quorũ curã Beati habent, vtpotè â Domino conſtituti, vt illos protegant.

Probatur tertiò ex innumeris Patrũ Auctoritatibus. Sufficiat reproducere Cyprianum numero hoc adductum, & D. Ambroſ. afferre libr. 8. in Luc. dicentem: *Sicut Angeli præſunt, ita & hi, qui vitam meruerunt habere Angelorum*: atqui Beati *vitam meruerunt habere Angelorum*: ergo nobis præſunt, *ſicut Angeli præſunt.*

21. Noſtri aſſerti veritas eſt expreſſa in D. Thoma illam docente in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 5. quæſtiunc. 1. in corp. & 2. 2. quæſt. 83. art. 4. vbi inquirit: *Vtrùm ſolus Deus debeat orari?* Et reſpondet: Sanctos etiam orandos eſſe. Eius aliqua verba poſtmodùm liberabunt nos ab Hæreticorum inſultibus.

Similiter docet noſtram opinionem Seraphica M.N. quam â Deo accepiſſe, & iuxta illam operatam fuiſſe, teſtatur Sacra Congregatio in lectionibus Santi Petri de Alcantara his verbis: *Ipſa autem* (ſcilicet Seraphica Virgo) *à Deo edocta, quòd Petri nomine nihil quiſquam peteret, quin protinus exaudiretur, eius precibus ſe commendare, & ipſum adhuc viventem Sãctum appellare conſueverit.* Hoc telum non poteſt lethaliter non ferire Acatholicos: ſiquidem habemus Deum ipſum docentem invocationem Sanctorum, & orationem, qua adiutorium D. Petri de Alcantara invocatur, ſibi eſſe adeò acceptum, vt ſic faciens, ſui voti cõpos evadat. Quam doctrinam â Deo verè eſſe, teſtis eſt Sanctitatis oraculum, orbis Magiſtra S. Thereſia, quod approbat Vener. adeò Congregatio. Habemus etiam ipſam Sanctiſsimam Thereſiam iuxta doctrinam â Deo acceptam feciſſe, & Sancti illius interpoſitionem invocaſſe.

22. Eamdem doctrinam docet Extaticus N. Doctor, & eius certitudinem ſupponens lib. 3. aſcenſ. cap. 36. ait: *En viendo la Imagen ſea corporal, ò imaginaria, ſin reparar en ſu hechura, ni en algunos otros accidentes, le haga ſu adoracion, que manda la Igleſia: Y luego levante ſu corazon, y penſamiento à Dios, ò à el Santo, que repreſenta, ò invoca.* Et cap. 34. eiuſdem lib. dixerat: *Imaginum vſus dirigit Eccleſia ad duos fines præcipuos; videlicet, vt mediis Imaginibus cultus Sanctis deferatur, & vt noſtra devotio erga illos excitetur.* Vt quid ergo devotio noſtra erga Sanctos excitaretur, ſi illi noſtris indigentiis ſubvenire non poſſent?

§. II. *Nebulæ Hæreticorum diſſipantur.*

23. ARguitur primò: In Beatos credere non poſſumus: ergo nec illos invocare valemus. Antecedens eſt innegabile, & conſequentia probatur ex ad Roman. 10. vbi dicitur: *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt.* Ac ſi diceret: ille ſolus dignus eſt, vt invocetur, qui ſolus dignus eſt, vt in ipſum credatur.

Confirmatur primò: Quia apud Iſaiam 8. reprehenduntur, qui pro vivis ad mortuos confugiunt: ergo licèt vivorum patrocinium poſsimus implorare; non autem mortuorum.

Confirmatur ſecundò: Sacra Scriptura docet, ſpem noſtram in Deo ſolo po-

ponendam esse: sed si ad Sanctos orare possemus, possemus etiam ponere nostram spem in illis: ergo non possumus ad Sanctos orare.

Respondetur argumento concesso antecedenti negando consequentiam. Ad probationem dicas: D. Paulum docere, Sanctos non esse invocandos â nobis, vt Auctores beneficiorum, quæ desideramus, hoc enim solius Dei proprium est: non negat tamen Apostolus Sanctos invocandos â nobis, vt interceſſores apud Deum beneficiorũ Auctorem: obiectum autem nostræ fidei non est, qui vt interceſſor invocatur; sed qui invocatur vt auctor. Sic Div. Thomas loco citato ex 2. 2. vbi ait: *Dicendum, quòd oratio porrigitur alicui dupliciter: vno modo quasi per ipsum implenda: alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo quidem modo soli Deo orationem porrigimus; quia omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiã, & gloriam consequendam, quam solus Deus dat, secundum illud Psalm. 83. gratiam, & gloriam dabit Dominus. Sed secundo modo orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non vt per eos Deus nostras petitiones cognoscat, sed vt eorum meritis, & precibus orationes nostræ sortiantur effectum.*

Quod discrimen non possunt ignorare Acatholici: *nam*, vt obseruat inibi idem Doctor Sãctus, *à Sanctissima Trinitate petimus, vt nostri misereatur: ab aliis autem Sanctis quibuscumque petimus, vt orent pro nobis.* Et si adhuc nolunt intelligere, vt bene agant; dicam, quòd dum vivos ad vivos orare concedunt, in vivos, â quibus petunt, non credunt vivi petentes; & tamen eos invocant. Hoc ipsum, & cum maiori fundamento de Sanctis dicimus.

Ad primam confirmationem respondetur: Continere clarissimum exemplar impudẽtiæ Hæreticorum, qui adeò inverecundè Sacra Scriptura abuntur: vbi nec vmbra est invocationis Sãctorum, nec assertæ, nec excluſæ. Et enim eo loco reprehenduntur, qui superstitiosa commercia cum mortuis habent, quærentes pythones, & Divinos, qui mediis sacrilegis sortilegiis, responsa â mortuis acquirerent. Sic enim ait Propheta: *Cùm dixerint ad vos, Quærite à pythonibus, & à Divinis, qui stridٍent in incantationibus suis: numquid non populus requiret à Domino suo visionem pro vivis, ac mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Ideſt*, ait inibi D. Thomas, *Christus tenebras pellens.* In quo ergo ex his verbis sit Sanctorum invocatio reprobata non apparet. Scimus tamen, interprete D. Thoma, quòd Deus *hic removet Divinorum communicationem.*

Ad secundam confirmationem respondetur, sicut ad argumentum: Spem nostram ponendam esse in illo, quem invocamus, vt auctorem beneficiorum: non autem in eo, qui vt interceſſor invocatur. Sicut nec in vivis ponit suam spem vivus ab illis petens.

24. Arguitur secundò: Cùm Christus docuit nos orare, solumodò Deum orandum esse docuit, dicens apud Luc. 11. *Cùm oratis, dicite: Pater, Sanctificetur nomen tuum.* Et apud Matth. 6. *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, &c.* in qua oratione nulla mentio fit Sanctorum: ergo ad ipsos orare non possumus.

25. Confirmatur. Quia in hac dominica oratione ponuntur res, quas petere debemus, ideò nullam aliam, nisi has possumus â Deo petere; quamvis aliis verbis illas petere possimus; ergo quia in ipsa oratione statuitur, ad quem debemus orare, non alius, sed ipse solus orandus est. Antecedens patet primò ex D. Augustino dicente apud D. Thomam citatum art. 9. *Si rectè, & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quàm quod in ista oratione dominica positum est*: ergo. Probatur secundò ex D. Thoma ibi, vbi ait: *Vt sic hæc oratio non solùm instruat postulare, sed etiam sit informativa totius nostri affectus.* Ergo noster affectus solùm terminari debet ad ea, quæ in hac oratione exprimuntur, & non ad alia. His pro antecedenti dictis,

Probatur consequentia ex Nostro

Doc-

Doctore extatico lib. 3. aſcenſ. cap. 43. vbi de hac ipſa materia agens ait: *Clarum eſt, quòd cùm Chriſti Diſcipuli ab eo petierunt, vt ipſos ad orandum inſtrueret, diceret omne, quod requiritur, vt ab æterno Patre exaudiremur, ſicut qui tam perfectam habebat eius voluntatem.* Et paucis interiectis addit: *In hiſce petitionibus continetur omne, quod Deus vult, & omne, quod nobis convenit.* Ex quibus ſic probatur conſequentia: In oratione dominica continetur quicquid Deus vult, & nobis convenit: atqui in illa non continetur Sanctorum invocatio; ſed ſolius Dei: ergo aliũ præter Deum invocare, nec eſt voluntas Dei, nec nobis conveniens.

Reſpondetur argumento: Hæterodoxos, qui refugium in Scriptura quærunt, vt Sanctorum invocationem eliminent, denſiori ſalebra ſuis ſe ipſos diſcurſibus irretiri. Si ſolus Deus orandus eſt; quia in oratione dominica non alius dicitur obſecrandus, quomodò vivos â vivis invocari poſſe fatemini? Si ſolus Pater orandus eſt: ergo non Chriſtus Dominus? Vbi eſt ergo iniuria illa, quàm nos Chriſto irrogare dicitis; ſi alios advocatos quærimus: cùm ſat ſit ad noſtra deſideria ille, quem *advocatum habemus apud Patrem Iesũ-Chriſtum iuſtum*? Videte, quid ad hæc reſpondeatis; dum facilè ad veſtrum argumentum dicimus: Chriſtum Dominum illa ſua ſanctiſsima oratione docuiſſe nos, quas res petere debeamus; & â quo illas petere debemus, ſcilicet â Deo, â quo in nos deſcendit omne datum optimum, & omne donum perfectum: quòd autem, vt hæc dona obtineãtur â Patre luminum, Sanctorum protectio invocetur, non eſt contra Chriſti voluntatem, doctrinamque, etſi attentè res conſideretur, impleri voluntatem Dei petimus in dicta oratione: & eſſe Dei voluntatem noſtrum ad Sanctorum invocationem recurſum, conſtat ex iis, quæ numer. 21. dicta ſunt.

Ad cõfirmationẽ reſpõdetur: Perfectionem orationis dominicæ conſiſtere in eo, quòd contineat omne, quod â nobis peti poteſt. Ad hunc ſenſum; quòd non poſſumus aliud petere præter illa, quæ in dicta oratione recitantur; vel quæ ad illa reducuntur. Vnde poſſumus illis ipſis verbis vti, aliter tamen diſpoſitis, vt tenent D. Auguſtinus, & D. Thomas citati. Puſſumus etiam alias orationes facere, vt obſervat Seraphica noſtra Doctrix in explicatione orationis dominicæ. Cæterùm, quæ in illis petimus ad id, quod in dicta oratione petimus, reduci debẽt. Similiter ergo cùm Sanctorum invocatio ex vna parte pertineat ad modum orationis: quippe ſubſtantia ipſius ſalvatur per hoc, quòd ad Deum terminetur: eſt enim *petitio decentium à Deo*: & ex alia parte invocatio hæc reducatur ad Deum, ad quem accedimus illo patrocinio ſuffulti; propterea non adeſt inconveniens aliquod in dicta invocatione. Vnde ad probationem conſequentiæ ex auctoritatibus Noſtri Doctoris Myſtici deſumptam, reſpondetur: expedire nobis, & eſſe iuxta Dei placitum, quòd Sanctos invocemus; nec hoc dominicæ orationi contrariatur, quia invocatio hæc non pertinet ad ſubſtantiam orationis; ſed ad ipſius modum: & aliàs vltimò revocatur in Deum.

26. Arguitur tertiò: Sanctos invocare eſt illos ſupponere mediatores inter Deum, & homines: ſed hoc eſt Chriſto iniurioſum, dicente D. Paulo 1. ad Thimot. 2. *Vnus Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Ergo. Cætera conſtant: & minor probatur ex ipſis verbis Apoſtoli: Iniurioſus eſſet Deo, qui plures Deos aſſereret: ergo Iniurioſus eſt Chriſto, qui plures Mediatores non negat. Antecedens eſt de fide: & conſequentia probatur: Sicut Paulus aſſerit, quòd *vnus eſt Deus*, ſic etiam docet, quòd *vnus eſt Mediator*: ſed inducere plures Deos eſt Dei iniurioſum; quia *vnus eſt Deus*: ergo aſſerere plures Mediatores iniurioſum eſt Chriſto; quia *vnus eſt Mediator.*

27. Confirmatur: Non poſſumus Angelos invocare vt Mediatores: ergo nec homines beatos: Cõſequentia â paritate conſtat, & antecedens probatur

ex

ex ad Colos. 2. vbi ait Paulus: *Nemo vos seducat volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans.*

28. Hoc argumentum magnificant Hæretici, & eo veluti palmario vtuntur in Redemptoris, vt gloriantur gratiam, qua ob suam proterviam orbi in luce meridiana cæcutiunt. Vt hoc suum palmarium argumentum prorsus debilites, scias primò ex nostro laudato Liberio nomina *Mediator, Salvator, & advocatus* indifferenter tribui in Scriptura, & Patribus homini Deo, & puro homini. De Christo enim dicitur Matth. 1. *Ipse enim salvum faciet populum suum.* & Angelus ad pastores: *Natus est vobis hodie Salvator.* Et hoc etiam de homine puro asseritur, dicēte Paulo 1. ad Corinth. cap. 9. de se ipso: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem salvos.* Item de Christo Domino dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem,* 1. Ioan. cap. 2. atque adeò, *interpellat pro nobis.* vt dicitur ad Roman. 8. & de homine puro ait Deus apud Ezechiel. 22. *Quæsivi de eis virum, qui se interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra.* Itidem de Christo Domino dicitur loco in argumento citato: *Vnus Mediator est.* Et de puro homine idem affirmatur, vt constat ex verbis adductis Ezechielis, & ex Deuteronomio: vbi de se ipso ait Moyses: *Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos.* Constat etiam ex ad Galat. 3. vbi habetur, quòd lex data est, *& ordinata per Angelos in manu Mediatoris, Mediator autem vnus non est, Deus autem vnus est.*

29. Secundò scias: Ex Cardinali Belarm. mox citando tripliciter posse aliquem munus Mediatoris excercere. Primò declarando pro qua ex partibus est iustitia. Et sic nullus fuit Mediator inter Deum, & homines: Certissimum enim erat homines in Deum peccasse. Secundò potest aliquis mediare, solvendo, vt vas creditori debitum â debitore contractum. Tertiò denique orando creditorem, vt debitum debitori remittat.

30. Ex quibus habetur (Scias tertiò) hos Mediatores vltimos, (de primo nihil dicimus, quia non fuit) appellari, primum, Mediatorē Redemptionis: quippe mediavit suum pretiosissimum sanguinem fundens pro hominum libertate. Secundus autem dicitur Mediator intercessionis; quia suis orationibus populi redempti; exilii tamen instabiles fluctus deplorantis, miseretur. Quam divisionem Mediatoris in Mediatorem redemptionis, & intercessionis Calvini pervicacitas calumniatur lib. 3. instit. cap. 20. §. 20. hisce verbis: *Merum est nugamentum, quid balbutiunt Papistæ, Christum esse Mediatorem redemptionis; fideles autem intercessionis.* Blasphema hæc loquela blasphemum eius Auctorem manifestat. Solummodò in consequentiam observamus. Concedit Calvinus, vt sæpius diximus, vivos pro vivis orare: ergo vivi orantes sunt mediatores; nisi terminis ludere velit, & ad voces rem magni momenti reducat. Modò sic: Sed vivi orantes nō sunt Mediatores redemptionis, vt vel hæretica pravitas non negat: ergo sunt Mediatores intercessionis. Et hoc etiam est, quod de terram viventium inhabitantibus dicimus: & ex his,

Respōdetur ad argumentum primò, illud in Hæreticos regerendo, paritate illa vivorum pro vivis orantium; quin Christo iniurioſi sint. ¶ Secundò respondetur distinguendo maiorem: *Supponere Mediatores,* intercessionis: concedo. *Mediatores* redemptionis, nego maiorem. Vel aliter claritatis gratia dico: Si nomen *Mediator* sumitur pro Mediatore redemptionis, minor est vera, sed falsa maior: si autem sumitur pro Mediatore intercessionis, minor falsa est, & maior vera: Quia vt ex dictis constat, Mediator intercessionis non vnus est; sed multiplex, licèt Mediator redemptionis non sit multiplex, sed vnus. Cui doctrinæ non opponitur D. Paulus, qui ibi loquitur de Mediatore redemptionis, qui certè est vnus. Dum autem Apostolus loquitur de Mediatore intercessionis, multiplicem esse fatetur, quod fecit loco citato num. 28. ex

Epist.

Epist. ad Galat. vbi perspicuè affirmat, quòd *Mediator vnus non est.*

31. Contra hanc tamen clarissimam, verissimamque doctrinam insurgit Hæreticus probatione illius minoris, asserensque D. Paulum parificasse Mediatorem, & Deum; atque ideò sicut non est dabilis nisi vnus Deus, sic dabilis non est, nisi Mediator vnus.

Sed apagè impostoram insulsam: Verum est, quòd loco in argumento citato asserit Paulus: *Deus vnus est, & vnus Mediator*: Sed loco â nobis adducto ait: *Mediator autem vnus non est. Deus autem vnus est.* Ecce hìc asserit Paulus, quòd licèt Deus vnus est, *Mediator autem vnus non est.* Quid ergo, eritnè sibi Paulus contrarius? Aut fulget auctoritate maiori Epistola ad Thimot. quàm ad Galatas? O miser, & miserabilis, & quanta luce destitutus, devorare non renuis! Concilia textus hos, eiusdem enim Scripturæ â Numine dictante conscriptæ, & per vnicum sui fidissimum organum traditæ sunt. Concilia ergo illos: quod si cordatè facias, insectaturum polliceor: qualitercumque enim explices, si bene explanas, semper in aliquo vero sensu plures Mediatores fatebere. Quiaq̃ minus, quod requiritur, vt munus Mediatoris salvetur, est, quòd pro supplici debitore intercedat: ex quo plures Mediatores admittas, Beatos te, ominor, vt veros Mediatores culturum. Quocumque modo te geras, vires tui argumenti dehiscunt: Quia si de Mediatore redemptionis est sermo, tunc *vnus Deus, & vnus Mediator est*: Si autem sermo sit de Mediatore intercessionis, tunc *Mediator vnus non est, Deus autem vnus est.*

32. Et vt perfectiùs tuam oscitantiam calleas, (vtinam illam perfectè solùm calleres) si ipsum textum, quem in nos vibras, aliqua reflexione videres, non adeò inverecundè loquereris. Pauli verba, quibus in nos procedis, reproduco: *Vnus Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus* IESVS. Hæc verba, vel superficialiter inspecta, proponunt nobis extremum duplex: vnum est Deus, qui est creditor: aliud est humanum genus, quod debito contracto gravatur. Inter hæc duo extrema aliquis mediare debet, qui debitum solvens, debitorem restituat in gratiam creditoris. Hic, qui mediare debet, non potest esse Deus in sola propria natura subsistens: Quia Deus prout sic se tenet ex parte vnius extremi, & implicat, quòd extremũ vt tale mediet: & propter eamdem rationem non potest esse homo purus; quia hic est aliud extremum. Vltra quam quòd Deus in propria natura solvere non potest, ob sui eminentiam; nec purus homo ob propriam exiguitatem. Insimulque Mediator iste debet ita convenire cum vtroque extremo, quod pariter differat ab vtroque: hoc est enim de ratione cuiuscumque medii; atque adeò, & Mediatoris.

Quærè ergo nunc Mediatorem, cui hæc conveniant, & videbis, quòd non est alius, nisi *homo Christus* IESVS, qui non se habet ex parte primi extremi, quia licèt sit verus Deus, est etiam homo: nec se habet ex parte secundi extremi, quia licèt homo, est etiam Deus. Etiamq̃ est per propriã naturam Deus, â quo per humanitatem differt: & per assumptam humanitatem convenit cum hominibus, â quibus per Deitatem discriminatur: ergo si ex vna parte ponitur Deus, & ex alia humanum genus, quod in eo textu feciſſe Paulũ demonstrant illa verba: *Mediator Dei, & hominum*; tunc non est dabilis nisi vnus Mediator, nec hic alius esse potest, nisi *homo Christus* IESVS. In textu autẽ ad Galatas aliter processisse Apostolum, eius lectio manifestat. Non posuit Deum, vt vnum extremum, & homines vt extremum aliud: sed absolutè loquendo dixit: *Mediator autem vnus non est*, quod verissimum esse constat ex dictis; quia inter ipsos homines alii sunt aliorum Mediatores.

33. Quòd si tua obstinatione ductus vim facias, in eo, quod D. Paulus in Epist. ad Thimot. ait: *Deus vnus est*, atque adeò sicut Deo iniuriosus esset, qui Deum alium coleret; sic & Christo iniuriosus est, qui aliũ Mediatorẽ quærit.

Visa

Visa tua hac proterva tenacitate dicam: Ex ore tuo te iudico, serve nequã: quia sicut Mediator præcipuus vnus est, â quo alii Mediatores dependent, & per cuius influxum sua mediatio valoratur: sic etiam Deus per essentiam *vnus est*: sed per participationem multi sunt Dii: videlicet omnes illi, quos gratia decorat; quod vividiùs fulget in Beatis gratia consummata venustis. Vnde habemus, quòd Deus indepẽdens *vnus est*, & Deus dependens ab illo vno Deo nõ vnus est, sed tot, quot iusti dãtur. Et similiter Mediator dependens ab alio Mediatore nõ vnus est, Mediator verò â Mediatore indepẽdens vnus est. Quò respexit D. Bernardus serm. 5. de Assũptione, vbi de Christo agẽs dicit: *Opus est nobis Mediatore ad istum Mediatorem.*

34: Non quiescit Hæreticus, & opponit contra dicta Augustinum lib. 2. contra Parmenian. cap. 8. dicentem: *Si Ioannes ita diceret: hæc scripsi vobis, vt non peccetis, & si quis peccaverit, Mediatorẽ me habebitis apud Patrẽ. Ego exoro pro peccatis vestris:::::: quis eum sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichristum intueretur?* Et posteà: *Si esset Mediator Paulus, essent vtique, & cæteri Coapostoli eius: ac sic multi Mediatores essent, nec ipsius Pauli ratio constaret, qua dixerat: Vnus Deus, vnus Mediator Dei, & hominum.* Ergo quomodocumque asseratur, Sanctos Mediatores esse, est contra D. Paulum; & qui plures Mediatores ponit, debet, vt Antichristus intueri.

Sed Augustinum perpetuum esse in adstruenda invocatione Sanctorum, eius scripta demonstrant. Loco ipso contra nos adducto laudat consuetudinẽ Christianorum mutuò se se orationibus adiuvantium. Tract. 84. in Ioan. ait, quod Martyrum memoriam facimus, *vt ipsi pro nobis orent.* Sermone 17. de verb. Apost. docet, quòd in Martyrum *nos debemus orationibus commendare.* Item lib. de Cura pro mortuis cap. 4. ait Sanctos esse nostros Patronos, quia *apud Dominum nos orando commendant.* Similia passim tradit, quod nolentes advertere Acatholici textum citant, ostendentem ipsorum oscitantiam, vel vafritiem.

In eo enim arguit S. Doctor ad hominem contra Donatistas, asserentes â sanctitate Sacerdotis pendere valorem, effectumque Sacramentorum; ita vt Baptismus â bono ministro collatus gratiam conferret; â pravo autem malitiam communicaret. Contra hos procedens Augustinus ait, Baptismum eumdem esse, sive â bono, sive â malo Ministro conferatur: quia sive Petrus baptizet, sive Paulus, hic est, qui baptizat, nempe Christus, qui fons est Sacramentorum, â quo valorem accipiunt. Et in hoc est Christus vnicus Mediator Dei, & hominum; quia munus Auctoris Sacramentorum convenire non potest Mediatoribus intercessionis; sed est vnicè proprium Mediatoris redemptionis. Et si aliquis Christum non esse in hoc vnicè Mediatorem senserit, non vt Christi Apostolus veneretur; sed potiùs vt Anti-Christus conspuatur. Hæc est Augustini mens textum legenti notissima: ex hoc tamen quid contra invocationem Sanctorum?

Ad confirmationem ex num. 27. respondent Patres diversissimis viis; omnes tamen illæ nodum solvunt. Primò enim D. Hieronymus, & Augustinus intelligũt per *Angelos* dœmones, quos aliqui colebant. Secundò Irenæus Epiphanius, & Tertul. tenẽt, Apostolum agere contra Simonem Magum, qui Platonicos sequutus docuit, quosdam Angelos esse, qui adorari debent, vt minores Dii, per quos Mundus factus est, quique per Prophetas locuti sunt. Horum Angelorum religionem damnat hìc Paulus. Et ex his satis, superque respõdetur confirmationi; quia nos non facimus Beatos, sive sint Angeli, sive homines, Deos, aut dœmones: puras creaturas fatemur; sed Deo intimas, & amicissimas; atque adeò â nobis in nostris calamitatibus invocabiles.

Tertiò D. Chrysostomus hom. 7. ad Colos. ait: *Sunt nonnulli, qui dicunt, non oportere per Christum reconciliari, & ad Patrem accedere; sed per Angelos: propterea sursum, ac deorsum, quæ de Christo sunt, versat Paulus.* Hi ergo sunt, contra quos procedit Apostolus textu allato: erant enim aliqui, qui falsa humilitate

tate â maiestate Christi Domini deterrebantur, dicentes, commodiùs per Angelos, qui creaturæ sunt, ad Deum venire, quàm per Christũ, qui Creator est. Horum humilitatem falsam, religionemque nocivam damnat Paulus, nobis tamen non opponitur.

Placet denique respondere cum D. Thoma hìc: Apostolum procedere contra hypocritas, qui falsam humilitatem præmittentes, & Angelorum puritatem simulantes, intrinsecùs sunt lupi rapaces, qui ovile Domini devorare conantur, nulli sudori parcentes, vt hoc obtineant, hos cavere monet Paulus de proximorum salute solicitus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm detur præceptum de invocatione Sanctorum?

SAnctos â nobis invocari posse vidimus quæst. præcedenti. Sed an ad hoc aliqua lege obligemur, ex illa resolutione non constat. Multa enim facere possumus, ad quæ nullo præcepto tenemur. Hoc autem explorare volumus in præsenti controversia. In qua Heterodoxi, cùm ipsam invocationem, vt superstitiosam habeant, consequenter præceptum de illa negant. Similiter negant hoc præceptũ aliqui Catholici, licèt catholicè ipsam invocationem fateantur. Alii autem præceptum adesse dicunt, de quorũm numerò sunt Cardinalis Belarm. lib. 1. de Sanctorum beatit. cap. 20. Eminent. Recheliu in controvers. contra Hæret. lib. 3. cap. 4. Exim. Suarez tom. 1. in 3. partem disp. 54. sect. 6. insignis Noster Liberius â Iesu, qui eam versat manu adeò plena, vt nihil intactum videatur relinquere; & quidem subtiliter, & nervosissimè.

§. I. *Conclusio nostra proponitur.*

35. NOstra conclusio: *Datur præceptum de Sanctorum invocatione.* Probatur 1. assertio hæc ex cap. vltimo Iob, vbi ad eius amicos præcepit Deus: *Ite ad servum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem servus meus orabit pro vobis.* Ex quo sic argumentor: Ex dictis verbis colligunt Orthodoxi omnes vtilitatẽ invocationis Sanctorum contra Heterodoxos: ergo ex ipsis verbis etiam constat adesse præceptum. Antecedens certum est, nec Catholicum invenies, qui præsentem materiam verset, & non cognoscat iis verbis vtilitatem invocationis Sanctorum. Consequentia autem probatur; quia ibi non proponitur oratio ad Sanctos, vt vtilis solùm; sed etiam vt obligatoria, imò vt vtilis, veluti supponitur, vt obligatoria autẽ formaliter, ac seriò inducitur: ergo si inde colligitur vtilitas invocationis Sanctorum, non est cur obligatio non colligatur.

36. Dicunt Hæretici: Non posse ex illis verbis colligi orationis ad Sanctos obligationem, nec vtilitatem; quia tunc casus Iob erat vivus; eòque intercedere poterat pro suis amicis. ¶ Verùm ad hoc satìs, superque responsum â nobis est tota quæst. præcedenti. Et etiam disp. 4. quæst. 2.

37. Dices: Casus ille particularis est: ergo ex illo inferri non potest obligatio pro omnibus casibus, & personis. Antecedens est certum, & consequentia constat: Quia si ex præcepto particulari vni, vel paucis impositio, colligeretur præceptum pro omnibus in materia invocationis Sanctorũ: in omni alia materia inferretur idem: hoc autem est absurdum; aliàs omnes habentes filios tenerentur primogenitum immolare, vt Abraham imperatum est; sicque de aliis: ergo.

Hoc effugio vtuntur communiter contrarii. Contra quos tamen disputo sic primò: Ex casu illo, licèt particulari, colligitur vtilitas invocationis Sãctorum: ergo particularitas non obest, vt obligatio colligatur. Notum est antecedens, & consequentia â paritate constare videtur; quia si particularitas illius casus non obest, vt invocatio Media-

to

toris creati paucis illis iniuncta, habeatur vtilis pro omnibus; nec oberit, vt pro omnibus intelligatur obligatoria, sicut pro illis paucis fuit præcepta.

Secundò disputo sic: Quia non est insuetum in scripturis, ex casu particulari inferre in doctrinalibus illationem generalem: ergo casus, eò quòd particularis sit, non est incapax inducendi obligationem. Probatur antecedens ex eo, quòd adolescenti roganti quid faceret, vt salvus fieret, respondit Dominus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Inferunt legitimè Doctores: omnes volentes salutem necessariò mãdata adimpleturos; ac similiter, ex quo eidem dixerit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes*: colligitur, consilia euangelica esse necessaria ad consequendum statum perfectionis: ergo similiter particularitate illius casus non excluditur obligatio pro omnibus.

Tertiò: Etiamsi Acatholici negent verba illa Redemptoris: *Si vis perfectus esse, &c.* obligationem generalem inducere; eò quòd vni solummodò dicta sunt, talem generalem obligationem cognoscunt in iis verbis Catholici: ergo verba dicta ad amicos Iob, licèt solummodò illis dicta sint, non excludit generalem obligationem pro omnibus.

38. Dices forsam: Aliud esse ex casu particulari non excludi generalem obligationem; aliud verò ex illo positivè probari. Assertum nostrum proponit obligationem positivè pro omnibus convenientem: eamque probat ex verbis directis ad amicos Iob. Et hoc est, quod ab Adversariis negatur.

Sed contra: Quia Adversarii ex hoc solùm, quòd casus est particularis, nolunt recognoscere generalẽ illam obligationem: ergo per hoc, quòd comprobetur casus particularitatem non obstare illi generalitati, impetus Adversariorum retunditur, & assertio suadetur. Antecedens est certum apud omnes, qui hanc obligationem negant; per hoc enim, quòd verba illa illis tribus dicta sint, renuunt ad alios illam obligationem extendere. Et consequentia probatur: Quia ratio, propter quam Auctores illi oppositi nobis sunt in hac parte, nulla alia est, nisi casus particularitas: ergo qui convincit illam rationem insufficientem esse, bene procedit.

39. Si dicas: Bene procedit contra oppositam sententiam; sed suam non bene probat: quia hæc per illationes positivè concludentes probanda est; non autem per earũ non repugnantiam.

Venimus ad vltimum, ad quod in præsentiarum possumus pervenire. Itaque debitum illud fatemur; sed non adhuc rei sumus; quia tempus pro satisfactione perseverat. Et antequàm, quæ muneris nostri sunt, adimpleam, placet Adversarios ostendere eodem modo irretitos. Ipsi enim ex particularitate casus negant obligationem: ergo non est casus particularis, qui aliam, vel alias personas, præterquàm, ad quas dicitur, comprehendat. Sed hoc est falsum, vt patet ex scripturis â nobis adductis, sexcentisque aliis, quæ afferri poterant: ergo. Quod, vt clariùs constet, sic propono: Vel casus particularitas obest positivæ extensioni; vel non? Si non: ergo ex quo amicis Iob præcipitur, quòd ad invocationem Mediatoris confugiant, omnes alii eidem obligationi subsunt. Si sic: ergo solus ille adolescens, cui Christus dixit: *Si vis perfectus esse, vade, &c.* tenetur illa facere: ergo quin illa faciant, possunt alii statum perfectionis habere. Et similiter cùm idem Dominus, ac Redẽptor Noster suis Discipulis modum; quo orare debent, & ipsam orationem imperavit dicens: *Cùm oratis dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum*, Luc. 11. vel vt Matt. cap. 6. refert. *Vos autem sic orabitis; Pater noster, &c.* Ita cũ solis suis Discipulis loquutus est, vt illa obligatio non comprehendat alios. Vel ad summum dicemus; orationem dominicam pro Apostolis vtilem fuisse, ac præceptam, pro nobis tamen præceptam non esse; sed vtilem. Quicquid ad hæc dicant Adversarii, suum illum impetum in casus particularitatem sedaturum spero.

40. Pro omnibus tamen dicimus: Particularitatem dictam, nec positivam extensionem obligationis inducere, nec illi contrariari. Tunc autem verba Dei, vni dicta, omnes alios ligant, quando materia intimata communis est, & finis eius non aliter consequibilis est, nisi illo medio: ast, cùm materia particularis est; vel eius finis aliis mediis æquè est consequibilis, non ligant verba illa, nisi personam particularem, cui dicuntur. Termini isti explicatione non indigent, sed applicatione. Dicit Christus Dominus adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* Materia hìc intimata sunt consilia Euangelica, quæ certè communia sunt; nec sine illis, perfectionem ambiens, consequetur perfectionem. Vnde quamvis vni illa verba dicta sint, pro omnibus, perfectionem desiderantibus, dicta esse intelliguntur. Pariformiter, cùm orationem dominicam suos discipulos Christus Dominus docuit, præcepit eis, vt Divina creatis, & temporalibus spiritualia præferrent, teste D. Thom. in procœmio opusc. 7. & hæc materia omnibus communis est: nec æterna fœlicitas, quæ est finis illius Divinæ orationis, vt in ipsa dicitur iis verbis *adveniat regnum tuum*, potest haberi, nisi illa ordinatione procedatur.

41. E contrario autem immolatio filii, quæ est materia intimata Abraham, non solùm non est communis, sed potiùs cõtraria communis est: Omnibus enim præcipitur: *Non occides*, atque adeò solus ille tenetur ad illam immolationem, qui præceptum habet â potente illam legem dispensare, vt omnium absoluto Domino. Quòd si pro materia dicti præcepti velit aliquis intelligere promptam obedietiam, quæ Deo exhibenda est: fatemur, talem materiam communem esse: omnes quippe tenemur promptè Deo obtemperare. Verùm quia hoc pluribus possumus exhibere; propterea non tenetur omnes ad filiorum immolationem, quamvis illa materia non foret aliàs prohibita. Et ex his, quæ dicta sunt, si materiæ, de qua agimus, applicentur, instaurantur facti discursus in hunc modum.

42. Etenim materia præcepta amicis Iob est communis omnibus, cuius finis frequenter sine illa non consequitur: ergo illa obligatio extenditur ad omnes. Consequentia constat ex modò dictis, & antecedens probatur: Quod ibi præcipitur, est invocatio Mediatoris apud Deum: sed hæc invocatio omnibus communis est, & sine illa frequenter non obtinetur, quod intenditur: ergo. Cætera constant, & minor duas partes habet, prima, quòd Sanctorum invocatio omnibus est communis. Secunda, quòd sine hac invocatione frequenter non habetur res desiderata. Circa primam partem nullum est dissidium, quia si, fatentibus Adversariis, Sanctorum invocatio est omnibus vtilis, & hoc colligunt ex illo textu Iob; planè evincitur, quòd etiam communis sit.

Quoad secũdam partem probatur ipsa minor: Sine ordine instituto â Deo, vt petita obtineamus, non illa obtinemus: sed Deus instituit nobis benefacere media intercessione Sanctorum, quos invocamus: ergo petita obtinentur media hac invocatione. Minor, in qua difficultas consistit, probatur multipliciter. Primò ex D. Thom. in 4. dist. 45. q. 3. art. 2. dicente: *Iste ordo institutus est à Deo secundùm D. Dionysium, vt per media vltima reducantur in Deum: vnde, cùm Sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc Divinæ legis ordo requirit, vt nos, qui manentes in corpore peregrinamur à Domino, in eum per Sanctos medios reducamur: quod quidem contingit, dum per eos Divina bonitas suum effectum diffundit. Et quia reditus noster in Deum respondere debet processui bonitatum ipsius ad nos: sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt; ita oportet nos in Deum reduci; vt iteratò beneficia eius sumamus mediantibus Sanctis: & inde est, quòd eos intercessores pro nobis ad Deum constituimus, & quasi Mediatores, dum ab eis petimus, quòd pro nobis orent.* En legem à Deo latam, vt Sanctorum patrocinium invocemus, asserit ex D. Dionysio D. Thomas, atque

adeò

adeò mirari non debes, si hoc medium institutum esse, vt per illud desiderata impetremus, asserimus.

43. Nec intelligas hunc ad Sanctos recursum provenire ex defectu Divinæ Misericordiæ ad nostram miserationem sublevandam paratissimæ. Hoc enim non sic est, vti statuit Angelicus ipse Doctor citatus ad primum dicens: *Non est propter defectum misericordiæ ipsius, quòd oporteat eius clementiam per orationes Sanctorum pulsare; sed est ad hoc, vt ordo prædictus conservetur in rebus.*

44. Probatur insuper ipsa minor, doctrinam traditam applicando omnium Sanctorum Reginæ, de qua ad præsentem materiam firmandam infinita extant Patrum, Doctorumque monumenta. Vnum, vel alterum proponimus. S. Germanus de Zon. virgin. inquit: *Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te, ò Sanctissima, nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò Purissima: nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ò Castissima: nemo est cui misereatur gratia, nisi per te, ò Honestissima.* Deinde D. Bernardus ait: Deus *omnia contulit in Mariam; quia nihil nos habere voluit nisi per Mariam.* Quis ergo Catholicorum hæc audiens non asserat, obligatos nos esse ad invocationem auxilii huius piissimæ Dominæ, si nostra desideria impleri desideramus?

45. Plus probavimus, quàm promisimus; siquidem promisimus probare, frequenter non obtineri petita â Deo nisi per Sanctorum invocationem. Et motiva, quibus vsi sumus, convincunt, nunquàm Deum sua beneficia conferre, quin ad Sanctorum invocationem recurramus. Clarissimè hoc ostendunt, quæ de Beatissima Virgine adduximus, & D. Thomæ auctoritates. Cæterùm hæc non adeò rigorosè capienda sunt, quòd semper, cùm â Deo aliquid petimus, ad Sanctorum intercessionem recurrere debeamus. Præceptam nobis esse orationem vidimus disp. 3. q. 1. & tamen multoties Deus sua beneficia confert, quin oratio præcedat: quia Deus adeò benignus est, vt merita supplicum excedat, & vota. Ad hunc ergo modum dicimus, quòd Sanctorum invocatio in præcepto est; licèt non semper, quòd ad Deum preces fundimus, Sanctorum protectionem invocare debeamus. Tenemur, Sanctos invocare diebus festis Sanctorum, quos Ecclesia in eorumdem Sanctorum honore proponit toti populo. Et ratio est: quia cùm Sanctorum invocatio non solùm cedat in nostram vtilitatem, sed etiam in Sanctorum cultum, de quo vide, quæ diximus disp. 4. quæst. 2. ideò iis diebus, quos, vt venerentur, instituit Ecclesia, invocandi sunt; quod præcipuè viget in festo omnium Sanctorum. Invocandi sunt, cùm res, quam desideramus, ardua est. Invocandi sunt, cùm, postquàm ad Deum sine iis Patronis recurrimus, petita nõ obtinuimus. His, & similibus casibus Sanctorum intercessionem implorare debemus; & sic adimplemus obligationem, quam habemus venerandi Sanctos, & legem implorandi ipsorum patrocinium. Ex dictis constat, quòd verba illa, quæ ex Iob retulimus, intentum nostrum suadent. Etsi, quæ diximus, per modum præsuppositi sumantur, ex illis

46. Probatur vrgẽter assertio nostra: Etenim tenemur observare legem â Deo positam nobis: sed Sanctorum invocatio est lex nobis â Deo posita: ergo tenemur ad invocandos Sanctos. De consequentia, & de maiori nemo dubitare potest. Minor autem probatur ex dictis num. 42. & 43. & 44. vbi vidimus adesse hanc legem respectu Sanctorum, quæ præcipuè viget erga Beatissimam meam, quia peccatorum Matrem. Deus enim *nihil nos habere voluit nisi per* MARIAM. O MARIA dulcissima, ô MARIA benignissima, ô MARIA potentissima, adiuva tuis precibus imbecillitatẽ meam, vt, te Mediatrice, consequar, quæ tam indigenter, quàm negligenter â tuo Sanctissimo filio deprecor.

47. Confirmatur primò: Quicumque orat, tenetur facere, quòd sua oratio exaudibilis â Deo sit: sed, vt oratio sit â Deo exaudibilis, requiritur interpositio Sanctorum: ergo quicumque

orat,

orat, tenetur Sanctos invocare. Probatur minor primò: Quia vt oratio ſit â Deo exaudibilis, debet orans ordinatè in ſua oratione procedere: ſine Sanctorum invocatione inordinatè procedit orans: ergo ſine Sanctorum invocatione non eſt oratio exaudibilis. Probatur minor: Non ſervans ordinẽ ſtatutum â Deo pro oratione facienda, inordinatè procedit: qui Sanctos, orans, non invocat, non ſervat ordinem ſtatutum â Deo, vt conſtat ex dictis in iiſdem numeris 42. & 43. & 44. ergo.

¶ Probatur ſecundò minor principalis ex D. Thom. in Pſalm. 19. vbi ait: *Eſt ergo triplex cauſa, quæ facit orationem exaudibilem. Prima eſt, Divina bonitas: Secunda, Sanctorum ſuffragia: tertia, proprium meritum*: ergo vt oratio noſtra ſit â Deo exaudibilis, neceſſaria eſt Sanctorum invocatio; ad eum proportionabiliter modum, quo requiritur proprium meritum in orante, & bonitas Divina in concedente.

48. Confirmatur ſecundò: Quia ad minùs non poſſunt contrarii negare, neceſſariũ nobis eſſe recurſum ad noſtrum liberaliſsimum Reparatorẽ Chriſtum IESVM. Eſt enim *Mediator Dei, & hominum*: ob quod quicquid Eccleſia petit, petit per *Chriſtum Dominum noſtrum*. Quæ veritas adeò perſpicua eſt, vt vel ab ipſis Acatholicis concedatur; negantque Sanctorum invocationem, quia illam noſtro Servatori iniurioſam rentur. Vnde non poſſunt Adverſarii negare neceſsitatem recurſus ad ipſum, qui eſt Noſter Advocatus apud Patrem, *qui etiam interpellat pro nobis*. Ex hoc ergo principio ſic diſcurro: Tenemur rogare Chriſtum Mediatorem noſtrum: ergo tenemur invocare Sanctos. Antecedens conſtat ex dictis, & conſequentia probatur primò ex Divo Bernardo, qui Serm. 5. de Aſſumptione agens de Redemptore noſtro ait: *Opus eſt nobis Mediatore ad ipſum Mediatorem: nec alter nobis vtilior, quàm* MARIA: ergo qui tenetur orare Chriſtum Mediatorem, tenetur etiam invocare Sanctos, qui ſunt Mediatores ad illum principalem Mediatorem. Patet iſta: Tum quia ly *opus eſt nobis*, quo vtitur Bernardus, non ſignat ſolùm vtilitatem, ſed præciſionem: tum quia qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad id, ſine quo haberi non poteſt; ſicut qui tenetur Sacrum audire, adire tenetur locum, vbi Sacrum celebratur. Videant ergo Adverſarii quomodò cum hac D. Bernardi auctoritate componatur, invocationem Sanctorum eſſe nobis ſolummodò vtilem.

Probatur ſecundò conſequentia illa principalis ex D. Thom. in 2. diſt. 27. art. 6. ad 2. vbi ait, quòd Chriſti Domini meritum *eſt quodammodò ſicut cauſa vniverſalis, quam oportet ad effectus determinatos applicari per cauſas particulares; ſicut ſunt Sacramenta, & orationes Eccleſiæ; & inde eſt, quòd non tantùm Chriſtum oramus, ſed etiam Sanctos eius, quorum meritis, & precibus eius auxilium percipimus*: ergo qui tenetur Chriſtum orare, Sanctos invocare tenetur. Patet iſta: Nam ſicut virtus cauſæ vniverſalis non applicatur ad effectus determinatos, niſi per cauſas intermedias; ſic etiam regreſſus effectus determinati, vt perveniat ad cauſam vniverſalem debet trãſire per ipſas intermedias cauſas. Aliter non ſervabitur ordo, quem eſſe â Deo inſtitutum vidimus ex ipſo Doctore Angelico num. 42. & 43.

§. II. *Argumenta propoſita, & ſoluta.*

49. COntra noſtram concluſionem arguitur primò ex D. Ambr. in cap. 1. ad Rom. vbi ait: *Ad Deum autẽ (quem vtiq; nihil latet, omnia enim merita novit) promerẽdum, ſuffragatore non opus eſt, ſed mente devota.* Similia habet Chryſoſt. tom. 3. homil. de perfec. euang. aſſerens: *Certum non opus tibi Patronis apud Deũ, neque multo diſcurſu, vt blandiare aliis; ſed licèt ſolus ſis, Patroniſque careas, & per te met-ipſum Deum deprecaris, omnino tamen voti compos eris.* Quid clarius contra neceſsitatem invocationis Sanctorum? Vtilis eſt invocatio hæc, ſed non eſt obli-

obligatoria, *non opus est*, inquit vterque.

Respondetur quòd invocatio dicta obligatoria, ac præcepta est: illa nobis opus est: opus est nobis suffragatore apud Deũ. Nec huic veritati cõtrarii sũt Chrysostomus, & Ambrosius. Ad huius auctoritatem dicimus: Sãctum hunc Doctorem inibi agere contra Simonianos, qui asserebant, non esse nobis accessum ad Deum, nisi per Angelos; quia his Deus indiget, vt notitiam nostræ necessitatis habeat: sicuti Rex indiget interprete, vt linguam extraneam intelligat, & interlocutore, vt subditorum calamitates cognoscat. Quarè asserit: *Ideò ad Regem per Tribunos, & Comites itur, quia homo vtique est Rex, & nescit, quibus debeat rempublicam credere. Cæterùm ad Deum promerendum suffragatore non opus est, sed mente devota*; & hòc ideò est, quia ipsum *nihil latet, omnia enim merita novit.* Vnde Ambrosius denegans necessitatem suffragatoris Deum certificantis, non negat necessitatem suffragatoris pro nobis intercedentis: imò illam defendit, prout vidimus num. 20. in fine.

Ad secundam auctoritatem dicimus mentem Chrysostomi esse clarissimam. Ibi enim Doctor S. reprehendit quosdam bene agere nolẽtes; & totam suam fiduciam in aliorum orationibus collocantes. His itaque dicit, melius esse, quòd peccator sine aliorum consortio pro se oret, quàm, quòd, eo non orante, alii pro ipso deprecentur. Vbi triplex hominum genus indigitat Doctor S. Primi pro se non orant; curant tamen, vt alii orent; & hos reprehendit, vt vana spe innixos. Alii orant pro se, sed quin alii pro ipsis orent: & hi præferuntur primis. Omnibus autem præferendi sunt pro se ipsis orantes, & alios comites in sua deprecatione habentes. Quæ idem S. Doctor docet homil. 5. in Matth. dicens: *Non igitur quasi oscitantes, & desides ex aliorum meritis pendeamus: habent enim vim, & quidem maximam, orationes, supplicationesque Sanctorum, sed tunc profectò, cùm nos quoquè id ipsum per pœnitentiam postulamus.* Eadem enim brevissimè complexus est homil. 1. in prim. Epist. ad Thessalonic. vbi habet: *Nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illis proiiciamus.*

50. Arguitur secundò: Nullum præceptum datur de invocatione Sanctorum: ergo licèt vtilis sit, obligatoria non est. Probatur antecedens: Invocare Sanctos non est præceptum negativum, nec affirmativum: ergo nullum. Probatur antecedens pro prima parte: Præceptum negativum obligat ad semper: Sanctos invocare non ad semper obligat, vt patet tum ex se; tum ex dictis num. 45. Pro secunda parte probatur ipsa minor primò: Quia non constat de tali præcepto. Secundò quia præceptum affirmativum obligat pro aliquo determinato tempore: sed non est assignabile tempus, in quo obliget Sãctorum invocatio: ergo non est de præcepto affirmativo.

51. Confirmatur: Quia Ecclesia non vrget ad Sãctorum invocationem: ergo nõ datur præceptum de illa. Consequentia bona est: Si namque præceptum aliquod circa hoc daretur, Ecclesia vtiq; vrgeret pro eius adimpletione, sicut facit cùm aliis præceptis. Antec. autem inde constat, quòd talis Ecclesiæ praxis nemo vidit vnquam.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad probationẽ dicas: Præceptum hoc simile esse præcepto orationis, de quo diximus disp. 3. quæst. 1. esse partim naturale, & partim positivum. Idem dicimus de hoc præcepto, quod est partim naturale, quia vt docet Cardinalis Belarm. lib. 1. de Sanctorum beatit. cap. 20. ad 6. *Quod ad mandatum attinet, nullum certè mandatum requiritur, quando ipsa necessitas nos impellit.* Quæ intelligenda sunt, vt ait Doctissimus noster Liberius, ita vt non sit *exquirendum particulare præceptum positivum, cùm datur præceptum naturale radicatum in necessitate, tum ex parte ordinis rerum, tum ex parte nostri indigentium.* Vnde hoc præceptum est naturale, quia natura ipsa dictat, petendum esse remedium ab illud conferre potente. Est tamen elevatum ad ordinem supernaturalem, prout accidit

in

in aliis plurimis.

Ad ſecundam partem reſpondetur: Hoc præceptum eſſe etiam poſitivum, habetque duplicem conſiderationem: quia eſt Sanctorum cultus, & petitio decentium: quatenus eſt Sãctorum cultus, reducitur ad quartum præceptum Decalogi, vbi præcipimur: Parentes honorare. Et Sancti cum Chriſto regnantes Parentes noſtri ſunt ſecundùm illud Eccleſ. 44. *Laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros.* Vt autem eſt decentium petitio, idem iudiciũ de ea ferendum eſt, ac de oratione ipſa: modo tamen dicto diſp. 3. quæſt. 2. ad confirmationem vltimi argumenti. Videantur ibi dicta. Atque ex dictis conſtat de tali præcepto conſtare.

Ad id, quod dicitur de tempore, quo hoc præceptum obliget: iam diximus num. 45. quando obliget tale præceptũ, quod nullã difficultatẽ ſpecialem circa hoc habet; eſt enim hoc commune aliis præceptis.

Ad confirmationem dicendum: primò, quòd etiamſi Eccleſia non vrgeret ad obſervãtiã huius præcepti ineffícax cõtrarius diſcurſus foret: quia ſufficit, quòd neceſsitas ipſa vrgeat, vt præceptum recognoſcamus. Sed reſpõdetur 2. Eccleſiam certiſsimè vrgere, vt hoc præceptum ſervetur. Semper, quòd occurrit dies feſtus in honorem Sanctorum, præcipit Eccleſia Sanctos invocare: quia præcipit Sacrum audire: quæ Sacri auditio eſt huius præcepti adimpletio: quia audiens Sacrum in diebus feſtis Sanctorum ſubmittit ſe intentioni Eccleſiæ, quæ illum actum ordinat in Sanctorum cultum, & ad implorandam ipſorum interceſsionem. Nec hoc voluntariè dictũ eſt, ſed â D. Thom. traditũ in 4. diſtin. 15. q. 4. art. 1. quæſtiunc. 3. vbi poſtquàm obligationem, quam ad orandum habent Miniſtri Eccleſiæ dictavit, ſubdit: *Omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſterio non funguntur, videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe; cùm ex Canonum ſtatuto teneãtur diebus feſtis Divinis officiis intereſſe, vt Miniſtris pro Populo orantibus ſuam intentionem conforment.* Hæc D. Thomas circa præceptum orationis, de quo aliàs. Circa præſens tamen facit: quòd Sacrum audientes debent ſuam intentionem conformare cum Miniſtris orantibus: ſed Miniſtri Eccleſiæ orantes in ſolemnitatibus Sanctorum tenentur eorum implorare ſuffragia, iuxta ordinem ab ipſa Eccleſia ſtatutum: ergo qui non ſunt Eccleſiæ Miniſtri per hoc, quòd cum dictis Miniſtris ſe conformẽt, & ipſius Eccleſiæ intentioni ſe ſubmittant, & Sanctos venerantur; & ipſorum protectionem implorant. Ecce tempus ab Eccleſia pro omnibus tam Miniſtris, quàm aliis ſtatutum, vt Sancti invocentur. De aliis occaſionibus vide, quæ diximus dicto num. 45.

52. Arguitur tertiò: Si eſſet præcepta invocatio Sanctorum, vel eſſent invocandi omnes, vel eorum aliqui: neutrum poteſt dici: ergo non datur talis obligatio. Cætera nota ſunt, & minor pro prima parte probatur: Quia omnes Sanctos ab omnibus ſuperſtitibus invocari, prorſus impoſsibile eſt: ergo cùm nemo ad impoſsibile teneatur, hinc ſequitur, tale præceptum non dari. Pro ſecunda parte probatur eadẽ minor: Quia, ſi eorum aliqui invocari debent, reſtat ſcire, qui ſunt iſti, quos invocare debemus? Et quarè præceptum ſit de invocatione horum, & non aliorum? Ergo vera eſt quoad vtramque partem illa minor.

53. Confirmatur: Dum Sanctos invocamus, eſt, vt eorum auxiliis adiuvemur: ergo ſi hìc datur aliqua obligatio, eſt per accidẽs: Ergo non datur ſpeciale aliquod præceptum. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quam infert antecedens, quod ex hactenus dictis patet.

Reſpondetur argumento negando minorem quoad vtrãque partem; tenemur enim Sanctos omnes invocare in ſolemni die omnium Sanctorum; tunc enim Miniſtri Eccleſiæ Sanctorum omnium interceſsionem invocant: & qui Miniſtri non ſunt, hoc ipſum præceptum implent Divinis officiis intereſſentes, & ſe ſe cum Miniſtris conformã-

tes,

tes, ad quod teneri, docuit iam nos D. Thomas. Insuper in aliis casibus tenemur invocare aliquem; vel aliquos Sãctorum, non omnes, sed quos, & quot voluerimus: vnde sufficit, si vnum invocemus. Et ratio huius ea est: Quia Sanctos invocamus, vt orationes nostræ fiãt exaudibiles apud Deum; quod cõsequimur, si vnum, vel alterum, prout devotio dictaverit, invocemus. Qui enim litem aliquam in curia habet, tenetur vtique aliquos, vel aliquem curiæ Advocatum habere; non tamen omnes: sed vt minus vnum, & huius electio ipsi est arbitraria. Sic in casu nostro. Cum hoc tamen stat prudentissima admonitio nostri Liberii, vel ob illam solam â nobis summoperè diligendi: *Cautum tamen est* (ait) *B. Virginem præ cæteris exorandam, vtpotè constitutam canalem vniversalem donorum: deinde S.* IOSEPH: *petrasque fundamentales Ecclesiæ Sanctos Apostolos*

Adde: Quòd cultus vni Sanctorum exhibitus redundat in alios, vnde qui vnum honorat, omnes venerari censetur; atque adeò ex hac parte potest dici, quòd hoc præceptum est de invocando omnes.

Ad confirmationem respondetur: Quòd Sanctos invocamus, non solùm, vt eorum auxiliis adiuvemur; sed etiam vt ipsis cultum debitum deferamus, quod multoties diximus. Vnde vel ob hoc solum præceptum daretur. Verùm prætermisso anteced. negamus vtramque consequentiam. Non enim obligat hoc præceptum per accidens; sed per se; nec ex illo antecedenti gratis permisso aliud inferre licet. Recole, quæ diximus disp. 3. quæst. 2. §. 3. Vbi num. 51. cum Nostris Salmanticens. tract. 13. disp. 2. dub. 1. num. 6. explicuimus, quæ sit obligatio *per se*, & *quæ per accidens*. Ibi dicta videre debes; nè eadẽ sine causa speciali repetamus.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm omnes superstites Sanctos invocare debeant?

54. VEhemens oppositio, quã adversùs quietistas nobis semper est, facit, vt quoties occasio se offert in illos calamum dirigendi non prætermittamus. Multa sunt instrumẽta, quibus in Empyreum Tartarus bella gerit. Ab omnibus veluti â facie colubri cavẽdum nobis est. Sed â quietistis maximè, obfucatos virtutum visus, quibus vitiorum horrenda spectra colorant. O animæ fideles! Attendite â falsis his Magistris, *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces*: O animarum Directores! O omnes, ad quos hæc attinere quoquomodò possint! Inspicite, introspicite, *palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet*. Heu, Sancti omnes, quos invocandos pro vitibus asseruimus! *Exurgat Deus, & dissipentur* (hi) *inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius: sicut deficit fumus, deficiant, & sicut fluit cera à facie ignis, sic* (isti) *pereant peccatores à facie Dei*. Sicque bellum, quod fidelium animas non rarò miserè exterminat, extinguetur. Nullum peius bellum, quàm vitium protendere virtutis signaculo lemniscatum. Acetum movens stomachum exhibere, iurantes *vinum*, *germinans Virgines*, propinare. Et quod nostro Iudicio acerbissimum est, clanculùm sua perversa dogmata infundunt, quò eos publica disputatione confundere non valemus. Sed quorsum ista? Iam hoc ostendit.

§. I. *Motivum præsentis controversiæ exponitur, & sana doctrina stabilitur.*

55. INter illuminatorũ propositiones â Generali Inquisitione dãnatas anno D. 1623. hanc reperio, quæ est 34. *Potest esse tam perfectus, quòd non egeat Sãctorũ intercessione, neque in-*

vocatione. Hanc damnatam propoſitionem ſequebatur nobilis quædam Matrona, cuius meminit Sapientiſsimus poſter Liberius tom. 1. p. 2. controv. 11. Hæc ergo Mulier Cãticũ Canticorum, Prophetas, alioſque libros Canonicos commentariis explanavit. Et adeò copiosè (autumabat illa) â Numine dictabatur, vt aſſereret, ſe gratiam adſtantibus communicare abundanter, & frequenter, ſicut Mater, quæ pleno vbere patitur, ſi lac filio non impertitur. Se baſim, Eccleſiæque columnam dicebat, & in futurum habituram ſequatium milliones affirmabat. Vaticinata eſt, quòd ſicut in primitiva Eccleſia fuere plures Martyres Chriſti; ſic nunc erunt plures Martyres Spiritus Sancti, eò quòd plures patientur, occidenturque pro deffenſione orationis, & Divini amoris, cuius inſpirator Spiritus Sanctus eſt.

Interrogata â ſuo quodam Directore Epiſcopo, an veniam ſuorum peccatorum â Deo peteret? Repondit: Se tali oratione non indigere. Rogata iterum: an Sanctos invocaret? Repoſuit: Sponſam non decere.

Incarcerata autem ob ſuſpicionem falſi quietiſmi: Adhuc ſub vinculis (ante ſententiam tamen) ſuos habebat deffenſores. Et licèt nolim iudicium facere de hoc ſpiritu, tot ſigna pravi ſpiritus exhibente: Quia tamen proprii muneris eſt, Sanctorum invocationem deffendere: Ideò contra ſupra poſitam illuminatorum propoſitionem, quos deteſtor, ſtatuitur.

56. Noſtra aſſertio. *Etiam Perfecti ad Sanctos orare debent*. Concluſio hæc, præter illos, qui ſupra dictam mulierem deffendebant, quorum, nec numerum, nec qualitatem ſcio, eſt omnium Orthoxorum; ſi de vtilitate orationis loquamur; ſi autem ſermo ſit de ipſius præcepto, illorum eſt, quos dedimus quæſt. præcedenti.

Probatur ergo primò ex Sacra Scriptura, quæ pluribus in locis docet noſtram concluſionem; in primis enim cantic. 5. ver. 8. orat Sponſa ad filias Hieruſalem, vt ſua interpoſitione deſiderata aſſequatur. Ait enim: *Adiuro vos, filiæ Hieruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*. Quod ſe facturas ſpoponderunt dicentes inibi: *Quò abiit dilectus tuus, ò pulchrerrima mulierum, quò declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum*? Vbi Sponſa, quæ perfectiſsima erat, vtpotè *mulierum pulcherrima*, interceſsionem implorat filiarum Hieruſalem, quæ, Iudice D. Thom. ibi, *ſunt animæ fideles, quæ vel adhuc in præſenti peregrinantur, vel etiam Chriſto fruuntur, id eſt filiæ ſupernæ illius civitatis, in qua eſt ſuperna pax, & felicitas Divinæ contemplationis*. Quæ animæ Sanctæ Sponſæ preces non vt ſupefluas reſpuerunt; quin potiùs pollicitæ ſunt eas invocanti ſuffragaturas: *& quæremus eum tecum*.

57. Si dicas: D. Thomam docere, per filias Hieruſalem hoc loco debere intelligi animas *adhuc in hac peregrinatione verſantes*: Ergo ex mente D. Thomæ textus præſens Perfectos ad Sanctos orare non probat.

Malè infers: Ex quo enim Perfectas poſsit orare animas ſibi in exilio, ac perfectione ſocias; planè evincitur, poſſe orare ad Sanctos iam regnantes. Nec aſsignari valet diſcriminis ratio, quæ potiori iure non probet, Sanctorum invocationem Perfectos etiam ligare. Vnde ſi adductus textus probat, perfectum recurrere ad viatores virtuoſos, ipſorum interpoſitionem exoptantem: â fortiori deducitur, eſſe ſub lege recurrendi ad Beatos. Vide, quæ ex D. Hieronymo diximus contra Acatholicos concedentes vivos ad vivos orare poſſe, non autem ad vita functos num. 36. diſp. 4. quæſt. 2.

Adde: Quia ideò aſſeritur, animam perfectam Sanctos invocare non debere, quia ſponſa eſt, intimè ſponſo vnita: ex qua ratione, & aliis, quæ iam videbimus, ſi aliquod inconveniens reſultat in eo, quòd perfectus Sanctos iam regnantes invocet; potiùs reſultabit cõtra invocationem viatorum. Vnde inconſequentia magna procedit, qui concedens perfectum invocare viatorum au-

auxilium, hunc ipsum recursum relatè ad Beatos non admittit.

58. Secundò docetur eadem veritas eodem cant. lib. cap. 8. vbi suæ perfectissimæ Sponsæ ait Sponsus Divinus, *quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuã.* Quibus Christus Dominus suam dilectissimam instruit, monetque tempus opportunum adesse, vt oret, quia præsentes sunt, qui suas orationes delaturi sunt ad ipsum, videlicet *amici*, per quos D. Thom. intelligit omnes Deo fruentes tam homines, quàm Angelos: *quos*, explicat Angelicus Doctor, *tibi amicos fidei per effusionem sanguinis mei, tuosque adiutores, ac protectores contra malignos spiritus instituí*: ergo ad ipsos recurrere debet anima, quantumvis perfecta sit; siquidem adiutores, & protectores eius sunt, ipsiusque voces auscultant, vt illas ad omnium Dominum deferant pro ea interpellantes.

59. Item eodem libro cap. 2. v. 5. ait eadem pulcherrima, ac perfectissima Sponsa: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quibus abs dubio aliquid â se desideratum petit. Et â quo petit? Hoc explanat ibi D. Thoma dicẽs: *Alloquitur animas iam perfectè Divino amori inhærentes, &c. Et est sensus. O Sanctæ Animæ, quæ iam dilectioni Cõditoris vestri inhæretis, fulcite me bonorum vestrorum exemplis, & qualiter in exordio virtutum, vel in profectu, vel in perfectione bonorum operum vixeritis, ostendite, quia amore langueo.*

60. Cap. 2. vers. 15. eiusdem libri ait ipsa perfectissima Sponsa: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Vbi Extaticus N. Parens in suo cant. spirit. cant. 16. ait: *Invocat Angelos, dicens: Capite nobis, &c.*

61. Insuper apud Iob. cap. 33. dicitur: *Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annuntiet hominis æquitatem, miserebitur eius. Et dicit: libera eum, vt non descendat in corruptionem: inveni, in quo ei propitier.* Quod clarissimè ostendit per Angelum deprecantem, Deum iusti hominis misereri: vnde istum, licèt perfectus sit, ad Angelũ recursũ habere cognoscitur. Cognovitq certò idem Iob. cap. 19. v. 21. dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltẽ vos, amici mei.* Vbi per amicos Angelos intelligit, iuxta Augustinum ibi.

62. Denique Sanctissimus erat D. Paulus, & suffragia Sanctorum expostulabat, vt constat ex pluribus locis suarum Epistol. Primò enim ad Roman. 15. ait: *Obsecro vos, fratres, &c. Vt adiuvetis me in orationibus vestris pro me apud Deum.* Vbi ait D. Thom. *petit auxilium orationis eorum.* Similiter ad Colos. cap. 4. v. 2. ait: *Orationi instate, &c. Orantes simul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum Mysterium Christi.* Idem petit 2. ad Thessalon. cap. 3. his verbis: *De cætero, fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat.*

Plurimis aliis scripturis constat nostræ assertionis veritas. Prædictas adduxi nonnullis forsam molestus: feci tamen, quia sententia opposita præcipuè in Scriptura Sacra suffugium se habere iactat. Quàm autem falsò procedat, ex dictis constat: illis enim videmus animas Sanctissimas auxilium petẽtes, non solùm â Cœlicolis; sed etiam ab exulibus. Vnde non est, cur præcepto orationis ad Sanctos non subesse, dicamus.

63. Post Scripturã sequuntur Concilia, quæ sanctissima, ac perfectissima sunt: vtpotè in Spiritu Sancto legitimè congregata. In quibus semper orationes funduntur ad Sanctos invocandos. Et ipsos Sanctos ab omnibus invocandos esse, præcipiunt. Vnde verbo, & opere nostram conclusionem firmant. Ex illis adducimus septimam Synodum Generalem opere, quod assertio docet, exequentem: dicitur enim act. 6. in fine: *Cum timore omnia agamus postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ, item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.*

Sacrosãcta Synodus Trident. sess. 25. præcipit omnibus docẽdi munus habẽtibus, vt de invocatione Sãctorum omnes doceant: *bonum, atq; vtile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetrãda à Deo per Filium eius Iesum Christum*

Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes opem, auxiliumque confugere. Ecce omnes viatores, ſive imperfecti, ſive perfecti ſint, docentur ad Sanctorum *orationes opem, auxiliumque confugere.*

Eamdem doctrinam tradiderat ſeſſione 22. cap. 3. vbi tractans de ſacrificiis, quæ in memoriam, & honorem Sanctorum celebrantur, monet, quòd Eccleſia hoc facit *Deo de illorum victoriis gratias agens*: Sicque *eorum patrocinia implorat, vt ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris*: quibus can. 5. addit: *Si quis dixerit, impoſturam eſſe Miſſas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum interceſſione apud Deum obtinenda, ſicut Eccleſia intendit, anathema ſit.*

Hæc omnia, quæ invocationē Sanctorum rotundè ſuadent, de quo alibi, convincunt etiam omnes, quotquot exules lachrymantur, ad illam teneri: ſiquidem pro omnibus legē ipſam conſtitutam eſſe, vel ipſa verba demonſtrant. Vnde excipere Perfectos, error eſt, iuſtiſsimè proſcriptus, prout vidimus numer. 55. Et hæc eſt alia probatio noſtræ Concluſionis valde vrgens: nempe ipſa illius ibi adductæ propoſitionis damnatio, quæ nil aliud continet, niſi quod ſententia oppoſita ſuſtinet.

64. Accedant iam Sancti Patres, qui omnes in hanc etiam veritatem ſtabiliendam conſpirant. Pauca dicemus, quia plura adducere non eſt opus. Quid autem in hac parte ſentiat D. Thomas, iam vidimus. Extaticus autem N. Parens ſuam mentem nobis revelavit verbis num. 60. relatis. Sanctus quòque Ephræm in ſerm. de laud. Martyr. eorum patrocinium, Sanctiſsimus cùm eſſet, implorat dicens: *Precamur, Beatiſsimi Martyres, &c. vt pro nobis miſeris & peccatoribus, & de negligentiæ ſqualore ſordentibus, Dominum interpellare dignemini, vt ſuperveniat in nos gratia Chriſti.* Doctor Maximus eamdem veritatem firmat in epitafio Paulæ, vbi ait: *Vale, ò Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuva: fides, & opera tua Chriſto te ſociant, præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis.*

65. Adſunt viri Sanctiſsimi, & Perfectiſsimi Sanctorum interpellationem invocantes: & nè diceres, eos oraſſe in communi, vel pro aliis, clariſsimè pro ſe ipſo orat Hieronymus, & in vltima ſenectute conſtitutus, cùm iam longa ætas cumulum perfectionis compararat, clamabat vtique ad Dominum, *vſque ad ſenectam, & ſenium Deus, nè derelinquas me.* Pſalm. 70. verſ. 18. ſed & Paulæ interpoſitionem ambiebat, vt gratiam, quam precabatur, obtineret.

Aſsignatque motivum, quo ducitur, vt Paulæ interpoſitionem exoptet. Eſt enim Paula Chriſto per gloriam coniuncta, ex qua præſentia oritur, quòd facilius impetret, quàm abſentes. Quapropter ad illam confugit, vt ſui voti compos evadat. Quæ ratio generaliſsima æquè, ac vrgens eſt: reorque, quòd ſi illam introſpiceret adverſa opinio, herbam extemplò porrigeret.

66. Deinde probatur noſtra concluſio ratione ſic primò: Sanctitas ſummè Perfectorum nihil obſtat, vt implorent auxilium Beatorum; ergo ſummè Perfecti Beatos invocant. Conſequentia nota eſt; eò enim poſſent â cōmuni regula eximi, quia magna eorum perfectio eos eximeret. Antecedens autem probatur: Eatenus non adeò Perfecti egent Sanctorum patrocinio, quia viatores ſunt, inimicis vndique circumdati, peccata committentes, calamitatibus preſsi, nec de ſua æterna felicitate ſecuri: ſed viventes, quamtumvis perfectiſsimi ſint, ſunt viatores, pluribus hoſtibus circumdantur, ſepties cadunt, terūtur calamitatibus, nullamque certitudinem habent de ſua æterna felicitate: ergo Sanctos invocare debent, vt in tot adverſitatibus illos adiuvent. Conſequentia bona eſt, & præmiſſæ ſunt adeò certæ, vt de earum veritate dubitari non poſsit.

67. Dices: Præmiſſas vtique veras eſſe; ſed conſequentiam negandam: quia licèt verum ſit, quòd anima perfecta ſit in valle lachrymarum, ſicut imperfecta: hæc tamen, quæ Domini

Spon-

Sponſa non eſt, debet invocare conſervos; non autem illa, quæ Sponſa dilectiſsima eſt, intimamque, ac immediatam vnionem cum Sponſo habet. Vnde ratio facta in vanum laborat; ſiquidem non cauſam pro cauſa aſsignat.

Ad hoc pro nunc plenè reſpondere non poſſumus, vſque dum argumenta ſolvamus, quorum robur committit ſententia adverſa huic intimæ,& immediatæ vnioni Sponſæ cum ſuo Sponſo. Pro nunc autem dicimus:Quòd illa intima immediatio non extrahit animam perfectam â ſtatu viæ, nec â preſſuris eam concomitantibus: vnde nec extrahit â recurſu ad Sanctos, quorum ope ab iis preſſuris liberatur. Sicut enim hanc vitam comitantur indivulsè tot ærumnæ, â quibus nec Perfectiſsimi liberantur: ſic etiam in horum auxilium, & levamen,proviſa â Deo miſericorditer eſt invocatio Sãctorum, â qua etiam eximi non debet anima perfectiſsima, dum illis ærumnis ſubeſt. Sicque ſervatur proportio in omnibus. De his autem iterum poſteà dicemus.

68. Probatur ſecundò concluſio hac ratione: Sancti cum Chriſto regnantes invocant alios Sanctos, eorumque auxilium expoſcunt: ergo viatores, quamvis Perfectiſsimi, debẽt Sanctos invocare. Conſequentia innegabilis eſt. Et antecedens eſt expreſsè traditum â D. Greg. Nicen. oratione in Sanctum Theodorum vbi, ait: *Intercede, ac deprecare pro patria apud communem Regem,& Dominum.Timemus afflictiones, expectamus pericula, non longè abſunt Sceleſti Scythæ bellum adversùs nos parturientes. Vt miles, propugna pro nobis: vt Martyr pro conſervis vtere libertate loquendi,&c. Quòd ſi maiori etiam opus fuerit deprecatione, fratrum tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vnà deprecare. Admone Petrum, excita Paulum, Ioannem etiam Theologum, ac diſcipulum dilectum.* Clariſsimè Doctor hic Sanctiſsimus, & ſcientiſsimus loquitur. Non ſolùm invocat S. Theodori opem; ſed etiam ab ipſo petit, vt imploret aliorum Sanctorum pariter regnantium auxilium.

69. Confirmatur: Faciliùs poteſt comprehenſor impetrare, quod petit, quàm viator, etſi Perfectiſsimus ſit: ergo hic illius opem implorat. Patet antecedens ex D. Hieron. num. 64. adducto. Et conſequentia probatur primò: Quia in rebus maximi momenti eſt, vt minus, prudentia recurrere ad illum, qui poteſt conſecutionem facilitare. Secundò probatur: Quia ex quo faciliùs Beatus conſequatur, quod petit, manet recurſus ad illum omnibus illis, qui non ita faciliter conſequuntur. Quis enim aufferre poteſt, quòd Petrus ſummè perfectus, ſciens, quòd interpoſitione alicuius Sancti faciliùs habebit, quod optat,ad ipſum recurrat? Ex quo futilitas præcipui fundamenti ſententiæ oppoſitæ conſtat. Quippe, ſi indecens Sponſæ foret, Sanctos invocare: nedum ad illos invocandos non teneretur: verùm etiam nec pro libito recurrere poſſet: quia quòd Spõſæ dignitatem dedecet, executioni mandari ab ea non poteſt.

70. Ratio tertia pro concluſione probanda ſic procedit. Viator, etiam perfectiſsimus, habet Angelum cuſtodem: ergo illum invocat. Ergo & Sanctos alios. Antecedens certum eſt, doceturque â D. Thom. 1. part. quæſt. 113. artic. 4. conſequentia prima ex antecedenti ſequitur, primò: Quia ſi Angelus cuſtos invocari non poſſet, in vanum cuſtos eſſet: vt quid ergo hæc cuſtodia; ſi homo perfectus Angelum invocare non poteſt? Secundò: Ex quo Angelus ſit cuſtos relatè ad hominem perfectũ,eſt hic Angeli Cuſtodis cliens: ſed cliẽs invocare poteſt suũ Patronum: ergo.Tertiò:Nõ dedecet Spõſam, quòd ab alio cuſtodiatur præter Spoſum, nec quòd eius, â quo cuſtoditur, cliens ſit: ergo nec dedecet, quòd illum invocet. Notum eſt antecedens, quod bene infert conſequentiam.

Quæ omnia mirè elucidat Caietan. tom. 3. opuſc. tract. 12.cap. 4. dicens: *Ad Hæbreos quòque cap. 1. de Sanctis Angelis dicitur, quòd omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, qui in miniſterium mittuntur, propter eos, qui hæreditatem capi-*

tapiunt ſalutis. Ex hoc enim, quòd Deus diſpoſuit nos gubernare per medios Angelos, non propter ſe Deum, ſed propter nos hæredes vitæ æternæ, ordinaſſe intelligitur, vt nos invocemus Sanctos Angelos, tamquàm medios inter nos, & Deum: niſi vſque adeò deſipere liceat, vt dante Principe, ſeu curia Advocatum peregrino, vel Pupillo; negetur ſimul diſponi, vt peregrinus, aut pupillus invocare poſſit patrocinium Advocati dati. Deſipit ergo iuxta doctiſsimi Cardinalis mẽtem, qui concedens Clientem,& Patronum, negat ad Patronum recurrere poſſe Clientem. Videatur toto illo capite Caietan. quia rem præſentem mirè elucidat.

Secunda autem conſequentia, quæ aſſerebat, viatorem in culmine perfectionis poſitum, poſſe Sanctorum patrocinium invocare; ex quo concedatur poſſe invocare Angelos, probatur primò: Quia omnes rationes, quibus ſententia adverſa movetur, vt Sanctorum invocationem â viro perfectiſsimo releget, pariter vrgent in invocatione Angelorum: ſiquidem ſi Sponſam non decet ad ſervos recurrere; omniũ Domino vnita cùm ſit, ad quem eſt converſio eius. Iſtud herclè, aliaque ſimilia, quæ talis opinionis fundamentum eſſe, dicunt, omnem illam vim, quam erga Sanctos haberent,pariter erga Angelos conſervarent.

Probatur ſecundò: Eò ad Angelos poteſt recurrere Sponſa viatrix, quia mediant inter ipſam, & Deum, cuius vniverſaliſsimum influxum attemperant, proportionantque, vt multoties tam in hoc tomo, quàm in præcedenti diximus cum D. Thoma: atqui hoc ipſum invenitur in Sanctis: ergo ad ipſos recurrere poteſt viator, etiamſi perfectiſsimus ſit. Cætera conſtant, præter minorem, quam probatam habes egregia D. Thomæ Auctoritate, quam adduximus num. 42. 43. & 48. Videatur, ſicut & Caietanus præcitatus.

71. Confirmatur ratio facta: Nemo quantumvis perfectus æquat perfectionem totius Eccleſiæ militantis, quæ & includit perfectionẽ cuiuſcumque particularis viatoris, additque perfectionem aliorum omnium viatorum particularium; ac inſuper eſt Sancta, Catholica, indefectibilis, columbaque tota pulchra, & ſine macula: atqui Eccleſia hæc adeò perfecta invocat Angelos, & alios Sanctos, vt patet cùm eorum feſta celebrat,& relatè ad Sanctos, conſtat etiam in Litaniis maioribus, vbi auxilium Sanctorum petit;qua invocatione ſuppoſita, poſt alia pro ſe ipſa determinatè orat Deum, quem propitium media interpoſitione Sanctorum ſupponit, dicitque: *Vt Eccleſiam tuam Sanctam regere, & conſervare digneris, te rogamus audi nos*:ac tandem quia numerus Sanctorum dierum numerum longè ſuperat, diem inſtituit, in quo omnium ſimul Sanctorum patrocinium invocaret, vbi etiam Sanctorum Angelorum meminit: ergo perfectio cuiuſcumque viatoris obeſſe minimè poteſt invocationi Sanctorum.

§. II. *Motiva adverſæ opinionis enervata.*

72. COntra noſtram concluſionem arguitur primò ex illo Euangeliſtæ D. Ioannis ſcribentis cap. 16. v. 23. Chriſtum Dominum Apoſtolis dixiſſe: *In illo die me non rogabitis quicquam: amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Loquitur de die Pentecoſtes, in quo Apoſtoli perfectiſsimam gratiam receperunt, poſt cuius ſuſceptionem, ait Chriſtus, eos non indigere Chriſto Mediatore; atque ideò, potiori iure, nec Sanctis.

Hoc argumentum plus probat,quàm eo vtentes velint. Excludere enim *Advocatum, quem habemus apud Patrem Ieſum-Chriſtum iuſtum*, vt dicitur 1. Ioan. cap. 1. nec conducit ad excludendam Sanctorum interpellationem: Nec Acatholici perverſiſsimi tale quid fecere. Imò Sanctorum invocationem renuunt, quia Chriſto Mediatori iniurioſam eſſe, rentur. Verùm quicquid de hoc ſit, debemus reſpondere huic argumento, quòd certè implexum eſt

prop-

propter gloſſarũ diverſitatem. Omnia, quæ in eo ſolvendo dixerimus, hauriemus cum gaudio de fõte Angelici Præceptoris ſuper Ioannem inibi, qui gloſſas illas refert; vnde quicquid dicam, ex D. Thom. accipio.

Reſpondetur ergo primò: Quòd ly *rogabitis* non ſignificat hìc petere; ſed interrogare. Iuxta quod ſententiæ ſenſus eſt: *In illo die* Pentecoſtes, imbuti vos omni ſcientia per Spiritum Sanctum, qui *ſuggeret vobis omnia; quæcumque dixero vobis; me non rogabitis* (hoc eſt, non interrogabitis) *quicquam.* Secundùm quod argumentum non eſt ad rem: quia in textu allato non agitur de invocatione, ſeu petitione.

Reſpondetur ſecundò: Illum diem, de quo Chriſtus loquitur, non eſſe diem Pentecoſtes, ſed gloriæ. Quæ gloria dupliciter intelligi poteſt, videlicet vel omnino conſummata, & perfecta, qualis erit poſt diem iudicii; vel de gloria, quæ licèt perfecta ſit quoad eſſentialia gloriæ; non tamen quoad accidentalia ipſius: atque adeò modò Sancti aliqua petunt tam ſibi, quàm aliis; nempe ſuorum corporum glorificationem, & adimpletionem numeri electorum, & iuxta hoc gloſſema ſenſus Chriſti eſt: *in illo die* gloriæ non omnino conſummatæ, hoc eſt, ante diem iudicii, *me non rogabitis quicquam* pertinens ad gloriam eſſentialem; licèt deprecemini pro aliquibus accidentaliter ad veſtram beatitudinem expectantibus. Aſt *in illo die* gloriæ omnino perfectæ, hoc eſt, poſt iudicii diẽ, *me non regabitis quicquam* etiam accidentale: quia tunc nihil eſt, quod petere valeatis. Et ſecundùm hanc explicationem corruit argumentum; quia illud facientes, & nos, non loquimur de cõprehenſoribus, ſed de viatoribus. Loquimur de die huius vitæ, in cuius hora vndecima nunc ſumus iuxta magnum Gregorium hom. 19. in Euang.

Reſpondetur tertiò: Diem illum, de quo Chriſtus ſermonem facit, eſſe vtique diem Reſurrectionis, & Pentecoſtes; & ly *rogabitis* eſſe idem, ac *petere.* Senſus tamen eſt: *In illo die* pentecoſtes, ſeu Reſurrectionis, hoc eſt, poſt meam Aſcenſionem *me non rogabitis quicquã* id eſt, non ad me venietis, vt hominem, qualiter hactenus feciſtis orantes, vt pro vobis ad Patrem interpellem: ſed ad me vt Deum accedetis, & vt eiuſdem naturæ cum Patre orabitis. Apoſtolos aſſuetos humanitati Sanctiſsimæ Chriſti voluit Dominus elevare ad perfectam cõtemplationem Divinitatis, ad quod neceſſarium dixit regredi ad Patrem, dicente ipſo ibidem: *Expedit vobis, vt ego vadam, ſi enim non abiero Paraclytus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Vnde ab eo die Apoſtoli non accedebant ad Chriſtum hominem; ſed ad ipſum, vt Deum, petentes, vt deſiderata concedat. Quem morem ſervat Eccleſia, quæ licèt petat in nomine Chriſti, & per ipſum tamquàm Mediatorem: non tamen petit ab eo, vt pro illa ad Patrem deprecetur; ſed vt eius miſereatur: non enim dicimus: *Ora pro nobis*; ſed *miſerere nobis.* Et hoc eſt, quod verbis in argumento poſitis docet nos. Ex quo nihil contra noſtrum aſſertum habetur. Quia & Apoſtoli, & nos in nomine Chriſti petimus, & non ſolũ perfecti, verũm nec imperfecti petunt ab eo, vt oret; ſed vt concedat.

Habes ergo triplicem modum, quo textum dictum intelligas, adductum à D. Thoma. Primus eſt D. Chryſoſtomi, qui etiam eſt Noſtri Extat. Doctoris lib. 2. noctis cap. 20. in fine. Secundus eſt Divi Auguſtini. Tertius eſt iuxta D. Ioannem Chryſoſtomũ Teophil. & alios; & iuxta omnes illos vires argumenti dehiſcunt.

73. Dices: Ibidem ver. 26. ait Redemptor noſter: *Et non dico vobis; quòd ego rogabo Patrem de vobis; ipſe enim Pater amat vos; quia vos me amaſtis.* In quibus verbis duo ponderanda ſunt: primum eſt, quòd Chriſtus dicit, ſe pro Apoſtolis non rogaturum; atque adeò nec ad ipſum, vt Mediatorem adire debemus: conſequenterque nec ad Sanctos. Non ad illum; quia non orat: non ad Sanctos, quia ſi Chriſtus relatè ad Apoſtolos munus Mediatoris non exercet, multò magis hoc debet verificari de Sanctis.

Se-

Secundum, quòd in dictis verbis ponderare licet, est causalis, quam Christus assignat, vt pro Apostolis non oret. *Ait* enim: *ipse Pater amat vos*: ergo qui perfectam charitatem habet, Deum solummodò precatur. Ergo non Sanctos: Vnde Sanctorum invocatio viatores, perfecta charitate præditos, minimè decet.

Hic textus est, quo plures Catholici, & Acatholici patrocinium se adinvenisse, rentur, illi, vt Christum Dominum in Cœlis formali oratione orare negent: hi autem, vt Sanctorum invocationem explodant. De vtroque integram quæstionem habemus, in quarum prima asserimus: nostrum Redemptorem esse, *qui est ad dexterã Dei, qui etiã interpellat pro nobis*, vti dicitur ad Roman. 8. v. 34. *Vnde salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Ad Hebræ. 7. v. 35. quod de oratione formaliter tali intelligendum esse, ibi defendimus. In secunda autem Sanctorum invocationem contra Hetherodoxos propugnamus.

Præsens verò assertio nostra neutiquàm contrariatur verbis illis Christi Domini, quorum sensum laudatus D. Thomas sic ex D. Chrysostomo explanat: *Hoc fortè dicit, nè credant Discipuli, quòd ita sint per Filium impetraturi, quòd ipsi non habeant immediatum accessum ad Patrem, quasi dicat: modò ad me recurritis, vt pro vobis interpellem; sed tunc tãtam fiduciam habebitis apud eum, quòd etiam ipsi à Patre petere poteritis in nomine meo, non indigentes alio introducente. Sed nunquid Apostoli non indiguerunt Christo homine ad interpellandum? Aliàs cùm ipse interpellet, superflua erit eius interpellatio. Sed dicendum, quòd non interpellat pro eis tamquàm pro absentibus, & accessum habere non valentibus: sed faciens preces eorum exaudibiliores.* Aliter D. Augustinus textum explicat, vt videre est in D. Thoma.

Qui Angelicus Doctor hunc textum ita mihi aperire videtur, vt clarissimè contra nos non esse, dignoscatur. Ait enim: *Tacet autem se rogaturum Patrem pro eis: Vnde dicit: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem.* Ecce brevissimam & quantùm capio, propriſsimam explanationem. Aliud est enim dicere: *non dico vobis, quia ego rogabo.* Et aliud esserere: *dico vobis, quia ego non rogabo.* Quia hoc secundum orationem negat, quam illud primum non excludit. Vnde Christus dicens se non dicere pro Apostolis ad Patrẽ oraturũ, suã mediationẽ nõ negat; sed *tacet*, seu dissimulat sermonem de ea facere. Ex quo nil contra nos sequitur.

74. Arguitur secundò: Sponsa nihil petit â Sponso mediis domesticis, & ministris, cùm ipsa sit eis omnibus superior: ergo cùm Sancti sint ministri, & domestici Dei, non debet Sponsa illos invocare.

75. Confirmatur primò: Quia Sponsa est in cubiculo cum suo Divino Spõso: sed ibi nullus domesticorum admittitur: ergo ibi sine eorum interpositione ad ipsum orat. Cætera constant, & maior patet ex illo cant. 1. v. 11. vbi ait Sponsa: *Cùm esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

76. Confirmatur secundò: Inter Spõsam, & Spõsum est intima, & mutua correspõdentia, cui obest quæcumque mediatio: ergo. Probatur antecedens pluribus cantic. textibus: cap. 2. v. 10. ait Sponsa: *En dilectus meus loquitur mihi.* Et cap. 7. v. 10. ait: *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius.* Insuper cap. 2. dicto v. 11. ait: *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.* Vbi ipsa Sponsa per se ipsam sine alterius interpositione Spõsum alloquitur, egressumq̃ in agrum deprecatur. Plura omitto, sed non illa, quæ cap. 8. v. 5. afferuntur: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Vbi soli dilecto suo inniti Sponsa dicitur: & si Sãctos invocaret, media eorum interpositione ascẽderet; illique inniteretur.

In his, similibusque cãtic. dictis præcipuè fundatur opinio adversa. Respondetur ergo argumento: Illud, cæteraque omnia, quibus vtuntur contrarii, fundari supra falsam imaginationem: videlicet, quòd anima, de qua loquimur,

mur, est Sponsa, & Sancti, quos invocare dicimus, sunt servi, ac ministri, atque adeò indecens Spōsæ est, servorum patrocinium invocare; cùm ipsa Regina sit.

77. Quæ si ita essent, sicque intelligi deberent, absdubio & nos idem omnino diceremus. Verùm aliter hæc capienda sunt: Anima siquidem, de qua hìc sermo nobis est, Sponsa est; sed pariter est Dei ancilla, cùm vel ipsa, quæ nec similem habuit, nec habebit sequentem, dum ad thronum sublimissimum efferretur, se Domini ancillam fassa esset, dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. cap. 1. vers. 38. Sancti sunt vtique servi; sed etiam quævis anima Deum videns est perfectissima Cœlestis Sponsi sponsa. Vnde si Beati assumuntur, seu considerantur vt ministri, consideretur Sponsa viatrix, pariter vt ancilla: etsi hæc vt Sponsa concipitur: hæc ipsa dignitas in illis consideretur. Sicque inveniemus, quòd inter servos viatores, & comprehensores est discrimen status viæ, & gloriæ, quod discrimen præstat sufficientissimum fundamentum, vt servi viatores, ad servos comprehensores confugiant. Similiterque Sponsa Deo fruens est in statu perfectiori, quàm sponsa viatrix; atque adeò hæc illam invocat sine suæ perfectionis, ac dignitatis, dedecore.

Quarè ad argumentum respondetur: Sponsam viatricem Sanctos invocantem, ad illos recurrere, qui intra sublimissimam sponsarum classem occupant primam sedem: vnde indecens non est, quòd sponsa exul sponsæ, Sponso fruentis, patrocinium exquirat.

Ad primam confirmationem dicas: Spōsam viatricem esse intra cubiculum fidei: sponsam verò Deo fruentem esse intra cubiculum gloriæ, & hoc discrimen est sufficiens, vt dictum est, ad salvandum, quòd Sponsa, quæ detinetur intra cubiculum fidei, sine ipsius dedecore invocet protectionem spōsæ fruentis intra cubiculum gloriæ.

Ad secundam confirmationem respondetur, quòd intimitas, & immediatio sponsæ cum suo dilectissimo Sponso non auffertur per interpositionem animarum earum, quæ etiam sponsæ sunt: Si namque illæ animæ, quæ Sponsæ non sunt, mediarent, tunc casus intimitas, immediatioque, perirent.

Adde ex dictis num. 45. recursum Sponsæ viatricis ad Sanctos non esse ob aliud specialius motivum diversum ab eo, quod habent, qui Perfecti non sunt, vt Sanctos invocent. Vnde sicut de his num. assignato diximus, non teneri in sua omni deprecatione Sanctos interponere: sic de sponsa potiori titulo dicimus: cum hoc tamē compatitur, quòd ipsam spōsam non dedeceat, præsidium Sanctorum quærere.

Quarè verificatur illud: *En dilectus meus loquitur mihi.* Et illud: *Dilectus meus mihi, & ad me conversio eius.* Verificabitur etiam illud: *Veni, dilecte mi,* dictum â Sponsa immediatè cum suo Sponso loquente. Tum, quia alterius spōsæ interpositio immediationem non tollit, vt dictum est in prima solutione: tum etiam, quia non semper tenetur alterius sponsæ auxilium quærere.

78. Nec hoc est speciale aliquod privilegium spōsæ etiam Reginæ; etiam concubinæ, etiam adolescentulæ hōc faciunt, vt vidimus dicto numero. Et sanè cùm aliquis etiam peccator orationem dominicam dicit, cum Deo alloquitur sine omni prorsus mediatione: potest enim Sanctos invocare, vt quæ in illa oratione â Deo petit, obtineat: & potest sine illa invocatione procedere. Hoc ipsum est, quod de Sponsa asserimus. Quæ licèt possit Sponso suo sine interpellanti loqui; non tamen indecens suæ dignitati est, interpellatore vti. Maximè pro iis occasionibus, in quibus ad meritum sponsæ subtrahitur Sponsus, ac veluti absens, vel offensus dilectissimam suam, propriæ absentiæ coro vastatore, quatit. Quo, & de Spōsæ dilectione, experimentum sumit, & eius meritum auget, & illam ea afflictione ad Sanctos invocandos invitat.

Hoc sic evenire quotidiana experientia notum est, & etiam Sacro oraculo. In ipso cant. lib. cap. 5. v. 6. & 7. ait ipsa Sponsa: *Pessulum ostii mei aperui di-*

lecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, vt loquutus est, quæsivi, & non inveni illum, vocavi, & non respondit mihi. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium mihi custodes murorum.

79. Vidimus Sponsum absentem, Sponsamque ob Sponsi absentiam languentem, spoliatam, percussam. Quid tunc perfectissima hæc anima fecit? Nil aliud, nisi ad aliarum Sponsarum patrocinium confugere. Sic enim ipsa versu immediatè sequenti ait: *Adiuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Vides nè Sponsam perfectissimam patrocinium inquirentem, vt Sponsum suum dilectissimum inveniat?

80. Quod nè â nostra memoria laberetur, alia simili occasione se ipsamet fecisse testatur cap. 3. v. 1. 2. & 3. dicens: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?*

En Sponsum absentem, & illum Sponsam inquirentem, Sanctorumque, qui custodiunt civitatem, protectionem implorantem. Fructum autem huius invocationis ipsa Sponsa immediatè explicat. *Paululum cùm per transissem eos, inveni, quem diligit anima mea.* Non potuit Sanctorum cum Christo regnantium interpositio expressiùs explicari; nec fructus ipsius potuit citiùs obtineri.

81. Textus vltimus in hac secunda confirmatione adductus Protestantium sequaces ostendit, eo vtentes ad finem in illa expressum. Vt enim constat ex suprà dictis, Protestantes asserunt, Christo iniurium esse, qui alium præter ipsum, Mediatorē quærit. Respondetur ergo: Sponsam inniti principaliter in suo dilecto Sponso; ministerialiter tamen, seu instrumentaliter niti Sanctis cum Christo regnantibus, vt suprà fusè dictum est.

82. Arguitur 3. Ex N. Doctore Extatico, qui in suo cantico ait de Sponsa cant. 35. sic:

En soledad vivia,
Y en soledad ha puesto ya su nido,
Y en soledad la guia
A solas su querido
Tãbien en soledad de amor herido.

In cuius generali declaratione ait Sanctus Doctor: quia anima perfecta eligit segregari ab omni re creata propter amorem Sponsi sui, ob hoc Sponsus eius illam ardentissimè amat, curam de illa habens, in sinu suo habitare concedens, in se ipso bona omnia conferens, spiritumque eius ducens ad intima arcana Dei. Nec solummodò spiritum ducit; sed ducit ipse solus sine aliis mediis, nec Angelorum, nec hominum. Hactenus sublimis hic Doctor.

Continentque verba data sententiæ oppositæ fundamentum. In iis enim asseritur, Sponsum sua intima colloquia cum Sponsa habere sine eo, quòd mediet aliquis vel Angelus, vel homo: ergo si horum nullus mediat, eorum neminem Sponsa invocat.

Quæ expressiùs tradit Mysta hic expertissimus in explicatione vers. 4. vbi ait: Hæc est proprietas vnionis animæ cum Deo in matrimonio spirituali; videlicet, quòd Deus operetur in anima, & se illi communicet per se solum, & non iam mediis Angelis. Et concludit illum §. dicens: Iam res nulla animæ prodest, nec deservit, vt vltra progrediatur, nisi ipse Sponsus, qui eò quòd illam in deliciis habet, vult per se solum eam dictis favoribus decorare.

Respondetur mentem S. Doctoris aliò tendere, & non illud, quod argumentum intendit. Etenim anima, quæ Deo vnita est in matrimonio, non quærit inter creaturas Creatorem: nemo enim quærit, quod habet. Priùs, antequàm vnio hæc felicissima celebrata esset, Sponsum inter creaturas investigabat. Vnione autem hac celebrata, non est, quid inquirat: cùm iam centrum desiderii sui possideat. Habet tamen

quid

quid exoptet, nempe dissolvi, & esse cum Christo. Exoptat in amicitia sui Sponsi perseverare. Exoptat illum; cùm absens est, invenire. Hæc omnia, aliaque his similia desiderat, & hæc ipsa, quæ desiderat, petit â suo Sponso, multoties Sanctorum invocationem interponens. Quod non pugnat cum sui status perfectione, vt patet in ipsis Beatis, aliorum sui in sua felicitate sociorum opem invocantibus; vti num. 68. docuit D. Gregorius Nis.

83. Hancque esse mentem nostri Theodidacti Doctoris constat ex eius lectione. Ait enim: sic se Sponsum cum anima gerere; quia hæc omnibus rebus creatis valedixit propter sui dilecti amorem. Et sanè Sanctorum invocationi valedicere, & oppositam perfectioni reputare, non est virtus, quam Sanctus Sanctorum remuneret tot favoribus. Vnde S. N. Parens in eo sensu, quem dedimus, loquitur.

Quod evidenter patet, cùm dicit, Deum solum animæ perfectæ Ducem esse sine aliis mediis, nec Angelorum, nec hominum. Explicat enim se Sanctus ipse addens: nec formarum, nec figurarum; hocque ideò esse asseruit: quia anima media hac solitudine â se efecta, fruitur iam vera spiritus libertate, nec ligatur alicui ex his mediis. Vides nè, Sanctum Doctorem loquentem hìc de Angelis, & hominibus, sicut de formis, & figuris deservientibus ad ascendendum in Deum? Vnico verbo: loquitur de Angelis, & hominibus, vt mediis, non vt Mediatoribus.

84. Quæ vltimo loco in argumento adducuntur, similiter sumi debent. Sicut enim illis verbis non excludit sublimis hic Theologus Directorem humanum, vti vidimus cùm tomo præced. 2. part. disp. 2. de Mystico Direct. egeremus; sic nec Sanctorum invocationem excludit. Vnde sensus est: quòd iam anima illa non quærit â creaturis Sponsi sui notitiam; sed illam â Deo Sponso suo habet, qui hoc favore eam indulgentissimè ditat. Hoc autem cum nostra assertione non pugnat.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm ad Sanctissimum Patriarcham nostrum D. Eliam possimus orare?

QVm de iis, ad quos fundere preces valemus, vt nobis opem ferant, sermo est, piaculũ fore ducimus; si de magno Parente Elia non ageremus. Quarè postquàm de Sanctis iam regnantibus egimus, pro filiali obsequio in hũc Sãctissimum Patriarcham præsens dubium excitamus.

§. I. *Eligitur vera sententia.*

85. NOstra conclusio: *Sanctissimus Patriarcha Elias potest orari.* Hanc conclusionem defendunt Plures, iique gravissimi Theologi tum domestici; tum extranei: quapropter nullum in particulari referimus. Videatur noster Fr. Philippus â Sãctissima Trinit. in 2. 2. q. 188. disp. 8. dub. 5.

Probatur primò auctoritate S. Scripturæ dicentis 2. Parilip. cap. 21. v. 12. Eliam scripsisse, misisseque litteras ad Ioram Regem Iuda, in quibus certissimus Propheta Domini de iis, quæ apud Dei populum fiebant, de scandalis Regis, de Regni prostitutione, de Iustorũ clamore, de iniustorum vitiis; Regi, & cuius ferali vulva tot mõstra serpebant; minatur ruinã domus, & vitæ particulariſsimis circũstãtiis. Ait enim Prophe-ta zelantissimus: *Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum Populo tuo, & filiis, & vxoribus, vniversaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.*

86. In hisce verbis cõtinetur nostræ conclusionis clarissimũ fundamentum. In primis enim habemus, Parẽtem Eliam cognoscere res, quæ apud nos

feruntur, notitia valde particulari; aliter ad circunſtantias adeò individuas non deſcenderet. Vnde ruunt adverſæ hæſitationes: prima dicentium, Eliam nunc non poſſe cognoſcere, quid in Mundo agatur: ecce enim conſtat, ſciviſſe, Ioram Regem Iuda eſſe, & viam Ioſaphat Patris ſui deſeruiſſe, in fornicationibus domus Achab ambulaſſe, fratres ſuos occidiſſe, aliaque ſimilia patraſſe, vt textum legens deprehendet, quibus pœnas ibi relatas meruiſſe. Qua verò ianua hæc paradiſum ingrediantur, iam videbimus.

87. Secundò habetur ex dicta auctoritate: Eliam vti notitiis, quas habet, in Dei obſequium, cuius honorem adhuc zelat in commune mortalium patrocinium. Sic communiter Doctores, quos inter graviſsimus Cornel. ſic inibi ait de Noſtro Sanctiſsimo Patriarcha: *Scripſit de paradiſo, vt magis percelleret impium Ioram, & converteret: vtque oſtenderet quantum ipſe, & Sancti etiam poſt hanc vitam hominum fidelium præſertim habeant curam.* Et in Eccleſiaſt. cap. 48. v. 6. repetens datam hiſtoriam ait: *Ex dictis videas, Eliam eſtò paradiſi colonum; tamen priſtinum pro Deo zelum gerere, ac res mortalium curare; deque ſuæ gentis ſalute eſſe ſolicitum.*

88. Ex quibus omnibus clariſsimè conſtat, Scripturam Sacram nobis proponere Sanctiſsimum noſtrum Patriarcham idoneum, vt ad ipſum oremus; ſiquidem dicto loco illum proponit res noſtras ſcientem, ac de noſtra ſalute ſolicitum; ita vt Cœlicolis eum in hac parte aſsimilet laudatus Cornl.

89. Nec dicas: Hunc eſſe caſum particularem; atque adeò ex illo deduci nō debet doctrina generalis. ¶ Nam contra eſt primò: Quòd licèt caſus ſit ſpecialis; proponit tamen nobis magnum Eliam, vt vniverſaliter noſtram ſalutem intendentem: ergo etiam illum nobis proponit, vt vniverſaliter noſtra ſuſpiria auſcultantem.

Contra ſecundò: Nam licèt ſit particularis caſus illius divitis damnati ad Abraham orantis, & guttulam aquæ petentis, quem nobis refert Scriptura; docemur tamen ex illo, vt, damnatos orare oratione tamen virtutis ratione carente, dicamus: ergo ſimiliter. ¶ Contra denique: Nam nos non hoc ſolummodò loco Sacræ Scripturæ probamus Eliam invocari poſſe, vt videbimus numero 93. ergo ſemper firmum eſt noſtram concluſionem in Sacra Scriptura fundari.

90. Verùm alia via dicta evertere conaberis, dicens cum Caietano, Eliam, qui ad Ioram ſcripſit, non eſſe noſtrum Eliam. Verba Caietani hæc ſunt ad dictum locum ex 2. Paralip. *Alterum eſſe hunc Eliam ab illo Magno Elia, manifeſtum ſit ex eo, quòd tempore Ioſaphat Patris iſtius Ioram Eliſæus ſtorebat, Elia iam rapto in Cœlum.* In quibus duo facit Caietanus: primò negat Eliam illum ſcribentem eſſe noſtrum Thesbitem. Secundò ſuæ opinionis exprimit fundamentum: ſcilicet, quòd tunc temporis Noſter Patriarcha inter mortales non erat, iam Paradiſi Colonus.

91. Sed contra: Si, quia inter nos non morabatur magnus Elias, dum illæ litteræ allatæ ſūt, ſequitur ab ipſo ſcriptas non eſſe; pariter Moyſes, & Elias, qui Domino trāſfigurato aſtiterūt, non eſſent Moyſes ille populi Legiſlator, nec noſter magnus Elias; ſiquidem tunc temporis iam Moyſes erat mortuus, & Elias noſter in Paradiſum tranſlatus; ſimiliter, & ob eandem rationem Elias ille, quem ſuſpicati ſunt crucifigentes Dominum, venturum, vt ipſum Dominum liberaret, dicentes: *Eliam vocat: & ſine videamus, an veniat Elias liberans eum*, non eſſet noſter magnus Elias; ſed alius: atqui hæc ſunt cōtra Caietanum: ergo & aſſerere, non fuiſſe noſtrum Eliam eum, qui litteras eas miſit. Conſequentia bona eſt, & minor patet: Quia Caietanus tenet cum aliis omnibus Doctoribus, Moyſen illum in Thabore viſum, populi Iſraelitici Ducem fuiſſe; & ſimiliter Eliam, Moyſis ſocium, fuiſſe magnum noſtrum Eliam, vt videre eſt apud Matth. 27. Inſuper: Ipſe Caietanus cum omnibus aliis aſſerit ad cap. 27. D. Matth. Eliam illum,

ad

ad quem rati sunt carnifices, Christum in Cruce orasse, fuisse Thesbitem nostrum: ergo tenet minor. Iam verò probatur maior: Quia sicut tempore Ioram fuerat Elias noster tansiatus, sic etiam translatus fuerat, cùm Dominus transfiguratus, & crucifixus est; & Moyses similiter erat vita functus: ergo si, quia tempore Ioram fuerat translatus, non posset de illo intelligi textus ille; pariter in aliis casibus.

92. Confirmatur: Eodem modo loquitur Scriptura de Elia in tribus illis occasionibus; imò in prima addit ad nomen Eliæ munus Prophetæ dicens: *Allatæ sunt autem ei litteræ ab Elia Propheta*, quod est munus ante omnia in nostro Elia ab ipsa Scriptura celebratum, vt patet per Ecclesiast. dicentem: *Surrexit Elias Propheta quasi ignis.* Quod non facit in aliis duabus occasionibus; sed licèt in his duabus solum ponat nomen Eliæ, fatetur Caiet. Scripturam loqui ibi de magno Elia: ergo potiori iure in illa prima occasione; atque ex his patet N. Eliam esse, de quo loquitur liber Paralip. cap. cit.

93. Probatur deinde conclusio nostra ex ipsa Sacra Scriptura: Quia cùm post raptũ Eliæ Elisæus vellet Iordanis aquas scindere; nè ei transeunti obessent, illas pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit; sed in casum: quod videns Propheta, ad Numen superius recurrens, eius auxilium imploravit dicens: *Vbi est Deus Eliæ, etiam nunc?* Hæbraicè habetur, quæ etiam est lectio 70: *Vbi est Deus Eliæ, etiam ipse.* Quod sic Eminentissimus Caietanus explanat: *Quia non fuerant aquæ Iordanis diuisæ à pallio Eliæ: ad merita Eliæ invocãda apud Deum confugit.* Nec Elisæus in vanum Eliæ patrocinium imploravit; siquidem obtinuit, eo invocato, fluminis divisionem, quam priùs obtinere non potuit. Quo facto clarissimè comprobatur, Eliam invocari posse; & de facto invocatum fuisse ab Elisæo cum magno, & celeri fructu, & obiter nota: quòd licèt Caietanus suprà nobis opponeretur; non tamen negat, Eliam orari posse, vt clarè ex allata auctoritate cognoscitur.

§. II. *Ecclesiæ auctoritate probatur rursus conclusio.*

94. IVstissimè iuxta Sacrã Scripturam Ecclesiæ auctoritas ponitur, ex qua probatur conclusio: Quia Ecclesia omnibus Carmelitis concedit proprium solemne officium de Sanctissimo nostro Patriarcha quotanis die 20 Iulii celebrandum. Et cùm festa Sanctorum celebremus, vt eorum intercessionibus communiamur, vt ex Augustino constat. Sanè Ecclesia concedens magnum Eliam celebrare: statuit, quòd possumus ad ipsum recurrere, vt in nostris necessitatibus sublevemur.

Et certè Ecclesiæ statutum nedum possibilitatem invocationis; verùm factum ipsum adstruit: siquidem ad hoc dirigitur officium concessum, cuius oratio hæc est: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, vt qui Beatum Eliam Prophetam tuum igneo curru mirabiliter elevatum esse credimus, eodem interveniente ad Cælestia sublevemur, Sanctorum tuorum consortio gaudeamus.* Simili claritate in hymnis loquitur. Faceſſat ergo eorũ hæsitatio, qui spernendis obicibus assurgentes Eliam orandum negant; si namque eorum dictamen valeret, hoc Ecclesia minimè pateretur. Vel dicant, cuius ê Cœlitibus auxilium clariùs publica, privatavè auctoritate implorat ur?

92. Idem, quod in toto Ordine Carmelitarum, fit Vngariæ in Ecclesia Agriẽsi, vt legitur in Breuiario impresso anno 1514. vbi antiphona ad Benedictus pro Sanctissimo Elia hæc est: *Cælestis lætitiæ fac nos, quæsumus, participes tuis Sanctis precibus, &c.* Et ad Magnificat: *Vatum summe :: nos ad summa trahe post te superna gratia.* Et oratio continet, quæ sequuntur: *Deus, qui Beatum Eliam Prophetam variis virtutibus decoratum :::: tribue fidelibus tuis ipsius meritis adiuvari, & patrociniis communiri.*

93. Græcorum menologium hanc solicitudinem protegendi in Magno

Elia

Elia ſuppõnit, & omnibus eum invocantibus præſtò adeſſe, fatetur hymno ſequenti.

Propheta Chriſti præco,
Tu nũquã â ſede Maieſtatis abiũgeris,
Et ſingulis ægrotãtibus præsẽs ades,
In Eccleſiis ſũdẽs pro õnibus preces,
Orbi terrarum beneficia tribuis,
Et laudibus vbique celebraris.

Quæ abs dubio precipua ſunt pro ſtabilienda noſtra concluſione, eòque ipſorum Græcorum Eccleſia magnum Eliam colit, diem illi ſacrans, in quo ab operibus ſervilibus omnes abſtinent.

97. Hunc morem invocandi M. Eliam viguiſſe ab antiquiſsimis temporibus conſtat ex teſtimoniis fide dignis. Videatur Genebr. lib. 1. Cronog. in Ior. Reg. Iſr. qui ex antiquiſsimis aliis auctoribus refert, erectum, conſecratumque fuiſſe Templum in honorem Sanctiſsimi noſtri Patriarchæ in monte Carmelo ab eius diſcipulis, ipſum mõtem incolentibus; quod factum, ait, ſtatim poſt raptum ipſius. Similiter S. Helena Imperatrix inter alia ſuæ pietatis, & munificentiæ opera, quæ in Paleſtina fecit, duo Templa in honorem magni Eliæ conſtruxit; vnum in dicto monte Carmelo, de quo Niceph. lib. 8. cap. 30. aliud in mõte Thabor, vbi in maieſtate coram Domino viſus eſt, vt refert Adricom. in tribu Zabulon. His addere poſſem ferè innumera alia Templa iam â pricis ſæculis in honorem huius mirabilis Viri conſecrata, & alia ſuæ protectionis monumenta, quæ ſciens, prudenſque prætereo; quia dicta datam reſolutionem affatim fundant.

98. Non tamen omittam reflexionem non invenuſtam ſupra id, quod num. 91. dictum eſt. Rati ſunt, qui Numen ê patibulo pendens blaſphemabant, ipſum Thesbitem magnum invocaſſe, ad ipſiuſque patrocinium in anguſtiis impetrando recurriſſe; dum dixit querula voce: *Eli, eli lamma ſabathani*? Hi, qui iudicarunt Eliam invocatum fuere; ait ibi D. Thom. milites Romani, qui cùm audiſſent â Iudæis maximum Thesbitẽ invocãtibus præſto adeſſe, vtpotè virtute potentem, & ſuæ gentis piiſsimum Protectorem, ob quod illum cordicitus venerantur: propterea milites illi exteri; eòque illius gentis linguam ignorantes, *Eli, Eli* audientes, Eliam invocatum putavere. Et curioſi volentes experiri, an ea, quæ de Eliano auxilio â Iudæis inaudierant, vera forent, commilitoni, offerenti ſpongiam aceto plenam, vt Dominus patiens citiùs moreretur, dixere: *Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum.* Sic verba intelligit Theophilactus in Matth. dicens: *Acetum Chriſto in potum dabant, vt moreretur, priùs quàm veniret Elias*: (vide quàm alta de Eliæ invocatione conceperant) *vnde alii dicunt; ſine, videamus, an veniat Elias: hoc eſt: ſine eum, non facias mori, vt ſciamus, an iuvetur ab Elia.*

Pulchrè cõſonat D. Marcus cap. 15. dũ hoc ipſum referens ait: *Sinite, videamus, ſi veniat Elias ad deponendum eum. Sinite*, ait Marcus, & *ſine* in ſingulari Matthæus, non eſt inter vtrumque diſſentio; ſed magna veritatis aſſertæ confirmatio. Quippe militi acetum propinanti dixere alii: *ſine &c.* hoc eſt, vt ex Theophilact. vidimus, ſiſte paululùm, nec mortem acceleres, vt videamus, ſi vera ſunt, quæ de iſto, interpellato â Iudæis inaudivimus. Ad hos ergo ſic loquentes reſpondet miles ille, *ſinite, &c.* hoc eſt, ait Franciſcus Lucas, nè me inceptum deſinere iubeatis, quia ſi vultis videre, ſi vera ſunt, quæ audiſtis, nullo aptiori modo nanciſcemini: nam ſi Elias invocatus adeſt, vt audivimus; quo magis periculum vrgeat, citiùs veniet: rumpet enim moras, ſi, in mora periculum adeſſe, contempletur: Vnde hoc eodem aceto, & Eliam invocanti mortem velotiorem paro, & ipſi invocato Eliæ efficax calcar adhibeo: ſicque quantotiùs experiemur, an dicere poſsimus: ſicut â Iudæis de Eliæ protectione in civitate audivimus, ſic in hoc monte videmus.

Quomodocumque autem intelligas; quæ adduximus, Eliæ patrocinium vividè commendant: Vnde deducitur, invocari poſſe Sãctiſsimum Patriarcham, ac de facto â valde multis invocari.

§. III. *Aliter vera resolutio probatur.*

99. VT autem conclusionem nostram ex D. Thoma probemus, duximus præmittenda, quæ idem Angel. Doctor docet loco sæpius citato ex 4. sent. vbi quæstiunc. 2. negans Animas Purgatorii invocari posse, ait ad 2. argumentum: *Quòd quamvis illi, qui sunt in Purgatorio, sint in maiori securitate, quàm nos; tamen sunt in maiori afflictione, & iterum non sunt in statu merendi; & ideò magis indigent, vt pro eis oretur, quàm quòd ipsi orent.* Similiter secunda secundæ q. 83. art. 11. ad 3. ait: *Quòd illi, qui sunt in Purgatorio, etsi sint superiores nobis propter impeccabilitatem; sunt tamen inferiores quantum ad pœnas, quas patiuntur; & secundùm hoc non sunt in statu orandi; sed magis, vt pro eis oretur.* Quæ omnia, licèt suprà allata sint, modò refricare vobis; vt ex iis observes plura: *Primum*: Quòd in Purgatorio existentes sunt nobis superiores; quia habent gratiam inamissibiliter. *Secundum*: Quòd sunt nobis inferiores; quia sunt in summa afflictione. *Tertium*: Quòd non merentur. *Quartum*: Quòd ad eos non oramus; quin potiùs oramus pro eis: quia indoctrina D. Thomæ, vt ex suprà dictis patet, non est eiusdem orare, & orari; hoc est, quòd aliquis oret alium, cuius orationibus eget, & quòd simul ab ipso oretur: vnde ille, pro quo oratur, non orat. Ex his ergo probatur sic nostra conclusio.

100. Si existentes in Purgatorio vnirent cum inamissibilitate gratiæ, quòd non affligerentur, vt rei, vtique invocari possent: sed magnus Elias vnit cum inamissibilitate gratiæ Paradisi delicias, vbi non vt reus punitur; sed vt amicus deliciatur: ergo orari potest. Consequentia bona est, nec de minore potest aliquis dubitare. Maior verò est D. Thomæ locis modò adductis. Et insuper suadetur: Si existentes in Purgatorio essent nobis non solùm quoad impeccabilitatem; sed etiã quoad alia, superiores, possent â nobis orari; siquidem tunc casus nostris orationibus non indigerent: sed si vnirent cum in amissibilitate gratiæ, quòd non affligerentur vt rei, essent nobis quoad omnia superiores: ergo illos orare possemus.

101. Confirmatur: Eò ad existentes in Purgatorio non oramus, quia oramus pro eis; & non est prudentia petere ab indigente: atqui pro magno Elia non oramus: ergo ad ipsum orare valemus. Maior est D. Thomæ præcitati. Minor verò inde patet, quia magnus Elias est nobis in omnibus superior. Primò: Quia est in deliciarum Paradiso, liber ab huius sæculi miseriis. Secundò: Quia est confirmatus in gratia, eiusque conversatio est cum Cœlitibus. Deinde consequẽtia nota videtur: Nõ enim datur status medius inter orare, & orari in regia gratiæ: quia si subiectum indiget orationibus ab ipsi subveniente non oratur: Si verò aliorum orationibus ob sui status superioritatem non indiget, pro aliis orat; maximè si ab ipsis oretur; nè in vanum Dei gratiam recepisse, convincatur.

102. Iterum probatur conclusio alio discursu, quo precedens firmatur: Sancti, qui in Limbo fuere, poterant orari: ergo potiori iure potest orari magnus Elias, qui est in deliciarum Paradiso. Patet consequentia argumento â minori ad maius, quo vtitur Div. Thom. cit. art. 11. vt probet, Sanctos in patria existentes orare; quia videlicet Sancti, qui in Limbo erant, pro suis orabant. Antecedens verò probatur primò: Quia docetur ab illo, qui nobis contrariatur. Probatur secundò: Quia etiam docetur apud Iob, cap. 5. vbi dicitur: *Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum converteris.* Vbi sermonem esse de Sanctis in Limbo existentibus, exinde constat, quòd tunc temporis nemo Sanctorum Curiam Cœlestem inhabitabat; quia adhuc ianuæ eius clausæ erant: eòque de existentibus in Limbo intelligitur frequenter; vel ab Adversario, locus iste; vnde Raphael de la Thorre ad cit. art. 11. D. Thomæ disp. 5. num. 9. ait; ibi fieri petitionem *ab existentibus in Limbo, qui cognita petitione Iobi per ministe-*

rium

rium Angelorum posſent eum iuvare orationibus. Non poſſet hic auctor, nec alius Thomiſta poſſet, ſic Iobum non intelligere; cùm in hoc ſenſu explicetur â D. Thoma ibi hiſce verbis: *Ad aliquem Sãctorum convertere*: nunc Doctor Angel. vt *eo mediante huius rei veritatem à Deo cognoſcere poſsis*, vbi expreſſiſsimè loquitur de invocatione patrocinii eorum, qui in Limbo morabantur; quia, vt dictum eſt, adhuc Sancti non erant in Cœlo: ergo verum eſt antec. Vt hanc rationem penitùs calleas, & ab obiectionibus vindices, memento eorum, quæ diximus diſp. 4. q. 3. præcipuè toto §. 2.

103. Denique probatur concluſio aliis rationibus, quas indigitare ſufficiat; earum enim fundamenta iacta in antecedentibus ſunt. Earum prima eſt: Sanctus, quem Eccleſia invocandum proponit, invocari poteſt: Parentem Eliam proponit nobis Eccleſia invocandum, vt conſtat ex dictis toto §. 2. ergo invocari poteſt.

104. Secunda ratio eſt: Ille, qui de facto tam oratione publica, quàm privata oratur, orari poteſt; proceditur enim de actu ad potentiam: Parens Elias de facto oratur oratione publica, & privata: ergo orari poteſt. Minor patet tum ex dictis cit. §. 2. Tum ex noſtro Philippo â Sanctiſsima Trinitate, & ex propugnaculo Eliæ lib. 3. tit. 2. cap. 2. art. 3. vbi plura ſunt, quæ illius minoris veritatem oſtendunt.

105. Tertia ratio eſt: Sãctus ſciens noſtras calamitates, eaſque volens, & potens ſublevare, poteſt orari: magnus Elias ſcit noſtras calamitates, vt patet ex num. 93. & ex toto §. 1. & inſuper vult, poteſtque nobis ſubvenire, vt Adverſarius non negat, & inſuper conſtat ex locis modò cit. Ergo poteſt orari.

§. IV. *Argumenta.*

106. COntra noſtram concluſionem opinatur Magiſter Raphael de la Torre 2. 2. quæſt. 83. art. 4. diſp. 5. in fine, pro quo arguitur primò auctorit. D. Thomæ dicentis art. cit. ex ſent. quæſtiunc. 2. *Nihil petitur ab aliquo, qui non habet: vnde cùm beata vita ſit, quæ in orando petitur, ad illos ſolos dirigi poteſt, qui beatam vitam habent, non autem ad illos, qui in Mundo ſunt*: ergo cùm Parens Elias non habeat beatam vitam, non poteſt orari.

107. Vt hic textus explicetur, ſcire debes: Quòd vel in illo comprehendit D. Thomas noſtrũ eximium Theſbitem, vel non? Si non: Ergo malè contra nos affertur. Si ſic: rogo: cum quibus illum accenſet, cum habẽtibus beatam vitam; vel cum illis, qui ſunt in hoc Mundo? Si primum aſſeras; te ipſum condemnas. Si ſecundum; falſum promis; quia illa clauſula *ad illos, qui ſunt in Mundo*, ſolùm comprehendit in hoc Mundo viventes, nobiſcumque converſantes: quod patet primò ex communi modo loquendi; non enim in hoc Mundo eſſe dicuntur, qui iam extra hanc noſtram vivendi rationem commorantur: ſive beentur in Cœlos ſive plectanur in Baratro, ſive purgentur in Purgatorio, ſive carcerentur in Limbo; ſive in Paradiſo delicientur. Secundò: Quia poſt illa verba addit Sanctus Thomas: *Neque ad illos, qui in Purgatorio ſunt*: Vnde ſicut in illa particula, ſeu clauſula, *qui ſunt in hoc Mundo*, non comprehenduntur exiſtentes in Purgatorio; aliter ſuperfluè adderet illa alia verba D. Thom. ita in ipſa clauſula non comprehenditur Elias. Tertiò: Quia evidenter ſe explicat D. Thomas inibi addens: *Quamvis ad illos, qui in Mundo ſunt, ſupplicatio; vel petitio aliqua fieri poſsit.* Conſtat autem ſupplicationem; vel petitionem non fieri niſi ad eos, quibus cum verbaliter, & præſentialiter tractamus, vti docet ſuprà citatus Abulenſis. Quarè ſicut per ly *in Mundo* non intelliguntur exiſtentes in Purgatorio; & ideò addi debuit: ſic non intelliguntur exiſtentes in Limbo; aut in Paradiſo: Omnes enim iſti iam non ſunt *in Mundo* propter dicta.

108. Secundò ſcire debes: Quòd gratia, vel eſt amiſsibilis, vel inamiſsibilis. Gratia amiſsibilis non poteſt dici

pro-

propriè beata vita; seu gloria: quia non dicit cum illa infallibilem coniunctionem. Ast gratia inamisibilis, propter coniunctionem infallibilem, quam cum gloria dicit, iã dicitur vita beata. Quòd autem D. Thomas nomine beatæ vitæ non intelligat præcisè ipsam gloriam, quæ gratiam habentibus datur; inde patet, quòd asserat beatã vitam esse, quod peti in oratione debet: cùm art. 4. q. 83. ex 22. doceat: *Quòd omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam consequendam.* Vnde nomine beatæ vitæ comprehenditur in præsenti tam ipsa gloria, quàm gratia, media qua consequitur; quæ sanè est gratia inamisibilis, sive hanc inamisibilitatem habeat â dono cõfirmationis, sive aliunde; quod nostra non refert. Subiectum gratiam amisibilem habens; vel de cuius inamisibilitate nobis non constat, non oratur; quia illa gratia non eximitur â Mundo: hoc est, â modo communi Mundi: si autem de eius inamisibilitate nobis constet, iam tunc dicitur cum proprietate vita æterna, ob coniunctionem cum gloria; & insuper illam habentem facit dignum, vt invocetur. Quod patet:

Quia Sanctissimæ Deiparæ adhuc inter nos viventi constructum est â D. Iacobo, Templum Cesar-augustæ. Similiter Fabinianus in Gallia aliud Tẽplum erexit in honorem Principis Apostolorum viventis adhuc, de quo videri potest Canisius de B. Virg. lib. 2. cap. 23. Et Insignis Lezana noster in Consiliis Cõsil. 3. n. 114. qui plura circa hæc adducit. Hinc ad propositum argumẽtum

109. Respondetur primò: D. Thomam non comprehendisse illis suis verbis magnum Eliam: quod patet tum â simili: tum â ratione. A simili quidem: Quia etiam non comprehendit Patres in Limbo existentes, ad quos orari posse constat ex iis, quæ num. 103. nobis dixit Angel. Doctor.

110. Nec dicas: Patres illos non esse in Mundo, ex quo mortui sunt; quod cùm Eliæ non acciderit: est enim vivus; propterea cum illis æquiparari non potest. Nam contra est: quòd in ipsis verbis D. Thom. non comprehenduntur B. Virgo, nec Apostolorum Princeps, quibus viventibus, vt dictum est, Templa consecrata fuere, & in eis cultu publico celebrabantur: ergo quòd sit; vel non sit mortuus Elias, nihil facit. Adde: Quòd raptus fuit idẽ Eliæ, quòd aliis mors, vt opinio adversa fatetur: vnde nec hoc ipsi deficit, vt possit, aliis illis Patribus æquiparari. Quarè sicut textus oppositus non comprehendit Patres in Limbo existentes, qui certè mortui erant; nec Beatissimam Virginem, ac D. Petrum, adhuc superstites: sic non comprehendit Eliam, qui mortuus, & vivus est; atque adeò convenit cum omnibus illis: cum existentibus in Limbo; quia civiliter est mortuus; cum Beatissima Virgine; quia realiter est vivus.

111. Secundò respondetur: Quòd si in verbis D. Thomæ comprehenditur Elias, pertinet ad habentes beatam vitam, quam licèt in se ipsa non habeat: habet tamen illam in securitate, quam de illa possidet, ob infallibilem connexionem, quã dicit gratia illum decorans cũ gloria, de quo videatur Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 56. sect. 1. Quãobrem illa gratia potest ob dicta dici beata vita.

112. Adde: D. Thomam resolvere, in dicta quæstiunc. non esse orandos eos, pro quibus oratur, vt patet ex argumento *sed contra*, Vnde cùm pro magno Elia non oretur, vt de se notum est: planè infertur, vel quòd Elias non comprehenditur iis verbis: vel quòd, si comprehenditur, pertinet ad habentes beatam vitam, tamquàm vitæ æternæ candidatum, vt illum nominat Tertul. de Resurrect. carn. cap. 58.

113. Adde secundò: Nonnullos Doctores, Patresque sentire D. Ioãnem Euangelistam adhuc vivere, quæ opinio fundatur iis verbis Christi Dom. relatis ab eodem Ioanne cap. 21. v. 22. *Sic eum volo manere donec veniam.* Vbi D. Thomas ait: *Quidam autem dicunt, quòd sepulchrum vivens intravit, & Divina virtute exivit translatus ad locũ Henoch, & Eliæ: vbi reservatur vsque ad finem Mundi.* Nunc ergo supposita probabilitate huius opinionis, qualis talis proba-

bilitas fuerit, quid dicet Adversarius ad textum D. Thom. quem nobis opponit? Sanè aliquo ex modis dictis illum explicabit; vel aliis profundioribus; aſt qui ſemper noſtram concluſionem tueantur. Itidem permiſſa probabilitate opinionis præiactæ, quid dicet Adverſarius de Eccleſia protectionem, & interceſſionem Sanctiſsimi Euangeliſtæ poſtulante, Tẽpla, & Altaria in ipſius honorem conſtruente, aliaque huiuſmodi faciente, quæ videmus, quæ audimus, quæ perſpicimus, quæ manus noſtræ contrectant de cultu erga Verbi dilectum? Quidquid ad hoc dicat, dicimus nos ad omnia, quæ nobis opponit, vt noſtri Patriarchæ protectionem oppugnet. Quarè ſemper, amabo te, huius exemplaris memento, & non videbis Adverſarii telum, quod illo non proteletur.

114. Adde vltimò: Non deeſſe Auctores aſſerentes magnum Eliam frui viſione beatifica, de quo vide hiſtoriam prophcticam lib. 1. cap. 28. num. 7. quod licèt poſitivè negemus, indigitare voluimus; vt cognoſcat ſententia oppoſita, quòd omnia, quibus arietare ſatagit, Eliam orari poſſe, cerea ſunt, quæ calore huius lucidiſsimi ſolis evaneſcunt.

115. Arguitur ſecundò: Patres, qui in Limbo fuere, non invocabãtur, dum Limbum inhabitabant: ergo nec Elias invocari poteſt. Antec. probat Magiſter Torre: Quia non legitur, vbi dicatur, *Abraham, Iſaac, &c. orate pro nobis, ſicut facimus modò Chriſtiani dicentes: Sancte Petre, &c. orate pro nobis.* Conſequentia verò probatur: Quia omne id, quod in Elia invenitur, vt adſtruamus eum invocandum, inventum eſt in illis Patribus; quippe erant Dei amici, & gratia inamiſsibili ornati: ſed licèt his fulgerent; non invocabantur: ergo.

116. Confirmatur: Maius fundamentum erat in illis Patribus, vt invocarentur, quàm in Elia: & tamen non invocabantur: ergo neque Elias. Probatur maior: Ii enim Patres iam erant extra ſtatum viæ, nec ad illum erant redituri; quod Elias non habet: ſiquidem adhuc mortis tributum non ſolvit, & ad nos iterum redditurus eſt: ergo tenet maior.

117. Ad hoc argumentum, in quo fundatur datus Magiſter, vt orationes noſtras ab Aris Eliæ expellat, multipliciter reſpondetur. Primò: Diſſolvitur plenè; ſi reſpondeas iuxta dicta numeri 114. Secundò: Diſſolvitur; ſi reſpondeas ea, quæ diximus num. 113. Aſt reſpondetur tertiò dato tranſeat ad antecedens: negando conſequentiam, ob duplex diſcrimen. Primum eſt: Quòd illi Patres ſua culpa, quam â ſuo capite contraxerant, detinebantur, nè Deum viderent: atque adeò, quòd non eſſent idonei, vt invocari poſſent, nõ in Deum; ſed in eos, qui peccaverant, referri debet; ſicut & quòd gloria tunc eis interdiceretur, in ipſos revocabatur. Elias nõ retardatur ab ingreſſu in gloriam ſua culpa. Imò culpa nõ eſt, quòd gloriã non ingrediatur; ſed privilegiũ, & quidem ingens: ſiquidem reſervatur in ſtatu feliciſsimo; merita accumulans, quibus affatim, tempore â Patre prædefinito, beetur; vnde conferre in hoc exiſtentes in Limbo cum magno Elia, eſt conferre pœnam, qua nulla maior, cum gloria ſingulariſsima.

118. Secundum diſcrimen eſt ad hominem contra ipſum Magiſtrum: eò enim negat illorum Sanctorum invocationem; quia non legit eos invocatos: ſed Elias legitur invocatus ſub illa ipſiſſima forma, quam ipſe petit; dicimus enim in Litaniis: *Sancte Pater Elia, ora pro nobis.* Et in confeſsione dicimus: *Ideò precor Beatam* MARIAM *ſemper Virginem*:: *Beatum Patrem noſtrum Eliam, &c.* Et in officio omnium Sanctorum noſtri ordinis dicimus poſt primam lectionem hoc reſp. *Sancte Propheta Dei Elia Carmelitarum Dux, & Pater, intercede pro noſtra, omniumque ſalute,* & in officio ſepulturæ dicimus: *Satisfaciat tibi, quæſumus, Domine Deus noſter, pro anima, &c. Sanctæ Dei genitricis, ſemperque Virginis* MARIÆ, *& Beati Patris noſtri Eliæ, omniumque Sanctorum oratio.* Quòd ſi parva, aut pauca ſunt iſta, adeat §. 2. huius quæſt. & videbit; ſi magnus Elias in-

invocatur, tam privatè, quàm publicè, tam â propriis, quàm ab extraneis. Insuper adeat N.Philipp. â Sma. Trinitate cit. Et videbit Orientales, nedũ Christianos, & Iudeos; verũ etiã Mahometanos, & Gentiles maximum Thesbitem invocantes; imò & cavernam, quam in mõte Carmelo inhabitavit, voti causa inviſentes: quod omne ipſe citatus Auctor ſe audiviſſe teſtatur per duodecim ferè annos, quibus in Oriente commoratus eſt.

119. Quartò denique reſpondetur ad præfatum argumentum negando antecedens: Patres enim illi in Limbo exiſtentes invocabantur â ſuperſtitibus. Quòd autem ſub illa forma, quam Magiſter Torre vult, non invocarentur, fateor: cùm tunc temporis non eſſent adhuc inſtitutæ Litaniæ. Quòd autem orarentur; vel â damnatis diſcimus: Quia Dives epulo in Inferno poſitus Abrahamum invocavit; nedum vt intercederet, verùm etiam vt imperaret.

120. Dicere verò cum præfato Magiſtro: Abraham cognoviſſe ex ſpeciali diſpenſatione Dei orationem divitis invocantis; non aliter niſi ex tali diſpenſatione cognoſcendam; vel quòd ſi ſine ſpeciali diſpenſatione cognoverit divitem orantem; non poſſunt tamen ſine illa diſpenſatione cognoſcere exiſtentes in Limbo vivorum orationes: quia ex Auguſtino lib. de Cura pro mortuis, *neſciunt mortui, quid agant vivi.*

121. Hoc certè valde frivolum eſt, tum abſolutè: Tum ad hominem contra ipſum Auctorem. Vnde facit contra datam ſolutionem primò: Quia nos in præſenti ſupponimus cum eodem Auctore loco ſæpiùs citato ex 2. 2. art. 4. diſp. 3. num. 4. Nec magnum Eliam, nec animas ſeparatas cognoſcere naturali cognitione noſtras orationes, maximè purè internas, & ea, quæ noſtræ libertatis ſunt: quod adeò verum eſt, vt nec Beati hæc naturali cognitione cognoſcunt; ſed quæ ex dictis cognoſcunt, Beati in Verbo vident; aliæ autem animæ ſeparatæ hæc cognoſcunt, vel per ſpecialem Dei revelationem immediatè factam; vel miniſterio Angelorum; vel aliarum animarum illuc de novo euntium relatione; vel aliis modis, quibus Deum hoc diſponere poſſe, non eſt negandum. Et quod ad noſtrum Eliam pertinet, fatemur dicta, aliaque, non cognoſcere naturali cognitione; ſed non ob hoc ea dicendus eſt ignorare: cognoſcit quidem, & hoc plurimis mediis, quorum aliqua ponit S. Thom. 1. p. quæſt. 89. ad 1. Alia alii aſsignant. Dicamus aliqua.

122. Primò enim cognoſcit hæc magnus Elias in Verbo; ſi verum eſt, quod retulimus numero 114. *Secundò* cognoſcit eo modo, quo D. Ioannes Euangeliſta, permiſſa probabilitate opinionis num. 113. poſitæ. *Tertiò* cognoſcit ex ſpecialiſsimo privilegio ad inſtar Angelorum ea, quæ ad ipſum cognoſcenda diriguntur. Sic Leonardus Marius in Gen. cap. 5. *Quartò* cognoſcit hæc; quia tempore raptus habuit â Deo ſpecies vniverſaliſsimas, & perfectiſsimas; vel ipſe Deus ſpeciali modo ſpecies præexiſtentes tunc coordinavit; vel nunc cum illis concurrit; ita vt quovis ex his modis eæ ſpecies omnia, quæ ad Eliam diriguntur, repræſentent. Vide N. Philippum ad 1. *Quintò* cognoſcit per Dei revelationem. *Sextò* miniſterio Angelorum. Sic D. Thomas laudatus. Quem modum etiam multi alii aſsignant, quos inter eminent Sapiẽtiſsimus; Venerabiliſque Maluenda lib. 9. de Antichriſto cap. 12. vbi ait: Eliam *frui frequenter colloquiis Angelorum: Divinis imbui revelationibus.* Et Pater Suarez tom. 2. in 3. p. diſ. 55. ſect. 1. Sanchez in 4. Reg. cap. 2. *Septimò* denique cognoſcit; quia terram deambulare, & quæ apud nos aguntur, audire, videreque, valde credibile eſt. Sic hiſtoria Prophetica lib. 1. cap. 29. num. 6. Ex his ergo modis eligat Raphael de la Torre, quem voluerit, & illo ſciat magnum Eliã noſtras orationes audire; atque adeò poſſe orari. Similiter Patres in Limbo exiſtentes potuerunt mortalium deprecationes audire: ſemper tamen verum eſt, cognitionem non eſſe naturalem, eòque extra chorum agit

Torre, dum ait, speciali Dei dispensatione cognovisse Abraham divitis petitionem: sine hac enim nec Patres illos cognoscere fatemur. Quod hinc patet. &

123. Contra secūdò: Quia si Deus vtitur illa dispensatione, vt damnatus exaudiatur; cur non illa vteretur, vt exaudiātur afflicti in Beatitudinem euntes? Illam verò auctoritatem Augustini ex lib. de cura pro mortuis debuisset supprimere Torre. Tum quia illam ipse explicat de cognitione naturali, dicens loco ad num. 121. citato num. 7. *Intelligendus est Augustinus de cognitione naturali; non verò de cognitione beatifica; aut per revelationem.* Et post pauca addit cum Sixto Senens. *Augustinum illa ferè omnia, quæ dixit in illo libro de Cura pro mortuis, dixisse dubitando, & recitando; quia fortè tunc illa res non erat illi adeò cognita. Et hæc est expressa mens D. Thomæ 1. p. quæst. 89. art. 8.* Si ergo sic explicat Augustinum, & ex Angelic. Doctore explicationem transcribit: vt quid nobis opponit Augustinum, novissimè â se ipso cum D. Thoma explanatum.

124. Contra tertiò: Quia dicere Patres in Limbo existentes non invocari, malè cohæret cum Sacra Scriptura dicente 5. Iob verba, quæ dedimus numero 103. quæ D. Thom. inibi adductus explicat de auxilio, quod vivi perūt *ab existentibus in Limbo, qui cognita petitione Iobi per ministeriū Angelorum possent eum iuvare orationibus*, vt ibi nobis dicit Torre: ergo non tenet illa disparitas animarum separatarum inter se ex vna parte, & vivorū ad illas ex alia.

125. Contra quartò: Quia licèt non esset medium, quo vivorum orationes pervenirent ad existentes in Limbo, adhuc isti poterant orari: ergo ruit data solutio. Antecedens probatur primò ex dictis disp. 4. quæst. 3. vbi vidimus, sufficere notitiam generalem tum orationum, tum illorum eas fundentium ob aliquas oppressiones, quibus gravantur; vt animæ separatæ pro superstitibus orent; quod dictus Magister concedit: ergo non est cur existentes in Limbo non invocarentur; vt sic subvenirent eorum auxilium postulantibus; sint, qui fuerint: hoc enim Deus scit, quod, & non aliud, requiritur. Videantur dicta loco citato.

Probatur secundò antecedens: Quia expressè docetur â D. Thoma loco citato ex 1. p. ad 1. vbi ait: *Ad primum dicendum, quòd animæ mortuorum possunt habere curam de rebus viventium; etsi ignorent eorum statum; sicut nos habemus de mortuis, eis suffragia impendendo, quamvis eorum statum ignoremus:* Ergo sicut nos suffragia impendimus pro animabus patientibus; ita existentes in Limbo orabant pro ipsos invocantibus.

Ad confirmationem ex num. 116. negetur maior, quam probatio non evincit. Sive enim Elias sit, vel non sit viator, nihil refert, vt oretur. Quia ratio, propter quam constituitur capax terminandi orationem, est eius perfectissima inamissibilis Sanctitas, quæ illum inducit, vt res nostras curet, vt subveniat, prout num. 88. vidimus ex Cornel. conferente in hoc magnum Eliam cum Sanctis iam regnantibus. Vnde sicut Beati, nedum nobis subvenire possunt, sed re ipsa opitulantur, ob quod invocātur â nobis: similiter magnus noster Elias, & potest invocari, & invocatur de facto, vt ex hactenus dictis constat.

126. Dices cum eodem Cornelio 5. Genes. Eliam nunc neminem colere, & invocare: ergo quamquàm possit invocari, non tamen de facto invocatur.

Respondetur: Mirabile quidem esse virum piissimum, & doctissimum, præsertim in historia Ecclesiast. qua abundant sua scripta, rem latere triviis notam, & tonstrinis. Verùm in evidenti hac materia bonus iste Homerus dormitavit.

)¶((¶))¶((¶) (¶))¶((¶))¶((♭))¶((¶))¶((¶))¶((¶) (¶))¶((¶))¶(

DIS-

DISPVTATIO SEXTA.

De iis, pro quibus orare possumus.

VIdimus in anteactis disputationibus, qui fundere orationem possint, & ad quos potest dirigi oratio nostra. Superest, vt modò videamus, pro quibus orare possumus ad perfectum complementum huius nostri primi prædicabilis. Gravissima dubia continet præsens disputatio, illaque suo doctrinali modo versant nostri Theologi Mystici, de quibus non pauca eumdem stylum insequentes diximus tomo 1. in 1. parte. Nunc verò selectiora disputamus in sequentibus quæstionibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm possimus â Deo petere gloriam essentialem Beatorum?

SI gloriam essentialem Beatorum postulare possumus, pro ipsis orare posse, non est dubium. Vnde, vt videamus, an pro Sanctis orare possimus, incipimus ab ipsorum essentiali gloria, qua felices illi beantur.

§. I. *Nonnullis præmissis referuntur sententiæ, & ponitur nostra assertio.*

1. FElices illi cum Christo regnantes sumi possunt, vel quoad Beatitudinem essentialem, qua beantur, vel quoad accidentalem felicitatem, qua fruuntur. Quid sit Beatitudo essentialis, & quid accidentalis? Vanum foret in præsenti edisserere; cùm res sit ex ipsis terminis nota. Modò loquimur de Beatitudine essentiali, de accidẽtali autem quæstione sequẽti disputabimus.

2. Scias tamen primò, Beatitudinem essentialem posse bifariam considerari: Primò vt possessam, secundò, vt continuandam. Primo modo dicit se ipsam vt modò habitam; secundo autem modo dicit se ipsam vt continuandam in futuro.

3. Scias etiam, Beatos pro se ipsis orare: Quippe ex pluribus Scripturis constat, ipsos plurima petere. Petunt enim Divini nominis exaltationem: petunt suorum corporum glorifi- quamvis non possimus orare pro gloria

nem: petunt numeri Prædestinatorum impletionem: petunt denique pro fratribus suis absentibus, vt vidimus disputatione 4. tota quæstione 2. Nec, dum audis Sanctos pro se ipsis orare, vnumquemque pro se solùm orare intelligas: siquidem orat vnusquisque pro se, & etiã pro aliis eiusdẽ felicitatis consortibus, vti cum Divo Gregorio Nisẽno diximus disputatione 5. num. 68.

Ad hunc ergo modum dubitari potest: An etiam nos exules pro Beatis orare valeamus? Et non loquimur de oratione impropriè tali: sic enim certissimũ est, quòd possumus gratias agere Domino Deo nostro pro gloria, qua suos illos milites fidelissimos coronat. Loquimur de oratione, prout est petitio, tenditque ad obtinendum desiderata.

4. His præmissis circa præsens quæsitum est triplex sententia: Prima tenet Beatitudinem essentialem Sanctorum posse â nobis peti; imò & ab ipsis. Ad hoc enim sufficit prioritas naturæ, quam comitatur quædam Logica futuritio, qua salvari cõceptum desiderii, &, quod magis est, spei Theologicæ, cõminiscitur. De quo §. sequenti aliquid dicemus. Istam sententiam, eiusque Auctores videre poteris apud nostros Salmãticenses, tractatu 18. disputatione 3. dub. 2.

5. Secunda sententia docet, quòd

ria essentiali Beatorum, vt possessa, possumus tamen illam, vt continuandam petere: Quia cùm prout sic sit futura, peti potest. Ita opinatur Alensis 4. p. quæst. 26. membro 3. articulo 4. §. 2. ait enim quòd Beati petunt â Deo continuationem suæ Beatitudinis; atq; adeò hoc ipsum possumus ipsis petere & nos.

6. Tertia sententia affirmat, imprudens omnino esse, orare pro gloria essentiali Beatorum: Quia cùm iam sint in eius felicissima possessione non potest peti. Sic communissimè sentiunt Theologi, quos proinde superfluum est nominare. Cum quibus sentimus, eorumque sententia est nostra resolutio, quæ

7. Probatur sic: Omni certitudine scimus Beatos esse in possessione suæ gloriæ essentialis: ergo sive indigeant, sive non indigeant nostris orationibus ad alia; pro ipsorum tamen gloria essentiali orare non possumus. Antecedens est omnino certum ex ipsis terminis; per Beatos enim eos intelligimus, qui sunt in possessione supernæ felicitatis. Et consequentia probatur: Nam oratio terminatur ad obtinendum id, quod desideratur; ideòque dicitur, *desiderii interpres*: sed non possumus desiderare gloriam essentialem Beatis: ergo nec illam â Deo petere. Cætera constant. Et minor probatur: Nam desiderium respicit rem desideratam vt absentem, & non possessam: ergo cùm certissimè sciamus, gloriam essentialem non esse absentem, sed possideri â Beatis, illam ipsis desiderare non possumus.

8. Confirmatur: Quia nostra *oratio procedit ex virtute spei, secundum illud Psalm. 36. Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*, vt dicitur apud nostros Salmanticenses tract. 18. disp. 3. dub. 2. num. 33. sed non possumus sperare Beatis gloriam essentialem: ergo nec illam â Deo petere possumus. Probatur minor ex ad Romanos 8. vbi dicitur: *Spes, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Ergo cum evidentia, quam habemus, de possessione gloriæ essentialis in Beatis, non possumus illam ipsis sperare. Probatur secundò: Spes respicit bonum arduum, futurum, consequi possibile; & quocumq; ex his deficiente, spes non remanet: sed gloria essentialis, licèt sit bona Beatis, non est ardua; quia superatis difficultatibus arduitas evanescit: nec est futura, vt supponimus: ergo, &c. Omnia certa sunt, & maior quoad 2. part. est Divi Thomæ in disp. de spe. art. 4. vbi ait: *Sublato principali obiecto alicuius habitus, non potest remanere habitus. Spei autem obiectum, si spes absolutè consideretur, est bonum arduum, futurum, possibile, vt supra dictum est. Vnde si cesset aliquid esse bonum, vel esse futurum, vel esse arduum, vel esse possibile, cessat spes.*

Probatur tertiò illa minor: Si possemus sperare Beatis gloriam essentialem, etiam illi possent sibi ipsis talem Beatitudinem sperare: Beatos implicat spem habere circa suam essentialem Beatitudinem: ergo, &c. Maior certa est; probatur minor: Tum quia in Beatis non datur virtus spei, nec dari potest, vt docet Divus Thomas loco citato, & in 3. dist. 26. quæst. 2. art. 5. quæstiunc. 2. & in 2. 2. quæst. 18. art. 2. & 1. 2. quæst. 67. art. 4. quem sequuntur communiter Theologi, de quo videri possunt nostri Salmanticenses ad locum citatum ex 2. 2. Tum etiam, quia licèt concederetur spes in Beatis, nullum actum haberet, sed precisè esset ad ornatum, vt tenent pauci aliqui Theologi. Tum denique, quia etsi habitum, & actum spei dari in Patria diceremus, vt tenent aliqui, hoc tamen non esset respectu beatitudinis essentialis: ex quo enim illam possident Beati, sperare non possunt, sicut nec desiderare ob ea, quæ nuper dicebamus, & plura alia, quæ apud laudatos Salmant. videri possunt. Qua in re multùm vrget dictum Apostoli paulò ante memorati: *Spes, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?*

9. Confirmatur secundò ex modò dictis: Beati non petunt â Deo suam essentialem Beatitudinem: ergo nec nos illam ipsis possumus postulare. Antecedens est certum, quia est prorsus superflu-

ſuum petere id, quod iam habetur. Et conſequentia inde conſtat: Quia ſi aliquod motivum adeſſet, vt poſſemus petere â Deo gloriam eſſentialem Beatorum, hoc ipſum priùs ipſis conveniret: vnde priùs poſſent ipſi petere pro ſe, quàm nos pro ipſis.

§. II. *Solvuntur aliquæ obiectiones.*

10. COntra rationem, qua noſtram cõcluſionem probavimus, eiuſque confirmationes plura obiici poſſunt, deducta ex multis opinionibus, quæ apud aliquos circumferuntur: Eò devenientes, vt non ſolùm habitum ſpei, ſed & actum ipſius compati cum ſtatu beatifico autument. Et hoc etiam reſpectu gloriæ eſſentialis, quam ſperare, atque adeò petere poſſe ex eo ſibi perſuadent, quòd, ſat eſſe, opinentur, prioritatem naturæ, quam actus orationis habet relatè ad rem deſideratam, vt hæc ſit logicè futura; vt initio quæſtionis inſinuavimus. Vnde & ſperari, & poſtulari poteſt ab ipſo poſſidente; & potiori iure, nos poſſumus illam ipſam Beatorum gloriam eſſentialem, vt futuram illa futuritione Logica conſiderare: Vnde illam ipſis poſtulare valemus.

11. Verùm quàm inane ſit hoc fundamentum perſpicuè demonſtrant noſtri Thomiſtæ, & cõmuniter alii Theologi, circa quod conſulendi ſunt Salmant. noſtri loco citato, vbi nervosè hoſce diſcurſus impugnant, & quicquid ex illis opponi poteſt contra veritatem ſtabilitam enervant. Ad illos Lectorem remittimus, & pauca, quæ rationem factam oppugnant, afferemus. Et ſanè quòd prioritas illa naturæ deſervire non poſsit, vt res præſens ſperetur, petaturque â poſſidente, non ſolùm Theologia, ſed etiam Phyloſophia docet, apud quam prioritas naturæ non eſt prioritas eſſendi; imò nec cognoſcendi vnum ſine alio: ſed eſt prioritas independentiæ: quia videlicet id, quod ea prioritate eſt prius, eſt independens ab eo relatè ad quod prius eſt. Cauſa enim actu cauſans, quia eſt independens ab effectu, quem cauſat, eſt prior illo hac naturæ prioritate: non tamen eſt ſine illo, nec ſine illo intelligitur: cùm ſit omnino impoſsibile, quod actu cauſet, & non intelligatur id, quod ab ea cauſatur. Vbi eſt ergo illa futuritio Logica, ſeu fundamentum ad illam? Quæ, etſi adeſſet, deſervire quidem pro Logica ſolùm petitione poſſet.

12. Adde: Quòd licèt data doctrina deſervire poſſet pro inſtanti, in quo Beati intrantes in gaudium Domini ſui, ab eo gloria eſſentiali honorantur; non tamen pro tempore ſequenti, in quo ipſi, noſque cognoſcimus Beatitudinem iam adeſſe: vti ſubtiliter obſervant laudati Salmanticenſes num. 19. §. *Tertiò reiicitur.* Quæ obſervatio, etſi non placeat Magiſtro Albend. ergegia eſt, arridetque illuſtriſsimo Palanco tract. de ſpe Theologica num. 113. vbi ab obiectionibus præfati Magiſtri Patres Salm. ſolerter vindicat. Et non habentes quid præclaro huic Theologo addere poſsimus, hac memoria in gratiam ſuæ illuſtriſsimæ ſapientiæ ſoluta, obiectiones proponimus.

13. Obiicies ergo primò: Poſſunt coexiſtere actus meritorius, & præmiũ ipſius actus: ergo poſſunt coexiſtere petitio rei, & ipſa res, quæ petitur: ergo licèt ſciamus præſentem eſſe gloriam eſſentialem Beatorum, poſſumus illam ipſis â Deo poſtulare. Hæc ſecunda conſequentia apertè ex prima deducitur, quæ etiam ex antecedenti ſequitur: Quia ſicut meritum eſt motus ad præmium, ſic etiam oratio eſt motus ad rem petitam: ergo ſi non repugnat coexiſtentia meriti, & præmii; pariter nec coexiſtentia orationis, & rei, quæ media oratione poſtulatur. Antecedens autem probatur: Tum, quia illa coexiſtentia meriti, & præmii non eſt, vnde repugnet, ob quod illam admittunt frequenter Theologi; tum etiam, quia Chriſtus Dominus meruit in inſtanti ſuæ conceptionis, & Angelus in inſtanti ſuæ creationis, & homo in eodẽ inſtãti, in quo meretur augmentum gratiæ ſæpè recipit illud, vt docent noſtri Salmanticenſes tract. 9. & tract. 16. diſp.

1.

1. dub. 4. num. 30. tum denique, & est dictorum ratio, quia cùm motus est instantaneus, est simul cum suo termino, vt patet in generatione substantiali, & in aeris illuminatione: quippe in eodem instanti, in quo datur generatio substantialis, & aeris illuminatio, datur etiam res genita, & aer lucidus est: atqui nulla datur repugnantia in eo, quòd meritum sit motus instantaneus, vt vidimus in merito Christi, & Angelorum: ergo non adest repugnantia in coexistentia meriti, & præmii.

14. Respondetur ex nostris Salmanticensibus loco citato ex tract. 19. & ex tract. 16. num. 21. & ex præadducto illustrissimo Palanco num. 109. præmium bonorum operum esse duplex: primum est præmium omnium vltimum, quod simpliciter, & absolutè habet rationem præmii; atque adeò, & termini operis meritorii. Et hoc præmium nullum aliud est nisi visio Beatifica. Præmium secundum sunt illæ gratiæ, quibus opera salutaria remunerat indulgentissimus Deus, vt sunt augmentum gratiæ, Charitatis, & huiusmodi alia: quæ ita sunt præmium, & terminus operis salutaris præcedentis, vt simul sint motus in terminum, & præmium illud vltimum. Ad hoc enim conceduntur illæ gratiæ Iusto, vt iustificetur adhuc; nec ibi sistat; sed donec dies est operetur, eatque de virtute in virtutem, vsque dum facialiter videat omnium Dominum in Sion.

15. Inter quæ duo præmia hoc interest, quòd præmium omnium vltimum nullatenus potest coexistere cum merito. Præmium autem aliud permittit talem coexistentiam. Ratio primi ea est: Quia opus meritorium præmii vltimi regulatur per fidem, & â gratia non consummata ortum ducit, quod ei convenit ex generali ratione meriti, dicente D. Thom. 1. p. q. 62. art. 9. ad 1. *Mereri est eius, quod movetur ad finem*: quiaq; implicat, quòd in eodem instanti cõpatiatur fides, & visio Beatifica, gratia non consũmata, & gratia consummata: propterea non potest præmiũ vltimum ipsi merito coexistere. Mereri, ex sua intrinseca ratione, est moveri, vt ex Divo Thoma vidimus: moveri, seu ambulare, est proprium fidei, vt dicitur 2. ad Corinthios cap. 5. num. 6. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus*. Vnde sicut est de intrinseca ratione meriti fides; ita repugnat ipsi coxistentia cum præmio vltimo. Tunc enim opus illud salutare eliciens peregrinaretur, & non peregrinaretur, ambularet per fidem, & visione Beatifica frueretur. Quæ omnimodam repugnantiam dicunt.

Ratio autem secundi, nempe quòd præmium non vltimum potest compati cum merito, ea est; quòd sicut meritum petit fide regulari, sic essentialiter sumptum nihil aliud est nisi obsequium præmio dignum, seu opus dignum remuneratione. Et ex vi huius nulla adhuc leviſsima repugnãtia adest, in eo, quòd in eodem instanti dentur opus præmio dignum, & ipsum præmium, quo dignum est illud opus. Cæterùm intra lineam præmii non vltimi dantur aliqua, quibus ob speciales rationes operis salutaris, quod meretur illa præmia, non possunt cum ipso opere compati. Talis est actus spei, & orationis: Spei quidem, quia respicit futurum, vt suprà cum D. Paulo, & Divo Thoma dicebamus. Orationis etiam, tum, quia *procedit ex virtute spei*, vt vidimus num. 8. Tum etiam; quia ipse orationis actus est *interpres desiderii*, vt dictat Angel. Doctor 2. 2. quæst. 83. art. 1. ac de intrinseca ratione desiderii est, quòd sit rei absentis, cum qua coexistere, est impossibile. Vnde sicut nullum meritum potest compati cum præmio omnium vltimo; sic nec meritum, quod de intrinseca sui ratione respicit absens, potest simul cum illo existere.

16. Hanc repugnantiam coxistentiæ orationis cum re petita angelicè docuit Divus Thomas dicta quæst. 83. art. 15. in corpore dicens: *Oratio præter effectũ spiritualis consolationis, quam præsentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi*. Vbi orationem duos effectus habe-

re

re dicit, vnum de præsenti,& est illa spiritualis refectio,quam secum affert oratio: alium de futuro, & est obtentio illius, quod desideratur, & petitur. Modò inquiro: Cùm D. Thomas docet, quòd obtinere postulata est effectus futurus orationis, loquitur de futuritione rigorosa, ac simpliciter tali; vel de futuritione illa logica, & quæ solùm requirit prioritatem naturæ?

Si primum dicas: Planè evincitur orationem incompatibilem esse cum præsentia rei petitæ; siquidem in eodem instanti implicat rem esse præsentem, & simul futuram illa futuritione propriè tali.Si autem asseras secundum: ergo etiam spiritualis illa consolatio, quam oratio causat, erit non præsens, sed futura. Patet ista: Quia illa spiritualis consolatio est effectus orationis,quæ ideò est prior illa prioritate naturæ:cùm omnis causa sit hac prioritate naturæ prior, quàm suus effectus,vt docet Aristoteles 1. Physicor. & D. Thomas ibidem lect. 6. quos omnes Philosophi sequuntur, vnum si excipias Paulũ Soncinatem. 5. Metaphys. quæst. 7. contrarium singulariter edocentem.

17. Ad hæc: Si effectus media oratione impetratus esset solummodò posterioritate naturæ posterior, quàm oratio, non diceretur â Divo Thoma futurus: ergo ita est posterior, vt simul compati cum illa non valeat. Consequentia certa est, & antecedens probatur: Quia D. Thomas cõtraponit hunc duplicem orationis effectum, vnum dicens præsentem, & alium futurum: sed ille, quem præsentem dicit, est posterior natura, quàm oratio: ergo ille, quem futurum dicit, est oratione posterior,non solùm natura, sed etiam duratione: aliàs vel primum effectum non diceret præsentem, sed futurum; vel secundum non nominaret futurũ,sed præsentem. Maneat ergo quòd cum illo secundo effectu compati oratio nõ potest: atque adeò non possumus orare pro gloria essentiali Beatorum.

Ex quibus ad obiectionẽ factã facilis est solutio.Respõdetur enim distinguendo antecedens: *Et præmium ultimum ipsius actus*, nego. *Et præmium* non vltimum, subdistinguo: attenta precisè natura meriti, concedo: inspecta aliqua speciali ratione, per quam meriti natura contrahitur, quæque non potest terminari nisi ad rẽ absentem, nego antecedens. Termini ex dictis noti sunt. Ad primam probationem antecedentis dicas: Quòd relatè ad præmium vltimum est, vnde repugnet meriti coexistentia cum ipso; videlicet;quia fide regulatur. Ast respectu præmii nõ vltimi, si inspiciatur natura meriti, non est repugnantia in tali coexistentia: Si autem attendatur aliqua specialis circunstantia; repugnantia adest: quæ circunstantia,cùm reperiatur in actu orationis, vt dictum est, propterea compati cum re petita non valet.

Ad secundam probationem antecedentis concedimus, ita esse omnia, quæ ibi dicuntur: Verùm nec ibi datur meritum simul cum præmio vltimo: nec datur meritum cum speciali illa circunstantia opposita coexistentiæ: vnde mirum non est, quòd talis coexistentia detur. *Ad vltimam* probationem similiter respondetur: Meritum præmii vltimi non posse esse instantaneum, sicut nec meritum, quod ex peculari sui ratione dicit pro formali desiderium.

18. Contra traditam doctrinam obiicies primò: Meritum non dicit intrinsecam repugnantiam, vt coexistat præmio vltimo: ergo nec vt coexistat cuicumque præmio non vltimo. Consequentia patet,& antecedens probatur: Eò ex natura meriti repugnaret, quia meritum ex sua natura petit fide regulari, vt diximus num. 15. at hoc est falsum: ergo. Probatur minor: Beatis non implicat meritum, vt docent nostri Salmanticenses tract. 16. disp. 1. dub. 4. num. 31. at in Beatis non datur fides: ergo meritum non petit ex natura sua fide regulari.

19. Obiicies secundò: Quodvis meritum connectitur cum spe, & ex spe consequendi præmium procedit: & tamen ex natura sua non contradicit coexistentiæ præmii non vltimi; quin potiùs multotiès illi coexistit: ergo licèt

oratio procedat ex virtute ſpei, poteſt compati cum re petita. Maior, in qua ſola poterat eſſe difficultas, videtur per ſe nota; ſi namque præmii ſpe animus non erigeretur, non eliceretur opus meritorium.

20. Reſpondetur ad primam: Opus meritorium præmii vltimi nullatenus poſſe cum illo cõpati. Et hoc eſt, quod nos aſſeruimus. Quòd autem Beatus, qui iam habet præmium vltimum, poſsit alia præmia ſecundùm quid talia, ſcilicet accidentalia, mereri, eſt alia difficultas: ad quam cum præcitatis Patribus Salm. dicimus, quòd de lege ordinaria non poteſt; licèt poſsit attento poſſe abſoluto Dei, qui certè plures actus liberos, & moraliter bonos, quos Beati habent, poteſt in alia providentia acceptare, & ordinare ad aliquod præmiũ accidentale. In quo nulla apparet repugnantia. Nec tunc Beati eſſent viatores; quia licèt moverẽtur ad illũ vlteriorem terminũ; cũ ille terminus, ſeu præmium, ſit accidentale, & ſecundùm quid; propterea compati, inſpecto abſoluto poſſe Dei, poteſt cum ſtatu exiſtentium extra viam ſimpliciter, qui eſt ſtatus viatorum.

Quomodocumque tamen hoc ſit, in illo caſu diceremus de merito Beatorũ, quod nunc de ipſorum orationibus dicimus: quantùm ad hoc, quod eſt, quòd ea, quæ nunc petunt, non compatiuntur cum exiſtentia rei, quam petunt. Idem eſſet tunc in iiſdem orationibus, quæ meritoriæ eſſent. Vnde ad factam obiectionem diſtinguatur antecedens: *Meritum*, per quod præmium vltimum obtinetur, negandum eſt. *Meritum*, per quod obtinetur præmium ſecundùm quid, & non vltimum, tranſeat. Idem enim dicimus de hoc merito, non impoſsibili Beatis, ac de merito, quo viatores præmium non vltimum conſequuntur: debita proportione ſervata. Vnde ſemper manet verum, quòd meritum præmii ſimpliciter vltimi aſſequutivum, regulatur fide, quæ compati cum viſione beatifica, Beatorum ſtatum conſtituente, per nullam potentiam poteſt.

21. Ad ſecundam obiectionem reſpondetur negando illam connexionem ſpei, & meriti: Quia Chriſtus Dominus verè meruit, & certè ſpe caruit. Et modò vidimus Beatos poſſe per extraordinariam providentiam mereri, cùm tamen ſecundùm nullum poſſe valeant ſpem Theologicam habere. Aſt quia poteſt fieri inſtantia circa deſiderium, quod, opera meritoria eliciens, habet,

Dicimus: Quòd meritum non dicit eſſentialem connexionem cum deſiderio. Eliciens enim opus Charitatis intenſiſsimæ non præmium reſpicit; nec ex deſiderio præmii Deum, quem in præcordiis habet, diligit. Sed Deum ipſum indepẽdenter â præmio amat. Tam longè abeſt, vt præmium quærat, quòd totis ſuis viſceribus in ſuum dilectum rapitur, nil de præmio cogitans. Imò quamquàm nullum præmium adeſſet, ipſum, quem nunc ardentiſsimè diligit, deperiret.

Ex quo in cællam vinariam introducta Charitatem ordinatam habet anima, totam ſuam mentem in Deo collocat, & omnium aliorum, ſuique ipſius oblita ipſum Deum propter ſe ipſum, & non ob remunerationẽ aliquam exoptans, clamat: *Indica mihi :: vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Quibus verbis ſolùm Deum obtinere cupit vinculo inamiſsibili, de nullo alio cogitans, vt exponit ſublimis noſter Doctor D. Ioannes â Cruce in ſuo cantico cantione 1.

22. Quam mercedem, quodve præmium exquirebat illa Cœleſtis Sponſa Diva Thereſia, quæ rogo Divini amoris venuſta, *aut pati, aut mori* exoptabat dicens canticor. 8. verſ. 6. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum; quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Quæ Sanctiſsimæ Sponſæ verba ſic ad rem noſtram elucidat Extaticus Noſter Parens lib. 2. noctis cap. 19. dicens: *Neutiquam hìc anima quærit ſolatium ſuum, nec delicias, nec in Deo, nec extra Deum: nec ob motivum proprii ſolatii, aut vtilitatis propriæ petit à Deo præmium: quia iam totam ſuam curam collocat in hoc, quod eſt placere Deo, illique ſervire propter ſe ipſum, & quia dignus ipſe*

eſt

est omni obsequio, & etiam ob ea, quæ ab ipso recepit.

23. Audis, quantū distat â præmii desiderio anima, quæ Deum habet in deliciis? Sed audi etiam Seraphicam ipsam Doctricem in libro *conceptuum amoris Dei*, cap. 7. vbi ait: *Cùm opera activa ex hac radice procedunt, sunt miri, & odoriferi flores; quia oriuntur ab hac arbore Divini amoris, & fiunt propter ipsum solum sine mixtura vtilitatis propriæ.* Eandem doctrinam tradit mansione 4. cap. 3. & alibi pluries. Nec aliud magis decantatum apud Theologos reperies.

24. In cuius rei confirmationem non omittam excessum quemdam animæ summæ perfectionis avidissimæ. Dicebat enim, se maximum solatium habere propter Dei infinitā scientiam, qua scrutatur renes, & corda; quin detur aliquid, quod ipsum lateat. Asserebat tamen, se ex parte gaudium non leve habituram, si posset bene operari; quin bona sua opera ad Dei notitiam pervenirent. Tunc enim, dicebat, præmii spe penitùs amputata; nullum aliū pro Cinosura, & Helyce haberem, nisi ipsum Deum propter seipsum, quocumque alio circumscripto, dilectum.

Ex his, innumeris aliis clarū est, non omne opus meritorii procedere ex desiderio; atq; adeò non respicere rem absentē. Vnde potest cōpati cum præmio in eodē instanti. Hoc tamen de oratione verificari non valet propter oppositam rationem; atque adeò illam fundere non possumus pro Beatorum gloria essentiali. Vide dicta num. 15.

25. Respondetur secundò ad obiectionem principalem ex dictis num. 12. quòd licèt meritum coexistat præmio, cum hoc acquiritur: postquàm autem iam præmium habetur, non adest ea coexistentia, quia opus meritorium transit. Vnde ex hac paritate ad summum inferretur, nos posse orare pro Beatis in eo instanti, in quo beantur: nōn autem postquàm iam sunt visione beata decori. Vide, quæ num. citat. diximus.

26. Obijcies secundò: In oratione dominica sic Deum oramus: *Fiat voluntas tua.* Et sic: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et nè nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.* At, quæ hìc petuntur, petuntur, vt coniungenda cum ipsa petitione: ergo hæc, & res petita simul compati possunt. Ergo nulla est ratio, qua probavimus, fundi non posse orationem pro gloria essentiali Beatorum. Secunda consequentia constat ex prima, quam præmissæ inferunt. Probatur min. primò: Quæ ibi petimus, eo modo petimus, quo â Deo possunt concedi: sed nulla est implicatio in eo, quòd Deus concedat, quæ ibi petimus, in eodem instanti, in quo petuntur: ergo.

Probatur secūdò minor illa: Eo modo petimus illa â Deo, quo illa desideramus; sed illa desideramus non solùm pro tempore sequenti; sed etiam pro tempore illo, in quo preces eas fundimus: ergo pro illo tempore illa petimus. *Probatur tertiò*: Quia dissonū videtur petere illa bona pro tempore futuro, & non pro præsenti; cùm potiùs ad petendum pro præsenti, & non pro futuro ipsa oratione dominica doceamur, quæ panem hodiernum, & non crastinum petit: ergo idem, quod priùs. *Probatur quartò*: Eo modo petimus nostrorum debitorum dimissionem, sicut dimittimus aliena: sed hæc dimittimus pro tempore, in quo petimus: ergo, & illa.

27. Confirmatur: Quia si petitio, & res petita simul dari non possunt, sequitur, quòd detur tempus, in quo repugnet, nos facere Dei voluntatem, & debita nostra â Deo nobis dimitti: consequens est omnino absurdum: ergo id, ex quo sequitur, absurdum est. Probatur sequela: Pro tempore illo, in quo â Deo petimus suæ in nobis voluntatis adimpletionem, & nostrorum debitorum dimissionem, implicat Divinæ in nobis voluntatis adimpletio, debitorūque dimsio: ergo vera est maior. Probatur antecedēs: Implicat per nos coexistentia petitionis, & rei postulatæ: ergo pro illo tempore, quo petimus dicta bona, repugnat eorum existentia.

28. Non levem difficultatem ista continent: Sed non propter illam deserenda est veritas nostræ assertionis. Respondetur ergo primò: Iuxta dicta num. 25. Respondetur secundò: Negando minorem, ad cuius primam probationem negetur etiam minor; per nullam enim potentiam fieri potest coexistētia, illa sicut per nullam potentiam coniungi possunt spes, & existentia rei speratæ. *Ad secundam* probationem dicas: Maiorem verificari; quia id ipsum, quod desideramus, petimus, & propter ipsum finem petimus, propter quem desideramus; ad quod minimè requiritur prædicta coexistentia; imò implicatoria est, vt ex dictis patet: Vnde ex eo, quòd pro instanti, in quo petimus, adest illud desiderium, convincitur, non posse pro illo instanti adesse, quod desideratur.

Ad tertiam probationem negetur antecedens; potiùs enim dissonum foret, petere illa bona, vt habenda illo ipso instanti, in quo petuntur; cùm hoc implicet. Nec inserta probatio momenti est: Quia dies hodiernus plura instantia habet. Et cùm in aliquo eorum *panem nostrum quotidianum* petimus, non petimus illum, vt habendum pro eodem instanti deprecationis; sed pro subsequentibus. ¶ Adde: Quòd, cùm dicimus, *da nobis hodie*: per ly *hodie* intelligitur tota vita præsens, vt docet Divus Thomas in Matth. cap. 6.

Ad quartam probationem dicēdum, quòd vt â Deo obtineamus nostrorum delictorum veniam, proponimus indulgentiā, qua vtimur erga debitores nostros. Et hoc signatur per ly *sicut*; non autem coexistētia illa rerum inconiungibilium, quam sententia opposita tenaciter stabilire molitur.

Vt confirmationi respondeas, observa: Orationem dupliciter posse consequi suum effectum: Primò impetrativè, seu meritoriè: Secūdò formaliter. Exēplum: adest tentatio vehemens; & illa quassatus orat dicens: *Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuvandum me festina.* Hæc oratio meretur Divinum auxilium, quod implorat, quo fultus, tentationem patie[illegible] triumphat. Et etiam antequàm auxilium, quod implorat, recipiat, tentationi non succumbit; si namque succumberet, non oraret. Adest ergo duplex orationis effectus: Primus est resistentia, quam meritoriè obtinuit: secundus est resistentia, quam formaliter introduxit. Primus effectus est, qui petitur, nec consequitur pro eo instanti, in quo petitur; sed pro sequentibus. Secundus effectus est vel ipsa oratio, vel eius effectus formalis, & hic est prorsus inseparabilis ab ipsa: vnde adest in eodem instanti. Nec hunc effectum illa postulat: absurdum enim foret petere, quod ipsa formaliter, & subiectivè facit.

29. Respondetur ergo ad confirmationem negando maiorem. Ad primam probationem dicas: Quòd, dum dicimus: *fiat voluntas tua*, petimus nobis obedientiam præceptis Dei, vti ex Augustino docet D. Thomas dict. q. 83. art. 9. ad 1. quod dupliciter consequitur pia oratio. Primò meritoriè, & hoc non pro illo instanti, in quo petit, sed pro subsequentibus. Secundò formaliter, & hoc adest in ipso instanti: quippe Dei voluntati obedimus, cùm oramus, vt ipsius auxilium impetremus. Præcipit enim Deus, quòd deprecemur ipsum, tum, vt mentem nostram ei subdamus: tum etiam, vt ab ingruentibus inimicorum insidiis liberemur. Ait enim: *Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*: Et etiam: *vigilate, & orate, nè intretis in tentationem.* Insimulque: *oportet semper orare, & non deficere.* Per quod patet, quòd ille, qui orat, per hoc, quòd piè orat, Divinæ voluntati obtemperat. Verùm hoc, quod formaliter facit oratio illa *fiat voluntas tua*, non est, quod petit. Sed vltra hoc, quod formaliter in illo instanti facit, petit, quòd tempore subsequenti, iam orando, iam operando non recedat illam fundens â voluntate Dei, sed ipsum ita in omnibus, quæ præcipit, obtemperet, & sequatur, vt tandem feliciter assequatur.

Per quod patet ad primam partem illius sequelæ. Ad secundam autem dicimus, quòd cùm dimissio debitorum nostrorum sit opus Dei: Quia nos non possumus nostris ipsis dimittere, quæ pec-

ca-

cavimus; propterea oratio non potest hanc dimissionem formaliter causare: illam tamen meretur, & impetrat; sed numquàm pro illo instanti, in quo funditur.

30. Vltimò obiicies: In dicta oratione dominica petimus nominis Dei Sanctitatem, hoc enim oramus, cùm dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*: ergo petimus id, quod ante nostram orationem iam existit. Probatur consequentia: Quia nomen Dei semper est Sanctum, secundùm illud Sanctissimæ Dominæ nostræ apud Luc. cap. 1. *Fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen eius*: ergo cùm petimus Sanctitatem huius Sanctissimi nominis, existunt simul petitio, & res petita.

Respondetur ex D. Thom. d. q. 83. art. 9. *Ad primum ergo dicendum, quòd sicut Augustinus ait in libro de Serm. Domini in monte, cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum, non hoc ponitur, quasi non sit Sanctum nomen Dei, sed vt Sanctum ab hominibus habeatur; quod pertinet ad Dei gloriam in hominibus propagandam.* Aliud est enim, quòd nomen Dei sit Sanctum in se: aliud verò, quòd hæc nominis Dei Sanctitas inter homines propagetur. Primum existit certè, sed non illud petimus. Secundum est, quod petimus, quia non vt par est, existit, nec perfectè complebitur vsque ad vitam futuram, vt docet inibi D. Thomas.

§. III. *Argumenta diluuntur.*

31. COntra conclusionem arguitur primò: Beati esuriunt, & sitiunt ipsam Beatitudinem essentialem, qua fulgent: ergo possumus orare pro illis, vt eorum esuries, sitisque satietur. Antecedens patet ex illo Ecclesiast. cap. 24. vbi dicitur: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Vbi sermo est de gloria essentiali Beatorum, qui illã ipsam gloriam, quam possident, vt denotant verba illa *edunt, bibunt*, illam ipsam dicuntur esurire, & sitire. Et consequentia probatur: Quia si possessio gloriæ compatitur cum esurie, & siti de ipsa gloria, etiam compati potest cum ipsius gloriæ petitione. Nec apparet prudens discrimen, ob quod esuries, ac sitis concedatur, non autem oratio. Vnde sicut orare possumus pro iis, de quibus apud Matth. cap. 5. dicitur: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sic & pro Beatorum gloria essentiali, vt fames, sitisque, quas causat, extinguantur.

32. Confirmatur: Cum gloria essentiali Beatorum compatitur desiderium ipsius gloriæ: ergo & oratio. Patet ista: Eò enim oratio repugnaret, quatenus hæc terminatur ad rem absentem, quod habet, quia est interpres desiderii, vt multoties diximus: ergo si cum gloriæ possessione compatitur desiderium; sic & oratio compatitur. Antecedens autem probatur ex 1. Petri cap. 1. vbi asseritur, Angelos desiderium habere videndi Deum, quo absque dubio fruuntur, *in quem desiderant Angeli prospicere.*

Respondetur ad argumentum primò negando antecedens. Ad probationem nego, quòd verba illa Ecclesiast. intelligi debeant de gloria essentiali Beatorum, nec de accidentali. Etenim iuxta grauissimæ notæ Auctores, vt sũt Lyra, Estius, pluresque alii, ibi sermo est de aqua spirituali, spiritualique cibo, quibus viatrix anima reficitur, & pulchrescit. Et licèt sensus iste, non esset eorum Doctorum calculo adeò firmus, sufficeret nobis auctoritas Angelici Præceptoris super Ioan. cap. 4. docentis, dicta verba intelligenda esse de aqua sapientiæ salutaris, quæ est donum Spiritus Sancti, qua in hac vita proportionatur anima ad futuram.

33. Et sanè in illo capite Ecclesiast. Sapientia est, quæ loquitur, ac de se ipsa dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Sed cur de hac ipsa aqua loquutus Christus Dominus cap. 4. Ioan. ait: *Qui autem biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum*? Potest nè eadem Sapientiæ aqua iterum sitim causare, & sitim in æternum extinguere?

Proponit D. Thomas cap. 4. citato hoc dubium hisce verbis: *Sed contra:*

Ec-

Ecclesiastici 24. *dicitur, qui bibunt me, adhuc sitient, quomodò ergo non sitiet in æternum, qui biberit ex aqua hac, scilicet Divina sapientia: cùm ipsa sapientia dicat: qui bibunt me, adhuc sitient?* Et respondet Sanctus, *sed dicendum, quòd vtrumque verum est, quia qui bibit ex aqua, quam Christus dat, & sitit adhuc, & non sitit.* Vis scire cur non sitiat? Audi Angelicum Magistrum sic discrimen aquæ materialis, & spiritualis, tradentem; ait enim: *Differentia est inter rem spiritualem, & temporalem; licèt enim vtraque generet sitim, tamen aliter, & aliter, quia res temporalis habita causat quidem sitim non sui ipsius, sed alterius rei. Spiritualis verò tollit sitim alterius rei, & causat sui ipsius sitim.* Vide quomodò, qui bibit hanc aquam salutarem *sitit, et non sitit*, videlicet, *sitit* ipsam spiritualem aquam perfectiùs possessam, vsque dum illa inebrietur in Patria, vbi iam *non sitiet in æternum.* Vnde concludit D. Thomas: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, scilicet in Mundo isto, quia saturabuntur in vita gloriæ.*

34. Et hic ipse, qui hãc aquam spiritualem bibit, non sitiet iterum, aquam scilicet, quæ non salit in vitã æternam. Nã per huius spiritualis aquæ potationem terrenarũ rerum sitis extinguitur. Ab eodem fonte, â quo Angel. Doctor hanc suam mirabilem doctrinam hauserat, hausit quòque Seraphica Theresia, quæ eãdem difficultatem versans, & differẽtiam inter has aquas assignans libro de itinere perfectionis cap. 13. ait: *Non sitiet rem aliquam huius vitæ, quamquàm cresset sitis rerũ æternarum, multò magis, quàm possumus cognoscere argumẽto à siti naturali desumpto.*

Per quæ patet ad omnia, quæ in argumẽto sunt. Negato enim locum Ecclesiastici loqui de Beatis, omnia corruũt. Loquitur ille textus de viatoribus, qui certè orare possunt, & debent, pro ipsa aqua, quam bibunt, vt perfectiùs bibant: & medium, quo hæc huius Sanctissimæ aquæ maior perfectio habetur, est oratio, vt docet laudatus D. Thomas his verbis: *Hauritorium autem quo aqua sapientiæ salutaris hauritur, est oratio.*

35. Respondetur secundò ad argumentum simul, & confirmationem: Ecclesiasticum, & D. Petrum, loquutos quidem de Beatis; cæterùm non de gloria ipsorum assentiali, sed de accidentali, quam eos esurire, sitire, ac desiderare fatemur. An autem pro hac accidentali Beatorum gloria possimus orare, postmodùm disputabimus.

36. Respondetur tertiò ex D. Thoma 1. 2. quæst. 67. art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd quantum ad gloriam animæ non potest esse in Beatis desiderium, secundùm quod respicit futurum ratione iam dicta: dicitur autem esse ibi esuries, & sitis per remotionem fastidii: & eadem ratione dicitur esse desideriũ in Angelis.* Res mundialis, & æterna in hoc præcipuè differunt: quòd mundialis, postquàm obtinetur, fastidium generat; Cælestis verò nullum fastidium causat, vt docuit nos D. Thomas, & Seraphica Theresia. Vt hanc Cœlestis Beatitudinis indolem ostenderent nobis Ecclesiasticus, & D. Petrus, aiunt: Esuriem, sitim, ac desiderium causare: sumentes esuriem, desiderium, ac sitim, prout sunt idem, ac fastidii remotio. Vnde nec Beati pro se, nec nos pro illis orare possumus; quia ad orationem prærequiritur desiderium, quod respiciat rem desideratam, vt futuram, qualiter *non potest esse in Beatis.*

37. Arguitur secundò: Ecclesia petit â Deo gloriam ipsis Beatis: ergo oratio pro gloria essentiali Beatorum fieri potest. Consequentia est evidens, & antecedens probatur primò: Quia in Missa Sancti Leonis in oratione secreta eiusdem Sancti ait Ecclesia: *Vt per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis tua misericordiæ bona conciliet*: ergo Ecclesia petit â Deo gloriam essentialem Sancti Leonis, quam nominat *Beata retributio.*

Probatur secundò idem antecedens: Quia in alia oratione ait eadem Ecclesia, se Missarum Sacrificia Deo offerre in Beatorum cultum, *vt sicut Sancta Mysteria Sanctis prosunt ad gloriam, ita nobis proficiant ad medelam*: ergo eodem

dem modo, quo Ecclesia orat pro viatorum medella, orat & pro Beatorum gloria. Et eodem modo, quo appetit salutem viatorum, desiderat Beatorum felicitatem.

38. Confirmatur: Quia Sacramenta efficiunt, quod figurant: sed Sacramentum Altaris figurat Beatos: ergo circa illos ponit suum effectum: quod est idem, ac illis prodesse ad gloriam. Maior videtur certa, & minor probatur: Nam pars Hostiæ, quæ in Calicem mittitur Beatos figurat iuxta Magistrum in 4. dist. 12. vbi D. Thomas quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ad 4. Affertque Angelicus Doctor in huius comprobationem versus illos: *Hostia dividitur in partes tincta Beatos, plena sicca notat vivos, servata sepultos*: ergo sicut pars sicca plena prodest vivis, quos figurat, & pars servata (antiquitus enim servabatur Hostiæ pars vsque ad finem Missæ, *qui tamen mos modò cessavit propter periculum*; *nihilominùs remanet eadem significatio partium*, ait citatus D. Thomas ad 3.) existentibus in Purgatorio, quos denotat; sic etiam pars tincta proderit Beatis, quos signat.

Respondetur argumento negando antecedens. Ad primam probationem, & similiter ad secundam respondetur ex D. Thoma loco citato ex sentet. dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. *Ad primum ergo dicendum, quòd huiusmodi loquutiones non sunt sic intelligendæ, quasi Sancti in gloria proficiant quantùm ad se, quòd eorum festa recolimus, sed quia nobis proficit, qui eorum gloriam solemnius celebramus*; *sicut ex hoc, quòd Deum cognoscimus, vel laudamus, & sic quodammodò eius gloria in nobis crescit, nihil Deo, sed nobis accrescit.*

Exemplum illud Dei, quo angelicè vtitur D. Thomas, rem declarat. Deo enim festa sacrantur, & in ipsius gloriam, honoremque fiunt: Non quia ex nostris actibus habeat Deus in se novam aliquam gloriam, vel honorem: sed quia ex illis nostris actibus resultat nobis meritum, & ipsius gloriæ, ac honoris Dei exaltatio inter nos, ac propagatio. Est idem, quod [illegible]

mus circa illa verba orationis dominicæ, *Sanctificetur nomen tuum*. Quod non dicimus, *quasi non sit Sanctum nomen Dei, sed vt Sanctum ab omnibus habeatur: quod pertinet ad Dei gloriam in hominibus propagandam.* Itaque Deus habet duplicem gloriam, seu Sanctitatem, aliam in se; quam secum semper habuit, & cui ex nostris operibus, seu Sacrificiis nulla additio, accretiovè fieri valet. Aliam in nobis, quæ consistit in eo, quòd Dei Sanctitatem veneremur, & in omnium cordibus desideremus sculptam. Hanc illis verbis petimus, vt numero citato dicebamus.

Proportionabiliter ergo Sanctorum gloria duplex est: alia, quã in se habent, & aliam, quam habent in nobis, qui eorum gloriã meditantes accendimur, vt eorum vestigiis insistamus, & æmulantes charismata meliora, munificum Sãctorum Remuneratorem cordicitus veneremur. Primam illam nec petimus, nec possumus illi addere. Secundam verò postulamus: *& quò eorum gloriã solẽnius celebramus*, eò magis proficimus; atque adeò illa gloria, quam Sancti in nobis habent, augetur.

Ad confirmationem respondetur ex eodem Angelico Doctore citato: *Ad secundũ dicẽdum, quòd quanvis Sacramenta efficiant, quod figurant, non tamen illũ effectum suum ponunt circa omne id, quod figurant; aliàs cùm figurent Christum, in ipso Christo aliquid efficerent, quod est absurdum: sed efficiũt circa suscipiẽtem Sacramentum ex virtute eius, quod per Sacramẽtum significatur. Et sic non legitur, quòd sacrificia pro fidelibus defũctis oblata Sãctis prosint, sed quia ex meritis Sãctorum, qui recolũtur, vel significantur in Sacramento, prosunt aliis, pro quibus offeruntur.*

39. Arguitur tertiò: Beati timent amittere Beatitudinem: ergo possumus orare, nè illis hoc malum eveniat. Probatur antecedẽs. Beati habent timorem, quo respiciũt Deum, vt potentẽ sibi infligere malũ: sed non est aliud malum, quod timeant, nisi amissio Beatitudinis: ergo illam amittere timent. Minor certa est. Probatur maior: quia Beati habẽt do-

donum timoris: sed habẽs donum timoris respicit Deum, vt potentem infligere sibi malum: ergo. Maior vera est, constatq̃ ex 2. 2. q. 19. art. 11. Min. verò inde constat: quia sicut humilitas respicit Deũ, vt cui absolutè subiicitur, & Religio subiicitur Deo, vt omnipotenti ad benefaciendum, ita donum timoris Deo subditur, quatenus potest malum infligere: Vnde sicut non est dabilis humilitas, quæ illam reverẽtiam erga Deum absolutè sumptum nõ dicat, nec oratio, quæ illum illo respectu non revereatur; ita donum timoris, vbicumque sit, non potest non recipere Deum, vt malum infligere potentem.

Respondetur ex D. Thoma 1. 2. q. 67. art. 4. ad 2. vbi ait: *Timor filialis habet duos actus, scilicet revereri Deum, & quantùm ad hunc actum manet in gloria: et timere separationem ab ipso, & quantùm ad hunc actum non manet: separari enim à Deo habet rationem mali; nullum autem malum sibi timetur secundùm illud Proverb. 1. Abundantia perfruetur malorum timore sublato.* Et in 3. dist. 34. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 4. docet: *In Patria tolletur timor quantùm ad hunc actum, qui est timere separationem; sed manebit quantùm ad actum, qui est admirari, vel revereri illud arduum; quod fit, quando ex admiratione tantæ altitudinis homo in propriam resilit parvitatem.* Idem repetit pluribus aliis locis. Circa hoc tamen omnino videndi sunt nostri Salmanticenses in arbore virtutum numer. 19. & tract. 18. disp. 4. toto dubio 4. & præcipuè num. 52.

Ex quibus habes, Beatos per donum timoris respicere quidem Deum, vt potentem eis infligere malum, vel annihilationis, vel aliud. Ex hoc tamen anxii non sunt; quia illud malum non formidant, vt imminens, aut futurum: Imò nec vt possibile statui, in quo sunt; sed solùm, vt possibile naturæ, qua constant: atque ideò nec ipsi pro se, nec nos pro ipsis orare debemus. Si nãque malum illud esset possibile statui, tunc orationes reflecterent, vt vitaretur, & gigneret anxietatẽ. Hoc tamen non evenit; quia solùm respicit ad naturam est possibile, prout docet Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 19. art. 11. dicens: *Fuga ergo huius mali, quod est Deo non subiici, vt possibilis naturæ, impossibilis autem Beatitudini, erit in Patria.*

40. Arguitur vltimò: Beatitudo, vt importat sui continuationem est gloria essentialis: possumus orare pro Sanctorum gloriæ continuatione: ergo & pro gloria essentiali. Probatur minor primò: Quia continuatio Beatitudinis non est præsens, sed futura: ergo possumus illam postulare. Patet ista: Eò enim negavimus posse peti, vt possessam, quia prout sic, iam habetur, & oratio respicit futurum. *Secundò* probatur minor: Quia Deus potest destruere Sanctorum Beatitudinem: ergo possumus â Deo petere; nè illam destruat; quod est idem, ac petere ipsius conservationem.

Probatur antecedens primò: Quia Sanctorum Beatitudo non est essentialiter perpetua: ergo potest Deus illam destruere. Secundò probatur antecedens: Quia certò cognoscimus, posse Deum non conservare Beatitudinem: ergo certò cognoscimus, posse Deum illam destruere.

41. Confirmatur: Quia non implicat, Deum revelare alicui viatori Beatitudinem Divi Petri conservandam non esse: sed tunc posset ille viator preces fundere pro cõservatione talis Beatitudinis: ergo non implicat, quòd pro Sanctorum gloria essentiali fundamus preces. Consequentia bona est: Si namque hoc potest Deus revelare: ergo dabilis est huius revelationis adimpletio: ergo & sine revelatione tale malum timere non est imprudens. Maior autem non est, vnde repugnet, nec minor, vt de se patet.

Respondetur argumento ex D. Thoma in disp. de spe art. 4. ad 3. vbi ait: *Dicendum, quòd continuatio Beatitudinis non habet rationem futuri, quia in quantùm aliquis homo fit Beatus, æternitatem participat, in qua non est præteritum, & futurum.* Idem docet 2. 2. quæst. 17. art. 2. ad 2. dicẽs: *Quòd Beatitudo Sanctorum dicitur vita æterna, quia per hoc, quod eis fruuntur, efficiuntur quodammo-*

modò participes æternitatis Divinæ, quæ excedit omne tempus: & ita continuatio Beatitudinis non diversificatur per præsens, præteritum, & futurum; & ideò Beati non habent spem de continuatione Beatitudinis, sed habent ipsam rem, quia non est ibi ratio futuri. Per quæ ad factum argumentum, & etiam ad confirmationem facilis est solutio.

Respondetur enim negando minorem. Ad primam probationem negetur antecedens. Quia, vt ex modò dictis constat, in Beatitudinis continuatione nulla est ratio futuri; & sanè si futuri ratio adesset, esset & anxietas pro illius futuri consequutione, quod est contra essentialem conceptum status beatifici, de cuius ratione est omnimoda securitas, vt docet Angelicus Doctor 2. 2. q. 19. art. 11. hisce verbis: *Excluditur enim talis timor* (servilis) *per securitatem æternæ Beatitudinis, quæ est de ipsius Beatitudinis ratione.* Non potest autem securitas esse de ratione Beatitudinis, & quòd ista sub aliqua sui ratione sit futura, & spem, seu desiderium terminet: vnde etiam, vt continuata non est futura, sed præsens.

Ad secundam probationem minoris respondetur: Deum vtique posse destruere Sanctorum Beatitudinem, si absolutè consideretur: ast vt subest decreto immutabili de ipsius Beatitudinis cõservatione destrui non potest. Quod decretum Beatis notum est: aliter quieti non essent, nec omnino felices, dicente Divo Thoma 2. 2. quæst. 18. art. 3. in corp. *Requiritur enim ad perfectam, & veram Beatitudinem, vt aliquis certus sit de suæ beatitudinis perpetuitate.* Quo probat Angelicus Doctor damnatorum infelicitatem, qui certissimi sunt de suarum pœnarum perpetuitate: si namque hanc certitudinem non haberent, illas evadere posse sperarent, eòque non essent summè infelices; cùm haberent, vnde gaudiũ aliquod habere possent. Sic ergo si Beati nõ essent omnino certi de suæ Beatitudinis perpetuitate, haberent, vnde tristarentur, quod prorsus pugnat cum nobilitate status beatifici. Vnde quòd absolutè possit Deus destruere Beatitudinem, non sufficit, vt possimus orare pro Beatis: sicut nec quòd absolutè possit eripere ab Inferno damnatos, sat est, vt preces pro eorum liberatione fundamus. Quarè ad illam minoris probationem distinguo antecedens: *potest*: absolutè, concedo: *potest*: supposito decreto de Beatitudinis perpetuitate, nego antecedens.

Ad primam eius probationem omisso antecedenti, nego consequentiam. Etenim sive Beatitudo sit essentialiter perpetua, sive nullatenus ex se perpetua sit: ex quo tamen adest decretum de ipsius perpetua duratione, in æternum absque dubio permanebit. *Ad secundam probationem* similiter dicimus: quòd nos, qui certò cognoscimus Deum, absolutè posse non conservare Beatitudinem, cognoscimus etiam certissimè illam conservaturum ex suppositione dicti decreti.

Ad confirmationem respondetur: Illam revelationem implicare supposito decreto de perpetuitate Beatitudinis. Sicut & ob eamdem rationem implicat revelatio de non permanentia damnationis. Et loquimur de Beato, qui absolutè, & non ad tempus, intravit in gaudium Domini sui: Quia si confirmatio loquatur de aliquo, qui solùm ad tempus beatur, sicut visum est in Divo Paulo; tunc non implicat talis revelatio, & pro hoc orari posse, non negamus: sicut & pro damnatis, qui ad tẽpus damnati sunt, vt accidit Divo Grogorio, qui pro Traiano ad tempus damnato orasse dicitur, de quo postmodùm fusè disputabimus.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm poſsimus orare pro gloria accidentali Beatorum?

POſtquàm de gloria eſſentiali Beatorum loquuti fuimus, æquum eſt, vt de gloria accidentali diſputemus. Poteſt enim eſſe omnino irrationale petere beatitudinem eſſentialem ipſis; quin irrationale ſit, accidentalem beatitudinem poſtulare: Hæc enim futura ipſis Beatis eſt, pro illaque ſuas preces fundunt, vtì ex aliquibus ſcripturis notum eſt. Inquirimus ergo: An illos noſtris precibus ad Deum fuſis, vt, quod precantur, obtineant, adiuvare valeamus?

§. I. *Poſt brevem obſervationem referuntur ſententiæ, & duplici concluſione dirimitur controverſia.*

42. IN quo Beatitudo accidentalis conſiſtat, ipſum nomen manifeſtat. Hæc beatitudo accidentalis duplex eſt, alia, quæ neceſſariò connectitur cum beatitudine eſſentiali: alia verò, quæ hanc connexionem non dicit. Prima habetur ex meritis beatitudinis eſſentialis, cuius veluti cõplementum eſt: Sicut accidentia connaturaliter debita formæ ſunt perfectionis ipſius complementum, ſine quo vltimam ſui perfectionem non habet.

Secunda autem non eſt complementum exactum ab ipſa eſſentiali beatitudine: Vnde ſine illa concipitur beatitudo eſſentialis cum vltima ſui perfectione. A quo tamen principio proveniat hæc beatitudo accidentalis cũ eſſentiali non connexa? Eſt, quod principaliter veſtigamus: licèt aliqui Auctores idem ſentiant de vtraque hac accidentali beatitudine, de quo poſteà.

43. Scias tandem, & præcipuè noſtram orationem dupliciter poſſe deſervire Beatis: Primò vt medium, quo indigent, vt deſiderata obtineant. Secundò vt materia, ſeu occaſio, ex qua oritur, quòd Beati habeant id ipſum, quod deſiderant, licèt hoc non obtineant ex meritis noſtræ orationis, ſed aliunde. Eſſeque hos concurrendi modos valde diverſos, ex ipſis terminis notum eſt. Medium enim, quo aliquid obtinetur, diverſum omnino eſt ab occaſione, qua poſita, aliunde habetur, quod deſideratur. Quod amplius conſtabit ex dicendis.

44. His ergo ſic ſtatutis: Prima ſententia tenet, orationes noſtras poſſe eſſe medium, quo gloria accidentalis Beatorum conſequatur. Sic ſentit eximius Suarez tom. 2. de Religione, lib. 1. cap. 14. â num. 3. Et Magiſter Torre 2. 2. quæſt. 83. art. 8. diſp. 4. Qui licèt num. 2. limitet aſſertum ad gloriam accidentalem, non connexam cum eſſentiali: poſteà verò num. 3. ad 3. & 4. argumentum, de omni gloria accidentali loquitur; cuius egregium memoriæ lapſum miratur Magiſter Ioannes â Sancto Thom. inibi.

Secunda ſentẽtia docet, noſtras orationes poſſe aliquando deſervire ad gloriam accidentalem Beatorum, non vt medium, & ratio habendi gloriam illam; ſed vt occaſio, qua poſita, aliunde, & non ab ipſa oratione habent Beati gaudium aliquod accidentale, hæc ſententia eſt D. Thomæ. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 4. eam tenet Magiſter Ioannes â Sancto Thoma dict. q. 83. diſp. 27. art. 6.

45. Prima noſtra concluſio: *Orationes noſtræ Sanctis deſervire non poſſunt vt medium, quo gloriam accidentalem conſequantur. Vnde in hoc ſenſu pro ipſis orare non poſſumus.* Secunda pars huius concluſionis manifeſtè ex prima colligitur: Illa enim oratio penitùs fruſtranea eſſet; eòque virtutis nomen habere non poſſet. Prima autem pars communiſsima eſt inter Theologos. Probaturque primò ex Magiſtro in 4. diſt. 45. dicente de Beatis, *quorum tanta eſt perfectio, vt his adiutoriis non indigeant, qua-*

quales sunt Apostoli, & Martyres. Vt enim ait Augustinus, iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia, cuius nos debemus orationibus commendare.

46. Probatur secundò conclusio ex cap. *Cum Marthæ de celebrat. Missar. §. tertio loco*, vbi Innocent. 3. ait: *Cùm Sacræ Scripturæ dicat auctoritas, quòd iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de Sanctis aliis sentiendum, quia orationibus nostris non indigent, pro eo quòd, cùm sint perfectè Beati, omnia eis ad votum succedunt, sed nos potiùs eorum orationibus indigemus. Vnde quod in plerisque orationibus continetur, prosit, vel proficiat huic Sãcto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem; ita debet intelligi; vt ad hoc prosit, quòd magis, ac magis glorificetur à fidelibus.*

Quibus verbis clarissimè Pontifex assertum nostrum statuit, firmat, ac defendit. Statuit quidem, vt de se patet. Nec ambigendum est, Innocentium loqui de gloria accidentali, quod ex verborum contextu evidens est. Firmat etiam Pontifex assertum rationibus vrgentissimis, quarum prima est D. Augustini de verb. Apost. Serm. 17. dicentis: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro eo, cuius nos debemus orationibus commendare. Quod idem est ratione consimili de Sãctis aliis sentiendum.* Sunt enim Sancti Dei omnes in statu felicissimo huius exilii, nulla re indigẽtes, sed omnia ad placitum suum ex vi illius felicissimi status obtinentes. Vnde dupliciter Sanctis iniurius est, qui pro ipsis deprecatur. Primò quia supponens illos auxilio suo indigere; summè felices non supponit. Secundò quia de Beatorum statu non, vt par est, sentit: cùm alterius infimi status subsidio indigere iudicet.

47. Secunda ratio cõtinetur etiam in verbis D. Augustini: *Cuius nos debemus orationibus commendare.* Etenim *non est eiusdem orari, & quòd pro eo oretur*, ait D. Thomas in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. quæstiunc. 2. in argumento primo *Sed contra*: Atqui Beati orantur à nobis, vt constat ex adductis verbis Augustini, quibus Innocentius, & Magister sententiarum vtuntur: ergo pro Beatis non oramus.

48. Tertia ratio respicit statum ipsum Beatorum, qui ex eo, quòd *sint perfectè Beati, omnia eis ad votum succedunt.* Non ergo indigent nostris orationibus, qui habent statum adeò felicem, vt, quicquid desiderant, ex vi status, quem habent, consequuntur. Et certè non esset adeò eminens status Beatorum, si ipsi nostris orationibus indigerent.

49. Postquàm autem Pontifex factis rationibus fundavit assertum, defendit illud ab obiectione, quæ illud labefactare poterat. Consistitque in eo, quòd Ecclesia petit gloriam Sãctorum, quod non est sic accipiendum, vt Sanctis orationibus nostris opus sit, vt iis mediis aliquod accidentale bonum obtineant: *Sed ita debet intelligi, vt ad hoc prosit, quòd magis, ac magis glorificetur à fidelibus.* Vide quæ ex Angelico Præceptore diximus quæst. præced. num. 37. in simili casu.

50. Probatur tertiò ex D. Thoma citato dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. vbi ait: *Ad quartam quæstionem dicendum, quòd suffragium de sui ratione importat quãdam auxiliationem, quæ non competit ei, qui defectum non patitur. Nulli enim iuvari competit, nisi in eo, quòd indigens est, vnde cùm Sancti, qui sunt in Patria, sint ab omni indigentia immunes inebriati ab vbertate domus Dei, eis iuvare per suffragia non competit.* Idem intentum concludit in argumento secundo. *Sed contra*, dicens: *Eius est iuvari, cuius est indigere; sed Sancti in Patria sunt absque omni indigentia*: ergo.

51. Dices: Datas D. Thomæ auctoritates intelligendas esse de iis, quæ spectant ad gloriam essentialem Beatorum: ergo illis non improbatur oratio pro pertinentibus ad gloriam accidentalem. Probatur antecedens: Divus Thomas asserit Beatos esse *ab omni indigentia immunes, & absque omni indigentia*: sed hoc verum non est de pluribus spectantibus ad gloriam accidentalem; non enim sunt immunes ab horum

rum indigentia: ergo de his non loquitur Angelicus Doctor, sed solùm de gloria essentiali. Cætera constant, & minor probatur: Beati desiderant, petuntque plura conducentia ad suam gloriam accidentalem, vt est suorum corporum gloria, Prædestinatorum numeri adimpletio, & alia huiusmodi: ergo non sunt sine horum indigentia; aliàs illa non desiderarēt, nec peterent.

Respondetur negando antecedens, quippe Angelicus Doctor loquitur de iis, quæ pertinent ad gloriam essentialem, & etiam de spectantibus ad accidentalem: nec aliter verus esset vniversalis ille loquendi modus *ab omni indigentia immunes*, & *sunt absque omni indigentia*: non enim est *absque omni indigentia*, qui aliqua, etiam levissima indigentia laborat. Et mirum foret, quòd nūquā D.Thom. meminisset vulgarissimæ illius distinctionis gloriæ essētialis, & accidētalis, cùm toties in dicto loco ea vtendi occasio occurrat; si ad mentem illius esset. Sed nec probaturus assertum, nec argumenta soluturus, illius meminit: quod esse non potuisse firmissimè censemus, nisi quia Beatos immunes esse cognovit ab omni indigentia, non solùm quoad gloriam essentialem, verùm etiam quoad accidentalem. Similiter si Angelicus Doctor solùm de gloria essentiali loqueretur; non adeò suppressisset illud suum familiare, vrgēsque principium, quo sæpissimè vtitur, vt vidimus §. 2. quæstionis præcedentis: videlicet, quòd orationes nostræ, nostraque suffragia non possunt prodesse Beatis pro gloria essentiali obtinenda, quia iam illam habent. Huius autem principii, tam familiaris sibi, nullam mentionem facit, dum, an Beati nostris orationibus indigeant, disputat: ergo signum est, ipsum Angelicum Doctorem loqui non solùm de gloria essentiali, sed etiam de accidentali, quam desiderant.

52. Sed petit obiiciens: Si illam desiderant: ergo ab illius indigentia non sunt immunes. Respondetur illam desiderare; ast, vt non habeāt, nostris orationibus non indigere. Ratio est: Quia sublimitas status beatifici potest quidē pemittere absentiam alicuius rei ad ipsum accidentaliter spectātis, vsque dum omnino post diem iudicii consummetur: non tamen permittere potest, quòd illud, quod abest, aliunde obtineri â Beato possit, nisi vi ipsius beatifici status. Indigere enim subsidio status inferioris cum tanta eminentia pugnat. Vnde constat, verum esse Beatos plura desiderare, & petere, & quòd etiam sunt *immunes ab omni indigentia*; quia immunes prorsus sunt ab eo, quòd nostris orationibus, suffragiisve indigeant, vt illa ipsa, quæ desiderant, nanciscantur. Vnico verbo: sunt *ab omni indigentia immunes*, quia illis, quibus iam fulgent, non egent: illa autem, quæ in se ipsis non habent, habent, vnde habeant, scilicet virtute sui felicissimi status, quin ope exulis auxiliantis indigeant.

Probatur deinde assertio hac brevi ratione eruta ex hactenus dictis. Etenim Beati sunt summè felices: ergo nostris orationibus non indigent. Probatur consequentia: Quia summa felicitas omnem indigētiam excludit: ergo cum summa felicitate Beatorum non compatitur indigētia orationum nostrarum.

Confirmatur: Si Beati nostris orationibus indigerent, possent â nobis petere, vt pro ipsis intercederemus: consequens est omnino absurdum: ergo & antecedens. Cætera constant, & sequela probatur primò: Quia si illud possent â nobis petere, aliquando visi essent nos interpellantes, vt preces pro illis funderemus, sicut quotidie faciunt existentes in Purgatorio: ergo cùm numquàm Beati hoc fecerint, signum est, quòd nobis nō indigent. *Secundò* probatur: Quia nos petimus ab omnibus Beatis, vt pro nobis intercedant, dicētes: *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis*: ergo illi non possunt â nobis petere, vt pro ipsis oremus. Probatur consequentia primò: *Quia non est eiusdem orari, & quòd pro eo oretur*, vt vidimus ex Divo Thoma num. 47. *Secundò*, quia est iniuriosa intercessio facta pro eo, cuius orationibus debet se intercedens commendare, vt eodem, & precedenti num. vidi-

vidimus ex Augustino. *Tertiò* denique, quia qui orat, est inferior respectu illius, ad quem orat: est prorsus insolens dicere, Beatos esse nobis inferiores: ergo non possunt â nobis petere, quòd pro ipsis intercedamus.

53. Secunda conclusio: *Possumus orare pro Beatis ad hunc sensum, quòd nostræ orationes illis offerunt materiam, & occasionem gaudendi.* Hanc assertionem neminem credimus negaturum. Probaturque sic: Invenimus orationes factas pro Sanctis: sed illæ non possunt esse medium, vt Beati bonum aliquod consequantur: ergo deserviunt, vt occasionem gaudendi Beatis offerentes. Consequentia sequitur: Ex quo enim orationes illæ non sint medium, quo Beati indigeant, nullum alium effectum habere possunt, nisi ministrare occasionem, qua gaudeant. Minor constat ex prima conclusione, maior autem probatur, quia omissis aliis orationibus, D. Augustinus in soliloquiis loquens cum Deo de Beatis, sic orat: *Da igitur, Pater, da eis semper gaudere de nobis, vt & tu semper per eos laueris in nobis.*

54. Confirmatur: Nam ex viatoribus, & Beatis conflatur vnum corpus, cuius caput Christus est: ergo mutuò debent sibi bona solicitare: ergo, & possunt pro se invicem orare. Antecedens certum est. Prima consequentia constat ex antecedenti, dicente D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 12. num. 25. *Pro invicem solicita sint membra.* Vbi solicitudinem, quam inter se servãt membra corporis naturalis exprimit, & ex illa eamdem solicitudinem inter membra corporis mystici adstruit. Deinde secunda consequentia probatur: Quia hæc solicitudo, quam membra huius egregii mystici corporis debent inter se habere, optimè explicatur per hoc, quòd pro invicem membra hæc preces fundant: de factoque Beati hanc solicitudinem explicant orantes pro viatoribus: ergo & viatores ipsi illam eodem modo explicare possunt. Cum discrimine iam dicto, videlicet, quòd viatores indigent orationibus Beatorum: hi autem illorum precibus non egent: offerunt tamen illas ex mero affectu, & vt eo modo, quo possunt, suam solicitudinem explicent, nempe gaudii occasionem ipsis offerentes.

55. Dices: Si ratio facta aliquid convincit, probat quidem orationem nostram pro Beatis esse obligatoriam: at nemo asseret viatores obligatos esse ad orandum pro Beatis: ergo dicta ratio, quia multum probat, nihil probat. Maior, in qua est difficultas, probatur: Quia solicitudo, quam pro invicem habent membra corporis sive materialis, sive mystici, obligatoria est; eòque tenentur sibi invicem auxilii esse: ergo si ex hac radice provenit nostra oratio pro Beatis, talis oratio sub præceptum cadit.

Respondetur negando maiorem. Ad probationem dicas, aliud esse solicitudinem, quam ad invicem debent habere membra corporis mystici; & aliud medium, quo talis solicitudo exercetur. Solicitudo vtique obligatoria est; sed medium, per quod exercetur, non semper est obligatorium. Primum patet ex textu allato, vbi membra pro invicem solicita esse præcipiuntur. Secundum autem inde constat: Quia si suppetant plura media, quibus hæc solicitudo exerceatur, tunc per eorum quodvis valet præcepta solicitudo satisfieri. Quod potiùs verificatur, cum illis huius corporis eximii membris, quæ nullo obsequio indigentes summa felicitate fruuntur. Respectu horum tenemur ad solicitudinem; non tamen ad orandum pro ipsis: quia nostris orationibus non indigent. Possumus tamen pro ipsis orare, & sic præceptã solicitudinem adimplemus. Quia ex eo, quòd eis nostris orationibus gaudii occasionem offerimus, soliciti pro illis sumus, prout possumus.

§. II. *Solvuntur argumenta vtramque assertionem impugnantia.*

56. CONtra primam conclusionem arguitur primò ex Innocentio III. qui ver[illegible] adductis n. [illegible]. hæc addit: *Plerique reputant non indig-*

dignum. Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideò Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare. Quibus verbis docet nos posse optare, exindeque petere gloriam Sanctorum.

57. Confirmatur: Quia *hoc licet orare, quod licet desiderare.* ex 2. 2. quæst. 83. art. 6. sed iuxta dicta numeri præced. licitum est optare Sanctorum glorificationem: ergo licitum est illam â Deo postulare.

Huic argumento plurimum detulit Magister Ioannes â Sancto Thoma, qui opinionem illam cognoscens, recurrit ad hoc, quòd Pontifex *licèt expressè non refutet, non tamen sequitur illam.* Sic nodum istum enodatum putat gravissimus hic Theologus: eius tamen placito acquiescere non possum: Vnde contra illum

Disputo sic primò: Quia inibi Pontifex duas refert opiniones, & neutrius exprimit electionem: ergo non adest fundamentum, vt secunda reprobetur, ex hoc, quòd illam Pontifex non sequatur. *Secundò*: Quia id ipsum, quod dictus Magister dicit in explicatione illius textus, possunt dicere adversarii: ergo hæc sua explicatio non tenet. Probatur antecedens: Ait enim: Opinio sustinens viatores posse orare pro Beatis, sustineri non debet; quia licèt Innocentius, qui illã refert, *non refutet, non tamen sequitur illam*: sed Adversarii possunt similiter dicere: nostra opinio tacitè approbata ab Innocẽtio est, quia illã referens, licèt nõ sequatur, nõ refutat: ergo.

Disputo tertiò sic: Quia inibi Pontifex duo dicit, seu refert. Primum est, quòd Sanctorum gloria vsque ad iudicium augetur. Secundum, quòd possumus augmentum glorificationis optare: sed neutrum horum potest negare dictus Magister: ergo admittere debet id ipsum, quod respuit. Maior constat ex verbis ipsius auctoritatis obiectæ. Et minor pro prima parte probatur: Quia gloria, de qua ibi sermo est, est gloria accidentalis, vt de se constat, & docent N. Salmant. tr. 9. c. 7. in annotationibus ad art. 9. quæst. 62. [illegible] part. sed gloria accidentalem augeri in Beatis vsque ad iudicium, non potest negari â dicto Magistro: ergo tenet minor pro prima parte. Consequentia bona est. Et minorem docet D. Thomas citato articulo 9. ad 3. vbi ait: *Potest tamen augeri Angelorum gaudium de salute eorum, qui per ipsorum ministerium salvãtur &c. sed hoc gaudium ad præmium accidentale pertinet, quod quidem augeri potest vsque ad diem iudicii.*

Probatur eadem minor pro secunda parte: Nam supposito, quòd præmium accidentale Sanctorum potest augeri, nullum inconveniens adest in hoc, quod tale augmentum ipsis optetur. Non possumus orare pro Beatis iudicantes illos indigere nostris orationibus: Quia sic orare est iniuriam eis, eorumque perfectissimo statui facere: Cæterùm optare præmii accidentalis augmentum nullatenus iniurium illis esse potest. Quam iniuriam Deo irrogavit illud Sanctitatis incendium, dum non potens ignem, quo amburebatur, celare, superstites, Cæliteſque in stuporem adduxit, dicens: *Si Augustinus foret Deus, & Deus foret Augustinus? &c.* Hisce flammis iniuriam nullam Numini irrogavit, sed ardentissimæ Charitatis Cœlestem rogum ostendit. Sic prout potuit, obsequium Deo exhibuit, ipsi optans bonum abs dubio repugnans. Sic etiam desiderare possumus, Sanctos obtinere illud accidentale præmium, quod habituri sunt.

58. Dices: Si ita res se habet, non erunt duæ oppositæ opiniones, quas ibi Innocentius recenset: at hoc dici nequit, vt cuique textum legenti constabit: ergo doctrina data ruit. Probatur maior: Quia iuxta datam doctrinam ipsi etiam, qui primam illam opinionem ibi relatam tuentur, debent tueri & secundam: ergo oppositæ non sunt.

Huius obiectionis solutio est facti argumenti responsio, & textus suprapositi explicatio. Respondetur ergo: Inibi duplicem opinionem referri. Prima asserens, non posse viatores orare pro Beatis. Secunda docens, posse pro Beatis orare viatores. In quo oppositio

non

non est, si modus, in quo procedit, introspiciatur. Etenim dum negat, nos posse pro Beatis orare, loquitur de oratione, quæ Beatum supponat illa indigentem; eòque adducit Augustinum dicentem: *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.* Dum autem asserit, posse nos pro Beatis fundere preces, loquitur de oratione, quæ solùm reputatur posse deservire, vt sit occasio, qua beatus gaudeat. In quo nulla iniuria adest, sed adimpletio moniti D. Pauli suprà dati, videlicet: *Pro invicem solicita sint membra.* Ex quo constat textus adducti explicatio, & quòd ille quoad partem, quæ nunc nobis obiicitur, non est contra primam nostram conclusionem, sed potiùs firmat secundam.

Ad confirmationem patet ex dictis: Nos quidem posse optare, & petere præmium accidentale Sanctorum, non tamen, quia iudicemus, Sanctos illo nostro desiderio, & petitione egere: sed quia ex pio in ipsos affectu modo, quo possumus, solicitudinem nostram erga eos exhibemus.

59. Arguitur secundò: Quia non est indecens statui Beatorum, quòd non possint mereri: ergo possumus mediis nostris orationibus mereri præmium illud accidẽtale, quod habituri sunt Beati. Antecedens est certũ, & consequentia probatur: Eò non possemus orare pro Beatis, quia ipsi ratione sui status habẽt, quicquid requiritur, vt obtineant præmium accidẽtale, quod habere possunt: sed licèt hoc verum sit; non tamen verum est, quòd possint mereri illud præmiũ: ergo possumus nos mereri illud ipsis; vt sic pluribus titulis habeant illam gloriam accidentalem.

60. Confirmatur: Possumus Deo gratias agere pro præmio, quod iam habent Beati: ergo possumus â Deo petere præmium, quod habituri sunt. Antecedens cõstat, & consequentia probatur: Quia sicut gratiarum actio est pars orationis; sic etiam petitio: ergo sicut gratiarum actio potest exerceri erga Beatos, sic etiã petitio. *Adde*; quòd petitio perfectior est, quàm gratiarum actio: atque adeò si id, quod est minùs perfectum, non habet repugnantiam cum statu beatifico, minùs repugnabit magis perfectum.

Respõdetur augumento, cõcesso antec.neg.consequẽtiã. Licèt enim possimus nobis, aliisque mereri: non tamen mereri aliquid possumus Beatis, sicut nec dãnatis: his ob sui summã miseriam; illis verò ob sui summã felicitatem. Est quippe prorsus dissonum, quòd Cœlestis Aulæ cãdidati â miseris, vel minimã depẽdentiã habeant. Et certè Suarez, cuius est hoc argumẽtũ, non multũ cõstans videtur: quia immediatè anteà dixerat, orantem pro Beatis illis iniurium non esse, quia non orat *ex præsumptione plus valendi apud Deum, quàm valeant ipsi Beati.* Nunc verò vult, nos posse mereri Beatis, quod supponit, & bene, ipsos facere non posse: ergo relatè ad hanc circunstantiam *merendi*; si Beatis prodesset, non posset nostra oratio pro ipsis fieri, quin esset ex intẽtione *plus valendi apud Deum, quàm valeãt ipsi Beati.*

Nec aliquid perfectionis accrescere potest Beatis, quòd præmium accidentale, quod habent, meritoriè habeant? Si namque hoc aliqua perfectio ipsis esset, vel illam virtute sui status haberent; vel si â nobis ipsis proveniret, non posset non ille felicissimus status esse hac ex parte imperfectus. Præterquam quòd illa ipsa præmia accidentalia, quæ consequuntur, etiam meritoriè habent, vt doctè observant N. Salmant. tract. 16. disp. 1. dub. 4. num. 34. dicentes: *Totum illud, quod Beati denuo possunt acquirere, vt est gaudium accidentale, & gloria corporis, debetur eis ratione prioris mereti, quo, dum essent viatores, meruerunt beatitudinem essentialem: ex quo etiam eis debetur, vt, dum orãt pro nobis, exaudiantur: sunt enim omnia hæc quasi complementum, & corollarium consequens illam beatitudinem; & ita non indigent novo merito, sed cadunt sub merito ipsius beatitudinis.*

Ad confirmationem constat ex dictis, nos posse gratias agere Deo pro Beatorum gloria, in quo nul[illegible] Beatorum, nec beatifici status im[illegible]ectio ostendi[illegible]; daretur tame[illegible] propter influxum nos-

noſtrarum actionum illi ſua præmia accidentalia haberent. Vnde poſſumus Deo gratias reddere, & quia gloriam accidentalem illis contulit, & quia ad ſtatum penitùs â nobis independentem ſublimavit.

Et ſi hæc confirmatio, quæ etiam eſt eximii Suarez, aliquid probaret, convinceret quidem nos poſſe orare pro Chriſto Domino. Quod certè animus Chriſtianus abhorret. Sequela autem videtur nota ex ipſa paritate: quia Deo Patri gratias agimus, quòd ſic dilexerit Mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Gratias agimus, quia exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ergo ſi ex gratiarum actione petitionem inferre licet, poterimus rogare pro noſtro piiſsimo Redemptore. Per quæ patet ad additamentum.

61. Arguitur tertiò: Multoties apparuere Beati petentes â viatoribus, vt orent pro aliquibus indigentiis: ergo Beatos non dedecet, quòd pro ipſis orent viatores. De veritate antecedentis dubitare non licet. Conſequentia autem probatur primò: Quia ſi petunt Beati â viatoribus, vt orent, quin hoc indecens ſit eorum gloriæ, pariter & viatores poterunt pro ipſis orare. *Secundò* probatur conſequentia: Quia Beati deſiderant remedium illius indigentiæ, & vocant in auxilium viatores, vt multiplicatis interceſſoribus, quod deſiderant, conſequantur: ergo ſimiliter poterũt viatores ſubvenire Beatis, dum ad Deum orant.

62. Confirmatur primò: Plùs diſtat peccator â iuxto viatore, quàm hic â comprehenſore: ſed peccator orat pro iuxto viatore: ergo & hic pro comprehenſore orare poteſt.

63. Confirmatur ſecundò: Dantur aliqui iuſti viatores maiorem charitatem habentes, quàm multi comprehenſores: ergo pro iſtis poterunt illi orare. Probatur conſequentia: Quia habens perfectiorem charitatem perfectior eſt: ergo viator habens charitatem perfectiorem, perfectior, ac ſuperior eſt relatè ad Beatos inferiori charitate prædi-tos: atque adeò poterit orare pro illis.

Reſpondetur argumẽto: Diſtinguendo antecedens: *indigentiis* propriis, nego ſuppoſitum. Alienis tranſeat antecedens, & negetur conſequentia. Ad primam probationem dicas: Illam Beatorum loquutionem non eſſe petitionem, ſed imperium Dei, quod viatoribus intimant: vnde non ab illis petunt, ſed iubent. *Ad ſecundam* probationem negetur, quòd Beati vocent in auxilium viatores. Nil tale fit: ſed quia Deus decernit plura facere media oratione, vt ex D. Thoma vidimus diſp. 3. quæſt. 1. Propterea à nomine Dei perſonæ petituræ præcipiũt, vt pro tali, vel tali perſona, pro tali, vel tali indigẽtia, preces fũdat.

Et ſanè non ſolùm Beatus, ſed ipſe Deus multoties hoc facere non dedignatur. Multoties enim dilectiſsimæ Sponſæ ſuæ, ac Matri noſtræ D. Thereſiæ præcepit, vt pro aliquibus oraret: quin ex hoc ſequatur, quòd illa Dei loquutio ſit petitio, aut quòd ſuæ Sponſæ auxilium quæreret. Pariformiter, debita proportione, in noſtro caſu.

Ad primam confirmationem, omiſſis præmiſsis, negetur conſequẽtia; quia iuſtus viator tam ex ſe, quàm ratione ſtatus orationibus eget. Vnde nil mirum, quòd pro ipſo oretur. In Beatis autem locum non habet oratio ob oppoſitam rationem, vt dictum eſt.

Ad ſecundam confirmationem dicendum: Quòd viator maiorem charitatem habens eſt inferior, quàm Beatus minori charitate decorus: quia hæc minor charitas conſummata, & inamiſsibilis eſt: illius verò maior charitas non eſt inamiſsibilis: Vnde non poteſt pro illo orare oratione, quæ medium eſſe poſsit, vt Beatus aliquod præmium acquirat.

64. Arguitur vltimò contra ſecundam concluſionem: Ex noſtra oratione pro Sanctis nullus fructus ſequitur: ergo inutilis eſt: ergo fieri â nobis non poteſt. Hæc ſecunda conſequentia ex prima conſtat: oratio enim inutilis vitioſa eſt; eòque non poteſt fieri. Prima conſequentia ſequitur ex antecedenti; quod probatur: quia ſi aliquis fructus

ſe-

sequeretur, non posset non esse præmium accidentale: sed præmium accidentale Sãctorum non habetur ex nostris orationibus pro ipsis: ergo.

Respondetur: Ex nostra oratione pro Sanctis plura sequuntur bona, quæ illam non inutilem, sed honestam, & actum charitatis, Religionisque esse ostendunt. Primò enim sequitur adimpletio ipsius suprapositi præcepti: *Pro invicem solicita sint membra*: Quia media hac oratione solicitudinem iltam, prout possumus, explicamus. Ex quo secundò sequitur ipsorum Beatorum de nostra hac solicitudine gaudium.

65. Dices: D. Thomas dist. 45. pluries citata ex 4. sentent. negat Sãctos gaudere de nostris bonis operibus, docens, quòd si de illis gauderent, illis iuvarentur, & præmium essentiale eorum variaretur: ergo de nostra oratione gaudere non possunt Sancti.

Respondetur: D. Thomam inibi clarissimè vtramque nostram conclusionem docere. Ait enim, quòd *ratio gaudendi in Sanctis de quibuscumque gaudent, est ipse Deus*:: *Vnde ex hoc, quòd bona multiplicantur, de quibus gaudendi ratio eis Deus est, non sequitur, quòd intensiùs gaudeant, sed quòd de pluribus gaudeant: & ideò non sequitur, quòd operibus nostris iuventur.* Quibus docet Angelicus Doctor, quòd Beati nostris orationibus non iuvantur; quia non sunt ratio formalis, qua Beati gaudium habeant, quod certè firmat nostram primam conclusionem. Verùmtamen nostris orationibus habent, quòd de pluribus gaudeant; quia nostræ orationes materiam eis ministrant, vt de Deo, qui *gaudendi ratio est*, gaudeant. Et hoc est, quod in secunda conclusione asserimus. Ex quo non sequitur, quòd præmium essentiale Beatorũ varietur, quia ratio formalis gaudendi, qui est Deus, non variatur.

Vltra dicta sequitur ex nostris orationibus in Beatis nominis eorum honor, cultus, & exaltatio apud homines: ad eum modum, quo de Deo hoc ipsum desideramus, dum in oratione dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum.* Vnde sicut ob hoc motivum oratio hæc Deo facta Sancta, & salubris est: sic etiam virtuosa est oratio facta ipsi Deo pro Sanctorum exaltatione, ipsorumque nominis claritate.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm orare possimus pro damnatis, vt ab æternalibus flammis liberentur?

AB almæ Sionis Emulis ad æternalitèr catenatos convertimur, vt an erga ipsos aliquid oratio valeat, videamus.

§. I. *Titulus explicatus, sententiæque propositæ.*

DUpliciter intelligi potest, quòd nostræ orationes damnatis prosint. Primò vt â fœtido illo carcere liberentur. Secundò, vt mitiùs ibi puniantur. De hoc secundo agemus quæstione sequenti, de illo primo agimus in præsenti. Nec loquimur de illo, de quo Deus revelaret, damnatũ ad tempus esse: pro hoc enim orare possemus, sicut & pro existentibus in Purgatorio rogamus. Cum hoc tamen stat, quòd non debemus pro nunc supponere, Inferni pœnas æternas esse: si namque in æternum supponantur duraturæ, non potest quæsitum habere locum. Vnde exploramus, an vis, potestasque orationis tanta sit, vt abyssi catenas abrumpere valeat, eisque catenatos liberare. Qua in re sunt diversissimæ opiniones, illas referunt Cardinal. Bellarmin. lib. 2. de Purgat. cap. 1. Thomas Hurtado 1. part. Resol. Moral tract. 5. cap. 6. Resol. 51. Et alii Doctores, qui â D. Thoma didicerunt in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 1. â quo, & nos mutuantes, sicut â communi Magistro, non omnia, sed aliqua accipiemus, inter quæ nonnulla pro sequenti quæst-

tione præmissa volumus.

66. Prima ergo opinio est eorum, qui asseruere, ante diem iudicii aliquos damnatos iuvari nostris suffragiis; post diem verò iudicii nulli damnatorum nostras orationes profuturas. Alii dicebant, fidelibus orationes, & suffragia prodesse, adhuc in Inferni voragine: infidelibus autem prodesse non posse. Et tantum crescere potest multitudo, seu efficacia orationum pro fidelibus damnatis factarum, vt illos ab Inferno liberaret, non pro semper, sed vsque ad diem iudicii. Ab illa autem postrema die vsque in sempiternum sub tartara iterum mittendi sunt miseri illi redempti. Sic opinatus est Præpositiv. contendens sic vitatum Origenis errorem, qui sine hac limitatione absolutè liberandos esse, dixit.

67. Altisiodorensis dixit, orationes nostras damnatis prodesse, nō quia pœnam auferant, sed quia illam patientes confortant, vt sic possint post orationem suos cruciatus robustiùs tolerare. Aliorum opinio est, quòd licèt orationes non liberent â pœna, nec illam minuant: offerunt tamen levamen aliquod, quod damnati habent, videntes se in orātium memoria permanere.

68. Alios refert D. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei cap. 18. & 24. asserentes, omnes omnium damnatorum pœnas, præter Diaboli, temporales esse: vnde omnibus hominibus dānatis orationes proficuas fore autumabant.

69. Pluribus tādem erroribus circa præsentem materiam omissis, dixere alii, omnes illos, qui pauperibus suis eleemosynis subveniūt in hac vita, non esse æternaliter damnandos in futura, dicente Christo Domino apud Matth. cap. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* De his, aliisque huc spectantibus, vide laudatum D. Thom. & etiam dist. 45. q. 2. art. 3.

Dicta omnia in hoc cōveniunt, quòd possumus preces fundere pro damnatis, sive pro omnibus, excepto Diabolo, sive pro aliquibus; sive vt liberentur absolutè, sive pro semper; sive solùm ad tempus: secundum quod, prout vidimus, Inferni pœnas non semper duraturas suspicantur.

70. Sententia alia hactenus dictis extremè opposita docet: Vitiosum esse preces fundere pro damnatis, quia Inferni tormenta æterna sunt. Sic sentiunt omnes Patres, Theologiq̄ omnes cum Mag. in 4. dist. 45. & omnes D. Thom. Expositores cum ipso Mag. Ang. 3. p. q. 84. art. 1. Sic etiā docet Seraph. Mater nostra Diva Theresia in de itin. cap. 1. §. *O Redemptor mio.* Et cap. 40. §. *Acordaos, hijas mias.* Et lib. viræ. cap. 32. vbi mirisimè de inferno, de pœnarum perpetuitate, ac inessabili punitione loquitur pro animarum profectu. Sic denique Mysticæ Theologiæ Princeps D. Dionysius Areopag. cap. 7. de Eccleiast. Hierarch.

§. II. *Veritas sectanda proponitur.*

71. NOstra cōclusio: Pro damnatis orare non possumus, vt à pœnis liberentur. Probatur primò veritas hæc ex Sacra Scriptura: Nam apud Matth. cap. 25. ait Iudex omnium supremus: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Et nè putares, quòd licèt ignis æternus sit; non tamen habitatio damnatorum in illo, adiecit: *Et ibunt hi in supplicium æternum, Iusti autem in vitam æternam.*

Et in Apocalypsi c. 20. dicitur: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & Pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorū* Et apud Esaiam c. vltimo dicitur: *Ignis eorum non extinguetur.*

Quo fundamento ductus Gregorius III. in Epist. decretali. 1. ad Bonifacium, quæ habetur tom. 3. Concil. p. 1. & refertur *in cap. pro obeuntibus* 13. *quæst.* 2. docet eamdem veritatem dicens: *Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisquis pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque Presbyter eorum faciat memoriam. Et quamvis omnes peccatis subiaceamus, congruit tamen, vt Sacerdos, non nisi pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat: non*

enim

enim pro impiis, quamvis Christiani fuerint, tale quid agere licebit. Vbi solùm pro defunctis *verè Christianis* oblationes, orationesque offerri posse tradit: pro illis autem, qui verè Christiani non sunt, hoc est, qui operantur, ac si Christiani non essent; sic q̄ decedunt, orandum non est.

Quæ diffinitio fundatur in ipsa natura pœnarum æternalium, & orationis. Etenim oratio ex se tendit in rem consequibilem; aliter non erit oratio. Similiter in gravi culpa decedens punitur pœna culpæ gravi correspondente, quæ secundùm fidem æterna est, vt patet ex dictis, docetque D. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 3. de quo vidēdi sunt N. Salmant. tract. 13. disp. 17. dub. 3. Ex quo habetur, quòd oratio non potest respicere vt rem postulandam damnatorum liberationem. Quippe, vt hoc fieret, necessarium erat, vel quòd oratio tendere posset in rem non assequibilem: vel quòd dānatorū liberatio res cōsequibilis foret, quæ duo prorsus repugnant.

72. Quamobrem D. Thomas loco citato ex Sententiar. dist. 45. hæc de opinione nobis oppositā tradit: *Est nihilominùs, & prædicta opinio præsumptuosa, vtpotè Sanctorum dictis contraria, & vana, nulla auctoritate fulta, & nihilominùs irrationalis, tum quia damnati in Inferno sunt extra vinculum Charitatis, secundùm quam opera vivorum cōtinuantur defunctis: Tum, quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt, recipientes vltimam pro meritis retributionem, sicut & Sancti, qui sunt in Patria.* Vbi duplicem rationem efficacem nobis proponit Doctor Angelicus:

73. Prima est: Oratio vivorum non habet, quo pervenire possit ad damnatos: ergo illis prodesse nequit: ergo pro illis orandum non est. Hæc secunda consequentia apertè constat ex prima, quam antecedens benè infert, illudque probatur: Vt vivorum oratio posset pervenire ad damnatos, deberet esse inter vivos, damnatosque continuativū, quo tāquàm vinculo vnirētur: tale continuativū non datur: ergo nō est, quo oratio vivorū possit ad dānatos pervenire. Consequentia sequitur, & maior vel inter res materiales nota est. Non enim potest aqua, vel vox ab vno extremo in aliud pervenire, quin detur medium, quo tamquàm vinculo extrema illa vniantur, & continuentur. Deinde probatur minor primò: Nō datur vinculum, vbi repugnat charitas, quæ *est vinculum perfectionis* ex ad Colossens. 3. v. 14. in damnatis repugnat charitas: ergo & vinculum, quo orationes continuētur. *Secundò* probatur minor: Vbi repugnat ratio proximi, repugnat vinculum, quo orationes continuentur: in damnatis repugnat ratio proximi: ergo & vinculum, quo orationes continuētur. Consequentia formalis est, & maior constat: Quia si sic non esset, possemus quidem orare pro dæmone, & etiam pro irrationalibus. Minor autem supponi debet ex 2. 2. quæst. 25. Vide N. Salmant. tract. 19. disp. 2. dub. 3. num. 35.

Ad hæc magis requiritur vt pro aliquo possimus orare, quàm, vt ipse sit noster proximus; siquidem Beati sunt nostri proximi, & pro illis orare non possumus oratione aliquod bonum ipsis impetrare præsumente: sed damnati non sunt nostri proximi, vt modò vidimus: ergo non possumus fundere preces pro illis.

74. Secunda ratio est: Damnati sunt totaliter extra viam; quippe *totaliter ad viæ terminum pervenerunt*: ergo illis prodesse non possunt superstitum orationes. Patet ista primò â paritate: Eò nostræ orationes prodesse non possunt Beatis, quia totaliter ad viæ terminum pervenerunt: ergo pariformiter de damnatis. *Secundò*: Quia si damnatis orationes prodessent, iis mediis moverentur in terminum, pro cuius adeptione prodessent: sed damnati non possunt in terminum moveri: ergo nec orationibus iuvari. Maior constat: Quia nihil aliud intelligitur per hoc, quòd alicui prosint orationes, nisi quòd mediis illis tendat in terminum, quem orans desiderat. Minor verò probatur: Nam qui est in termin[illegible] in terminum moveri repugnat: [illegible]amnati *totaliter ad*

viæ terminum pervenerunt: ergo non possunt in terminum moveri.

75. Explicatur hoc: Etenim duo sunt termini creaturæ rationalis, scilicet, terminus perditionis, in quo damnati sunt, & terminus felicitatis, in quo sunt Cœlestis Aulæ milites, & in quem orationes ordinant illum, cui prosunt: sed damnati in nullum ex his terminis moveri valent: ergo. Probatur minor pro prima parte: Quia in illo infelici termino iam sunt; vnde moveri in illum non possunt. Quoad secundam probatur etiam: Quia vt quis moveatur in terminum beatitudinis, debet esse in via: ergo cùm damnati sint iam totaliter extra viam, implicat quòd in illum moveantur.

§. III. *Aliquot obiectiones adducuntur.*

Dicta omnia reducuntur ad auctoritates, quibus pœnarum æternitatem comprobavimus, & ad rationes ex illis auctoritatibus deductas: Contra illa tamen sunt nonnullæ obiectiones, quibus oportet occursum ire, vt asserta veritas penitiùs percipi valeat.

76. Obiicies primò: Quamquàm attenta providentia ordinaria æternæ sint pœnæ, quas damnati patiuntur; inspecta tamen extraordinaria providentia finem habere possunt, vt apud omnes in confesso est: sed hoc sufficit, vt possimus pro illa tormenta patientibus orare: ergo datæ auctoritates non excludunt nostras orationes pro damnatis. Probatur minor: Ex quo simus certi, quòd Deus potest damnatos ab Inferno liberare, talis liberatio est consequibilis, desiderabilis, & appetibilis: ergo & postulabilis.

Respondetur omissa maiori, negando minorem. Ad probationem transeat antecedens, & nego consequentiam. Itaque res, quam petere in oratione possumus, debet esse ex iis, quæ attenta providentia ordinaria fiunt: nec sat est, quòd per absolutam potentiam fieri possint, vt â nobis postulari valeant, propterea [illegible], vt communiter observant Theologi, quos inter videre potes Magistrum To[illegible] 2. 2. quæst. & art. 5. disp. 2. num. 4. non possumus â Deo petere tantam Sanctitatem, ac fuit in Apostolis, ac in Cœlorum Regina: & certè Sanctitatis gradus illis æqualis, imò & superior, possibilis est, & desiderabilis. Verùm quia scimus, decretum â Deo esse, quasdam singulares personas, sicut in dignitate, sic etiam in Sanctitate inter omnes alias eminere: propterea non esset oratio, sed potiùs audax præsumptio illum gradum Sanctitatis petere. Sic etiam præsumptio punienda foret, petere â Deo liberationem damnatorum; cùm sciamus, statutum â Deo pœnas damnatorum numquàm finiendas. Quod nobis constat ex dictis num. 71. & aliis pluribus, quæ communiter circumferuntur.

77. Obiicies secundò contra primam rationem positam num. 73. damnatos ex Charitate diligimus: ergo inter superstites, & damnatos datur vinculum, quo orationes continuari possint. Patet ista ex dictis numero citato. Et antecedens probatur primò: Quia est expressum D. Thomæ 2. 2. quæst. 25. art. 11. *Secundò* probatur antecedens: Quia sicut Deus est obiectum primarium Charitatis, ita & Fidei: sed damnati sunt obiectum secundarium Fidei: ergo & Charitatis. *Tertiò*: Creaturas irrationales ex charitate diligimus, vt docet D. Thomas citatus art. 3. in corpore: ergo & damnatos. Patet ista, quia maior remotio est inter superstites, & irrationalia, quàm inter illos, & damnatos. *Quartò* denique: Quia illum, de cuius damnatione omnino certi sumus, ex charitate diligimus, ac pro eo oramus: v. g. Antichristus, de cuius reprobatione nobis constat, & capax est, vt â nobis diligatur, & vt pro ipso deprecemur: ergo pariformiter de damnatis dicendum est. Antecedens est certum, & consequentia constat â paritate.

Respondetur negando antecedens, quod nulla ex iis probationibus suadetur, vt constabit audienti D. Thomam, qui dicto art. 11. ait: *Aliquid ex Charitate diligitur dupliciter. Vno mo-*

modo ſicut ad quem amicitia habetur: & ſic ad illos ſpiritus (damnatos) *charitatis amicitiam habere non poſſumus: pertinet enim ad rationem amicitiæ, vt amicis noſtris bonum velimus. Illud autem bonum vitæ æternæ, quod reſpicit charitas, ſpiritibus illis à Deo æternaliter damnatis, ex charitate velle non poſſumus. Hoc enim repugnaret charitati Dei, per quam eius iuſtitiam approbamus. Alio modo diligimus aliquid, ſicut quod volumus permanere, vt bonum alterius: per quem modum ex charitate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, & vtilitatem hominum, vt ſuprà* (art. 3.) *dictum eſt. Et per hunc modum, & naturam dæmonum etiam ex charitate diligere poſſumus: in quantùm ſcilicet volumus illos ſpiritus in ſuis naturalibus conſervari ad gloriam Dei.*

Hæc Angelicus Doctor loquutus de dæmonibus, inter quos, & homines damnatos nullum eſt quoad præſens diſcrimen. Ex dictis ergo patet, quòd amor Charitatis, qui amatum reſpicit vt amicum, & proximum, eſt ille ſolus, qui termino amato bonum vult, atque adeò qui illi petit illud bonum, non poteſt charitas velle alicui bonũ, quod non ſit vita æterna, vel ad illam ordinatum; ſicut nec oratio poteſt petere niſi vitam æternam, vel quod ad illam dirigitur; vt in ſuperioribus dictum eſt cum D. Thoma eadem 2. 2. quæſt. 83. art. 9. Vnde, cùm damnati omnes ſint incapaces æternæ vitæ, propterea non poſſumus eos diligere ex charitate amicitiam fundante, nec bonum ipſis deſiderare, nec pro ipſis petere. Et aliter facere turpiſsimum foret, quia *repugnaret charitati Dei, per quam eius iuſtitiam approbamus.* Illo alio charitatis amore amicitiam non inferente, damnatos diligere poſſumus, ſicut & creaturas irrationales. Ex hoc autem amore non habetur, quòd pro illis orare poſsimus, ſicut nec quòd ſint noſtri proximi. Et licèt minùs diſtent â nobis, quàm creaturæ irrationales, hæc minor diſtantia non pertingit ad amicitiæ amorẽ. Per quod patet ad primam, & tertiam obiectionem.

Ad ſecundam reſpondet D. Thomas dicto art. 3. *Ad tertium dicendum, quòd fides ſe poteſt extendere ad omnia quocumque modo vera; ſed amicitia charitatis ſe extendit ad illa ſola, quæ nata ſunt habere bonum vitæ æternæ. Vnde non eſt ſimile.*

Ad vltimam reſpondetur, quòd ſicut reprobi, & etiam ipſe Antichriſtus, habent Angelum cuſtodem, â quo in bonum inclinentur, ab inimicis tueantur, ac cohibeantur, nè adeò pravi ſint ac ſine illa cuſtodia forent; vt docet Divus Thomas 1. p. quæſt. 112. art. 4. ad 3. ſic etiam pro omnibus illis orare poſſumus, vt minùs vt auxilia conſequantur, quibus ſuffulti minùs mali ſint, quãm ſine illis, quod ſufficit ad veram amicitiam, ſuppoſita abſoluta poteſtate, quã habent conſequendi beatitudinem, quæ certè non verificantur de damnatis; atque adeò non poſſumus eos amicabiliter diligere, nec pro illis petere.

78. Dices: Illi, de cuius reprobatione ſumus certi, nullum bonum velle poſſumus: & tamen illum, vt modò diximus, diligimus ex Charitate amicabili: ergo etiam hoc modo poſſumus diligere damnatos. Probatur maior: Illi, de cuius reprobatione ſumus certi, non poſſumus velle beatitudinem, nec ipſi illam petere: ergo nec aliud bonum. Conſequentia conſtat ex dictis: Diximus enim, nos non poſſe ex charitate velle, aut petere bonum aliquod illi, cui non poteſt deſiderari, aut peti beatitudo; quia quodcumque bonum ex charitate volumus, aut petimus, debet eſſe vel æterna vita, vel bonum ad ipſam ordinatum. Antecedens autem probatur.

Primò: Quia tale deſiderium, & petitio *repugnaret charitati Dei, per quam eius iuſtitiam approbamus,* vt nuper dicebat D. Thomas. *Secundò* probatur antecedens: Quia vt diximus diſput. 3. quæſt. 1. licèt noſtrum deſiderium in petendo regulari debeat per voluntatem Dei antecedentem, dum nobis non conſtat de conſequenti; cum autem de conſequenti nobis conſtat, per illam re-

regulandum eſt, ſed modò vt ſupponimus, licèt ſciamus Deum velle hunc hominem ſalvum fieri voluntate antecedenti; ſcimus etiam voluntate conſequenti illum reprobaſſe: ergo.

79. Probatur tertiò illud antecedens: Ideò pro damnatis non poſſemus deſiderare, aut petere beatitudinem, quia eius ſunt incapaces: ſed homo, de quo loquimur, eſt incapax conſequendi beatitudinem: ergo illam illi deſiderare, aut poſtulare non poſſumus.

Si dicas, eſſe diſcrimen, quia licèt homo, de quo loquimur, ſit incapax ex ſuppoſitione, abſolutè tamen capax eſt: Vnde ipſi poſſumus deſiderare, aut petere beatitudinem.

Contra eſt: Quòd etiam damnati ſunt beatitudinis incapaces ex ſuppoſitione ſtatus, in quo ſunt: abſolutè verò, attenta eorum natura, capaces ſunt videndi, & amãdi Deum: ergo vel damnatis poſſumus deſiderare, & petere Beatitudinem, vel non poſſumus illam deſiderare, aut petere homini iſti.

Reſpondetur negando maiorem. Ad probationem nego antecedens: ad cuius primam probationem dicas: hominem iſtum, etiam in ſenſu compoſito decreti de ſua reprobatione, eſſe abſolutè mobilem in beatitudinem; quia ad hoc ſat eſt, & requiritur, quòd abſolutè ſit capax beatitudinis. Indidemque iſte homo poteſt per longum tempus in gratia permanere; poteſt plurima bona opera facere, & multa mala vitare. Nihil ergo deſideratur, vt ipſi hæc bona, quæ poteſt habere, & illud, in quod mobilis eſt, deſiderentur.

80. Quod vt prorſus calleas, rogo: Homo iſte reprobus, cùm eſt in gratia, vt poteſt, imò & in gradu ſublimiſsimo Sãctitatis, diligitur â Deo amore amicitiæ? Malè apud Fidem audires, ſi negares. Si ergo Deus ſic diligit reprobum pro tempore, quo in gratia eſt, pariter & nos illum diligere debemus pro tempore, quo capax eſt gratiæ: quippe noſtra *charitas non exigit communicationem in vita Divina in actu, ſed ſufficit, quòd ſit in potẽtia, quia quod eſt in potentia quodammodò eſt* ait Divus Thomas in 3. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. ad 1. Vnde amor circa hunc hominem non repugnat *charitati Dei, per quam eius iuſtitiam approbamus*: quin potiùs eſt tali charitati conformis.

Ad ſecundam probationem antecedentis reſpondetur, quòd ſicut nobis conſtaret de illius hominis reprobatione: ſic etiam conſtaret de voluntate Dei, volentis, vt illum amore amicitiæ diligeremus, pro tempore, quo non amittit capacitatem ad gloriam, & ad media, quibus gloria conſequitur: ſicut & ipſe Deus illum diligit pro toto illo tempore, quo perſeverat in gratia; quin iſte Dei amor erga illum reprobum pugnet cum decreto de ipſius reprobatione. Vnde, quia debemus regulare noſtrum deſiderium, orationemque cum eo, quod ſcimus â Deo decretum; propterea hunc reprobum amore amicitiæ diligere debemus: quia ſcimus, eſſe voluntatẽ Dei, quòd mobilẽ in beatitudinem, & mediis, quibus obtinetur ipſa, decorum, ſeu decorari potentem, diligamus.

Ad tertiam probationem admittimus ſolutionem inter arguendum datam, ad cuius improbationem dicimus, quòd damnati non ſunt capaces gratiæ, nec aliorum, quæ hominem perducunt ad gloriam, cuius contrarium evenit in reprobo viatore. Hic enim, etiam in ſenſu compoſito decreti, non eſt in termino, vnde retinet mobilitatẽ in duos illos terminos num. 75. dictos, ac per conſequens poteſt iam in vnum, iam in alium tendere.

81. Obiicies tertiò contra ſecundam rationem num. 74. poſitam, & poteſt eſſe replica contra modò dicta: Licèt repugnet, quòd ille, qui eſt in vno termino, moveatur in ipſum terminum, in quo eſt; non tamen repugnat, quòd in alium terminum moveatur: ergo licèt damnati ſint totaliter extra viam relatè ad terminum, in quo ſunt, poſſunt moveri in terminum beatitudinis; ſic enim ſuadet paritas termini motus materialis, vt illam conſiderans cognoſcet.

Reſpondetur ex N. Salmant. tract. 16.

16. disp. 1. dub. 4. num. 29. *Quòd licèt non repugnet existentem in vno termino moveri ad alium, quando terminus ille, in quo existit, non est vltimus; secùs autem quando prædictus terminus habet rationem vltimi, qui sicut existentem in eo constituit extra viam simpliciter, ita ex natura rei petit, quòd vlteriùs nõ moveatur.* Per quod solvitur obiectio, quæ si convinceret, probaret quidem, Beatos esse mobiles in damnationem; atque ideò deberemus â Deo petere, nè illos damnaret. Quod ingens absurdum est.

82. Dices: Licèt Beati sint in termino vltimo, atque adeò sint ex natura rei immobiles ad alium terminum; tamen per posse absolutum non implicat, quòd in alium terminum moveantur, vt docent laudati Patres num. 28. & 31. ergo existentia in vno termino vltimo nõ pugnat cum motu in alium.

Respondetur, quòd licèt hoc concederemus, nil tamen inferre posset contra nostrum assertum; siquidem, vt diximus num. 76. in oratione petere â Deo debemus, quæ providentiæ ordinariæ subsunt: non autem, quæ ad absolutam spectant.

Dicimus tamen cum iisdem N. Salmanticens. quòd existens in termino vltimo, qui eo ipso est simpliciter talis, potest de posse absoluto moveri in terminum secundùm quid talem: In terminum autem alium simpliciter implicat omnino motus: vnde Beati, ex quo sunt in termino vltimo, ac simpliciter tali, solummodò in terminũ secũdùm quid, & hoc per posse absolutum, moveri possunt, quarè solùm moveri possunt ad merendum aliquod præmium accidentale, vel novum aliquem gradum præmii essentialis.

Vnde in forma respondetur distinguendo antecedens: *In alium terminum simpliciter talem*, nego: secundùm quid, subdistinguo: *in alium terminum* secundùm quid, & nullam oppositionem dicentem cum termino vltimo, in quo sunt, concedo: dicentem aliquam oppositionem, nego antecedens. Deinde distinguo consequens: *Cum motu in alium* vltimum, & simpliciter talem, nego. Non vltimum, sed secundùm quid, subdistinguo: Si non dicit dictam oppositionem, concedo: si illam dicit, nego consequẽtiam. Mereri præmium aliquod accidentale, aut novum gradum gloriæ essentialis, nec est in terminum simpliciter talem tendere, nec opponitur cum beatitudine. Quòd autẽ damnati moverentur in beatitudinem, & esset in terminum simpliciter vltimum ire, & terminum penitùs pugnantem cum termino, in quo sunt, respicere.

§. IV. *Testimonium Divi Dionysii mysticæ Theologiæ Principis in comprobationem nostræ conclusionis.*

83. INsignis Mysta D. Dionysius propositam nostram assertionem suadet loco citato suprà sic dicens: *Non enim Summus Sacerdos Divinæ Iustitiæ Propheta peteret aliquando nisi à Deo amabilia, & ab eo donari divinitùs promissa: propter quod pro immundis non orat hic dormientibus: quoniam non solùm Prophetico in hoc averteretur ordine, & quid hierarchicorum superbè auderet à perfectionum Principe monendus; sed quia iniustam orationem non consequeretur, à iusto eloquio ipse non immeritò audiens: petitis, & non accipitis, quia malè petitis.* Post quæ concludit: *ergo Divinus Summus Sacerdos expetit Divinitùs promissa, & amabilia Deo, & omnino donanda.*

Non est verbum in his, quæ ex Areopagita exscripsimus, quod nostram assertionem non suadeat. Ait enim, Sacerdotem sua oratione non petere nisi ea, quæ sunt *Deo amabilia, & ab eo donari Divinitùs promissa.* Ex quibus constat, cuius conditionis sit res in oratione petenda: quippe debet esse bona, seu amabilis Deo, & ex iis, quæ Deus dare promisit: si namque mala sit in se; vel non sit ex â Deo promissis, non est materia in oratione petenda.

Quod expressiùs docuit idem Dionysius vltimis verbis asserens in oratione esse petenda ea solùm quæ sunt *omnino donanda*. Per quod non intelligas, quòd solùm ea, quæ reapsè consequen-

quenda ſunt, peti poſſunt. Non eſt hæc mens D. Dionyſii, nec tale quid poſſet aſſerere Profundiſsimus ille Theologus. Sed *omnino donanda* ea nominat, in quibus nec quoad ſubſtantiam, nec quoad circunſtantiam aliquid prudentia invenit, per quod indecens res illa reddatur, vt coram Deo petenda præſentetur.

In quo profundo Magiſterio vſus Dionyſius orantes inſtruit, vt videant quid ſua oratione petunt. Priùs enim explorare debent, an ſit bona res illa, quam precantur: ſi namque amabilis Deo, ſeu bona non eſt, inpiè ad petendum accedit. Itidem, res ipſa debet eſſe ex à Deo promiſsis, hoc eſt, non ex iis, quæ per potentiam Dei abſolutam, & non aliter poſſunt fieri. Si namque res, quæ petitur, non ſit ex illis, quæ ſecundùm providentiam ordinariam fiunt, quamquàm bona ſit, peti non debet, niſi ex ſpecialis numinis inſtinctu procedatur.

Inſuper quia plura, quæ in ſe bona ſunt, & ex promiſsis à Deo, hoc eſt ex iis, quæ eveniunt ſecundùm providentiã ordinariam, cæterùm ſubiecto petẽti non ſunt, vel quoad ſubſtantiam; vel quoad circũſtantiã aliquã, idonea: propterea addidit Dionyſius, quòd res petenda ſit *omnino donanda*, hoc eſt, quòd talis ſit, vt nec in ſe, nec relatè ad petentem aliquid habeat, per quod prudenter peti non valeat.

84. His ergo conditionibus, ſi fulgeat res deſiderata, qui illam deſiderat, *poſtulet in fide nihil hæſitans*: Quòd ſi rem illam, quam petit, non conſequitur, erit, quia rem obtinebit magis ſibi conuenientem, vtì docet D. Thomas in 4. diſt. 15. quæſt. 4. art. 7. quæſtiunc. 3. ad 2. Et D. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum dicens: *Bonus Dominus, qui ſæpe non tribuit, quod volumus, vt tribuat, quod malemus.* Videatur Seraphica Mater noſtra Thereſia in de itin. cap. 1. in fine.

85. Ex his conditionibus, quæ debere eſſe in re poſtulanda Dionyſius docèt, clariſsimè conſtat, non eſſe orandum pro damnatis. Siquidem, cùm ſcimus, Deum eos in æternum damnaſſe, imprudentiſsimè procederet, qui hæc ſciens eorum liberationem poſtularet. Non tamẽ voluit myſticæ noſtræ Theologiæ Parens hoc diſcurſibus noſtris fidere: ac propterea ſubiungit: *Propter quod pro immundis non orat hic dormientibus.* Ecce docet, Sacerdotem non orare pro damnatis; eò quòd talis deprecatio conditiones, quas priùs dixerat, non habet. Et talem orationem (ſi fieret) iniuſtam dicit, illamque facientem talem eſſe, vt meritò audire timeat: *Petitis, & non accipitis, quia malè petitis.*

86. Dices: Dionyſium loqui de Miniſtro Eccleſiæ publicam orationem fundente, & quòd iſte non poſsit orare pro damnatis, non arguit ipſum, alioſque non poſſe orare pro illis oratione privata. Quod patet à ſimili de excommunicatis, pro quibus non publica, ſed privata ſolùmmodo oratione orare poſſumus.

Reſpondetur, ita eſſe, quod Dionyſius loquitur de Eccleſiæ Miniſtro publica oratione orante. Verùm ratio, qua vtitur, privatam etiam orationem excludit, vt ex dictis apertiſsimè conſtat. Pro excommunicatis orare privata oratione poſſumus, vt à contumacia diſcedant, hic enim eſt finis, ob quem cenſura feriuntur: quippe non ſunt in malo obſtinati, ſunt mobiles in beatitudinem, noſtrique proximi, quorum nihil in damnatis reperitur.

§. V. *Aliqua argumenta propoſita.*

87. COntra concluſionem ferè non eſt regula Fidei, quam Aduerſarii non moueant. Scripturam Sacram, Pontificem, Eccleſiam nobis opponunt: ſic que arguunt primò ex lib. Sap. vbi dicitur cap. 2. *Miſereris omnium, Domine, quoniam omnia potes.* Quibus verbis aſſeritur, Deum miſereri; & etiam debemus intelligere, in hoc loco comprehendi damnatos omnes; quia non determinatè huius, aut illius mentio fit: *omnium* enim miſeretur Deus. Modò ſic: Sed ſi pœnæ damnatorum non haberent finem, eorum

rum non misereretur Deus: ergo illæ pœnæ finem habent: ergo & à nobis potest peti eorum liberatio.

Idem docet D. Paul. in ad Rom. cap. 11. vbi ait: *Concludit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur*, vbi eadem doctrina nobis traditur, ac in præcedenti auctoritate.

Respondetur ex D. Thoma loco citato ex sententiar. Deum quantùm in se est, misereri omnium. Cum quo tamen stat, quòd eius misericordia ad aliquos non se extendat, quia ea indignos se fecere, cuiusmodi sunt damnati; qui, obstinati cùm sint, indigni sunt, vt eos sublevet Divina misericordia. *Potest tamen dici*, ait laudatus D. Thomas, *quòd in eis misericordia etiam locum habet, in quantùm citra condignum puniuntur: non quòd à pœna totaliter absolvantur.*

Ad auctoritatem D. Pauli dicimus idem, quod ad præcedentem dictum est. Secundò respondetur: Ly *omnium* supponere distributivè incompletè; atque adeò supponit pro omnibus generibus peccantium; non tamen pro omnibus individuis. Vnde omnium generum peccantium, scilicet, Catholicorum, Hæreticorum, Iudæorum, Gentilium, & aliorum Dominus miseretur. Ex illis plures misericorditer sanans, & ad viam veritatis reducens. Hac tamen misericordia non vtitur cum omnibus illorum generum individuis.

88. Adde: Certissimè piissimum Dominum cum ipsis damnatis magnam suæ pietatis ostensionem fecisse, dum viverent. Ad eorum ostium stetit, eorum corda pulsavit, toties, aperite mihi, dixit, quoties eos sua vocante gratia, præmonuit. Illi verò tamquàm surdi non audiebant, nolentes intelligere, vt benè agerent, ac tandem sua perversitate positi sunt in miserrimo statu suæ obstinationis, cum qua incompatibilis est præteritorũ dolor; atque adeò misericordiæ consequutio. Videatur D. Thomas 1. part. quæst. 64. art. 2. in corp. & ad 2.

Ex dictis habes, quid dicas D. Anselmo, quem pro se adducunt contrarii. lib. 1. *Cur Deus homo cap. 6.* vbi ait: *Non est iustum, vt Deus creaturam rationalem, quam fecit ad beatitudinem, omnino perire sinat.* Quippe non omnino perire sinit creaturam rationalem, qui illam ante mortem vocat, & ad ovile suum reducit, & hoc postquàm à miserabili Dæmonis captivitate proprii sanguinis larga effusione redemit. Itidemque non omnino perire sinit *creaturam rationalem, quam fecit ad beatitudinem*, qui adhuc in Inferni voragine citra condignum plectit.

89. Arguitur secundò: Nam apud Esaiam cap. 14. dicitur de Diabolo: *Tu autem proiectus es*, circa quod dicit Glossa: *Si omnes animæ aliquãdo habebunt requiem, tu numquàm*: ergo licèt Diabolus numquàm à pœnis eripiatur, homines verò aliquando liberari possunt.

90. Confirmatur: Quia ex 2. Machab. cap. 12. constat, Iudam Machabæum virum Sanctissimum, Sapientemque præcepisse, vt orationes fierent pro militibus in prælio occisis, qui damnati erant. Verba textus subiicio: *Et ad preces conversi rogaverunt, vt id, quod factum fuerat delictum, oblivioni traderetur. Quarè Iudas misit duodecim millia drachmas argenti offerri eas in Ierusalem pro peccatis mortuorum.* In quibus duo habentur. Primum est, orationes, oblationesque pro illis defunctis factæ. Secundum est, milites illos in peccato obiisse constat ex illis verbis: *Quod factum fuerat delictum.* Et ex illis: *Offerri eas in Ierusalem pro peccatis mortuorum.*

Delictum horum occisorum, cum quo decesserunt, fuit gravissimum, gravissimisque pœnis prohibitum in Deuteronom. cap. 7. Fuitque hoc peccatum, quia dum milites isti præliarentur cum Idolatris, abstulerunt ab eis Idolorum donaria, eaque abscondita habebant sub tunicis. Ecce pro occisis in gravi peccato, qui abs dubio damnati erant, orationes fiunt.

Respondetur negando consequentiam, nec sensus Glossæ est ille, quem arguens intendit, sed quem docet D. Thomas in supplemen. ad 3. part. q. 99. art. 3. vbi ait: *Dicendum, quòd illa*

illa Gloſſa non loquitur ſimpliciter, ſed ſub hypoteſi impoſsibilis ad exaggerandum peccati magnitudinem ipſius Diaboli. Ac ſi diceret: Quamquàm damnati homines aliquando forent miſericordiam conſequuturi: tu autem, ô Lucifer, qui manè oriebaris, & tui ipſius amore captus de Cœlo cecidiſti; adeò infeliciter lapſus es, vt numquàm â caſu ſurgere ſit poſsibile.

Hæc loquutio ſimilis illi eſt, qua Luc. 21. vtitur Chriſtus: *Cælum, & terrà tranſibunt; verba autem mea non præteribunt.* Hoc eſt: quamvis impoſsibile ſit Cœlum, ſolumque tranſire, & etiam verba oris mei non impleri; tamen impoſsibilius eſt, quòd â me dicta non verificentur, quàm quòd Cœlum, & terra finiantur. Vide Seraph. Caponi ad locum citatum D. Thomæ, vbi in appendice plura dicit circa miſericordiam, quam Deus vtitur cum damnatis.

Ad confirmationem reſpõdetur cum Angel. Præcept. in 4. ad Anibald. diſt. 45. ad 3. vbi ait: *Ad primum ergo dicendum, quòd illi non acceperunt donaria idolorum in eorum reverentiam, ſed tamquàm victores iure belli cum quadam avaritia veniali. Vel dicendum ſecundùm quoſdam, quòd in ipſo mortis periculo pœnituerunt, ſecundùm illud Pſalm. 77. Cùm occideret eos, quærebant eum.* Duplici hac via occurrit D. Thomas huic confirmationi, cuius vires, quacumque ex illis enervantur.

91. Arguitur tertiò: Damnati orant pro vivis, nè damnentur: ergo vivi poſſunt orare pro damnatis, vt â pœnis eripiantur. Conſequentia conſtat â paritate, eamque ratio ſuadet; quia magis eſt, orare pro aliis, quàm aliorum orationis fructum percipere, vt patet in animabus Purgatorii, quæ poſſunt orationibus vivorum iuvari; ſed orare pro vivis, attenta conditione ſtatus, in quo cruciantur, non poſſunt. Antecedens autem probatur: Quia miſer ille dives apud Luc. cap. 16. petiit ab Abraham, vt Lazarũ mitteret in domũ Patris ſui: *Habeo enim, aiebat, quinque fratres, vt teſtetur illis; nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.*

92. Confirmatur primò: Quia Dæmones plura â Chriſto Domino petierunt, obtinueruntque, vt quòd eos mitteret in porcos, potiùs quàm in Infernum Luc. 8. Et nè eos ante tempus torqueret, quod conſequuti ſunt: Marc. cap. 5. ergo cùm magis ſit orare, & obtinere, quàm aliorum orationibus iuvari, non eſt cur pro damnatis orare non poſsimus.

93. Confirmatur ſecundò: Orationes vivorum magis proſunt defunctis, quàm vivis: ſed vivis, etiamſi in peccato ſint, proſunt: ergo & mortuis, etiamſi Inferno ſint. Probatur maior ex D. Dionyſio cap. 7. de Cœleſti hierarchia, vbi ait: *Si Iuſtorum orationes, & ſecundùm hanc vitam, quanto magis poſt mortem in illis, qui digni ſunt, Sacris orationibus operantur.*

Reſpondetur argumento: Primò omiſſo antecedẽti, negando conſequentiam. Diſcrimen eſt, quòd noſtra oratio pro damnatis nobis prohibita eſt: damnatorum verò oratio, vel ipſis non prohibetur, vel quamquàm prohibeatur, illi de his prohibitionibus non curant. Vnde etſi illi pro vivis orent, vivi pro illis orare non valent.

Reſpondetur ſecundò: Damnatos velle omnes ſuperſtites damnari: Quia tamen ſciunt, aliquos ſalvandos eſſe, volunt ſuos propinquos eſſe de numero eorum, qui ſalvandi ſunt. *Et exinde fuit*, ait D. Thomas in ſupplemen. quæſt. 98. art. 4. ad 1. *Quòd dives petiit fratres ſuos à damnatione eripi: ſciebat enim, quòd aliqui eriperentur; maluiſſet tamen cum fratribus ſuos omnes alios damnari.* Videatur ibidem Angelicus Doctor. Et in 4. ad Anibald. diſt. 50 quæſt vnic. art. 1. ad 2. & qui ſic orat, indignus eſt, vt pro ipſo oretur.

Ad primam confirmationem dicas: Verum quidem eſſe, aliqua Dæmones â Chriſto Domino poſtulaſſe, & conſequutos fuiſſe; eorum tamen petitio mala fuit: atque adeò hinc nullum fundamentum ſumi poteſt, vt nos pro ipſis fundamus preces.

Ad ſecundam confirmationem reſpondet laudatus D. Thomas quæſt. 71. art.

art. 5. *Ad tertium dicẽdum, quòd quantùm ad hoc magis acceptatur suffragium pro mortuo, quàm pro vivo, quia magis indiget; cùm non possit sibi auxiliari, sicut vivus. Sed quantùm ad hoc vivus est melioris conditionis, quia potest transferri de statu culpæ morta lis in statum gratiæ, quod de mortuis dici non potest: & ideò non est eadem causa orandi pro mortuis, & pro vivis.*

Eodem etiam modo intelligendum esse Dionysiũ, docet August. lib. de cura pro mortuis, vbi ait: *Pia opera eis tantùm defunctis prodesse, qui, cùm viverent, hæc sibi, vt postea possent prodesse, merucrunt.* Et certè Areopagitam non loqui de damnatis, inde constat, quia loquitur de illis, *qui sunt digni sacris orationibus*: damnati autem non solùm non sunt digni, vt sacris orationibus adiuventur, verùm etiam indigni sunt, vt preces pro ipsis fundantur.

94. Arguitur quartò: Quia precibus D. Gregorii Papæ liberata fuit Traiani anima ab æternalis supplicii flamma: ergo preces pro damnatis fusiæ exaudiuntur â Deo. Antecedens, in quo est difficultas, est expressum D. Ioannis Damasceni in oratione de Fidelibus defunctis, vbi ait agens de D. Gregorio: *Hic intensissimas pro peccatorum Traiani remissione preces ad animarum amantem, & misericordem Dominum fudit: statimque Divinitùs vocem emissam audivit. Preces tuas audivi, ac Traiano ignosco. Tu verò post hac caveto, nè mihi pro impiis supplex sis. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus, atque Occidens testatur.* Videsnè antecedens illud Damasceni auctoritate, & totius Orientis, Occidentisque consensu comprobatum?

Respondetur: Casum istum de liberatione Traiani ob preces D. Gregorii multum pulverem concitasse, Auctoresque in sententias nulla vi fœderandas divisisse. Extemplò â Baronio longè sum, qui tom. 8. ad ann. 600. Theologos carpit, quia punctum hoc historiale seriò explorant mittentes falcem in alienam messem, ac si facultas sit, quæ Theologiæ non inserviat. Historia, aliæque facultates ancillæ sunt, quas mittit Sacra doctrina, vt ad arcem, & ad mœnia pulcherrimæ civitatis vocent quicquid est, vt de quocumque, quamquàm minimum sit, agat suo nobilissimo modo.

Quodsi aliquis excessus (quod non impossibile suspicor) apud Theologos est in hac parte: Non parum etiam excessisse Baronium, deprehendet, quisquis illum delictorum Traiani catalogum â se compactum considerauerit. Difficultas est: An Traiani historia vera sit, nec nè? Ad hoc, quid refert Iuliani dictum refricare,

Et rapti Ganymedis honores?

Impiissimũ fuisse Traianũ, factũ ipsum supponit; siquidem supponit illum in fœtido damnatorum ergastulo. Quòd autem sit incarceratus pro mille, aut pro mille & quingentis, nihil conducit.

Ad rem ergo. Historiam istam magnificari ab aliquibus, vt nostri asserti eversivam, conspicimus; ex illa tamen nil contra illud haberi sequentia ostendunt.

Respondetur ergo primò negando antecedens, ad probationem nego tale quid asseri â D. Ioanne Damasceno; imò nec asseri potuisse: præcessit enim Damascenus Gregorium per multos annos. Quippe Damascenus floruit sub Theodosio Seniore, cuius familiarissimus fuit: Divus verò Gregorius vixit imperante Mauricio, & Phoca tyranno, quos inter ferè ducentorum annorum differentia fuit. Non ergo potuit Damascenus casum illum referre, qui post ipsius obitum eveniſſe debere, comprobatur.

Scio Cardinalem Bellarminum lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis agentem de S. Ioanne Damasceno dixisse: Itaque longè â veritate aberrant, qui Damasceni tempore Theodosii Senioris *floruisse, scribunt.* Quarè illum vixisse, tradit sub Leone Isaur. Et Constantino Copronymo, â quo multa passus est propter Catholicam fidem. Ac denique Auctoré præfat[illegible] historiæ fatetur.

Verùm [illegible] quid de tempore sit, quo

Damaſcenus floruit, nobis pro hac firmanda prima ſolutione ſatis, ſuperque fuerit plures, graviſsimoſque Auctores in palàm adducere, ſi opus eſſet, qui conſtanter tenent, vixiſſe ſub Theodoſio Seniore Damaſcenum. Sic ergo docent Seraph. Capponi 3. part. in ſupplemen. quæſt. 71. art. 5. ad 5. Et Mag. Torre 2. 2. q. 83. art. 8. diſp. 2. num. 12. Sic etiam alii plures. Qui omnes negant, ſcriptum illud Damaſceni eſſe; ſed falsò illi adſcribi, vt hiſtoriæ credulitas conciliaretur: vel forſam ex aliqua æquivocatione alterius Damaſceni, qui potuit eſſe Auctor illius ſcripti. Vt vt ſit; Doctores iſti negant, Damaſcenum hiſtoriam illam ſcripſiſſe: vnde cùm tota huius hiſtoriæ credulitas innitatur auctoritati Damaſceni, corruit totum credulitalis pondus, ex quo falsò adſcribi Damaſceno, cognoſcitur.

Reſpondetur ſecundò admittendo caſum: Sed negamus ex illo poſſe colligi, nos orare poſſe pro damnatis, imò contrarium infertur, vt conſtat ex illis verbis: *Tu autem poſthàc caveto, nè mihi pro impiis ſupplex ſis.* Ex quo interdictã nobis eſſe orationem pro dãnatis, nemo non videt. Vnde, etiamſi Adverſariis hiſtoriam illam, prout ipſi volunt, concedamus, ex illa potiùs firmatur noſtra aſſertio.

Reſpondetur tertiò ex D. Thoma locis citatis: Traianum, ſi vera eſt illa hiſtoria, vtique in Inferno fuiſſe; ſed non finaliter iudicatum. Ob prævisas enim D. Gregorii preces manſit eius cauſa iniudicata finaliter. Acceſsit D. Gregor. oratio, cuius intuitu ad vitam miraculosè redivit, pœnitentiam egit, & gloriam adeptus eſt. Quod multoties accidit: multi enim Sancti ſuis orationibus nacti ſunt, vt plures revocarentur ad vitam: quorum multi damnati erant, vtpotè idololatræ, ac in peccato decedentes: ſed tamen non erant in æternum damnati, ſed ad tempus. Si caſus Traiani ſic ponitur: non eſt inſolitus, nec contra nos, qui de finaliter damnatis loquimur. Neque via excuſat D. Thomas hiſtoriam illam â cenſura. Si autem contrarii Auctores teneant, Traianum finaliter damnatum, hiſtoriam non admittimus. Videantur N. Salmant. tract. 13. diſp. 17. dub. 3.

VI. *Solvitur argumentum difficile.*

95. VLtimò arguitur: Quia Eccleſia Catholica verè veritatis Magiſtra orat pro damnatis: ergo oratio pro damnatis valet. Probatur antecedens: Clariſsimè ex vſu ipſius Eccleſiæ, quæ in Miſſa defunctorum ad Deum pro ipſis clamat hiſce vocibus: *Libera, Domine, Animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore Leonis, nè abſorbeat eas tartarus, nè cadant in obſcurum, & c.*

Vbi obſervandum primò eſt: Eccleſiam orare pro animabus *omnium fidelium Defunctorum*: atqui in Inferno ſunt plures animæ *fidelium defunctorum*: ergo pro illis orat Eccleſia. *Secundò*, quòd Eccleſia petit, vt illæ animæ, pro quibus orat, liberentur *de pœnnis Inferni*; velut in officio ſepulturæ dicitur, *ab Inferni voragine*: ergo orat pro animabus damnatorum.

Ecce argumentum ex ſe multùm difficile, & quod magis inſuperabile reddidere Doctorum diverſiſsimæ ſolutiones. Qualitercumque inſpiciatur, tenebroſiſsimum eſt. Si namque de animabus æterno ſupplicio adiectis intelgamus, corruit funditùs aſſertio noſtra. Si autem intelligamus de iis, qui igne Purgatorio expiantur, contradicit ipſius deprecationis contextus. Primò enim, Purgatorium non dicitur Infernus, nec profundus lacus, nec obſcurum, nec tartarus, nec Inferni vorago. Hæc nomina propriiſsima ſunt Inferni, vbi damnati plectuntur, non Pugatorii, vbi prædeſtinati expiantur. Nec res creditu digna videtur, Eccleſiã Dominum deprecantem impropriis adeò vocibus vti.

Secundò: Si de exiſtentibus in Purgatorio capienda ſunt dicta verba: quomodò petit Eccleſia, vt non *cadant in obſcurum*? *Non abſorbeat eas tartarus*? Siquidem iam in obſcuro habitant â

tar-

tartaro abſorptæ. Videſnè argumẽti difficultatem? Audi aliqua ê multis, quæ ad eius enodationem accumulant Doctores, qui ſupponunt, & nos cum illis, prædicta verba intelligenda eſſe de exiſtẽtibus in Purgatorio. Sic docent Ioannes de Medina C. de orat. quæſt. 6. Greg. de Valen. tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. de orat. punct. 8. Bellarm. lib. 2. de Purg. cap. 5. Thomas Hurtado reſol. moral. tract. 5. cap. 6. §. 1. reſol. 58. N. Salmant. tract. 21. diſp. 7. num. 113. Et inſuper quotquot nobiſcum in præſent. catholico aſſerto conveniunt. Difficultas eſt, quomodò de Purgatorio poſsint verba illa intelligi?

96. Reſpondet primò citatus Medina: Tales orationes non parum ineptitudinis continere. In quo hic Auctor nullum reperit inconveniens: *Multa enim*, ait, *in Eccleſia legi permittuntur, quamvis non omnino vera ſint, vel non omnino apta; quia conferunt ad fidelium devotionem excitandam, vt in legendis Sanctorum, & opinionibus Doctorum. Ita ergo dici poteſt de illis orationibus, quæ à privatis perſonis factæ ſunt, & non à Concilio aliquo, nec in eo ſunt approbatæ.*

Verùm hæc reſponſio ſua ſe animoſitate deſtruit: Tales orationes vt Sanctiſsimæ, verumque ſenſum continentes venerandæ ſunt. Et licèt obſcuritatem aliquam habeant, ob quam in earum explanatione ſpatiãtur Theologi: ſemper tamen earum proprietas debet ſupponi; nec fas eſt dicere eas ineptitudine laborare. Quod non ſint factæ, approbatæve in aliquo Concilio, nullum fundamentum præbet, vt de illorum proprietate dubitetur; cùm ab Eccleſia vniverſali approbatæ ſint. Nec volumus in hac re ampliùs immorari.

97. Reſpondet ſecundò dictus Valentia: Eccleſiam iis orationibus non petere, quòd exiſtentes in Purgatorio liberentur ab Inferno: conſtat enim iam liberos eſſe ab Inferni voragine. Petit tamen exequutionem illius decreti, quo eos liberos fecit, quæ exequutio mediis orationibus obtinenda eſt. Sicut cùm Patres antiqui ſuſpirabant pro Meſsiæ adventu, non clamabant pro decreto adventus Meſsiæ: hoc enim iam factum certiſsimè ſupponebant: precabãtur tamen exequutionem illius decreti, quam fiendam mediis orationibus cognoſcebant. Sic præfatus Auctor.

Contra eius tamen doctrinam diſputo ſic primò: Nemo cordatè petit, quod iam conceſſum eſſe cognoſcit: at Eccleſia ſcit, vt fide Sanctum, exiſtentes in Pargatorio, liberos eſſe ab Inferno: ergo hoc non petit. *Secundò* diſputo: Orans petit ſibi, vel aliis id, quod nondũ habetur: liberationem â tartaro habẽt certiſsimè exiſtentes in Purgatorio: ergo hoc nõ petit Eccleſia. *Tertiò*: Quia Eccleſia non poteſt dubitare de felicitate Beatorum, non petit, nè tartarus eos abſorbeat: ſed etiam eſt æquè certa de prædeſtinatione exiſtentium in Purgatorio: ergo.

Quartò: Eadem res nequit ab eodem haberi, vt præterita, & vt futura: ſed quicũque petit, reſpicit rem, quam petit, vt futuram, & Eccleſia reſpicit ſalutem exiſtentium in Purgatorio, vt iam habitam: ergo illam petere non poteſt. *Quintò*, & ad hominem: Eò Eccleſia non petit decretum de ereptione exiſtentium in Purgatorio; quia iam factum ſupponitur tale decretum: ſed etiam facta eſt exequutio talis decreti: ergo. *Sextò*: Eò Patres antiqui petebant exequutionem decreti de adventu Meſsiæ, & non ipſum decretum; quia hoc ſupponebant factum, non autem exequutionem: at Eccleſia ſupponit iam exequutionem decreti de ereptione exiſtentium in Purgatorio: ergo. *Septimò*: Si poſt adventum Meſsiæ oraret aliquis pro exequutione illius decreti; abſque bubio vapularet; quia ſua oratio teſtis irrefragabilis eſſet de ipſius incredulitate, vel hæſitatione circa illum adventum: ergo cum certitudine, quam habet Eccleſia, de exemptione dicta, non compatitur, quòd eam petat.

98. Reſpondet tertiò præadductus Bellarmin: Quòd quamvis animæ exiſtentes in Purgatorio certiſsimæ de ſua ſalute ſint, ex ordinatione iudicatæ fuere in iudicio particulari, quod in cuiuſvis mor-

morte celebratur: remanet tamen iudicium generale in fine Mundi celebrandum; eòque pro eis orat, vt *evadant iudicium vltionis*.

Sed contra primò: Quia Ecclesia non potest timere aliquod malum existentibus in Purgatorio pro tempore iudicii vniversalis: ergo non orat, vt ab illo iudicio liberentur. Patet ita: Quia, qui timens orat, intendit aliquod malum imminens vitare: Vnde cùm Ecclesia timens, supplexque orat pro existentibus in Purgatorio, si ad iudicium vniversale suas orationes dirigeret, aliquod malum eis inde venire posse, timeret. Antecedens autem probatur: Quia impossibile est, assignare, quod sit malum illud, quo timeri posset.

Contra secundò: Quia si pro existentibus in Purgatorio orat Ecclesia, vt *evadant iudicium vltionis*; pariter pro Beatis poterit deprecari, vt tale iudicium evadant: hoc est absurdum: ergo. Probatur maior, seu sequela: Eò pro existentibus in Purgatorio orat Ecclesia, vt evadant illud iudiciũ generale, quia illud iudicium eis remanet: sed etiam remanet Beatis; ipsi enim non adhuc secundùm illud iudicati sunt: ergo tenet maior. *Contra tertiò*: Quia etiam poterit Ecclesia orare pro damnatis, qui in illo vniversali iudicio comparebunt; atque adeò in illo vniversali iudicio habebunt aliquod malum, quod timeant, aut aliquod bonum, quod sperent: ergo poterit Ecclesia orare, vt damnati, vel malum, quod timent, non incurrant; vel bonum, quod sperant, consequantur.

99. Respondet quartò Thomas Hurtado loco citato, admittendam esse in Purgatorio duplicem mansionem. Prima est Inferno damnatorum contigua, & hæc est valde obscura, & propter immediationem cum Inferno subiacet iisdem nominibus, ac Infernus ipse. In hac mansione sunt animæ, quæ graviùs pœna sensus torquentur. Secunda mansio segregata ab Inferno est, estque relata ad illam primam locus clarus, & amœnus. In hac mansione sunt animæ, quæ vel nullam pœnam sensus patiuntur, vt non improbabile reputat citat. Bellarm. & alii ab ipso Hurtado adducti: vel licèt aliquam pœnam sensus patiantur; est tamen in loco hoc lucido, non autem in illo alio tenebroso: Vnde locus hic, ait Bellarm. est *mitissimum Purgatorium, & quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus*.

Hincque, ait dictus Pater Hurtado, singulariter intelligitur oratio, quam facit Ecclesia pro defunctis dicens: *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis Inferni, &c.* Siquidem Ecclesia hæc dicens petit, vt animæ illæ liberentur â pœnis, quas patiuntur in illo obscuro loco, qui ob immediationem cum Inferno, & ob sui obscuritatem dicitur Infernus, profundus lacus, obscurum, tartarus, Infernique vorago. Ab hoc ergo loco desiderat Ecclesia animas eripi, & in illo alio lucido, & carcere senatorio constitui, quod vt assequatur, suas preces interponit.

Contra hanc tamen singularem intelligentiam, ipsamet singularitas pugnat. Primò: Quia Ecclesiam sua illa oratione petere absolutam liberationem existentium in Purgatorio, nemo est, qui non asserat: ergo singularitas illius singularis intelligentiæ ipsam perimit. *Secundò* contra illam intelligentiam facit: quòd Ecclesia potest illa sua oratione petere liberationẽ absolutam: quam ergo rationem assignas, vt illam de facto non petat? *Tertiò*: Quia hac via non salvatur præcipua difficultas contenta in verbis datæ orationis. Etenim vel animæ, dum oratio fit, supponuntur iam in illo loco obscuro; vel non? Si non: ergo Ecclesia non petit, quòd inde extrahantur, & in lucido alio loco collocentur. Si sic: Quem sensum habent verba illa: *Nè absorbeat eas tartarus, nè cadant in obscurum*? Siquidem iam supponuntur in illo obscuro tartaro carceratæ.

Quartò denique, & præcipuè: Quia singularis illa intelligentia rotundè contradicit ipsi orationi factæ ab Ecclesia. Hæc enim non solùm assignat locum, â quo liberas desiderat animas, pro qui- [illegible] etiam exprimit lo-

locum, in quem transferri desiderat. Quippe postquàm locum, à quo extrahi cupit, assignat; ostendit, quò eas sublimari vult, subiungens: *Sed signifer Sanctus Michael repræsentet eas in lucē Sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, & semini eius.* Est nè locus ille non adeò obscurus, lux illa Sancta, quam olim Deus promisit Abrahæ Patri, eiusque in ævum semini? Hactenus non audivi, Sanctum Michaelem occupari in transferendo Purgatorii animas ab vno in alium locum ipsius Purgatorii. Ad maiora reservatum tantum ducem audivimus ab ipsa Ecclesia, quæ in eius officio ait: Hunc cælestis militiæ Principem esse, *cui tradidit Deus animas Sanctorum, vt perducat eas in Paradisum exultationis.* Hic Paradisus exulationis est illa lux Sancta Abrahæ promissa, qua desiderat piissima Mater Ecclesia animas in Purgatorio existētium perfusas, ab illo ergastulo liberas. Vnde intelligētia hæc singularis admittenda non est.

100. Alii respondent quintò: Ecclesiā hisce orationibus petere à Deo, nè damnet existentes in Purgatorio: quod certò potest facere secundū suam potentiam absolutam. Hic modus explicandi orationes Ecclesiæ brevior, clariorque est omnibus aliis: sed qui cogi debeat navigare Antyciras. Quippe Beati possunt per absolutam Dei potentiam damnari, & damnati, attento eodem posse, possunt in Cœlum conscendere: ergo orandum nobis erit, nè Beati in tartara ruant, & vt damnati salventur.

101. His ergo modis explicandi Ecclesiæ orationem omissis, respondetur cum N. Salmant. citatis: *Ea verba non continere orationem, qua Ecclesia de præsenti petat pro animabus Purgatorii, quòd à damnationis iudicio, vel inferni pœnis liberentur: hoc enim iam certò supponit. Sed continere piam quamdam repræsentationem status earum animarum pro eo tempore, quo separantur à corpore, & Dei iudicio afferuntur: & hoc modo repræsentat orationes, quæ eo tempore, & instante periculo fiunt, aut fieri debent. Sicut cum celebrat Christi adventum, & ait: Rorate, Cæli, desuper, & nubes pluant Iustum, non petit, quòd modò fiat id, quod olim Patres petebant, & certò credit iam factum esse: sed piè repræsentat antiquorum orationes, & desideria.*

Hactenus gravissimi hi Theologi, qui rem solitā profunditate prosequuntur. Ex quibus constat, Ecclesiam, dum hoc precatur, quasi retrotrahi ad tempus, in quo suus ille filius, pro quo orat, animam iam iam agebat: Tuncque petere à clementissimo Iudice, vt illam, vel illas animas liberet à Purgatorio, quod Purgatorium nominat Infernum, tartarum, voraginem, obscurum propter pœnarum acerbitates, quæ in ipso perpetiuntur. Et sanè qui hunc procedendi modum in Ecclesia suggillat, censurabit etiam ipsam petentem quotannis Messiæ adventum.

Piissimè procedit Ecclesia petens adventum Messiæ, quia cùm hoc facit, *repræsentat antiquorum orationes, & desideria*: Eo fine vt illis nunc repræsentatis, nasci dignetur in nostris cordibus; sicut tunc illis invitatus, visibiliter natus est. Sic pro defunctis orans repræsentat illud tempus, in quo ad iudicium properabant, & in quo non potuit hasce orationes fundere. Fundit tamen, cùm potest: & sic indulgentissimæ Matris munus explet: Quia ex præviſione harum precum modò fusarum, consequitur apud severum, piissimumque Iudicem gratiam reus, sicut ex præviſis D. Gregorii præcibus Traianus dicitur veniam consequutus.

102. Nec addere omiserim: Quòd etiam pro ipso tempore, in quo preces illæ funduntur propriissimæ, & proficuæ sunt. Nec contrarium habetur ex verbis dictæ orationis. Petit enim, quòd animas, quæ iam sunt in Purgatorio, ab illo liberet, petit etiam, *nè absorbeat eas tartarus, nè cadant in obscurum.* Hoc est, nè tartarus prosequatur absorbens, obscurumque catenans illas animas; sed quòd quantotiùs ab illo carcere exeuntes, supremam arcem conscendant.

Ex dictis ergo resp[illegible]detur in forma [illegible]egando antece[illegible]s. Ad probationem constat ex [illegible] quæ diximus, illam oratio-

tionem fundi non pro damnatis, sed pro existentibus in Purgatorio. Et mirum sanè foret, quòd in Missa, quæ est pro animabus Purgatorii, oraret Ecclesia pro damnatis. De orationis proprietate ambigendum non est, vti iam diximus: Quia vel Ecclesia constituta in tempore, in quo iudicium celebratur, petit, quòd reus ille â Purgatorio liberetur. Vel si iam in illo est, petit, quòd inde extrahatur, & intra Paradisi amœna virentia collocetur.

Quòd autem Purgatorium dicatur *tartarus, Infernus, &c.* iam dixi, esse cum omni proprietate propter acerbitatem pœnarum, propter loci immediationem, & etiam quia idem ignis, qui in Inferno damnatos torquet, idem in Purgatorio contractos reatus abstergit. Superest, quòd Ecclesia petit pro animabus *omnium fidelium defunctorum*. Sed hoc nobis obesse non potest, quia pro illis fidelibus petit, qui fide formata, quæ per dilectionem operatur, decesserunt, vti docent Magister, & Angelicus Doctor locis adductis.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm possimus orare pro damnatis, vt levamen aliquod accipiant?

ORationes prodesse non posse, vt damnati ab Inferno liberentur, vidimus quæst. præcedenti. Discutiendum restat, an possint illos levare, eorum tormenta mitigantes?

§ I. *Proponitur vera sententia.*

103. NOstra conclusio est negativa. Eam docent ii omnes, quos præcedenti dedimus n. 70. paucis exceptis, quorum aliquos ibi memoravimus, quos etiam invenies apud Albertum Magn. tom. 21. de Sacrif. Missæ tract. 3. cap. 16. de quo postmodùm agemus. Probatur ergo primò conclusio nostra ex Apocalyp. cap. 20. vbi, vt vidimus 71. dicitur: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & Pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Vbi duo asseruntur, primum est æternitas pœnarum Infernalium. Quod ostendunt illa verba: *In sæcula sæculorum.* Secundũ est: Quòd in illis tormentis nec minimam consolationem habent: quod clarissimè demonstrant illa verba: *die, ac nocte.* Quod idem est, ac dicere: miseri illi Satanam ducem sequuti sunt, in æternum, seu *in sæcula sæculorum* in eius lugubri societate cruciabuntur, & adeò severè cruciabuntur, vt nullam consolationem experturi sint; siquidem *die, ac nocte* plectentur.

104. Probatur secundò assertio hoc discursu: Scimus damnatos nullum levamen habituros nostris orationibus; ergo non possumus orare pro eis, vt levamen habeant. Patet ista; eò enim non possumus orare pro illis, vt ab Inferno liberentur; quia scimus, quòd numquàm talem liberationem consequuturi sunt: vnde si etiam cõstat consolationem percepturos non esse nostris orationibus, illas fundere pro illis non valemus.

Probatur antecedens primò ex data auctoritate: Secundò ex Epist. D. Iacobi cap. 4. vbi dicitur: *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam*: sed si nostris orationibus solatium aliquod obtinerent, iam non fieret cum eis *iudicium sine misericordia*; quin potiùs cum magna misericordia fieret: ergo tenet antecedens.

105. Dices: Ergo ei, qui in hac vita fecit misericordiã, iudiciũ cũ misericordia fiet. At non cũ misericordia liberante; *quia in Inferno nulla est redemptio*: ergo cũ misericordia refrigerãte. Cætera nota sunt, probatur prima cõsequentia primò: Quia exceptio firmat regulam in contrariũ: sed qui non fecit misericordiam, misericordiam non experitur: ergo misericordiam experitur, qui fecit misericordiam. *Secundò* probatur consequentia: Quia apud Matth. cap. 5.

ait Christus Dominus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cōsequentur*: at non consequentur misericordiam liberantem, si apud inferos sunt, vt vidimus tota quæst. præcedenti: ergo consequentur misericordiam refrigerantem, sine qua ad minus veritas textus extare nequit.

Probatur tertiò consequentia ex D. Thom. in 4. dist. 46. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 4. ad 1. vbi ait: *Et ideò tales* (scilicet damnati, qui misericordes fuere) *misericordiam pœnitùs absolvētem non consequentur, etsi consequantur misericordiam de pœnis debitis aliquid relaxantem*: ergo idem, quod priùs.

Respondetur negando primam consequentiam intellectam de iam damnatis, vt modò loquimur: Non autem de ipsis damnatis, prout sistuntur ad tribunal Iudicis: tunc enim non adhuc damnati sunt. Et licèt appensa in statera eorum vita inveniatur minùs habens; atque adeò feratur in illos damnationis sententia: tamen piissimus Iudex propter opera misericordiæ, quæ fecerunt, aliquod de pœna malæ eorum vitæ correspondente, misericorditer relaxat: tuncque eos mittit in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & stridor dentium sine consolatione; siquidem *cruciabuntur die, ac nocte* sine solatio, sine intermissione, *sine misericordia*. Per quod patet ad tertiā probationem consequentiæ, & ad textum D. Thomæ ibi adductum.

Ad primā probationem dicas: Quòd misericordiam facere est de genere boni: misericordem non esse, est de genere mali: Quiaque bonum non consurgit nisi ex integra causa, & malum proveniat ex quocumque defectu: propterea, qui non facit misericordiam, quamquàm in nullo alio deficiat, habet quantùm sufficit, vt damnetur. Quippe, *qui totam legem servavit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*. ait præcit. D. Iacobus: ast qui misericordiam fecit, in aliis autem deliquit, Iustus non est; quia non constituitur Iustus per solam misericordiam, sed per illam, & alia plura: vnde quocumque ex illis de-

ficiente, non habemus Iustum, sed damnatum.

106. Ex dictis patet, quomodo intelligedæ sunt promissiones, & enuntiationes Sacræ Scripturæ. Etenim quādo aliquid promittitur, seu enuntiatur per verba affirmativa, vt adimpleatur res enuntiata, plura requiruntur, præter ea, quæ in tali enuntiatione exprimuntur. Si verò promissio fiat negando, sine limitatione aliqua intelligenda est; vt enim adimpleatur, nihil aliud requiritur præter id, quod exprimitur in ipsa.

Abundat exemplis ipsa Scriptura Sacra: Vnicum tantùm proponimus. Ait Christus D. apud Ioan. cap. 6. loquutus de Sacra Eucharistia: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Inibi etiam inquit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Eiusdem Divini Præceptoris nostri verba sunt de eadem re sermonem facientis, sed in prima auctoritate per verba affirmativa, per verba autem negativa in secunda. In prima verò, licèt asseratur, quod verissimum est, debet tamen intelligi, servatis illis circūstantiis ad vitæ æternæ adeptionem conducentibus. Per hoc enim, quòd quis Panem Eucharisticum manducet, si nihil aliud faciat, vitam æternam non consequitur: imò panis ille, qui illum cum debitis circunstantiis sumenti vitam conferret, mortem inferet sine illis.

Secunda autem auctoritas, quæ negativè enuntiatur, sine aliqua limitatione, seu circunstantia capienda est. Quia licèt omnia alia, ad quæ tenetur, adimpleat quis, si tamen hunc Cœlestem panem non manducat, non habebit vitam in semetipso. Similiter ergo in nostro casu, dum dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, debet intelligi, appositis aliis, quæ ad consecutionem misericordiæ requiruntur. Cùm verò enuntiatur: *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam*. Sine respectu ad aliquid aliud debet absolutè sumi: Quia per hoc, quòd non faciat misericordiam,

quamvis montes transferat nihil est.

107. Non quiescis: Per hoc præcisè, quòd quis dignè sumat panem Eucharisticum, habet vitam æternã in semetipso: ergo per hoc præcisè, quòd verè misericordiam faciat, misericordiam consequitur.

Respondetur cõcedendo consequentiam. Cæterùm sicut plura requiruntur, vt dignè possit quis ad Christi accedere Sacramentum; sic etiam requiruntur plura, vt quis verè misericors sit: quæ si exequatur, absq; dubio misericordiam consequetur. Primũ autem, quod requiritur est, quòd dum aliorum miseretur, sui ipsius non obliviscatur. Frangat vtique esurienti panem suum, verùm carnem suam ne despexerit. Inordinata enim misericordia est, aliis vel spiritualiter, vel corporaliter laborantibus subvenire, & animam suam non dirigere in bonum, sed in perditionem. Qui sic operatur, quamvis omnia sua distribuat inter pauperes, verè misericors non est.

Ita citatus D. Thomas dicens: *Ad primum ergo dicendum, quòd illi misericordiam consequentur, qui misericordiam ordinatè impendunt: non autem ordinatè misericordiam impendunt, qui se ipsos in miserendo negligunt, sed magis se impugnant malè agendo.* Per quod patet ad omnia obiecta.

108. Probatur tertiò conclusio ratione alia Sacræ Scripturæ, etiam innixa: Beati non orant pro damnatis, vt refrigerentur: ergo nec nos possumus hoc illis postulare. Patet ista, quia eatenus hoc facere possemus, quatenus ex cognitione tormẽtorum, quæ patiuntur moveremur ad orandum pro illorum alleviatione: vnde, cùm Beati multò perfectiùs, quàm nos cognoscant damnatorum pœnas; & aliàs habeant perfectissimam charitatem: si viatores charitate moti, & pœnarum cognitione ducti possent pro damnatorum refrigerio orare, potiori titulo possent idipsum facere Beati.

Antecedens probatur primò ex D. Luca cap. 16. vbi Abraham diviti Lazarum ad refrigerium exoptari, *vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,* respondet: *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Sed chaos istud est impossibilitas, quam Beati habent ad orandum pro damnatorum refrigerio: ergo. Probatur minor ex Magist. in 4. dist. 50. dicente: *Quid est illud chaos inter bonos, & malos, nisi hinc Iustitia, inde iniquitas, qua nullatenus sociari valent? Adeò enim Sancti Dei Iustitiæ addicti sunt, vt nulla compassione ad reprobos transire valeant, nulla pro eis inter Sanctos fiat intercessio.*

Desumpsit hanc doctrinam Magister ex magno Greg. hom. 40. de divite, vbi ait: *Sicut reprobi à pœnis ad gloriam Sanctorum transire volunt, & non possunt: ità & Iusti per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis, vt eos liberent, sed non possunt: quia Iustorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent, iam tunc Auctoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moveantur.*

Probatur secundò idem antecedens: Beati nullam compassionem habent damnatorum: ergo pro illis non orant. Constat consequentia: Quia orare pro damnatis, vt eorum pœna mitigaretur, aliunde provenire non posset, nisi ex compassione erga ipsos. Antec. autem probatur primò ex D. Greg. & Magist. qui datis verbis illud docent. Secundò probatur ex D. Thoma eadem dist. 50. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 2. vbi docet, quòd ad damnatorum *miserias non poterit esse compassio secundùm electionem rectam; & ideò Beati, qui erunt in Gloria, nullam compassionem ad damnatos habebunt.*

109. Dices: Si Beati non haberent compassionem damnatorum, non vellent ad locum, vbi torquentur, transire: sed volũt transire ad barathrum, in quo plectuntur: ergo compassionem habent; atque adeò & desideriũ, vt eorum pœnæ temperentur. Maior videtur certa: Vnde [illegible] foret, nisi motivo iuvandi miseros illos? Minor verò aper-

apertè constat ex textu adducto, iis verbis: *Vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint*: quod etiam clarissimè docetur à D. Greg. verbis suprà positis: ergo Beati *per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis.*

Dupliciter solvit Magister hanc obiectionem. Primò sic: *Quia si Dei iustitia admitteret, non fieret eis molesta liberatio eorum.* Dicitur Beatos velle ad damnatos transire, non quia reapsè velint eos liberare, aut sublevare: sed quia vellent, si Iustitiæ Dei non contrariaretur. Vnde ex hoc potiùs firmatur assertio nostra: quippe constat, prohibitum esse fundere preces pro mitigatione pœnarũ existentium in Inferno.

Secundò respondet idem Magister: *Vel ita dicuntur velle, & non posse, non quia velint, & non possint; sed quia etsi vellent, non possent eos iuvare.* Hincque insigne fundamentum desumitur pro nostro asserto roborando. Si namque Sancti cum Christo regnantes, qui adeò potentes sunt, non valerent dãnatos confortare, quamquàm vellent; atque adeò pro ipsis non orant, multò minùs possemus viatores illis opem ferre, tametsi illos sublevare nostris precibus conaremur.

§. II. *Respondetur argumentis.*

110. Contra conclusionem arguitur primò ex diversis Patrum auctoritatibus. Primò enim D. Chrisostomus ad illa verba: *Non est mortua puella, sed dormit.* apud Matth. cap. 9. ait loquẽs de filio divitis morientẽ: *Putas eum maculis inquinatum obiisse? Da ipsi sua, vt ab illis maculis se abstergat. Putas in iustitia ipsum decessisse? Præbe ipsi sua ad mercedis, & retributionis adiectionem.* Quibus docet, quòd cum maculis decedenti prosunt suffragia, & orationes.

Clarissimè loquitur Theophil. in cap. 12. Lucæ, vbi ait: *Hoc autem dico propter oblationes, & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, qui in gravibus peccatis decesserunt, esse licitas intercessiones pro damnatis.* Vbi non de existentibus in Purgatorio, sed de Inferno deputatis loquitur; hi enim sunt, *qui in gravibus peccatis decesserunt*: & preces pro his factas appellat *licitas intercessiones*: atqui non vt ab ipsis pœnis liberentur: ergo vt remissiùs puniantur.

Magnum Parentem Augustinum pro ipsis esse, dicunt Adversarii, quia in Enchirid. cap. 112. ait: *Pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari: dummodò intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.* Ibidem etiam cap. 10. inquit: *Quibus prosunt suffragia, aut ad hoc prosunt, vt plena sit remissio; aut tolerabilior sit ipsa damnatio.*

Nulla tamen ex his auctoritatibus assertionis nostræ veritas infringitur. Vnde ad primam respondetur: Non esse certum Chrisostomum loqui de filio divitis mortuo, sed morituro. *Cui*, ait, *si maculis inquinatum iudicas, da illi sua*, vt antequàm moriatur, *peccata sua eleemosynis redimat, quoniam eleemosyna à morte liberat.* Si autem iudicas *in iustitia decessurum*: hoc est, talem esse, vt electo in Cœlum, morte præcunte, concedat, *præbe illi sua*, vt bene illa distribuat *ad mercedis, & retributionis adiectionem.* Hoc est, vt præmio iam suis bonis operibus priùs factis correspondenti, adiiciatur, quod huic piæ distributioni correspondet.

Quòd si de iam mortuo loquitur, intelligi debet de eo, qui mortuus est, non maculis culpæ inquinatus; sed reatibus pœnæ culpis iam dimissis correspondentibus; qui reatus solent peccata vocari iuxta illud 2. Machab. 12. *Vt à peccatis solvantur.* Vel de illo, qui non solùm sine culpa, sed etiam pœnæ reatu obiit. Vnde sensus Chrisostomi est: Si mortuus est cũ reatu pœnæ, *da illi sua*, vt hoc suffragio ab igne Purgatorio liberetur. Si mortuus est sine tali reatu, adhuc *præbe illi sua*, vt mercedi, & retributioni, qua iam fulget, hoc est, præmio essentiali beatitudinis adiiciatur gaudium accidentale ex bona suorum distributione proveniens.

Ad Theophilum patet ex dictis: Ipsum nomine gravis culpæ non intelle-

xisse peccatum grave quoad culpam, sed quoad reatum pœnæ, pro cuius extinctione orare, est licita deprecatio pro damnatis ad Purgatorii tormenta.

111. Ad primam Augustini auctoritatem ait Magister Torre disp. citata n. 8. illum dicendi modum fortasse salvari posse per illud celebre dictum Theologorum: *Deus damnatos punit citra condignum.*

Sed contra: Quia Deus semper punit citra condignum damnatos, recordatus misericordiæ suæ, adhuc cùm iratus est: sed mitigatio, de qua D. Augustinus loquitur, non fit semper, sed solummodò *certis temporũ intervallis*: ergo modus loquendi Augustini non fundatur, nec potest salvari, per hoc, quòd Deus puniat damnatos citra condignum.

Contra secundò: Quia punire citra condignum est taxare pœnam minorem culpa, sicut præmiare vltra condignum est præmium superexcedens concedere. Quæ pœna iam semel applicata inquirimus: potest nè temperari nostris orationibus, necne? Sicut supposito Beatorum præmio ipsis vltra condignum iam collato, inquisivimus in prima quæst. an possit nostris orationibus augeri? Vnde quòd Deus puniat citra condignum impertinens omnino est ad præsens institutum.

112. Quarè respondetur, inibi Augustinum disputare cum asserentibus pœnas damnatorum non esse æternas, quos vt impugnaret, nolens in re, de qua non erat disceptatio, occupari, permisit, seu omisit damnatorum pœnas esse talis conditionis, vt possint nostris orationibus mitigari: dummodò perpetuas esse, intelligatur. Ac si diceret: omitto, quòd damnatorum tormenta superstitum orationibus temperentur, hoc enim nihil conducit ad præsentem controversiam: vnde transeat, quòd *pœnas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari: dummodò intelligatur in eis manere ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.*

113. Secunda D. Augustini auctoritas diversimodè Doct[illegible] antiquos divisit, de quo videre poteris Albertum Mag. citatum. Horum explicationes proponunt, impugnantque D. Thomas initio quæst. præcedentis adductus, & ipse Albertus num. 4. qui refutatis aliorum placitis, suum proponit, quod reducitur ad hoc, quòd si damnati fuere in hac vita causa, vt alius benè operetur, tum decrescit vermis eorum, qui certò nunquàm moritur, dicente Esaia cap. vlt. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum nõ morietur.* Vnde si damnatus causa fuit, vt bonum fieret; quoties illud bonum fit, toties decrescit vermis illum torquens. Sicut si fuit causa mali in alio; quoties ille alius malè operatur, toties vermis augetur.

Sic ergo Albertus explicat Augustinum, sed non possumus talem explicationem admittere. Primò, quia, vt hæc explicatio teneat, supponendum videtur animas damnatorum scire, quæ apud superstites aguntur, vt sic magis, aut minùs torqueantur, secũdum quòd malum, vel bonum, quorum causa fuere, exercetur. Cõcedere damnatis hanc notitiam, est prorsus â veritate alienum, & contra ipsum Augustinũ lib. de Cura pro mortuis cap. 13. de quo D. Thomas dist. 45. cit. quæst. 3. art. 1.

Secundò, quia suffragia vivorum non possunt facere, quòd damnati, dum viverent, non fuissent causa mali, vel boni in aliis: ergo quòd ex hoc crescat, vel decrescat damnatorum tormẽtum, nullum habet cum suffragiis commercium. Probatur consequentia: Quia oratio, qua alleviationem damnati peto, omnino disparatè se habet ad malum, vel bonum, quod Iudas causavit, dum viveret, & ad hoc, vt alius exemplar illud sequatur.

Tertiò non potest admitti modus ille Augustinum explicandi, quia talis modus in sui simillimo explosus â D. Thoma est dicta distinctione 45. quæst. 2. art. 2. vbi ait: *Sed istud etiam non potest esse secundùm legem communem; quia vt Augustinus dicit in lib. de cura pro mort. agenda, quod præcipuè de damnatis verum est: ibi sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quæcumque aguntur, aut eve-*

eveniunt in ista vita hominibus: & ista non cognoscunt, quando pro eis suffragia fiunt: nisi supra communem legem hoc remediũ detur Divinitùs aliquibus damnatorum. Quod est verbum omnino incertum. Vnde tutiùs est simpliciter dicere, quòd suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis Ecclesia orare intendit.

Si tamen non displicet, addidetim: Quòd licèt damnati cognoscerent orationes pro ipsis factas, nullum inde levamen haberent: imò talis notitia eos vehementer cruciaret, propter invidiam, quam haberent visis illis vivorum bonis operibus. Videntes enim vivos orantes, & illa sua oratione proficientes perciti livore tabescerent. Huius Diabolicæ invidiæ fundamentum est sua obstinata malitia, qua neminem volunt viam spiritualem sequi, sed desiderant, omnes barathri spineta sectari. Vnde vel id ipsum, quod eos magis torquet, appetunt, si cedat in vivorum perniciem.

Testor Angelicũ Præceptorem, qui loco cit. dist. 50. q. 2. art. 1. quæstiũc. 4. hoc argumentum proponit: *Tertiò præterea damnati non desiderant augmentum suæ pœnæ: sed si plures damnarentur, maior esset damnatorum pœna: ergo damnati, &c.* Huic argumento respondet Ang. Doctor: *ad tertium dicendum, quòd quamvis ex damnatorum multitudine pœna singulorum augeatur: tamen tantùm superexcrescet ódium, & invidia, quòd magis eligerent torqueri magis cum multis, quàm minùs soli.*

Modò sic: Sicut ex multitudine pereuntium crescit damnatorum pœna; sic etiam ex notitia bonorum operum vivorum: atqui pœnam, quam ex multitudine pereuntium percipiunt, appetunt ex odio in superstites: ergo propter ipsum odium respuerent levamen illud, quod illos percipere fingis ex nostris orationibus.

Respondetur ergo ad auctoritatem dictam: Augustinum nomine damnationis intellexisse Purgatorium, in quo absque dubio damnationem patiuntur, qui ibi torquentur. Ex quibus alii medio suffragio hìc, & nunc applicato, in Cœlum conscedunt: & horum *plena est remissio*. Alii verò habent vltra quod solvant: & horum non est tunc *plena remissio*: Ast, quia eis suffragium prodest ad pœnæ moderationem, propterea *est tolerabilior ipsa damnatio*.

114. Arguitur secundò: Quia Damasc. in serm. *quòd defuncti à vivis adiuventur*, refert ex testimonio Palladii S. Macharium, qui frequenter pro defunctis orabat, in quodam itinere offendisse calvariam cuiusdam defuncti, quærentemque, cuius caput esset? Audivisse: illud esse cranium cuiusdam Sacerdotis gentilis damnati: & adiecit: se, & alios damnatos orationibus Macharii iuvari. Ecce damnatum confitentem iusti orationes existentibus in Inferno prodesse ad pœnarum levamen. Ecce etiam Iustum pro damnatis orantem: ergo orare pro damnatis possumus.

Respondetur primò: Quòd de illo serm. Damasc. iam suprà diximus, quid sentiendum sit numero 94. Secundò respondetur: Nullam fidem adhibendam esse pagano damnato aliquid asserenti, sicut nec Dæmoni: vnde prohibita auctoritate vtuntur Adversarii contra certissimam veritatem.

115. Dices: D. Thomam in supplement. quæst. 71. art. 5. ad 4. admittere vt veram talem narrationem, eiusque veritate suppositа, respondet argumento concedens aliquod gaudium obtinuisse damnatos orationibus illis D. Macharii.

Respondetur sicut num. citato, D. Thomam non admisisse, sed permisisse veritatem illius narrationis: Quia etiam si vera foret, nihil contra nos probaret. Et hic est egregius modus respondendi, quo arguentibus ostendi solet futilitas suorum discursuum, quorũ fundamentum, etiamsi admittatur, nihil concludere ostenditur. Est etiam brevior, formaliorque modus procedendi: quatenus respondens hac via prohibet extranea. Quod in casu præsenti certissimum est. Etenim facto argumento potera[illegible] primò respondeti, [illegible]ando, talem sermonem esse D[illegible]alceni. Secundò negando hon[illegible] damnato fidem adhiberi posse.

posse. Quocumque ex his modis solvitur argumentum. Verùm arguens, vt illud prosequatur, divertit ad aliena, quibus nullum, aut remotum commercium est cum præsenti materia. Illam autem directè concernit, omittere disputationẽ illius sermonis circa Auctorem, & circa narrationis veritatem: quibus prætermissis, vel arguens deserit argumentum; vel si illud prosequi mavult, cogitur materiæ subiectæ limites non deserere.

Hoc præclarissimo procedendi modo vtitur ferè semper D. Thomas in suis Angelicis scriptis, vtì ipsa planè testantur. Et in presenti art. non semel feciſſe constat; quia ad argumentum quintum, quod cõsistit in antedicta historia Traiani, quæ Damasceno tribuitur, omisit S. Doct. an Damascenus fuerit Auctor huius historiæ, & an D. Gregorius pro Traiano potuerit orare. Hisque omissis, modum scrutatur, quo, etiamsi vera forent, quæ omittit, suam Angelicam resolutionem non infringerent. Ait enim: *Ad 5. dicendum, quòd de facto Traiani hoc modo potest probabiliter existimari, &c.* Vt suprà diximus.

Similiter in præsenti omissis duobus illis, quæ vidimus; ac veluti si vera essent, se gerens, respondet: Quòd gaudium illud non erat verum, sed phantasticum, quod in damnatis esse non repugnat.

Audiamus Doctorem Angel. *Ad 4. dicendum, quòd illud adiutorium non erat, quòd pœna eorum diminueretur, sed in hoc solo, vt ibidem dicitur, quòd eo orante, concedebatur eis, vt mutuò se viderent, & in hoc aliquod gaudiũ non verum, sed phantasticum habebant, dum implebatur hoc, quod desiderabant. Sicut & dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamvis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur: sicut non minuitur Angelorum gaudium per hoc, quòd malis nostris compati dicuntur.*

Hoc est gaudium cuius capaces sunt miseri illi; nec licitum est orare, vt gaudium hoc phantasticum habeant. Nec verum est D. Machar[illegible]um pro ipsis damnatis orationem fudisse, [illegible]ro defunctis dicitur postulasse. Et ex tali oratione pro defunctis fusa resultabant illa phantastica gaudia; si fides danda est (à quo præscindimus) illi narrationi.

Habes ergo ex dictis, quid facto argumento respondeat D. Thomas: *Non tamen ob hoc dicit* (ait inibi egregius eius Explanator) *quòd coacti simus ad credendum, quòd caput illius pagani non sit mentitum in dicto suo illo de iuvamine.* Quæ omnia quamquàm prolixè, notare placuit, quia non rarò viros doctos videmus, credentes multa esse de mente D. Thomæ præcisè, quia illa non negat. Maneat ergo D. Thomã non concedere caput illud vera loquutum, & phantastica esse gaudia, quæ in damnatis admittit.

116. Arguitur tertiò, & est replica contra dicta: Damnati capaces sunt veri gaudii: ergo possumus orare, vt illud verum gaudium, cuius sunt capaces, consequantur. Consequentia bona est, & antecedens probatur ex D. Thom. 1. p. q. 64. art. 3. vbi vera gaudia Dæmonibus concedit dicens: *Dicendum, quòd timor, dolor, gaudium, & huiusmodi, secundùm quòd sunt passiones, in Dæmonibus esse non possunt; sic enim sunt propriè appetitus sensitivi, qui est virtus in organo corporali. Sed secundùm quòd nominant simplices actus voluntatis, sic possunt esse in damnatis:* ergo in damnatis vera gaudia dãtur. Patet ista: Tum quia D. Thomas non loquitur de phantastico, sed de vero gaudio. Tum quia eodem modo loquitur de gaudio, ac de dolore: vnde, cũ in dãnatis detur verus, dolor, concedendum etiam est verum gaudium.

117. Confirmatur primò: Gloria Sanctorum videri non potest sine vero, & maximo gaudio: sed damnati vident gloriam Sanctorum: ergo habent verum gaudium. Minor poterat dissidium aliquod causare, si nõ esset communissima inter Theologos, quorum extrinseca auctoritas aufert difficultatem, quam habere poterat. Constatque ex D. Luc. cap. 16. vbi dicitur, divitem illum damnatum vidisse Abraham, & Lazarum inter in Domino quiescentes, clamasse-

que

que: *Pater Abraham, mitte Lazarum, &c.*

Si dicas: Huiuſcemodi viſionem non eſſe ad gaudium ex illa colligendum, ſed ad invidiam, & mœrorem comparandum.

Contra eſt: Quia ſi ob hanc rationem Sanctorum gloriam nunc intuerentur, etiam poſt diem Iudicii illam viderent; ab illa enim die pluſquàm anteà torquebuntur: at poſt diem Iudicii non videbunt damnati gloriam Sanctorum ex D. Thom. in 4. ad Anibald. diſt. 50. art. 2. ad 3. ergo.

118. Confirmatur ſecundò: In conſideratione ſcientiæ eſt maxima delectatio, tum ex parte cognoſcibilium, ſi diligantur, tum ex parte cognitionis, quia conveniens eſt naturæ rationali, & perfectæ: atqui damnati vtûtur ſcientia, quam in Mundo habuerunt, vt docet D. Thom. dicta diſtinct. quæſt. 2. art. 2. quæſtiunc. 1. ergo hoc vſu veram delectationem habent.

119. Confirmatur tertiò: Non poteſt Deus cogitari ſine magna delectatione: Damnati de Deo cogitant: ergo habent delectationem. Conſequentia ſequitur, & minor eſt D. Thomæ citati quæſtiunc. 2. Maior autem probatur ex illo Pſalm. 76. vbi dicitur: *Memor fui Dei, & delectatus ſum*: ergo.

Reſpondetur argumento: In Dæmonibus, aliiſque damnatis poſſe dici, eſſe vera gaudia, non formaliter, ſed præſuppoſitivè, quia habẽt multa, ex quibus verum gaudium natum eſt ſequi, nempe conſecutionem eorum, quæ petunt, vt conſtat ex ſuprà dictis, adimpletionem eorum, quæ deſiderant, vt quando hominem peccare faciunt, & quando damnatorum numerum creſcere conſequuntur. Hæc omnia nata ſunt ex ſe gaudium cauſare. Verùm in damnatis gaudium hoc non reſultat, vel quia incompatibile eſt cum ſumma anguſtia, quâ cruciantur; vel quia, ſic petente eorum infeliciſsimo ſtatu, Deus concurſum ſuſpendit, nè verum gaudium ex illo fundamento reſultet.

Exemplo aptiſsimo res hæc nota fiet. Etenim ſicut deſiderii conſequutio parit gaudium, ſic mœrorem parit deſiderii fruſtratio: ſed quamvis boni Angeli deſiderium circa ſui clientis ſalutem fruſtretur, non verè triſtatur; eò quòd ſumma felicitas, qua fruitur, omnem triſtitiam expellit: ergo pariformiter. Vnde gaudium, quod D. Thom. loco cit. concedit damnatis, ſi formaliter ſumitur, eſt phantaſticum; ſi præſuppoſitivè conſideretur, non eſt ad rem præſentem. Videatur Magiſter Ferre tract. de Angel. quæſt. 18. §. 3. num. 1129.

Ad primam confirmationem reſpondetur admittendo ſolutionem inter arguendum datam: ad improbationem dicas: Quòd ſicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ſic damnatis omnia cooperantur in malum. Videre Beatorum gloriam, eſt nunc ipſis maximum tormentum, & invidia: non videre illam poſt Iudicii diem, erit etiam maxima pœna. Cognoſcent ſiquidem tunc Beatos eſſe in gloria, & hoc cedit in damnatorum tormẽtum: ſcient etiam, quòd illos tunc non videre, eſt quia reputantur indigni tali viſione, & ex hoc creſcit eorum cruciatus. Bone Deus, libera nos â tali miſeria propter mortem, & ſepulturam tuam.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur: Quòd in cõſideratione ſcientiæ eſt per ſe maxima delectatio; per accidens tamen eſt in damnatis deſperata triſtitia. *Conſiderabunt enim*, ait inibi D. Thom. *mala, quæ geſſerunt, ex quibus damnati ſunt: & bona dilecta, quæ amiſerunt, & ex vtroque torquebuntur. Similiter etiam torquebuntur de hoc, quòd conſiderabunt notitiam, quam de rebus ſpeculabilibus habuerunt, imperfectam eſſe, & amiſiſſe ſummam eius perfectionem, quã poterant adipiſci.* Quamobrem conſideratio, quæ ſanè eſt per ſe delectabilis, eſt cauſa deſperati mœrotis in damnatis, ex adiunctis.

Ad tertiam cõfirmationẽ dicas: Deum poſſe cogitari dupliciter: primò ſecundùm ſe, ſeu vt eſt totius bonitatis principium: & ſic eius cogitatio delectationem cauſat. Secundò cõſideratur Deus, vt Iudex pœnas pro peccatis infligens, & prout ſic eius cogitatio delectationem minimè cauſat, ſed furorem in dam-

damnatis. Primo modo non cogitant damnati de Deo, vnde vera est maior confirmationis, sed falsa minor. Secundo modo cogitant, sed tali cogitatione non delectantur, sed torquentur: vnde vera est minor, & falsa maior.

120. Arguitur quartò: Status damnatorum admittit refrigerium in tormentis: ergo possumus petere â Deo, vt ipsis illud refrigerium conferat. Probatur antecedens: Quia damnati torquentur igne, & frigore, transeuntes de vno in alium, vti dicitur apud Iob cap. 24. his verbis: *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium* sed qui sic transeunt, refrigerium habent in ipso transitu: ergo.

Respondetur argumento ex D. Thoma in 4. dist. 50. quæst. 2. art. 3. *Ad tertiũ dicendum quòd damnati transibunt ex vehementissimo calore ad vehementissimum frigus, sine hoc, quòd in eis sit aliquod refrigeriũ, quia passio ab exterioribus non erit per transmutationẽ corporis à sua pristina naturali dispositione, vt contraria passio ad æqualitatẽ, vel tẽperiem reducendo, refrigerium causet, sicut accidit nunc. Sed erit per actionẽ spiritualem secũdùm quod sensibilia agunt per sensum, prout sentiuntur imprimendo formas illas secundùm esse spirituale in organum, & non secundùm esse materiale, vt suprà dist. 44. dictum est.*

121. Arguitur quintò: Damnati plura opera bona, & mala liberè faciunt: ergo possumus Deum orare, vt bene, & non malè operentur. Consequentia videtur nota: Eò enim pro vivis oramus, vt libertas eorum bonis actibus explicetur. Antecedens probatur primò pro vtraq; parte: Quia damnatorum voluntas est essentialiter libera: ergo per damnationem non est ab eis ablata potestas ad bene, & malè operandum. *Secundò* probatur antecedens pro prima parte: Quia pœnitere de peccato est actus bonus: sed damnatos pœnitet de peccatis; dicitur enim libro sapient. cap. 5. v. 3. *Pœnitentiam agentes.* Et 9. Ethic. ait Philosophus: *Pœnitudine replentur pravi.* Ergo.

122. Confirmatur. Licitè possumus compati de miseriis damnatorum, maximè sanguine, vel amicitia nobis iunctorum: ergo possumus pro eis orare. Antecedens certum est, & consequentia inde cõstare videtur, quòd non est alius modus exprimendi nostram compassionem, nisi per orationem.

Respondetur argumento negando antecedens pro prima parte. Vt enim ait D. Thomas dicta dist. 50. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. In damnatis debet considerari duplex voluntas, alia naturalis, & alia deliberativa: primam habent non ex se ipsis, sed ab Auctore naturæ: secũdam autem ex se ipsis habent. Vnde prima illa voluntas potest esse bona: secunda verò semper est mala: Quia volũtas non potest esse bona, nisi per ordinem ad finem vltimum, â quo aversi semper sunt damnati: vnde quamvis aliquod bonum velint, nunquàm tamen bonum illud bene volunt; atque adeò semper operantur pravè.

Ad primam antecedentis probationem dicas: In damnatis esse libertatem simpliciter talem, quæ quidem non est de fine, sed de mediis, per quæ cõsequendus est voluntatis finis. Quarè sicut Beati sunt perfectissimè liberi, licèt non valeant malè operari; ita damnati sunt liberi, licèt bene operari non valeant. Et ratio est, quam iam insinuavimus; quia libertas respicit electionem mediorum: Vnde sunt liberi Beati, quia hoc, vel alio medio tendunt in Sanctissimum illum finem, quem iam inamissibiliter respiciunt: & etiam sunt liberi damnati, quia hoc, vel alio medio electo ab ipsis, dirigunt, quicquid volunt, in illum pravum finem, cui obstinatè vi primæ electionis adhærent. Quarè libertas pro diversitate statuum diversa habet prædicata. In viatoribus indifferens est ad bonum, & malum. In iis verò, qui in termino existunt, hanc indifferentiam non habet, sed immobiliter adhæret fini bono, si est libertas Beatorum; vel malo, si est damnatorum libertas: conservat tamen indifferentiam, vt his, aut aliis mediis vtatur, & hoc est de indispensabili conceptu libertatis. Videatur D. Thomas prima part. quæst.

quæst. 64. art. 2. & ibi Caiet. Bann. & noſtr. Philipp. â SS. Trinit.

Ad ſecundam probationem antecedentis reſpondetur: Quòd pœnitere de peccato propter ipſius deformitatem, eſt actus laudabilis: pœnitere autè propter pœnas inflictas, & maximè conſervando voluntatem obſtinatam in malitia, eſt actus abominabilis. Damnatos hoc ſecundo modo pœnitet de ſuis culpis: Vnde eorum pœnitentia deſtetabilis eſt.

Ad confirmationem reſpondetur primò: Quòd oratio eſt actus præcipuè imperatus â Charitate, vt docet Divus Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 7. Vnde non poteſt ſe extendere vltra id, quod Charitas reſpicit. Charitas autem non ſe extendit ad damnatos, vtì dictum eſt in hac diſput. numero 77. atque adeò licèt naturali compaſsione poſsimus illorum miſereri; non tamen compaſsione Charitatis; vnde neque orare pro eis poſſumus.

Secundò reſpondetur negando antecedens, vel illud diſtinguendo de voluntate, vt natura eſt, & vt deliberativa. Primo modo poteſt habere eos effectus, non autem ſecundo: Quia prout ſic non poteſt diſcordare â voluntate Dei damnatos, vt inimicos punientis, &, vt pro illis non oremus, imperantis. Videatur Magiſter in 4. diſt. 50. §. *De chaos inter bonos, & malos.* Videatur etiam D. Thom. ibi. Et Bann. ac noſt. Philipp. laudati.

123. Arguitur vltimò: Quia D. Ildephonſus ſerm. 5. de Aſſump. Virg. circa finem ait: *Gaudium, & lætitia huius diei clauſtris infernalibus incluſis aliquod remedium, & refrigerium præſtat: non audent, opinor, miniſtri tartarei attingere ſuos captivos*: ergo pia interpoſitione Sanctiſsimæ Dominæ noſtræ mitigantur damnatorum pœnæ: ergo poſſumus huius Sanctiſsimæ Reginæ auxilium implorare pro illis miſeris iuvandis.

124. Confirmatur: Quia in vita S. Brandani refertur, quòd videns Iudam ambulantem in pratis, interrogavit, quarè non eſſet in Inferno? Et reſpondit Iudas: *Quia ad tempus refrigerium habebat propter bona, quæ fecerat.* Ita refert Pat. Thomas Hurtado citatus.

Reſpondetur argumento: Nullum diem, etiam aſſumpt. Dominæ noſtræ, nullam horam, nullum inſtans dari, in quo ceſſent damnatorum tormenta, vt conſtat ex ſuprà dictis, docetque Seraph. Thereſia initio quæſtionis præcedent. adductæ, præcipuè loco cit. ex lib. vitæ ſuæ, vbi inter alia ait de Inferni pœnis: *Y ver, que avian de ſer ſin fin, y ſin jamàs ceſſar.* Vbi per ly *ſin jamàs ceſſar*, non pœnarum perpetuitatem deſignat, hanc enim iam per ly *ſin fin* oſtenderat. Oſtendit tamen pœnas illas numquàm ob ſui perpetuitatem finiendas, & nullo vnquam, etiam leviſſimo, refrigerio temperandas.

Quapropter magnus Auguſtinus aiebat: *Si ſcirem Patrem, vel Matrem meam eſſe in Inferno, non magis pro eis orarem, quàm pro Diabolo.* Et D. Greg. lib. 32. moral. cap. 12. inquit. *Eadem cauſa eſt, vt non oretur pro hominibus æterno ſupplicio damnatis, quæ nunc eſt, vt non oretur pro Diabolo, & Angelis eius.*

Nunc ergo ſententia oppoſita non vult, nos pro Diabolo poſſe orare, nec ad hoc deſervire poterat adducta Divi Ildephonſi auctoritas, cùm miniſtros tartareos planè excludat: vnde cùm eadem ratio ſit de hominibus damnatis; nec pro illis orandum nobis eſt, quia incapaces ſunt refrigerii. Quid ergo dicemus ad verba adeò expreſſa D. Ildephonſi?

Reſpondetur primò cum aliquibus, quos ſupreſſo nomine citat dictus Hurtado: S. Doctorem loqui de patientibus in Purgatorio, quorum tormenta mitigat, ſeu ſuſpendit Cœlorum Regina ſidera ſcandens. Hoc tamen non eſſe valde conforme menti Ildefonſi, eius verba clariſsimè clamant.

Quamobrem reſpondetur ſecundò: B. Ildephonſum illa verba aſſertivè non dixiſſe, vt conſtat ex ipſius verbis: *Dicam plus, ſi audeo, dicam fideli præſumptione, dicam pia temeritate.* Quæ verba planè oſtendunt, illa in contrarium ob-

iecta, dicta esse non animo asserendi, sed gloriam Sanctissimæ illius solemnitatis exaltandi. Vnde debemus in hoc Sanctissimæ Dei genitricis fervidum erga ipsam affectum æmulari, & ea credere, quæ ipse credidit, dixitque assertivè.

Ad Confirmationem respondetur: Illam revelationem, vel esse apochryphàm: vel fuisse illusionem, quod non repugnat animabus Sanctis, quæ multoties, quæ sunt â proprio spiritu, credunt sibi esse â Deo revelata. Videatur Caier. tom. 1. cap. 23. quæst. 2.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrùm existentibus in Limbo prodesse possint orationes viatorum?

125. DAri locum vbi cum sola labe originea decedentes carcerantur, certissimum est. Hic locus Limbus dicitur, in eoque pueri, quos aqua baptismalis non abluit, detinentur. Vnde præter Infernum damnatorum, qui non solùm pœna damni, sed etiam pœna sensus puniuntur, datur Infernus, in quo decedentes cum solo originali sunt, qui non pœna aliqua sensibili, sed solummodò pœna damni cruciantur.

Si dicas, quòd receptacula debentur animabus post mortem, propter peccata, quæ commiserunt in vita, & propter bona opera, quæ fecerunt: sed non datur nisi vnum receptaculum, scilicet Paradisus, vbi bona præmientur: ergo non datur nisi vnum receptaculum, nempe Infernus, vbi peccata puniantur.

Respondetur ex D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 1. art. 3. *Ad primum ergo dicendum, quòd bonum contingit vno modo, sed malum multifariè, sicut patet per Dionysium cap. 4. de Divin. nomin. & per Philosophum in 2. Ethic. & propter hoc non est inconveniens, si locus bonæ retributionis est vnus, loca verò pœnarum sint plura.*

126. Instas: Bonum non contingit vno modo, sed multifariè, sicut malum: ergo vel debet dari duplex locus, vbi constituantur boni; vel non datur nisi vnum receptaculum, vbi plectantur mali. Probatur antecedens: Quia parvuli sine Baptismo decedentes diverso modo malum contrahunt, ac adulti qui damnantur, dicitur quòd in eis malum non contingit vno modo, sed multifariè: sed parvuli cum Baptismo decedentes diverso modo felicitatem consequuntur, ac adulti, qui beantur: ergo in eis bonum non contingit vno modo.

Respondetur decedentem in gratia pertinere ad gloriam, sicut in peccato mortali moriens spectat ad Infernum. Ast ad Infernum spectat quis duplici titulo, nempe vel propter aversionem â Deo, qua sola stante, dignus est pœna eterna; vel propter dictam aversionem, & simul propter conversionem ad bonum commutabile. Et sic potiori iure pertinet ad Infernum; aliter tamen, & aliter, nam si propter aversionem â Deo, & simul propter conversionem ad bonum commutabile spectant; tunc plectuntur pœna damni, & pœna sensus, ex quibus prima correspondet aversioni; secunda autem conversioni, vt docet D. Thomas quæst. 5. de malo art. 2. Si autem pertinet propter solam aversionem, tunc plectitur pœna damni, sed pœna sensus cur torquebitur, qui ad bonum commutabile pravè conversus non fuit? Sed nec præmio digna est illa conversio non prava; quia ad præmium supernaturale non sufficit absentia pravitatis: sed insuper requiritur conversio positivè bona, scilicet relata in finem supernaturalem. Videantur nostri Salmanticenses tract. 13. disp. 16. num. 68.

Vnde duplex damnatorum receptaculum dari debet. Primum, in quo sunt, qui pœna damni, & sensus puniuntur: Secundum autem, in quo punitur solum-

lummodò pœna damni, & hoc eſt, vbi parvuli ſine Baptiſmo decedentes morantur. Parvuli autem decedentes cum Baptiſmo non ſunt â Deo averſi; atque adeò converſi poſitivè in illum ſunt: eòque ad idem receptaculum ſpectant, ac adulti, qui in Domino moriuntur: cum hac ſolùm differentia, quòd gloria, quæ in parvulis eſt hæreditas, eſt in adultis corona.

Habes ergo, quòd modalis diverſitas non eſt ſufficiens ad diverſitatem receptaculi; ſed quòd requiratur ſubſtantialis. Hæc non eſt inter Beatos, ſed illa; quia omnes eandem gloriam recipiunt, cum illa tamē modali diſtinctione gloriæ per modum hæreditatis, ac per modum præmii. Inter damnatos autem datur ſubſtantialis diverſitas: Quia licèt omnes plectantur pœna damni, non verò pœnam ſenſus habent omnes; ſed illa carent parvuli in Limbo commorantes, de quibus loquimur in præſenti, an illis orationes noſtræ prodeſſe valeant, explorantes.

§. I. *Quid ſit tenendum proponitur, & probatur.*

127. NOſtra cōcluſio: *Exiſtentibus in Limbo prodeſſe non poſſunt noſtræ orationes: Vnde pro illis orare non poſſumus.* Concluſio hæc certiſsima eſt ſecundùm Fidem; vnde circa illam non eſt inter Orthodoxos diſsidium. Probatur ergo hac auctoritate Eccleſiaſt. cap. 11. v. 3: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, ſive ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quibus verbis iuxta omnes Patres, ac Interpretes oſtenditur perpetuitas Inferni, & Limbi. Vnde ſicut non poſſumus orare pro damnatis ad Infernum; quia ipſorum tormenta perpetua ſunt; atque adeò nullum fructum ex noſtris orationibus percipere poſſunt: ſic etiam vanum eſſet, orare pro exiſtentibus in Limbo.

128. Probatur deinde concluſio ratione ex data auctoritate deducta: Quia pro damnatis orare nō poſſumus: ergo nec pro exiſtentibus in Limbo. Antecedens patet ex dictis quæſt. 3. & 4. & conſequētia probatur primò: Quia exiſtentes in Limbo verè damnati ſunt, neq; in hoc poteſt eſſe aliquod dubium: ergo.

129. Probatur ſecundò: Ideò non poſſumus orare pro damnatis ad Infernum, quia ſunt in termino ſimpliciter vltimo, qui incompoſsibilis omnino eſt cum alio vltimo termino: ſed exiſtentes in Limbo ſunt in vltimo termino incompoſsibili cum alio termino vltimo: ergo prodeſſe nō poſſunt orationes noſtræ exiſtentibus in Limbo. Cætera conſtant, & minor etiam patet, quia terminus, in quo ſunt exiſtentes in Limbo, eſt omnino idem cum termino, in quo ſunt damnati, qui terminus eſt ſimpliciter vltimus, incompoſsibiliſque cum alio termino vltimo, videlicet cum æterna felicitate, quæ illis irrevocabiliter deneganda eſt, vt patet ex adducta auctoritate.

130. Probatur denique concluſio ſic: Quia ſi poſſemus orare pro exiſtentibus in Limbo, eſſet vel vt ab illo carcere exirent, vel vt pœna, quam ibi habent; mitigaretur: neutrum poteſt dici: ergo pro illis orare non valemus. Minor pro prima parte probatur ex dictis: *Quia in Inferno nulla eſt redemptio, & lignum, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

Pro ſecunda parte probatur ipſa minor: Quia exiſtentes in Limbo non vapulant pœna ſenſus, ſed pœna damni: ſed pœna damni mitigari non poteſt: ergo tenet illa minor. Maior patet ex dictis initio huius quæſt. & minor probatur: Pœna damni eſt privatio; atque adeò conſiſtit in indiviſibili: ergo minorari non poteſt. Patet iſta, tum ex ſe, tum etiam, quia ſi noſtris orationibus minorari poſſet pœna illa, tantùm poſſent orationes augeri, quòd pœna penitùs finiretur: quod eſt contra perpetuitatem illius. Vide, quæ in ſimili diximus ſuprà num. 66. & 70.

Ex dictis conſtat tantùm abeſſe, quòd orationes noſtræ, quæ ab dubio damnatis nō proſunt, prodeſſe poſsint exiſtentibus in Limbo. Quòd potiùs etiam

si damnatis essent fructuosæ, vt eorum tormenta mitigarentur, adhuc inutiles forent pro existentibus in Limbo. Et ratio ex dictis nota est: Quia damnati patiuntur pœnam sensus, cui ex se mitigatio non repugnat; in Limbo autem hæc pœna non adest, vnde magis cognoscitur repugnantia vtilitatis nostrarum orationum erga existentes in Limbo, quàm erga damnatos.

§. II. *Obiiciuntur non nulla contrà istam rationem.*

131. VLtima ratio, quæ sanè intentum suadet, ex duplici capite impugnari potest. Primum est, quòd falsò asseritur, existentes in Limbo pœnas sensus non experiri: ergo facta ratio corruit ex hac parte. Probatur antecedens primò ex Matth. 25. Vbi supremus Iud ex dicet omnibus ad ipsius sinistram constitutis in iudicio vniversali: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum*: sed existentes in Limbo comparebunt in Iudicio ad sinistram Iudicis: ergo ipsis dicetur, *discedite à me, &c.* Et ad ignem æternum damnabuntur, quod est idem, ac pœna sensus puniri.

Probatur secundò idem antecedens: Nam peccato originali correspondet in hac vita multiplex pœna sensus: ergo similiter in futura. Patet ista: Quia nullum fundamentum adest, vt in futura vita non correspondeat pœna sensus peccato originali, & quòd in hac vita pœna sensus puniatur. Et probatur antecedēs: Quia mors, infirmitas, aliaque incommoda temporalia, corporaliaque, quæ patimur, sunt effectus peccati originalis: ergo.

132. Confirmatur primò: Quia existentes in Limbo sunt conversi ad bonum commutabile: ergo patiuntur pœnam sensus. Consequentia constat: Nam vt suprà diximus pœna sensus correspondet conversioni ad bonum commutabile, quæ adest in peccato. Antecedens autem probatur: Quia existentes in Limbo sunt habitualiter aversi â Deo: ergo sunt habitualiter conversi ad alium finem. Antecedens est certum. Et consequentia inde constat, quòd illorum voluntas non potest non aliquem finem respicere.

133. Confirmatur secundò: Quia iuxta nostros Salmanticenses tract. 13. disp. 17. num. 95. pœna sensus non solùm correspondet conversioni ad bonum commutabile, sed etiam aversioni ab incommutabili bono: sed existentes in Limbo aversi sunt ab hoc bono: ergo torquentur pœna sensus.

Ad obiectionem respondetur negando antecedens: Ad cuius primam probationem dicas: Sententia illa feriendos vtiq; quot quot in Iudicio vniversali ad sinistram Iudicis constituentur: aliter tamen, & aliter, quia damnatos feriet eos ad ignem, qui verè ignis est, ad aliaque tormēta pœnam sensus causantia, mittens: existentes verò in Limbo mittet ad ignem, sumpto igne non quoad speciem ignis, pœnam sensus causantis, sed pro genere, quatenus nomine ignis signatur pœna damni, qua torquentur.

Duplicem partem habet solutio pro diversitate eorum, qui ad sinistram Iudicis collocandi sunt. Prima asserit dānatos mitti ad ignem verè talem, eoque causante pœnam sensus: in quo nulla difficultas est: sic enim fatentur omnes. Secunda tenet, quòd quando existentes in Limbo dicuntur ignem, aliaque huiusce modi pati, non sumuntur ista quoad speciem, sed in genere, pro ut pœnā significant: quiaque illi solùm pœnam damni patiuntur, propterea de pœna damni intelligi debent.

Quoad istam partem solutio est D. Thomæ quæst. 5. de malo art. 2. ad 1. vbi ait: *Dicendum, quòd nomen tormenti, gehennæ, supplicii, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, vt ponatur species pro genere. Ideò enim tali modo loquendi vsi sunt, vt detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi.* Hæc Divus Thomas dicta aliquorum Sāctorum exponens, quæ expositio, vt de se

constat, convenit etiam sententiæ illi supremi Iudicis.

Nisi mavis dicere: sententiam illam solùm damnatos ferire: de his enim, & non de existentibus in Limbo intelligi potest culpa, qua indignatus Iudex illa dicet, videlicet: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere.*

Ad secundam probationem antecedentis respondet Divus Thomas in 2. dist. 33. quæst. 2. art. 1. *Ad tertium dicendum, quòd non est eadem ratio de pœna sensibili ante mortem, & post mortem: quia ante mortem pœna sensibilis cõsequitur virtutem naturæ agentis, sive sit pœna sensibilis interior, vt febris, & aliquid huiusmodi. Sive etiam sensibilis pœna exterior, vt vstio & aliquid huiusmodi. Sed post mortem nihil aget virtute naturæ; sed secundùm Iustitiæ Divinæ ordinem tantum, sive in animam separatam, in quã cõstat, quòd ignis naturaliter agere non potest. Sive etiam in corpus post resurrectionem: quia tunc omnis actio naturalis cessabit, cessante motu primi mobilis, qui est causa omnis motus, & alterationis corporalis.*

134. Ad primam confirmationem respondetur distinguendo antecedens: *Sunt conversi* habitualiter, concedo: actualiter, nego antecedens. Et pro conversione habituali non debetur pœna sensus; sed solùm pro actuali. Sic laudatus Divus Thomas cit. loco de malo: *Pœna sensus numquàm debetur habituali dispositioni: non enim aliquis punitur ex hoc, quòd est habilis ad furandum, sed ex hoc, quòd actu furatur. Sed habituali privationi absque omni actu debetur aliquod damnum, puta, qui non habet scientiam literarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad Episcopalem dignitatem. In peccato autem originali invenitur quidem concupiscentia per modum habitualis dispositionis, quæ parvulum facit habilem ad concupiscendum, vt Augustinus dicit, adultum autem actu concupiscentem: & ideò parvulo defuncto cum originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni: quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem Divinam propter privationem originalis iustitiæ.*

Ad secundam confirmationem respondetur mentem Patrum Salmantic. abundè ab ipsis inibi explicatam esse. Loquuntur enim non de peccato originali, sed de peccato gravi personali, in quo duo attendenda sunt. Primum est, ratio voluntarii, cui correspondet pœna sensus, iuxta illud Apocal. 18. *Quãtum glorificavit se, & in deliciis fuit, tãtum date illi tormentum, & luctum.* Secundum est, improportio ad visionem beatificam propter defectum principii ad eius elicientiam, videlicet propter carentiam gratiæ sanctificantis; & huic carentiæ correspondet pœna damni.

Verum quidem est, quòd in peccato mortali personali tam aversio, quàm conversio & est voluntaria, & dicit dictam improportionem: Ast prima ratio voluntarii invenitur in conversione, & prima ratio improportionis reperitur in aversione: quapropter dici frequenter solet, quòd pœna damni correspondet aversioni, & pœna sensus conversioni. Quæ locutio non respicit ea, quæ tam formaliter, quàm connexivè dicunt prædicta aversio, & conversio; sed solùm illa, quæ de formali important. Si autem omnia, quæ dicunt, considerentur, fatendum est, & pœnam sensus correspondere aversioni, & conversioni pœnam damni.

Ex quibus constat, quòd peccatum eorum, qui in Limbo existunt, non debet puniri pœna sensus, quia in ipso non datur voluntarium proprium, cui priùs talis pœna correspondet: licèt pœnæ damni subiaceat, quia affert secum carentiam gratiæ, seu improportionem ad beatificam visionem. Sicut â contrario peccatum veniale, quia non dicit dictam improportionem, non subiacet pœnæ damni: punitur tamen pœna sensus, quia dicit proprium voluntarium. Videantur citati Salmanticenses.

Secundum caput, quo impugnatur vltima illa ratio â nobis facta, consistit in eo, quòd pœna damni, quia privatio est, consistit in indivisibili; quod est cõtra D. Thomam 1. 2. quæst. 73. art. 2. dicentem, privationes suscipere magis,

&

& minùs: ergo non consistunt in indivisibili.

Obiectio hæc plurima inculcat in præsenti materia supponenda: Vnde opus non est illa explanare pro nostra ratione defensanda. Non nulla tamen dicemus lectorem remittentes ad nostr. Salmanticenses, vbi quicquid desiderare potest, inveniet. Respondetur ergo: D. Thom. loco citato loqui de privationibus *in fieri*, non autem de illis, quæ consistunt *in facto esse*. Pœna damni non est ex privationibus primi generis, sed ex secundo genere privationum: vnde D. Thom. non est nobis contrarius.

136. Si dicas: Etiam privatio *in facto esse* suscipit magis, & minùs: ergo data distinctio non tenet. Probatur antecedens: Pœna damni est privatio beatificæ visionis totalis, *& in facto esse*: sed hæc privatio suscipit magis, & minùs: ergo. Minor constat ex dictis nostris Salmanticensibus disp. 18. dub. 1. §. 3. & 4.

Respondetur ex iisdem PP. inibi n. 10. distinguendo antecedens, illudque concedo de privatione sumpta ex parte causæ, quæ illam privationem inducit: Non autem de privatione ex parte formæ, qua privat. Hæc enim, si talis sit, & *in facto esse*, cõsistit in indivisibili; ac de privatione sic sumpta procedit ratio nostra. Circa hæc tamen videri debent laudati PP. Salmanticenses rem egregiè enucleantes.

§. III. *Respondetur argumentis.*

137. ARguitur primò: Quia Innocentius Tertius c. *Cum Mart.* de celebratione Missarũ ait: *Ex mortuis quosdam esse valde bonos, qui non egent suffragiis, quosdam valde malos, qui non possunt iuvari, quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia prosunt ad expiationem, quosdam mediocriter malos, quibus prosunt ad propitiationem.* Vbi Pontifex de quadruplici genere defunctorum loquitur. Ad primum genus pertinent Beati, qui sunt *valde boni, & non egent suffragiis*. Ad secundum pertinent damnati, qui sunt *valde mali; eo-que non possunt iuvari*. Ad tertium spectant in Purgatorio existentes, qui sunt mediocriter boni, quibus suffragia prosunt ad expiationem. Ad vltimum pertinent existentes in Limbo, & hi sunt mediocriter mali, quibus suffragia prosũt ad propitiationẽ: ergo possumus pro illis orare, vt illis Deus propitius sit.

Hoc argumentum ait Magister Torre 2. 2. quæst. 83. disp. 2. num. 27. magnum negotium Canonistis facessivit, ad illud ergo respondet dictus Magister dupliciter: Primò dicens, quòd mediocriter boni, & mediocriter mali sunt existentes in Purgatorio: ita vt mediocriter boni sint, qui nullam ibi habent culpam; sed solùm reatum pœnæ. Mediocriter tamen mali appellantur illi, qui habent culpam aliquam, non mortalem, hæc enim igne Purgatorio non plectitur; sed venialem.

Hanc explicationem admittere non possumus; licèt supponamus, vt de facto supponimus, mediocriter bonos, & mediocriter malos esse, qui in Purgatorio torrentur. Ast quòd in Purgatorio detur culpa aliqua, etiam levissima non admittimus: quippe ante Purgatorii ingressum elicitur actus charitatis ita fervidus, vt in conspectu eius dispareat culpa venialis, licèt remaneat pœna in Purgatorio luenda. Vide dicta disp. 4. num. 60. vide etiam Salmanticenses N. tract. 24. in annot. ad art. 4. quæst. 87. num. 12.

138. Respondet secundò datus Magister, Innocentium desumpsisse illam divisionem ex Augustino in enchir. cap. 110. & in lib. de Cura pro mortuis, vbi ponit divisionem illam trimembrem: quarè Innocentius illam quadrimembrem ponens, vel memoria lapsus est, quando divisionem ab Augustino desumpsit, vel sine causa adauxit vnum membrum. Sic respondes Pontifici?

Respondetur ergo: Augustinum divisionem illam, quam ex ipso desumpsit Innocentius, quadrimembrem posuisse. Hæc sunt eius verba: *Est enim quidem vivendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam ma-*

malus, vt ei non prosint ista post mortem: est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm hæc vita trãsierit, adiuvari. Ecce Augustinum quadruplicem vivendi modum ponentem, quibus in futura vita correspondet: eorum vltimo Infernus, tertio Gloria, primo, & secundo Purgatorium.

Vnde Innocentius non ob memoriæ lapsum, sed Augustinum exscribens illam divisionem posuit habens magnum hoc fundamentum. Habuit & causam: Quia ex existentibus in Purgatorio, alii quasi nihil debent: & hi sunt mediocriter boni. Alii multùm debent: & hi sunt mediocriter mali. Primi oratione hìc, & nunc applicata, â pœnis liberantur: Secundi verò non liberantur, sed levamen accipiunt, dicẽte inibi eodem Augustino: *Quibus verò prosunt suffragia, vel ad hoc prosũt, vt sit plena remissio, vel certè, vt tolerabilior sit ipsa dãnatio.*

Constat ergo ex eodem Augustino Innocentium rectè divisisse, & quarè quartum illud membrum assignavit. Quod sine dubio admisit Magister sentent. in 4. dist. 45. qui postquàm omnia dicta ex Augustino retulit, concludit: *Ecce quibus, & qualiter prosint illa, quæ pro defunctis frequentat Ecclesia: mediocriter malis suffragatur ad pœnæ mitigationem, mediocriter bonis ad plenam absolutionem.*

139. Arguitur secundò: Existentes in Limbo sunt ibi propter solum peccatum originale: sed incarcerati propter solum peccatum originale possunt liberari: ergo possumus pro illis orare. Cætera nota sunt, & minor probatur: Nam Patres antiqui, qui in sinu Abrahæ detinebantur propter peccatum originale liberati sunt ab illo carcere: ergo incarceratus ob solum originale liberari valet.

140. Confirmatur: Existentes in Limbo nõ sunt ibi ob propriam culpam, sed ob peccatum alterius: ergo ob aliorum orationes possunt inde liberari.

Respondetur argumẽto ex D. Thoma in 4. distinctione 45. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. *Ad primum ergo dicendum, quòd ad culpam originalẽ non eodem modo se habebant Patres, & Pueri. In Patribus enim originalis culpa expiata erat, secundùm quod erat infectiva personæ; remanebat tamen impedimentum ex parte naturæ, pro qua nondum fuit plenariè satisfactum: sed in pueris est impedimentum, & ex parte personæ, & ex parte naturæ:* Vnde licèt Patres ab illo carcere liberati sint; â suo carcere liberari non possunt existentes in Limbo, quia eorum culpa expiata non est; atque adeò non est redemptio.

Ad confirmationem respõdetur cum eodem Angelico Doctor. dist. cit. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. *Ad primum ergo dicendum: quòd quamvis peccatum originale sit huiusmodi, quòd pro eo possit aliquis ab alio iuvari: tamen animæ puerorum in Limbo existentes sunt in tali statu, quòd iuvari non possunt, quia post hanc vitam non est tempus gratiam acquirendi.*

Ex quibus omnibus constat, quòd apud Limbum nulla est redemptio; sicut nec in Inferno, vtì diximus in superioribus; notumque fuit Statio lib. 3. Sylvarum dicenti:

Ad manes, ignare, fugis, nec flectere parcas,
Aut placare malæ datur aspera Numina Lethes.

Et Ovidio Epist. ad lib. de morte fil. afferenti:

Supprime iam lachrymas, non est revocabilis istis,
Quem semel imbrifera navita lintre tulit.

Et Propertio lib. 3. Eleg. testificanti:

Desine, Paule, meum lachrymis vrgere sepulchrum,
Panditur ad nullas ianua nigra preces.

QVÆST.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrùm pro exiſtentibus in Purgatorio orandum nobis ſit?

AT Catholici ſua fœtida impietate cæci motivum principale nobis præbent pro præſenti controverſia. Quamquàm etiam Chatholicus pietate inſignis, ſapientiaque decorus non deſit, qui ex parte, occaſionem offerat præſenti diſputationi. Huius deciſio ferè conſtat ex dictis diſp. 4. quæſt. 3. vt autem pleniùs, quid circa illam tenendum ſit, habeatur, præſens diſputatio movetur.

§. I. *Referuntur ſententiæ, & vera eligitur.*

141. NEgant hæretici noſtras orationes poſſe fundi pro exiſtentibus in Purgatorio. Et hoc duplici ex cauſa: Prima quidem, quia negant dari Purgatorium: ergo non dantur tales animæ, pro quibus orare aleamus. Verùm de hoc nobis diſputare non licet; ſed tamquàm Fide ſanctum ſupponendum, dari Purgatorium, vbi animæ Iuſtorum purgantur, vt ſic ſine macula, & ſine ruga recipiantur in illam feliciſsimam civitatem, quæ eſt aurum mundum ſimile vitro mundo, in quamque nihil coinquinatum introibit.

Huius ſuppoſitionis rationem tradit D. Thom. 4. contra gent. cap. 91. vbi ait: *Ad hoc etiam eſt conſuetudo Eccleſiæ vniverſalis, quæ pro defunctis orat: quæ quidem oratio inutilis eſſet, ſi Purgatorium poſt mortem non ponatur; non enim orat Eccleſia pro his, qui iam ſunt in termino boni, vel mali, ſed pro his, qui nondum ad terminum pervenerunt.* Quod â fortiori conſtabit ex dicendis in tota hac quæſtione.

142. Sententia ſecunda eſt eminent. Caietani qui tom. 1. opuſc. tract. 16. quæſt. 5. licèt catholicè fateatur noſtras orationes vtiles eſſe iis, qui in Purgatorio torquentur: diſtinguit tamen inter orationes publicas, & privatas ex vna parte, & inter animas Purgatorii, quæ, dum viverent, affectæ erga claves Eccleſiæ fuerunt, & pro exiſtentibus in Purgatorio ſuffragia obtulerunt; & etiam inter illas animas, quæ in hoc Mundo affectum illum Eccleſiæ clavibus non habuerunt, nec de exiſtentium in Purgatorio levamine ſolicitæ fuerunt. Qua diviſione præmiſſa, ait graviſsimus hic Theologus, quòd oratio publica, hoc eſt, Eccleſiæ oratio, ſeu, quæ eius nomine fit, eſt vtilis omnibus animabus exiſtentibus in Purgatorio; oratio verò privata, licèt vtilis ſit animabus eorum, qui in hac vita ſuæ ſalutis, & patientium in Purgatorio auxilii ſoliciti fuere: non tamen prodeſt illis animabus, quæ in hac vita illa ſolicitudine non claruerunt.

143. Tertia ſententia eſt eorum, qui præiactam differentiam, vel non agnoſcentes, vel prorſus reſpuentes, indiſcriminatim aſſerunt: Quòd omnes orationes vivorum tum publicæ, tum privatæ vtiles ſunt omnibus illis, qui igne Purgatorio excoquuntur: quin per hoc negent, quòd illi, qui vivêtes mortuorum curam habuerunt, & devotum affectum erga Eccleſiæ claves, faciliùs Divinam miſericordiam conſequantur. Cum his ergo DD. ſtatuitur.

144. Noſtra concluſio: *Omnes omnium ſuperſtitum orationes impetratoriæ ſunt pro omnibus exiſtentibus in Purgatorio.* Sic ſentiunt communiter D. D. quos proinde in particulari non adducimus; plures tamen in ſequentibus afferemus. Et quamquàm concluſio tot ferè partes habeat, quot verba: abſolutè tamen probanda nobis erit, prout titulo quæſtionis correſpõdet: & ex progreſſu conſtabit nihil â nobis omiſſum.

Probatur primò concluſio ex verbis illis Iob cap. 19. v. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quæ verba

ba tamquàm ab ipsis animabus dicta viventibus plures accipiunt, vt nemo ignorat. Constatque ex eis, quæ vener. Thom. Cantiprat. refert lib. 2. Apum cap. 49. num. 23. ait enim: Cuidã Religioso Dominicano adstitisse cuiusdam animam mittentem illum ad hæredes vnius hominis paulò ante defuncti, nec adhuc tumulati, vt hæc eis diceret: *Legatione fungor pro animabus in Purgatorio purificandis; hæ enim mandant suis in derelictis possessionibus constitutis: miseremini mei, miseremini mei, saltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Hæc Venerabilis Doctor, qui plura alia pro re præsenti firmanda inibi habet.

Nec animæ illæ superstitũ auxilium implorarent, si illi suis orationibus opem illis afferre non valerent. Valent quidem, vt constat ex adducta relatione, innumerisque aliis, quæ cuique notæ sunt, vnius tantùm in gratiam earumdem animarum mentionem faciemus.

145. Egregius ille vir Ioann. Thritemius refert in chronico suo anno 1098. non longè â VVormamatia per multos dies, noctesque maximam armatorum militum multitudinem auditam fuisse. Accidit ergo, quemdam Monachum Linxurgensis Cœnobii ad locum, vbi milites audiebantur, aliquot sociis stipatum quadam nocte venisse, & milites veluti inter se digladiantes signaculo Sanctissimæ Crucis munitum in virtute Dei omnipotentis, vt, qui essent, quidque vellent, exponerent, adiurasse. Cui vnus ex agmine respondit. *Non sumus phantasmata, nec militum viventium turba, sed animæ hominum quondam in hoc Mundo Principi terreno militantium, non ante multos annos hoc in loco interfectorum. Arma, habitus, & equi, quæ, dum viveremus, nobis instrumenta erant peccati; etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormenti: omne, quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quamquàm vos ignem minimè videatis.*

Motus ad compassionem Monachus quæsivit: An posset illis auxilium in tot cruciatibus ferre? Cui respondit spiritus: *Ieiuniis, & orationibus, & maximè oblatione Corporis, & Sanguinis Christi adiuvari possumus, & rogamus.* Quibus dictis tota illa multitudo disparuit ter simul inclamans: *Orate pro nobis, orate pro nobis, orate pro nobis.* Verùm in re adeò pervia quid moramur? Videatur Seraph. M. N. Theresia, lib. Vitæ cap. 31. & 38. vbi non pauca invenientur, quibus præsens hoc assertum firmatur.

146. Probatur secundò conclusio discursu sequenti vrgentissimis auctoritatibus innixo. Etenim possumus orare pro defunctis, vt requiem æternam consequantur: at non sunt alii defuncti, pro quibus hoc petere possimus, nisi assistentes in Purgatorio: ergo pro illis possumus orare. Consequentia est omnino formalis, & minor constat ex dictis in hac ipsa disputatione: Quia defuncti vel deliciantur in Patria, vel vapulant apud Inferos, vel commorantur in Limbo, vel torquentur in Purgatorio: nec est alius locus, seu receptaculum pro decedẽtiũ animabus, vt videre est apud D. Thom. in 4. d. 45. quæst. 1. art. 3. modò sic: sed non possumus petere salutem existentium in Patria; quia iam in illa decorantur: nec possumus orare pro dãnatis, nec pro incarceratis in Limbo; quia eorũ nulla est redẽptio; quod omne patet ex quæstionibus præcedentibus, in quibus ex Scriptura, ex P. P. & â ratione horum veritatem demonstravimus: ergo non remanent alii defuncti, pro quibus orare possimus, nisi existentes in Purgatorio.

Maior autem probatur primò ex secundo Machabæorum cap. 12. vbi dicitur: *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis solvantur.* Probatur secundò eadem maior ex D. Dionysio cap. 7. Cœlestis Hierarch. vbi ait: *Divinus Sacerdos pro mortuis orans pro illis orat, qui Sãctè vixerunt; & tamen aliquas maculas habuerunt ex infirmitate humana contractas.* Vbi & Sacerdotem pro mortuis orare dicit, & hos mortuos pro quibus Sacerdos orat, esse existentes in Purgatorio, verbis dissertissimis docet. Idem tra-

tradit Dionyſius ipſe loco citato cap. vlt. vbi ritum commemorat, quo in primitiva Eccleſia pro mortuis orabatur; & ibi etiam aſſerit vivorum ſuffragia mortuis prodeſſe.

Probatur tertiò ex D. Auguſtino, & D. Ioann. Damaſc. apud D. Tho. citata quæſt. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. in arg. 2. *ſed contra*, verba Angelici Præceptoris ſubiicio: *Secundò prætereà, Auguſtin. dicit in lib. de cura pro mortuis agenda: non parva eſt vniverſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret auctoritas, vt in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius Altare funduntur, locum ſuum etiam habeat commendatio mortuorum, quæ quidem conſuetudo ab ipſis Apoſtolis inchoavit, vt dicit Damaſcen. in quodam ſermone de ſuffragiis mortuorum ſic dicens: Myſteriorum conſcii Diſcipuli Salvatoris, & ſacri Apoſtoli in tremendis, & vivificis myſteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, ſanxerunt.*

Vides trium horum ſublimium D.D. noſtrã illam maiorem calculo cõprobatam. Et etiam vides, doctrinam ipſius ab Apoſtolis diminaſſe. Quod, præterquamquòd dicentis auctoritate firmiſſimum eſt, placet in Achatholicorum confuſionem ſic aperire, adductis decretis aliquorum Apoſtolorum.

147. Omnium caput D. Petrus hoc continuè populos edocebat, vtì teſtis eſt Sãctus Clemẽs Romanus Epiſt. 1. de Santo Petro circa finem, vbi ait: *Quotidiana illius prædicatio inter cætera Divina mandata hæc erat ::: quantum vnuſquiſque ſapit, totis intimi cordis viſceribus Deum diligere, & proximum, velut ſe ipſum ::: Pauperes recreare, nudos veſtire, infirmos viſitare, ſitientes potare, mortuos ſepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eiſque orare, & eleemonſynas dare.* Nihil expreſsiùs pro præſenti materia adduci valet. Nec inobſervatum deferas, hanc pro mortuis iuvandis exhortationem quotidianum D. Petri exercitium fuiſſe, *quotidiana illius prædicatio*: Et talem exhortationem *inter cætera Divina mandata collocaſſe*: ac ſi hoc nos iam conſilii ſit, ſed præcepti. Verùm de hoc forſan aliàs.

Idem docuit Magiſter, ac Patronus N. Sanctus Iacobus, de quo refert idem Clemens lib. 1. conſt. Apoſt. quòd inter alia, quoties ſolemnia peragebat, populum ad mortuorum iuvamen excitabat, dicens: *Precemur pro iis, qui in Fide requieverunt.*

Sanctus Iacobus minor ipſum ſtatuit in ſuis liturgiis, ſiquidem inter alia dicebat Sacerdos: *Memento, Domine Deus, ſpirituum, & vniverſæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorũ memoriã non egimus, Orthodoxorum ab Abel iuſto vſque in hodiernum diem. Ipſe tibi eos fac requieſcere in regione viventium.* Quibus, aliiſque ſubiungebat Diaconus: *pro requie Patrum, & fratrum noſtrorum, qui ante nos dormierunt, dicamus omnes toto animo, Domine, miſerere.*

D. Matth. Apoſtolus, pariter & Euãgeliſta idem tradit in ſua liturgia, quæ habetur in Bibliotheca Patrum, vbi poſt alias pro defunctis deprecationes ait Sacerdos: *Domine Deus noſter, memẽto dormientium, & in recta fide quieſcentium, & concede ſanitatẽ, quia tu es vita, ſpes, liberator, & reſurrectio omnium.*

148. Alia prætereo, quia dicta ſufficiunt, vt quiſque cognoſcere poſſit, qua vigilantia Chriſtianæ militiæ Duces pro defunctis orabant, alioſque orare faciebant. Vnde evidens eſt fundamentum, quod habuit D. Thom. vt iſtum Sãctiſsimum morem ab Apoſtolis derivatum doceret. Quod præſtiterat D. Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſ. cap. 16. vbi ait: *Sacrificium pro defunctorum requie offerri, vel pro eis orari; quia per totum hoc orbem cuſtoditur, credimus, quòd ab Apoſtolis traditum ſit. Hoc enim vbique Catholica tenet Eccleſia.* Et laudatus Areopagita ait: *De prædicta precatione, qua Antiſtes ſuper defuncto precatur, quænam ad nos pervenerit à Divinis Ducibus noſtris traditio, dicere neceſſe eſt.*

149. Confundatur ergo Munſteri impudentia, morem adeò apud nos vſitatum offerendi ſacrificia, fundendique orationes pro defunctis, inventionem eſſe Papiſtarum garrientis. Cuius delirii rationem oſtendere nititur

ad-

addens: Quòd Iudæi, qui literis Sanctis instructi sunt, nunquàm talem vsum habuere orandi pro defunctis. Sic Hæreticus: sed malæ causæ peius patrocinium.

Quippe Iudas Machabeus Iudæus fuit, & in lege Sapientissimus; & tamen, vt dicitur lib. 2. Machabeorum cap. 12. *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolimam offerre pro peccatis mortuorum sacrificium: bene, & religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam.*

Insuper etiamsi mos iste apud Iudæos non inveniretur, insulsè procedit, qui hoc fundamento iacto subinfert. Ergo hoc est Papistarum inventum: Cùm possit esse traditio: vtì hanc esse ex dictis notum est. Nec intelligas ipsos Apostolos (quod satìs, superque foret ad nostrum intentum) Auctores fuisse huiuscemodi ordinationis. Auctor eius fuit Christus Dominus, qui animarũ saluti intẽtus misit per vniversum Mundum Apostolos suos dicens apud Matth. cap. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Ex quibus quidem*, ait noster Elias â Santa Theresia lib. 2. cap. 34. num. 1. *vnum fuisse illud, vt excitarent Fideles quatenus pro defunctis orarent, multorum est opinio.*

150. Vnde constat Hæreticorum insaniam, dum suffragia, orationesque vivorum defunctis prodesse negãt. Prosunt quidem, vt hactenus dicta ostendunt, comprobantque innumerabiles revelationes, in quibus defuncti ipsi visi sunt ad vivos clamantes, suffragiaque, quibus leventur, petentes. Constat etiam ex vsu omnium Fidelium, qui ab initio nascentis Ecclesiæ hoc ipsum credidere: & hac fide defunctorum animas levare curant orationibus, tum publicis, tũ privatis. Cõstat deniq ex ipsa Ecclesia, quæ non solùm habet Missam, Officiumq defunctorum; verùm etiam ipsorum requiem petit illa deprecatione; *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* Sic horas Canonicas terminat præter cõpletorium: tunc enim hanc memoriã non facit, vel quia Christiani nomine indignus est, qui in fine diei, dũ suo corpori requiem parat, requiem animarum non curat, vt aliqui volunt: vel, si placet, quia tunc temporis, signo facto ab Ecclesia, omnes Fideles ad animas sublevandas excitantur.

151. Hactenus considerauimus assertionem nostram absolutè, & prout ab Acatholicis impugnatur. Ex dictis tamen arduum non erit, intelligere omnes partes ipsius; siquidem diximus: *Quòd omnes omnium superstitum orationes impetratoriæ sunt pro omnibus existentibus in Purgatorio.* Vbi ly *omnes*, & ly *omnium*, *& pro omnibus* extensiones sunt ipsius conclusionis; quæ quidem vera contra Hæreticos consisteret, etiam si non *omnes* orationes, sed aliquæ tantùm: vel si non *omnium*, sed solùm aliquorum, vel si non *pro omnibus*, sed pro aliquibus in Purgatorio existentibus impetrarent.

Veritas tamen huius extensionis inde constat; quia *omnes* viventium orationes comprehendit tam orationem publicam, quàm privatam. De oratione publica nemo est inter Catholicos, qui dubitet: de privata dubitat Caietan. vt vidimus: sed tamen deferitur ab aliis omnibus, qui licèt efficaciam longè superiorẽ, vt par est, in publica orationo recognoscant: nihilominus orationem privatã sua etiam efficacia gaudere, cõfitentur. Quod constat primò ex praxi omnium Catholicorum privatas suas orationes pro existentibus in Purgatorio fundentium, quod non facerent, si illis non prodessent. Constat secundò ex ferè omnibus, quæ hucusque diximus: illa enim orandum pro defunctis suadent; sed privatam orationem non excludunt. Nec illa verba Iob, quæ vtì diximus, & probavimus, veluti ab existentibus in Purgatorio dicta accipiun-

tur, publicam orationem tantummodò designant: clamant enim; *miseremini mei, miseremini mei saltèm vos amici mei*: vbi nec verbum est, quod privatam orationem non admittat.

152. Sed tamen probatur tertiò, & â priori: Quia eò viventes possunt pro defunctis orare, quia possunt mereri de congruo pro illis; vel vt minùs, possunt illis impetrare, quod optant: sed ad hoc sufficit oratio privata; nec præcisè publica requiritur: ergo oratio privata illis proficua est. Ergo omnes orationes viventium illis prosunt. Hæc secûda consequentia constat ex prima, quam præmissæ bene inferunt. Maior certissima est: Minor autem inde constat, quòd non est, qui orationē privatā habentem requisita ad merendū de congruo meritoriā non esse, astruat. Quibus si caret, impetrare valet. Cuius ratio ea est: quòd impetratio non innititur meritis orantis, sed soli pietati Numinis miserentis. Vnde omnes viventium orationes proficuæ defunctis sunt, quia ipsorum redemptionem, vel solatium aut merentur de congruo, aut impetrant.

Ex quibus probantur etiam aliæ duæ præiactæ extensionis partes. Prima quidem, quia omnes superstites pro animabus Purgatorii orantes, vel sunt Deo accepti; sicque mereri possunt: vel si infensi Deo sint, valent impetrare; siquidem, vt modò vidimus, impetratio soli Divinæ benignati innititur; atque adeò ab existentibus in peccato non est aliena. Indidemque omnes omnium viventium orationes prosunt defunctis omnibus.

153. Et hoc est vltimum, quod probare debemus. Probatur tamen ex dictis: Quia opinio adversa Caietan. excludit defunctos illos, qui erga claves Ecclesiæ specialem devotionem nō habuerunt: at hoc est falsum: ergo omnes omnium vivorum orationes proficuæ sunt pro omnibus defunctis. Bona est consequentia, maiorque continet fundamentum sententiæ adversæ: Minor autem probatur: Quia illis, qui dictam affectionem erga Ecclesiæ claves non habuerunt, prosunt orationes publicæ: ergo & privatæ. Antecedens est doctrina Caietani, & consequentia probatur primò: Quia non est fundamentum, nec hactenus ab Eminent. hoc Theologo ostensum est, vt has privatas orationes, & nō publicas inutiles illis reputemus. Cur ergo infructuosæ sunt orationes privatæ; publicæ verò fructuosæ?

Probatur secundò â priori dicta consequentia, per quod probatio modò facta roboratur: Quia capacitas proximè requisita, vt defunctus possit orationibus sive publicis, sive privatis iuvari, est, quòd in gratia decedat reatui peccatorum obnoxius. Si namque in peccato moritur, ad tartara mittitur, vbi oratio non suffragatur: sin autem non solùm â culpa immunem, verùm & â pœnæ reatu alienum mors illum inveniat, tunc sidera scandit nostris orationibus non indiguus: vnde illa duo, quæ diximus, requiruntur, sufficiuntque; quin requiratur illa ad claves devotio: ergo oratio specialis existentibus in Purgatorio prodest. Patet ista: Quia si non prodesset, maximè quia requiritur aliquid aliud præter statum gratiæ, & debitum non solutum: sed nihil aliud requiritur, vt modò vidimus: ergo.

154. Confirmatur: Oratio specialis vtilis est existentibus in Purgatorio, qui illam devotionem ad claves Ecclesiæ habuere: ergo & aliis. Patet ista: Primò, quia illa devotio non requiritur. Secundò, quia, vt aliis inutilis asseratur, debet ratio, vel textus adduci hoc suadens: vnde quousque hoc fiat, fundamentum non adest, vt excipiantur â perceptione fructus orationis privatæ illi, in quibus devotio illa non emicuit: Tertiò, quia illi, ex quo in gratia, & cum pœnæ reatu extremum halitum exhalarunt, habent, quod sat est, vt fructus talis orationis sint capaces.

Nec negandum reor: Defunctos illos, qui dum viverent, bene erga Ecclesiæ claves affecti fuerunt, facilius indulgentiam consecuturos; habent enim motivum speciale, quo Dei misericordiam consequantur, vel ad orationem exaudiendam; vel ad ipsam, vivos movens, multipiicandam. Quod, & nihil

aliud

aliud evincunt Caietani discursus. Ex hoc tamen nostra resolutio non infringitur.

§. II. *Acatholicorum argumenta soluta.*

155. Contra nostram conclusionem absolutè sumptam (omissis iis, quæ in negatione Purgatorii fundantur) arguitur primò plurimis scripturis, quibus ostendere conantur Hæretici vivorum orationes inanes prorsus esse, vt existentibus in Purgatorio prosint. In primis enim ad Galat. cap. 6. ait D. Paulus: *Quæcũque homo seminaverit, hæc & metet.* Itidem in 2. ad Corinth. cap. 5. inquit: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt accipiat vnusquisque, prout gessit.* Deinde Psalm. 61. dicitur: *Deus reddet vnicuique iuxta opera sua.* Et cap. 5. Apocalyps. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum sequuntur illos.* Quæ omnia planè conspirant in nostram resolutionem, vt singula expendenti constabit. Siquidem ex prima scriptura constat, hominem in alia vita messurum, quæ ipse, & non alius in hac præsenti vita seminaverit: quippe *vnusquisque prout gessit* ipse accipiet, vt dicitur in secundo textu: quibus, vt notum de se est, consonant duæ scripturæ sequentes; de propriis vniuscuiusque operibus loquuntur: de aliorum autem operibus nec verbum quidem faciunt.

156. Dicta planè declarant, insimulque roborant verba D. Pauli ex loco citato ad Galat. adiuncta glossa D. Hieronym. ait enim Apost. *Vnusquisque onus suum portabit.* Quæ sic inibi elucidat Doct. maximus: *Docemur per hanc sententiolam, novum dogma, quod latitat; dum in præsenti sæculo sumus, sive orationibus, sive consiliis invicem posse nos coadiuvari: Cùm autem ante Tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quopiam, sed vnumquemque portare onus suum.*

Respondetur primò: Omnes dictas scripturas intelligendas esse de acquisitione status; non autem de consequentibus statum accidentalem, seu de aliqua dimissione pœnæ. Est dicere: Quòd status sive beatitudinis, sive damnationis consequitur per propria opera consequentis, non per opera ab alio facta: *Quia etiam si aliquis impetret alteri, vt ad vitam æternam perveniat, nunquam tamen hoc fit nisi mediantibus operibus propriis, dum scilicet precibus alicuius gratia alicui datur, per quam meretur vitam æternam,* ait D. Thom. in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 1. ad 1. Aut de consequentibus statum accidentalem, qualis est status existentium in Purgatorio, seu de aliqua pœnæ dimissione eæ scripturæ non loquuntur.

Non prima, *quia messio illa est perceptio vitæ æternæ, sicut habetur Ioan. 4. & qui metit, fructum congregat in vitam æternam.* Docet laudatus D. Thomas. Non secunda, quia illa acceptio intelligi debet *quantùm ad retributionem, quæ fiet in finali iudicio, quæ erit æternæ gloriæ, vel æternæ miseriæ, in qua quilibet recipiet solũ secundùm quod ipse in corpore gessit: interim tamen iuvari possunt vivorum suffragiis,* inquit Ang. Doct. quæstiunc. 2. eiusdem artic. ad 1. sed nec tertia, nec quarta ob eandem rationem.

157. Respondetur secundò permittendo datas scripturas loqui de consequentibus statum accidentalem Purgatorii, ac de dimissione pœnæ ibi existentium: adhuc tamen nostræ resolutionis veritas perseverat: Quia in gratia decedens meruit, dum vixit, vt superstitum orationes proficuæ sibi forẽt. Est doctrina expressa D. Thom. cit. loco ex quæstiunc. 2. ad 1. vbi explicans sensum sententiæ Divi Pauli ex 2. ad Corinth. in oppositum adductæ, inquit: *Ad primum ergo dicendum, quòd homo, dum in corpore vixit, meruit, vt hæc eò valerent post mortem: & ideò si post hanc vitam eis iuvatur, nihilominus hoc procedit ex his, quæ in corpore gessit.*

Quæ doctrina est Mag. inibi Augustinum adducentis, dicentisque. *Nec negandum est, vt ait Augustinus, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia, sed hæc eis tũm prosunt, qui, cùm viverent, hæc sibi vt postea possent*

pro-

prodeſſe, meruerunt. Quibus ſubiungit: *Non ergo iſta, quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt adverſa ſententiæ, qua dictum eſt; omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſcilicèt bona: quia etiam hoc meritum ſibi quiſque, cùm in corpore viveret, comparavit, vt poſſent ei iſta prodeſſe.* Videatur Mag. illa diſt. 45. toto titulo *de diverſis animarum receptaculis.*

158. Ex quibus ad ſcripturas in oppoſitum allatas reſpondetur ad primam quidem, quòd homo in gratia decedens, ſeminavit vivens, vt mortuus, dum ſit, ſibi vivorum orationes proſint: vnde metit mortuus, quæ ſeminavit ſuperſtes. *Ad ſecundam* iam vidimus, quid Auguſtinus, quid D. Tho. & quid Magiſter reſpondeant.

Ad *tertiam* ſimiliter dicimus: Quòd Deus media oratione viventium, dimittens pœnam patientis in Purgatorio, reddit illi *iuxta opera ſua*: ſiquidem per ſua opera meruit, vt eæ orationes pro ipſo acceptari valerēt. *Ad quartā* pariter dicas: Quòd opera defunctorum, *qui in Domino moriuntur*, verè *ſequuntur illos*: cùm verè illos ſequatur ſuffragiorum, orationumque vtilitas, quas vtiles ſibi pro tempore illo fecerunt, virtute operum bonorum, quæ, dum nobiſcum erant, exercuerunt.

159. Quòd ſi adhuc hæreas in hoc, quòd non niſi per propria opera poteſt pœnæ remiſsio obtineri: Reſpondetur tertiò ad factum argumentum: Opera, quibus defunctis ſuperſtites opem ferunt, fieri propria mortuorum ex ſuperſtitum intentione. Sic D. Thomas quolibet. 8. quæſt. 7. art. 2. & in 4. ad Anib. diſt. 45. quæſt. vnica art. 2. ad 3. vbi & hoc ita eſſe dicit, & modum, quo verificatur, docet: ſic enim ait: *Ad tertium dicendum, quòd ſuffragia vivorum proſunt defunctis, ſecundùm quod vivorum opera defunctorum fiunt. Quod quidem contingit dupliciter: vno modo propter vnionem Charitatis; & ſic proſunt ad gaudium omnibus in Charitate exiſtentibus, & magis eis, qui ſunt maioris Charitatis. Alio modo per intentionem facientis; & ſic valent præcipuè ad diminutionem pœnæ per modum cuiuſdam ſatisfactionis.* Videatur idem Angelicus Doctor loco ſæpiùs citato in illo art. 1. in corp. & *ad ſecundum*, vbi inter alia ait: *Quòd opus, quod pro aliquo fit, efficitur eius, pro quo fit: & ſimiliter opus, quod eſt eius, qui mecum eſt vnum, eſt quodammodo, & meum: vnde non eſt contra Divinam Iuſtitiam: ſed vnus fructum percipit de operibus factis ab eo, qui eſt vnum ſecum in Charitate; vel ab operibus pro ſe factis.*

Per quæ ad ſingula, quæ Hæretici obiiciunt, reſpondetur. Ad primum dicas: Quòd exiſtens in Purgatorio *metit*, quæ tunc aliquo modo *ſeminat*: vel quia qui *ſeminat* eſt *vnum ſecum in charitate*; vel quia qui *ſeminat*, facit illud opus pro eo; atque adeò *efficitur eius, pro quo fit.*

Ad ſecundum reſpondetur: Quòd verè in pœnæ diminutione *accipit vnuſquiſque, prout geſſit*, ſive per ſe, ſive per illum, qui *ſecum eſt vnum in charitate*: aut quia ex intentione ei ſubveniendi fecit opus; quod eo ipſo *efficitur eius, pro quo fit.* Similiter ad tertium, & ad quartū reſpondetur, quòd illa opera facta â vivis ſunt exiſtentium in Purgatorio, iis modis iam dictis.

160. Supereſt, vt ad id, quod ex num. 156. relictum eſt, reſpondeamus. Ad quod dicimus: Non adhuc exploratum eſſe, an D. Hieronym. loquatur de iis, quæ eveniant poſt iudicium vniverſale, an verò de iis, quæ vſque ad illum diem evenient. Si in primo ſenſu dicas loquuntum Hieronym. admittimus omni veneratione eius auctoritatem, quæ continet doctrinam veriſsimam. Siquidem poſt vniverſale iudicium *vnuſquiſque onus ſuum portabit*; quin locus tunc ſit ad aliquid de novo acquirendum. Vide, quæ diximus quæſt. 2. num. 52. Adde: Quòd ſi in hoc ſenſu loquatur Hieronym. hæc auctoritas non eſt ad rem: tunc enim non erunt vivi, qui pro mortuis orent.

Si autem dicas: Doct. maximum loqui in primo ſenſu, reſpondetur dupli-

citer:

ter: primò; quòd intelligi debet de gloria essentiali, quæ, vt dictum est, per illa opera solummodò, quæ viventes facimus, habetur. *Secundò* respondeo: D. Hieronym. inibi non loqui de mortuis, *qui in Domino moriuntur*; sed de iis, qui in peccato mortali decesserunt.

161. Arguitur secundò: Vivorũ orationibus iuvari, est aliquomodò proficere: sed existentes in Purgatorio nullatenus porficere possunt: ergo nec vivorũ orationibus iuvari. Cætera constant, & minor probatur: Quia proficere est eorũ, qui sunt in via: existẽtes in Purgatorio nullomodò sunt in via: ergo.

162. Confirmatur: Existentes in Purgatorio non possunt ob mala vivorum opera puniri: ergo nec ob opera eorum bona poterunt misericordiam experiri. Antecedens est certum, & consequentia probatur. Eò enim non possunt ob mala aliorum opera puniri; quia spectat ad Divinam Iustitiam mala pro malis infligere, & foret cõtra Iustitiam Divnam infligere malum vni ob mala alterius: sed etiam spectat ad ipsam Divinam Iustitiam reddere bona pro bonis: ergo contra ipsam foret pro bono opere vnius reddere bonum aliis.

163. Respondetur argumento negando minorem, ad probationem dicas: Existentes in Purgatorio esse simpliciter extra viam; atque adeò mereri, aut demereri iam non possunt statũ, in quo in æternum permaneant. Ast quia ab ingressu in æternam felicitatem, quam meruerunt, detinentur, ob pœnæ reatum, quo impediuntur: propterea adhuc possunt secundùm quid moveri: indidemque vivorum orationibus adiuvari: quod est proficere, & esse in via secundùm quid. Et hoc sat est, vt vivorum orationes illis vtiles asserantur.

Ad confirmationem respondetur ex D. Thoma laudato ad quartum, quòd liberalitas non potest esse iustitiæ opposita; siquidem virtutes sibi ipsis non contrariantur. Contrariatur iustitiæ iniustitia, quæ aufert aliquid ab aliquo, quod sibi debetur. Concedere animabus Purgatorii aliquid, quod ipsis non debetur, non est contra iustitiam; nemo enim ob hoc læditur: sed est liberalitas. Quòd autem illæ animæ punirentur propter aliorum peccata, esset contra iustitiam; siquidem earum ius læderetur. Vnde licèt possint vivorum orationibus adiuvari, quod sanè est opus liberalitatis Divinæ, Divinæ Iustitiæ germanæ: non tamen possunt, ob mala vivorum plecti, nè Divina Iustitia conqueratur.

Adde: Quòd si verum foret, quod in hac confirmatione cõtinetur, non possent vivi orare pro vivis, quod Hæretici negant. Ratio est: Quia etiam inter vivos vnus non punitur ob peccatum alterius.

164. Arguitur tertiò: Per opus vnius non laudatur alius: ergo nec opus vivorum est mortuis fructuosum. Certum est antecedens, & consequẽtia probatur: Quia ab eadem radice provenit, quòd opus sit fructuosum, ac laudibile; eò enim hæc habet, quia est voluntarium: ergo si opus vnius laudem alteri non affert, sic nec fructum.

Confirmatur: Vt aliquis opere alterius iuvetur, debet esse inter illos aliqua vitæ communicatio: sed mortuorum ad vivos nulla communicatio adest ex Philos. 1. Ethic. ergo defuncti existentes in Purgatorio vivorum orationibus non iuvantur.

Respondetur argumento, quòd sicut meritum est privativè proprium facientis opus, sic & laus. Ratioque vtriusque est eadem: Videlicet, quòd sicut meritum, ita & laus concernit conditionem, statumque subiecti. Vnde sicut mereri non potest ille, cuius opus non est proprium, sic nec laudari. Quòd autem opus sit alicui fructuosum, non solùm provenit ex conditione, aut statu ipsius, sed etiam attenditur ad hoc aliquid consequens conditionem ipsius, & statum; vt constat ex supradictis. Videatur D. Thom. art. 1. citato ad tertium.

Ad confirmationem respondetur: Philosophum denegare commucationem civilem inter vivos, & vita functos. Nos autem inter superstites, ac Purgatorium inhabitantes, agnoscimus communicationem, quantùm ad

ope-

opera ſpiritualis vitæ, quæ eſt per charitatem ad Deum, cui mortuorum ſpiritus vivunt.

§. III. *Alia argumenta contra extenſionem aſſertionis noſtræ.*

165. COntra extẽſionem noſtri aſſerti poſitam n. 11. arguitur primò â Caietan. loco citato, ſic ex Auguſtino, qui ait: Videtur enim, quòd Eccleſiæ ſuffragia, ſaltèm ſpecialia, & ſimiliter indulgentiæ, quæ vt ſpecialia *ſuffragia ſubrogantur, illis ſolis defunctis proſint, qui in hac vita meruerunt, vt in Purgatorio hæc illis prodeſſent.* Ex qua doctrina infert Caietan. quòd orationes ſpeciales, ſeu privatæ non proſunt illis animabus, quæ ſuprà datas conditiones, dum viverent, non habuere; atque adeò non *omnes* ſuperſtitum orationes proſunt *omnibus* in Purgatorio exiſtentibus.

Reſpondetur totam hanc Caietani doctrinam rotundè oppoſitam eſſe ipſi Auguſtino, quem non ita fideliter adducit. Inibi enim totus eſt Caietanus in diſtinguendo inter mereri, quòd vivorum orationes exiſtentibus in Purgatorio *poſſunt prodeſſe*, & inter hoc, quòd tales orationes illis animabus reapsè *proſint*. Primum dicit eſſe certiſsimum; ſiquidem pertinet ad præmium eſſentiale; atque adeò ex quo quis in gratia decedat, meretur, vt *omnes* orationes ſibi *prodeſſe poſsint*: non tamen eo ipſo meretur, vt de facto *proſint*; quia hoc pertinet ad præmium accidentale: vnde compatitur, quòd in gratia decedat, & quòd tale accidentale præmium de facto non mereatur.

Hæc ad vnguem Caietanus loco citato: inter quæ plura ſunt, quæ ſanè percipere non poſſum, nec, quia tempus vrget, impugnare. Vnde ſolùm Auguſtini auctoritatem, quam adducit, & ſupra quam totam ſuam hanc fabricam molitur, contemplor.

Etenim Auguſtinus non dicit, quòd noſtræ orationes illis defunctis proſũt, *qui in hac vita meruerunt, vt in Purgatorio hæc illis prodeſſent.* Verba Auguſtini dedimus num. 157. ex Magiſtro, modòque reproducimus, ſic ergo ſe habent: *Hæc eis tantùm proſunt, qui, cùm viverent, hæc ſibi, vt poſteà poſſent prodeſſe, meruerunt.* Ecce Auguſtinum non dicentem, vti aſſeris, meruerunt, vt ſibi poſteà *prodeſſent*: ſed aſſerentem: *meruerunt, vt hæc ſibi poſteà poſſent prodeſſe.* Ac per hoc, quòd Auguſtinus doceat, quòd ex hoc, quòd exiſtentes in Purgatorio meruerint, dum viverent, vt hæc ſibi poſſent prodeſſe, intelligit D. Thom. Magiſter ſententiarum, omneſque alii, ipſum docuiſſe, noſtras orationes proficuas reipsà eſſe in Purgatorio degentibus; quin illius diſtinctionis, â Caietano excogitatæ, mentionem, nequidem leviſsimam, faciant. Ex quo in Caietanum ex ipſo Caietano, & ex Auguſtino, quem affert, ſic breviter diſputo.

166. Illis, qui in hac vita meruerunt, vt ſibi *omnes* orationes noſtræ prodeſſe poſsint, proſunt orationes noſtræ: ſed *omnes* exiſtentes in Purgatorio meruerunt, dum apud nos erant, vt *omnes* noſtræ orationes ſibi prodeſſe poſſent: ergo *omnibus* in Purgatorio exiſtentibus proſunt *omnes* orationes noſtræ. Illatio eſt omnino formalis. Maior eſt expreſſa doctrina Auguſtini; & minor continet doctrinam adducti Caietani, qui videri poteſt; vt ſic magis conſtet id, quod contra ipſum diximus.

167. Arguitur ſecundò ad probandum *non omnium* vivorum orationes defunctis prodeſſe: Etenim oratio exiſtentis in peccato proficua non eſt exiſtenti in Purgatorio: ergo non omnium ſuperſtitum orationes illis proficuæ ſunt. Conſequentia bona eſt, & antecedens probatur: Primò, quia vt oratio proficua ſit, debet â Deo exaudiri: ſed *peccatores Deus non exaudit* ex D. Ioan. cap. 9. ergo. *Secundò* probatur antecedens: Quia opus magis fructuoſum eſt facienti, quàm aliis: ſed opus peccatoris nullatenus ei prodeſt: ergo nec exiſtenti in Purgatorio.

Reſpondetur negando antecedens: Ad primam probationem dic: quòd Deus etiam peccatores exaudit, non ex

eorum merito, ſed ex ſua Clementia, ob quam, dum aliquid ei acceptum efflagitant, exaudiuntur. Verba illa relata â D. Ioan. ſunt cæci denuò ad viſum reſtituti. Vnde aſſerit gloſſa, quòd loquitur, *vt inunctus, hoc eſt, vt non adhuc plenè videns*: atque adeò nil mirum, quòd illa dixerit.

Ad ſecundam probationem reſpondetur: Quòd quando cætera ſunt paria, opus ab aliquo factum magis fructuoſum ſibi eſt, quàm alii. Verùm contrarium evenit, quando cætera non ſunt paria, vt in præſenti; quia opus faciens incapax eſt ob pravum ſtatum, quo catenatur, percipiendi fructum ſui operis: exiſtens autem in Purgatorio hanc incapacitatem non habet: vnde percipere poteſt talem fructum.

168. Arguitur vltimò: Opus meritorium debet eſſe vivũ, hoc eſt, Charitate formatum: ſed opus peccatoris eſt prorſus ſine Charitate: ergo non poteſt eſſe meritorium; eòque nec prò levãdis Purgatorii animabus deſervire.

Reſpondetur tale opus nullatenus eſſe meritorium; poteſt tamen impetrare non ex meritis operantis; ſed ex mera benignitate concedentis. Quod dicimus, vt ſic omnia, quæ pro exiſtentibus in Purgatorio fieri ſolent, etiam privatas orationes comprehendamus. Si autem peccator orat vt miniſter Eccleſiæ, aut offert Sacrificium Altaris, aut ea exequitur, quæ mortuus dum viveret, imperavit: tunc certo certius eſt, illa opera vtilia eſſe exiſtentibus in Purgatorio. Quod egregiè docet D. Thom. art. 1. citato quæſtiũc. 3. ibi: ¶. *Ad tertiam quæſtionem dicendum, quòd in ſuffragiis, quæ fiunt per malos, duo poſſunt conſiderari. &c.* quæ videri omnino debent in ipſo Sancto Doct. qui omnia, quæ pro præſenti materia deſiderari poſſunt, adducit.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm pro viventibus omnibus orare poſsimus?

PLura ſub hoc titulo comprehendimus, quæ integram diſputationem complerent: ſed nè, vel fuſiùs, quàm par eſt, proceſsiſſe; vel neceſſaria ſurripuiſſe, convincamur, per diverſos §. §. quid tenendum ſit, vnica hac quæſtione ſtatuemus.

§. I. *Non licet orare pro ſalvatione omnium hominum collectivè ſumptorum.*

169. ASSertum hoc certum apud omnes eſt, poteſtque ſic probari: Non licet petere rem impoſsibilem: ergo non licet petere, vt hominum collectio ſalvetur. Antecedens eſt omnino certum, & conſequentia probatur: Quia impoſsibile eſt, quòd omnes homines collectivè ſumpti ſalventur, ex ſuppoſitione decreti de excluſione plurium â Gloria, quod decretum nobis conſtat; vnde nota nobis eſt talis impoſsibilitas: ergo cum hac certitudine compati non poteſt petitio illa.

170. Confirmatur: Petere â Deo ſalvationem omnium hominum collectivè, foret Deo iniurioſum: ergo non licet hoc facere. Probatur antecedens: Quia petere id ipſum, quod ſcimus Deo diſplicere, eſſeque contra ipſius voluntatem, eſt Deo iniurioſum: ſalus omnium hominum collectivè ſumptorum diſplicet Deo, eſtque contra ipſius voluntatem, ſiquidem habet decretum contrarium: ergo illam petere, non poteſt non eſſe iniurioſum Deo.

171. Hinc habetur: Talem petitionem non eſſe decentium â Deo; atque adeò, nec orationem. Illa enim eſt orationis metaphiſica diffinitio. Nec decens poteſt dici, quod eſt contra Divinam voluntatem.

Rurſus: Non datur oratio ſine ſpe conſequendi id ipſum, quod petitur, & deſideratur. Habere autem ſpem con-

ſequendi â Deo id ipſum, quod ſcimus, omnino iam inconſequibile eſſe, penitùs impoſsibile eſt: vnde ſi ea petitio fieret, ſpei non inniteretur, atque adeò non eſſet oratio.

Denique: Omnis noſtra oratio eò tendere debet, vt nos Divinæ voluntati conformet: hic enim eſt finis orationis noſtræ, vt modò ſuppono ex omniũ Myſtarum calculo. Vnde, cùm ſupponatur Dei voluntas contraria ſalvationi omnium hominũ collectivè ſumptorum, planè ſequitur, nos non poſſe talem ſalvationem petere. Hoc enim non eſſet orare, quia tali actu, nobis ſcientibus, poſitivè recederemus â voluntate Divina.

§. II. *Occurritur aliquibus, quæ propoſitum aſſertum impugnant.*

172. CONtra veritatẽ ſtabilitã obiicies primò: Petitio, qua conformamur Divinæ voluntati, non habet vnde excludatur â ratione orationis: ſed petentes ſalutem collectionis hominum conformamur Divinæ voluntati: ergo talis petitio oratio eſt: ergo & â nobis poteſt fieri. Cætera omnia nota ſunt, & minor probatur: Quia ex D. Paulo 1. ad Thimot. cap. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: ergo petentes ſalutem omnium hominum Divinæ voluntati conformamur.

173. Confirmatur: Quia, vt multoties in ſuperioribus diximus, ex D. Thom. id licet petere, quod licet deſiderare: ſed poſſumus deſiderare collectionem omnium hominum ſalvam fieri: ergo & hoc ipſum petere poſſumus. Minor, in qua poteſt eſſe difficultas, videtur certa: tum quia illa ſalus eſt â Deo volita, vt modò ex Apoſt. vidimus: tum quia eſt res omnino bona, & amabilis: ergo & deſiderabilis.

Reſpondetur argumento negando minorem, ad probationem dicendum eſt primò illam voluntatem, de qua ibi loquitur D. Paulus non eſſe voluntatem conſequentem, ſed antecedentem, vti docet D. Thom. tum ibi, tum 1. part. quæſt. 19. art. 6. ad 1. de quo videri poſſunt N. Salmant. tract. 9. diſp. 9. dub. 3. n. 8. & tract. 19. diſp. 6. dub. 7. num. 52. Nos autem debemus ſequi ductum voluntatis Divinæ antecedentis, dum nobis non conſtat de voluntate conſequenti, vt non ſemel diximus diſp. 3. quæſt. 1. In præſenti autem certi ſumus Deum nolle voluntate beneplaciti collectionem omnium hominum ſalvandam iri. Vnde non poſſumus cum illa antecedenti voluntate conformari: ſed cum hac volũtate conſequenti debemus regulare petitiones noſtras; atque adeò non poſſumus petere ſalvationem collectionis hominum.

174. Dices: Solutio hæc, vel ſe ipſam deſerit, vel textui Apoſtolico contradicit: ergo ſuſtinenda non eſt. Probatur antecedens: Iuxta datam ſolutionem loquitur Paulus de voluntate Dei antecedenti: ſed orationes noſtræ debent, ſeu poſſunt fundi pro iis, quæ placita ſunt Deo ſecundùm voluntatem antecedentem, quamvis ſecundùm voluntatem conſequentem ſint nolita: ergo. Probatur minor: D. Paulus optimè ſciebat diviſionem illam Divinæ voluntis in antecedentem, & conſequentem, & quòd Deus, qui ſecundùm vtramque voluntatem *Iacob dilexit*, & ſecundùm antecedentem dilexit etiam Eſau, nihilominus ſecundùm voluntatem conſequentem ipſum *Eſau odio habuit*: & tamen textu allato repræsẽtat vt cauſam, qua nos ad orandum pro omnibus moveat: quòd Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*: ergo quamquàm hæc omnium ſalus ſit nolita voluntate conſequenti, ſat eſt, quòd voluntate antecedenti volita ſit, vt illam â Deo petamus.

Minor, in qua poterat eſſe diſsidium nota fiet ſola textus lectione, & expenſione contextus. Sic enim ait Apoſt. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate cõſtituti ſunt; vt quietã, & tranquillã vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.*

175. Vidiſti Apoſt. monitum: Accipe

cipe motivum, sic enim immediatè prosequitur: *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Quibus verbis, ait inibi D. Thomas, *ponitur ratio* (seu motivum) *orationis*: & observat ipse Angelicus Doctor duplex motivum ad hanc orationē, quam solicitat, Apostolum assignare: primum ex parte ipsius operis, ibi: *Hoc enim bonū est. Ponit ergo*, ait D. Tho. *rationem ex operis specie, quia quando aliquid est secundùm se bonum, illud debemus facere: sed pro aliis orare est huiusmodi, quia est actus charitatis.*

Secundum autem motivum est ex parte ipsius Dei, ibi: Et *acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Ratio autem, ob quam orare pro omnibus sit *acceptum coram Salvatore nostro Deo*, est, quia ipse *omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Quæ omnia breviter complexi sunt Salmant. N. tract. 9. disp. 9. dub. 3. num. 15. dicentes: *Apostolus in verbis antecedentibus exhortatur, vt pro omnibus hominibus cuiuscumque status, & conditionis sint, fundantur ad Deum preces, vt quietam, & tranquillam vitam agant in omni pietate, & castitate, & ratio, quam adducit ad id suadendum, est, hoc esse acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ex his omnibus forsam molestè inculcatis, sed quæ omittere haud potuimus, manifesta est illa min. propositio, propter quam adducta sunt: Ex quibus sic breviter, claritatis gratia, instauratur obiectio facta.

176. D. Paulus asserit, accepras esse Deo nostras preces fusas pro iis omnibus, quos salvos fieri vult: Atqui *Deus vult omnes homines* collectivè sūptos *salvos fieri*: ergo pro omnibus illis collectivè aeceptis orare possumus. Consequentia bona est. Maior ex modò dictis est certa, & minor probatur ex verbis Apostoli sic à Theologis intellectis. Videantur dicti PP. Salmant. tum loco citato, tum tract. 14. disp. 6. dub. 7. num. 51.

Respondetur solutionem argumento datam nec se ipsam deserere, nec Apost. contrariari. Loquitur enim Apost. de voluntate Dei antecedenti, secundùm quam vult Deus omnem collectionem hominum salvam fieri: ob quod motivum nos invitat Apost. vt pro omnibus illis preces fundamus, quin aliquis excludatur, nisi ille, seu illi, de quibus nobis constet exclusos esse à Regno Dei voluntate consequenti ipsius. Pro his orare non possumus, vt salventur, vti §. sequenti videbimus: modò sat sit audire D. Augustinū lib. 21. de civitate Dei cap. 24. vbi ait: *Si sciret Ecclesia de aliquo esse reprobum, non magis oraret pro illo, quàm pro his, qui sunt in Inferno.*

Ex hac auctoritate evidenter habetur, quòd si nobis constaret de alicuius reprobatione, vt de Antichristi reprobatione nobis constat, pro huius salute orare non possumus, quia illa generalis regula Divi Pauli limitanda est, ita vt pro omnium salute Dominum deprecemur, iis exceptis, quos reprobos esse scimus.

Cùm autem nobis clarissimè cōstet, plures (ô vtinam nō tot talem pœnam incurrerent!) esse reprobos; eò quòd multi sunt vocati, pauci verò electi; propterea orare pro tota hominū collectione non possumus. Vnicum enim si excipias à tota collectione, iam collectio non remanet. Vnde solus Antichristus, quem scimus damnandum esse, sufficit, vt pro tota collectione petere nō possimus, aliter pro ipso, quem excluſum supponimus, peteremus.

Maneat ergo D. Paulum monere, vt pro omnibus hominibus preces fundamus. Pro omnibus, inquam, divisivè, non collectivè. Nec te tædeat huius limitationis in amplissima illa loquendi formula D. Pauli; siquidem & alias exceptiones pati generalem illam regulam, notum est. Quippe non comprehendit homines damnatos, vt existimavit Estius super dictum locum Pauli, propter hoc censurans illam expositionem: quia videlicet ex illa infertur,

orandum esse pro damnatis.

Insulsa sanè illatio. Non possumus orare pro damnatis, quamquàm hortemur orare pro omnibus, quia illa generalis limitatur ad viatores. Similiter excipiuntur ab illa generali regula infantes, & amentes; pro his enim orare non possumus, vt quietam, & tranquillam vitam agant in omni pietate, & castitate: sunt enim huiusce modi effectus incapaces.

Excluduntur etiam reprobi, quos, vt tales agnoscere possumus, & propter hoc excluditur etiã collectio omnium hominum, erga quam eadem omnino ratio exclusionis datur, ac erga reprobos invenitur.

Respondetur secundò argumento facto: D. Paulum præiactis verbis loqui de voluntate Dei consequenti, secundùm quam *vult omnes homines salvos fieri*: non quia non sint plures, quos salvos esse non vult; *sed quia nullus salvus fit, quem non velit salvum fieri*: ait D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 6. ad 1. vbi etiam aliter Paulum explicat, vt videlicet eius verba faciant distributionem pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Vnde Deus vult de omni genere, seu statu hominum, aliquos salvari; non tamen vult, quòd omnia individua cuiuscumque status hominum salventur: sicut voluit, quòd ex omni genere animalium fuissent aliqua individua in arca Noë. Ex hoc autem, quòd D. Paulus loquatur in hoc sensu, nihil contra nos sequitur, vt quis cognoscere poterit.

177. Ad confirmationem ex num. 173. relictam respondetur: Dictum illud D. Thomæ intelligendum esse, quando aliunde nobis non constat de contraria Dei voluntate. Tunc enim licèt possimus aliquid desiderare, illud tamen petere non possumus, nè Divinæ voluntati contrariemur. Adde: Quòd tunc deficit spes consequendi, sine qua dabilis non est oratio nostra.

178. Arguitur secundò: Non semper debemus conformari cum Divina voluntate; immo aliquando discordare debemus: sed nullibi videtur adesse matius fundamentum ad hoc, quàm in casu præsenti: ergo in illo non debemus conformari Divinæ voluntati; atque adeò petere pro collectione hominum valemus. Maior vt certa supponitur. Minor probatur, quia in casu præsenti, adhuc suppositа voluntate consequenti denegandi gloriam toti collectioni, remanet salus totius collectionis vt obiectum bonum, honestum, & amabile: ergo possumus pro illa orare.

Accedit: Quòd si in casu hoc deberemus conformari cum Divina voluntate, sicut Deus non vult positivè salutem collectionis; sic & nos illam positivè nolle deberemus: consequens est omnino imprudens: ergo non tenemur in hoc casu conformari. Cætera nota sunt, & maior, seu sequela probatur: Quia, sicut non conformatur cum Deo, qui vult aliquid, quod Deus non vult; sic etiam non conformatur, qui non respuit id, quod Deus respuit: ergo si talis conformatio dari debet, debemus positivè nolle salutem collectionis humanæ.

Rursus: Tenemur conformari cum Deo in hoc, quod est velle, aut nolle salutem collectionis hominum: ergo tenemur positivè velle, & positivè nolle talem salutem. Patet ista: Quia Deus voluntate antecedẽti positivè vult omnes homines salvos fieri; quod certè positivè non vult voluntate consequenti: ergo pariformiter, & nos voluntate antecedenti, hoc est, respicientes illam salutem absolutè possumus illam desiderare, & petere: & voluntate consequenti, hoc est, respicientes illam cum omnibus suis circunstantiis, debemus illam odisse. Nec in hoc aliqua contrarietas datur, sicut non adest contrarietas in illa voluntatis Divinæ diversitate.

Hoc argumentum plura inculcat, de quibus sine molestia hìc agere, haud possemus. Eorum tamen aliqua, vel indigitatio necessaria erit, vt vires argumẽti, quæ abs dubio vulgares non sunt, dehiscant. Igitur

179. Respõdetur rectitudinem voluntatis nostræ dependere ex cõformitate

tate ad voluntatem Divinam; *quia primum in vnoquoque genere est causa, & mensura cæterorum.* Vnde, cùm Divina voluntas sit prima in hac linea, debet voluntas nostra cum illa mensurari, vt rectitudinem habeat; aliter inordinata erit, vtpotè devians ab illa prima regula totius rectitudinis. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 9. qui posteà art. 10. statuit, hanc conformitatem nostræ voluntatis cum Divina debere esse in volito formali; non autem in volito materiali.

180. *Volitum formale* est id, ratione cuius, sive finis, propter quem res aliqua volita est. *Volitum materiale* est ipsa res volita propter illum finẽ. Quòd autem voluntas creata conformari debeat cum Divina *in volito formali*, adeò clarum est, vt probatione non indigeat. Quippe, vt hominis voluntas sit recta, debet referre, vt minùs aptitudinaliter, omnia, quæ vult, ad vltimum finem, qui est bonum commune, & Divinum: sed hoc bonum commune, Divinumque est ipsa ratio volendi omnia, quæ Deus vult: ergo vt hominis voluntas recta sit, debet convenire cum Divina in hac ratione volendi.

Quod verò non teneatur homo conformare voluntatem suam cum volito materiali, inde patet, quòd sæpissimè homo ignorat, quod in particulari Deus vult; vnde præciperetur ipsi impossibile, si deberet in materiali volito conformari.

Etiamque: Quia multoties id, quod secundùm vnam rationem, & relatè ad vnum finem est abominabile, secundùm aliam rationem, & relatè ad alium finem est appetibile. Vnde illam rem odio habet, qui secundùm primam rationem intuetur; ipsam autem habet in deliciis, qui secundùm secundam contemplatur.

181. Exemplo rem illustrat Sanctus Thomas: Etenim vita vxorati homicidæ, & abominabilis est, & appetibilis. Est appetibilis vxori; Iudici tamẽ, & Reipublicæ est abominabilis. Respicit Iudex illam vitam relatè ad bonum commune; respicit eandem illam vitam vxor relatè ad suum proprium bonum, & quatenus conducit ad propriam sustentationem. Sub prima consideratione odibilis est vita illa, & ideò â Iudice suspendio, vel alio supplicio consimili extirpatur. Sub secunda consideratione est amabilis; propterea àque ab vxore defectus eius, vt valet, impeditur. En vita eadẽ eodem momẽto vni est laudabiliter exosa, & alii virtuosè cõcupita. Primus illam, nec aliter suo muneri satisfeciſſet, oppetit. Secunda autem ipsam ex proprio munere appetit. Nec huius tam diversi discriminis aliam rationem inquiras, nisi diversitatem finis, affectus adeò disitos regulantis.

182. Habes duplicis præiacti voliti intelligentiam, secundùm quam maiorem propositi argumẽti distinguẽdam esse cognosces; etsi loquatur de volito formali, negetur: si autem loquatur de volito materiali, concedatur. Sed priusquàm ad minorem accedamus, non te tædeat, amabo te, præclaram nostrorum Salmant. obseruationem audire. Est enim admodum mystica, & propria summæ perfectionis, cui omnes inhiare debemus: sicque quid tenendum circa talem propositionem maiorem, perfectiùs callebis. Ita enim prædicti P. P. in annotat. ad dict. art. 10. D. Thom. loquuntur, postquàm ea, quæ modò diximus, dictavere.

Sed licèt rationes istæ (aiunt) *suadeant*, non requiri ad rectitudinem voluntatis creatæ conformitatem cum Divina in volito materialiter: non tamen probant, quòd non sit maior perfectio talis conformatio, supposito, quòd nobis constet, quid Deus in particulari velit. Et propterea Beati, quibus hoc certò constat, in omnibus cõformantur voluntati Divinæ; tam quoad volitum formliter, quàm quoad volita materialiter. Neque est, cur negemus, pertinere etiam ad maiorem viatorum perfectionem similem conformitatem in omnibus, quæ constat volita esse â Deo (saltèm excepta proprii peccati permissione) ita vt plùs gaudere possimus de quocumque Deus vult, prout ab eo volito, quàm debeamus tristari de eodem

se-

ſecundùm aliam rationem, aut de aliis, quæ Deus non vult. Diximus ſaltèm excepta proprii peccati permiſsione, nam quid de hac tenendum ſit, ſive in Beatis, ſive in viatoribus, alibi dicetur: modò autem neque cum aliis materialiter volitis eam comprehendimus, *neque ab eorum regula excludimus.*

Hæc prædicti P. P. qui, dum toto rigore Scholaſtica verſant, hoc myſticæ Theologiæ arcanum documentum propinant. Ex iiſque habes, quomodò maiorem illam propoſiti argumenti intelligere debeas. Deinde negatur minor; ad cuius primam probationem

183. Reſpondetur: Ita eſſe, quòd ſalus totius collectionis hominum abſolutè ſumpta bona eſt, & amabilis. Sed non ideò pro illa orandum eſt propter dicta num. 176. quibus adde (& ſit ſecunda ſolutio) quòd ſalus illa eſt amabilis per illam voluntatem, cuius eſt obiectum: vnde non eſt amabilis per voluntatem conſequentem, ſed ſolùm per voluntatem antecedentem, quæ non reſpicit rem particularibus ſuis circunſtantiis veſtitam, ſicut illa alia voluntas: ſed reſpicit rem ſuis circunſtantiis peculiaribus nudam: quamobrèm non eſt voluntas, propriè loquendo, ſed velleitas: Quia voluntas propriè talis terminatur ad rem, prout dicit omnes ſuas particulares circunſtantias, & quæ ſic illam non reſpicit, impropriè voluntas dicitur.

Quæ doctrina eſt D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. vbi poſt alia, quæ videri poſſunt, ait: *Neque tamen id, quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid: Quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt: in ſe ipſis autem ſunt in particulari. Vnde ſimpliciter volumus aliquid ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circunſtantiis particularibus, quod eſt conſequenter velle. Vnde poteſt dici, quòd Iudex iuſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Vnde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas; & ſic patet quòd quidquid Deus ſimpliciter vult, fit, licèt illud, quod antecedenter vult, non fiat.*

184. Dices: Voluntas antecedens eſt propriè, & formaliter voluntas: ergo malè dicimus, cùm voluntatem impropriè eſſe affirmamus.

Reſpondetur non deeſſe diſcrimen inter voluntatem antecedentem Dei, & hominum, vt hæc dicatur impropriè talis; illa verò non. Aſt quia ex vna parte hoc diſcrimine non egemus, & ex alia intra voluntatem impropriè talem, etiam Divinam comprehendimus alibi: ideò dicimus, quòd voluntas antecedens verè, & formaliter eſt talis, de quo vide noſtros Salmant. tract. 4. diſp. 9. toto dub. 3. Cæterùm quia eſt voluntas ſecundùm quid, vt vidimus ex D. Thom. propterea, relatè ad volũtatem conſequentem dicitur impropriè talis.

185. Inſtas: Ex voluntate Dei antecedenti, quamvis modo dicto impropria ſit, ortum ducit pulcher auxiliorum imber, quæ Deus re ipſa confert, vel vt minùs offert, toti hominum collectioni: ergo poſſumus voluntate noſtra antecedenti hanc auxiliorum collectionẽ petere. Sicque ſervabitur plena conformitas voluntatis humanæ ad Divinam: dum id, quod iſta voluntate conſequenti non vult, pariter nec illa voluntate ſimiliter cõſequenti. Et quod illa vult voluntate antecedenti, & in ſignum huius volitionis auxilia confert, ſeu offert, etiam humana voluntas antecedens amat, pro illoque auxiliis ditando, preces fundit.

Reſpondetur concedendo antecedens quoad oblationem auxiliorũ: Falſum enim eſt, quòd Deus reapsè conferat illa auxilia collectioni omnium hominum; ſed ſolùm adultis, rationis compotibus: ac deinde negetur conſequentia: Ratioque ea eſt, quòd ea ſolùm petere ſeriò â Deo poſſumus, quæ danda nobis, vel aliis â Deo ſunt, & mediis noſtris orationibus dare conſuevit, Si autem aliqua ab ipſo non dantur, ſed ſolummodò offeruntur: vel ſi dantur, non ſunt ex iis, quæ mediis noſtris precibus dare decrevit, hæc petere non debemus; ſicut non petimus craſtinum

num ortum ſolis; quia ſolis ortus craſtinus independenter â noſtris orationibus decretus eſt â Deo.

Auxilia illa, quæ voluntatem antecedentem conſequuntur, ſunt in multiplici differentia, vt videre eſt apud N. Salmant. loco cit. ex tract. 14. quæ omnia peti â Deo non poſſe, inde conſtat: quòd auxiliũ illud ſufficiens, quod neceſſariò requiritur, vt ſeriò ad Deum preces fundam, antecedit orationem: vnde illud petere non poſſum. Alia autem auxilia remotè ad ſalutem conducentia, vt quid pro tota collectione petam? Cùm videam magnam collectionis partem illis decoram.

Alia autem auxilia ſufficientia ad ſalutem â Deo petimus vtique; verùm hoc non facimus per voluntatem illam antecedentem; ſed per conſequentem; ſufficit enim, quòd illa auxilia ſoleat Deus media oratione conferre, vt poſſint â nobis peti; & in hoc Divinæ voluntati conformamur.

186. Nec inde inferas: Poſſe â nobis peti ſalutem collectionis; ſiquidem ex auxiliis pro illa conſequenda, alia ſupponimus data, & alia petere poſſumus.

Ad quod dicendum eſt, quòd licèt poſsimus velle, & petere media illa ad ſalutem neceſſaria; ipſam autem ſalutem velle, aut petere haud valemus. Ratioque huius alia non eſt, niſi illa, cui innititur hoc argumentum, ſcilicet conformitas, quam habere debemus cum Divina voluntate; quia *licèt ex hoc* (aiunt noſtri Salmant. tract. 4. citato num. 24.) *quòd ex vi huius volitionis* (antecedentis) *ſequatur, Deum providere de mediis neceſſariis ad ſalutem, optimè colligatur, quòd velit efficaciter prædicta media, non tamen, quòd ſimpliciter velit ſalutem ipſam, neque quòd talis ſalus maneat ſub ſtatu futuritionis abſolutè, & ſimpliciter; ſed ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet, quantùm eſt ex vi auxiliorum ſupernaturalium, & ex ſe ſufficientium ad illam: & ideò non obſtante hac voluntate, poteſt Deus voluntate conſequenti velle, quòd plures ex hominibus non ſalventur, ſicut de facto id voluit.*

187. Si dicas: Fruſtra vult aliquis media conducẽtia ad aliquem finem, ſi talem finem non vult: ergo non ſtat, quòd auxilia conducentia ad collectionis ſalutẽ velimus, & petamus, & quòd ipſam ſalutem petere non poſsimus.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens: *Si talem finem*, vt ſtat ſub illis mediis, *non vult*, concedatur: aliàs, ſubdiſtinguo: ſi conſiderato illo fine cum particularibus ſuis circunſtantiis non adeſt ratio vrgens ad oppoſitum, concedatur, ſi talis ratio adſit, negetur.

Explicatur ſolutio: Etenim ſicut Deus vult efficaciter illa media, non tamen vult ipſam ſalutem; quia illa mediorum volitio non extrahit collectionis ſalutem â ſtatu poſsibilitatis *abſolutè, & ſimpliciter; ſed ſolùm ſecundùm quid, ſcilicet quantùm eſt ex vi auxiliorum*; quod ita evenit propter vrgentem rationem manifeſtationis attributorum Dei, quæ prædeſtinatione aliquorum, & aliorum excluſione â gloria refulgent: ſic & nos poſſumus petere illa media; non tamen ſalutem ipſam ob vrgẽs motivum, quod adeſt; nempe quia tenemur cum Divina voluntate conformari. Vnde volumus media, & volumus finem, ad quem illa media conducunt. Sed media volumus, & petimus, quia de illis non petendis decretum non adeſt. Finem tamen non petimus, nè cõtra Dei voluntatem procedamus. Volumus tamen ipſum finem, quatenus aliquo modo intra ſtatum futuritionis cõſtituitur, quantùm eſt ex vi auxiliorum.

Ad ſecundam probationem poſitam num. 178. dicas: Nullam imprudẽtiam apparare in eo, quòd nolimus ea, quæ certò ſcimus, Deum nolle: immo *licitum erit delectari, quòd Deus aliquos vagè, & in communi reprobaverit, vt in hoc maxima eius libertas, & circa prædeſtinatos liberalitas, ac miſericordia reluceat*: Vt docent citati Salmant. tractat. 13. diſp. 11. dub. 3. num. 45. ad finem.

Per quæ patet ad vltimam probationem: Concedimus enim totum, quod continet, præterquàm illud, quod de illius ſalutis petitione aſſerit: non enim ſalutem illam totius collectionis petere

poſ-

possumus, quamquàm illam desideremus, propter dicta.

§. III. *Orare non licet pro eo, de cuius reprobatione sumus certi.*

188. ASSertio loquitur de oratione pro gloria, seu salute consequenda; quòd autem possimus orare pro reprobo, vt minùs malus sit; vel vt plùs perseveret in gratia, vel vt alia bona consequatur, non diffitemur, dictumque iam nobis est suprà quæst. 3.

Supponit etiam conclusio casus possibilitatem, & rectè: Quia si dabile est, quòd Deus alicui revelet suam damnationem, potiori iure poterit ipsi alterius damnationem revelare. Cum hoc tamen discrimine, quòd damnationem alienam potest potentia ordinaria notam alicui facere; damnationem autem propriam, si alicui revelet, erit de posse absoluto ipsius.

Sic docet D. Thom. in 1. dist. 48. quæst. 1. art. 4. ad 2. & quæst. 23. de veritate art. 8. vbi ait: *Ad secundum dicendum, quòd quamvis de potentia absoluta Deus possit revelare suam damnationem alicui, non tamen hoc fieri potest de potentia ordinaria, quia talis revelatio cogeret eum desperare, etsi alicui talis revelatio fieret, deberet intelligi non secundùm modum prophetiæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur, suppositâ conditione meritorum.*

Habes ergo, Deum de posse ordinario non revelare alicui propriam reprobationem; *quia talis revelatio cogeret eum desperare*: Quod si alicui talem revelationem faciat, debet intelligi *per modum prophetiæ comminationis*. Quod quidem denegandum non est supremæ Dei potestati, vt de se notum est: sicut etiam est certum, quòd, vt alienam damnationem revelet, sufficit ordinaria potentia. Tunc enim cessat illud desperationis inconveniens. Sed estò, quòd nec hoc posset facere, nisi de posse absoluto, adhuc rectè procederemus, vt quisque cognoscere potest. His ergo præmissis

189. Probatur primò assertio nostra ex Augustini verbis; quæ suprà n. 176. dedimus, prout â Mag. Torre referuntur 2. 2. quæst. 83. art. 7. disp. 2. num. 6. modò verò sic ea damus: *Si de aliquibus ita certa Ecclesia esset, vt qui sunt illi etiam nosset, qui licèt in hac vita sunt constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quàm pro ipso; sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus.*

Vbi eo modo orandum esse, docet, pro eo, de cuius damnatione constat, ac pro Diabolo, pro quo orare nefas esset. Ratioque huius perspicua est: Quia eò pro Diaboli salute fundere preces non possumus, quia consecutio talis salutis est omnino impossibilis, quia iam est in termino damnationis, vbi nulla est redemptio. Vnde, cùm homo, de quo loquimur; licèt adhuc sit in via, subsit irrevocabili damnationis decreto, de quo nobis, vt supponimus, constat, non possumus pro ipsius salute orare oratione virtutis nomen habente, sed vitii, vtpotè Divinæ voluntati cõtraria, nullaque spe suffulta.

190. Probatur secundò conclusio ex D. Thom. qui in Epist. 1. ad Thimoth. cap. 2. lect. 1. inquit: *Deus vult Sanctos suos voluntate beneplaciti, velle quòd omnes salvi fiant: hoc enim velle debet esse in Sanctis, quia nesciunt, qui sunt prædestinati, & qui non.* Similiter 2. 2. quæst. 83. art. 3. ad 3. ait: *Orantes autem non pro omnibus peccatoribus exaudiuntur, sed pro quibusdam. Exaudiuntur enim pro prædestinatis; non autem pro præscriptis ad mortem ::: sed sicut nulli quandiu vivit hic, subtrahendum est correctionis beneficium, quia non possumus prædestinatos distinguere à reprobis, vt Augustinus dicit in lib. de Corrept. & gratia: ita etiam nulli est denegandum orationis suffragium.* Ex quibus sequens pro cõclusione probãda formatur ratio.

Si sciremus *prædestinatos distinguere à reprobatis*, non possemus orare pro reprobis: sed in casu conclusionis, scimus, qui sunt reprobi: ergo pro illis orare non possumus.

Si-

Similiter *Deus vult Sanctos ſuos voluntate beneplaciti velle, quòd omnes ſalvi fiant*; atque adeò quòd omnium ſalutem petant, & hoc ideò eſt, *quia neſciunt, qui ſunt prædeſtinati, & qui non*: At in noſtro caſu ſciunt Sancti, qui non ſunt prædeſtinati, videlicet illi, de quorum damnatione revelatio adeſt: ergo horum ſalutem velle non debent, atque adeò nec pro illa orare.

Deinde probatur concluſio præſens omnibus illis quibus §. 1. probavimus neminem poſſe orare pro ſalute omnium hominum collectivè ſumptorum, illa enim omnia præſens hoc aſſertum planè evincunt. Vnde nè diutiùs immoremur, illa vel ſic refricare, placuit.

§. IV. *Occurritur aliquibus obiectionibus.*

191. OBiicies primò: Præceptor, ac Legifer noſter Chriſtus Dominus oravit in Cruce pro ſuis crucifixoribus: ſed Chriſtus Dominus certò ſciebat, plures ex Crucifixoribus eſſe reprobos: ergo pro iis, quos reprobos eſſe ſcimus, orare poſſumus. Conſequentia nota eſt: Si namque ſcientia, quam de alicuius damnatione habemus, noſtræ orationi obeſſet, etiam Chriſti orationi obſtaret. Minor eſt omnino certa, & maior conſtat ex verbis illis apud Luc. cap. 22. *Pater, ignoſce illis.*

Reſpondetur primò ex D. Thom. 3. p. q. 21. art. 4. vbi ait: *Ad ſecundum dicendum, quòd Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro his ſolùm, qui erant prædeſtinati, vt per ipſum vitam conſequerẽtur æternam.* Per quæ planè ſoluta manet obiectio.

Reſpondetur ſecundò ex dictis tum in hac ipſa q. tum quæſt. 3. Chriſtum Dominum oraſſe quidem pro omnibus Crucifixoribus prædeſtinatis, & reprobis: Aliter tamen, & aliter, nam pro prædeſtinatis oravit, vt media ſua paſſione ſalutem conſequerentur. Pro reprobis autem oravit, vt non adeò mali eſſent, ac ſine illa interpoſitione forent, & vt alia bona, præter gloriam, quam illis impoſsibilem cognoſcebat, obtinerent. Quo modo etiam nos pro reprobis orare poſſe, conſtat ex iis, quæ locis citatis dicta ſunt, vbi videri poterunt. Vide etiam, quæ diximus diſp. 4. quæſt. 1. num. 25.

192. Obiicies ſecundò: Etſi ſciamus contrarium eſſe â Deo determinatum, poſſumus preces fundere pro eo, de cuius damnatione nobis cõſtat, quin talis oratio ſit otioſa, aut Deo iniurioſa: ergo nihil obſtat, vt talis reprobi ſalutem petamus. Conſequentia bona eſt: Eò enim diximus, talem orationem fieri â nobis non poſſe, quia otioſa eſſet; ſiquidem, ſine ſpe rem petitam obtinendi, procederet: & etiam, quia eſſet iniurioſa Deo, cùm contra ipſius voluntatem niteretur. Antecedens autem probatur: Licèt Chriſtus Dominus ſciret, ſuam mortem decretam â Deo eſſe, tamen *oravit dicens, Pater, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* apud Matth. cap. 26. ergo etſi dicamus, &c.

Reſpondetur ex laudato D. Thom. *ad primum* pluribus ſolutionibus SS. PP. quæ ibi adducit, ex quibus cõſtat, Chriſtum petiiſſe, quæ Pater illi media ſua hac oratione conceſsit. Vnde non petiit cõtrarium decreto Divino, ſed potiùs, quæ Deus ſe conceſſurum decreverat. Si enim per ly *tranſeat à me calix iſte*, precatus eſt Redemptor noſter, vt calix ille ſic in ſuos milites, qui ipſum ſequuturi erant, tranſiret, vt ipſum biberent; quomodò ab ipſo bibebatur, hoc eſt, *ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis.* Vt explicat D. Hilar. hoc planè cõſecutus eſt, prout teſtantur tot Martyrum myriades, qui ſitibundi currentes ad Calicem Paſsionis, adeò ſtrenuè illius amaritudinem exhauſere, vt vel ipſa mors, affatim palabunda, in ipſorum victoria abſorberetur.

193. *Si petiit, quòd timor bibendi Calicis* (ait loco citato D. Thom.) *eum non pertubaret, vel quòd mors eum non detineret; omninò impletum eſt, quod petivit*: Quia videlicet nec timore illo fuit pertubatus, nec â morte detentus; ſi-

ſiquidem, vt prædictum de ipſo erat, non vidit corruptionem. Verùm quia in hac ſanctiſsima oratione communiter dicitur, Chriſtum aliquid effiagitaſſe, quod non obtinuit; atque adeò petiiſſe aliquid, cuius contrarium, decretum â Deo eſſe, ſciebat; propterea

Proſequitur Angelicus Doct. *Si verò intelligitur petiiſſe, quòd non biberet calicem mortis, & paſsionis, vel quòd non biberet ipſum à Iudæis, non quidem eſt factum, quod petiit, quia ratio, quæ petitionem propoſuit, nolebat, vt hoc impleretur, ſed ad inſtructionem noſtram volebat demonſtrare nobis ſuam voluntatem naturalem, & motum ſenſualitatis, quam ſicut homo habebat.*

Habes ergo ex Ang. Præcep. plura poſſe intelligi, Chriſtum in illa ſua oratione poſtulaſſe, & conſequutum fuiſſe. Quod ſi alia non adeptum aſſeras, fuit, quia talia petiit, non vt obtineret, ſed vt noſter inſtructor exhiberetur, *demonſtrans nobis ſuam voluntatem naturalem, & motum ſenſualitatis.* Quid ſit voluntas, vt natura? Quò reſpiciat eius deſiderium? Quidque ſit ſenſualitatis oratio? Non licet in præſentiarum repetere. Vide, quæ diſp. 4. quæſt. 1. præcipuè num. 26. & 27. dicta ſunt, & horum omnium ſenſum ſanum habebis, cognoſceſque, noſtrum aſſertum loqui de oratione, quæ ſit propria rationis ſuo nomine, & voluntatis deliberatæ petentis; non autem de oratione deſiderium ſenſualitatis, velut ipſius advocata, repræſentante.

194. Miriſsimè de hac Chriſti Domini oratione loquuta eſt eius dilectiſsima Sponſa, ac Mater N. D. Thereſia epiſt. 8. num. 17. vbi ait: In illa oratione petebat Chriſtus Dominus noſter, vt aufferrentur ab ipſo amaritudo, ac difficultas, quas in aggrediendo tormenta, patitur natura humana. Non poſtulabat laborum ablationem, ſed amaritudinis, qua labores patiebatur. Et quod ipſe hominis portioni inferiori petebat, erat, quod fortitudo ſpiritus carni communicaretur, in qua ſpiritus fortitudine carnis infirmitas robur haberet, promptaque, & accincta eſſet, ſicut ipſe promptus erat, cùm audivit Calicis potationem neceſſariam eſſe, quod idem prorſus eſt, ac quod idem puſillanimitatē, & imbecillitatem carnis ſuperaret. Ac denique, vt nobis demonſtraret, quòd quamvis erat verus Deus, etiã erat verus homo; ſiquidem, vt cæteri homines, pœnalitatibus triſtabatur.

Hactenus hæc Catholicæ Eccleſiæ eximia Doctrix, de cuius profũda doctrina ait Venerabilis eius Annotator ibi num. 35. *in n.* 17. *confert* orationem, quam in horto fecit Chriſtus afflictorum orationi: oſtendens, quàm altus, & purus ſpiritus erat huius Sanctæ Præceptor in Theologia myſtica, Scholaſtica, & Poſitiva, quas ibi propinat, agens de portione ſuperiori, & inferiori *animæ Chriſti.* Sic elequentiſsimus hic Præſul.

Parce prolixitati, quia Thereſiam audiviſti arcana Theologiæ Myſticæ, Scholaſticæ, & Poſitivæ profundiſsimo magiſterio referantem, & adeò ad mẽtem Præceptoris Ang. procedentem, vt poſsis veraciter intonare: *vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis.* Videatur Caietan. ad locum citatum D. Thom. vbi non multis materiam hanc, de ſe non multùm claram, declarat.

195. Dices: Et ſit tertia obiectio: Poſtquàm Chriſtus Dominus prædixit Petro: *Antequàm gallus cantet, ter me negabis.* Tenebatur Petrus ad non negandum Chriſtum: ergo poterat petere auxilium ad vitandam negationem: ergo cum certitudine decreti circa negationem compatibilis eſt oratio circa vitationem negationis: ergo cum certitudine decreti de alicuius reprobatione ſtat oratio pro illius ſalute. Hæc vltima conſequentia nota eſt ex ſecunda, quæ ex prima colligitur manifeſtè. Prima autem apertè ſequitur ex antecedenti, in quo non videtur adeſſe difficultas: Quia ſi non teneretur ad vitandam negationem, negans non peccaret.

196. Confirmatur: Poſita revelatione de alicuius damnatione poteſt ille, & tenetur vitare peccata, ob quæ dam-

damnandus est, etiam si ipsi fiat talis revelatio: ergo ipse, & potiori titulo, alii possunt petere auxilium ad vitanda illa peccata.

Ad obiectionem respõdetur primò ex D. Thom. adducto num. 188. illam revelationem non fuisse secũdùm modum *prophetiæ prædestinationis, & præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis.* Cui intelligentiæ maximum fundamentum præbet illa animositas, qua tunc temporis supra cæteros coapostolos sibi Petrus fulgere videbatur, dum dixit: *Etiam si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquàm scandalizabor*, apud Matth. cap. 26. quam animositatem, vt retunderet Dominus, comminatus est negationem: vt sic Discipuli iactantiam cohiberet, & totam suam fiduciam in Domino collocaret. Vnde vi huius revelationis nec spem Theologicam amisit, nec infallibilem certitudinem decreti circa negationem habuit; eòque potuit sperare, debuitque petere auxilium ad negandum.

Hac via penitùs vis factæ obiectionis evacuatur. Ast quia communiter aliam sequuntur Theologi, quorum doctrina est pro pluribus valde Magistralis, eaque indigemus, vt confirmationem solvamus: propterea

Respondetur secundò concesso antecedenti, negando omnes illas consequentias, inde deductas, quia licèt Petrus teneretur ad non negandum; immo & ad confitendum Christum teneretur iuxta nostros Salmant. tract. 27. disp. 3. dub. 1. num. 8. tamen orare non poterat, vt auxilium ad non negandum, vel ad confitendum, obtineret. Ratioque ea est: Quòd, vt oraret, deficiebat ipsi aliquid de intrinseca ratione orationis necessariò exactum: videlicet fiducia obtinendi â Domino rem petitam, quam fiduciam tunc habere non poterat D. Petrus: est enim omnino incompatibilis fiducia ad obtinendum cum certitudine decreti circa negationem.

Pro præcepto autẽ Fidei, quod tunc Petrus implere tenebatur, nihil ei defuit: vnde habebat quicquid pro illo adimplẽdo necessariũ est. Quarè tentationi cõtra Fidẽ succumbens peccavit; Cæterũ orationem omittens non deliquit, quia primum poterat, & tunc obligatio vrgebat: pro secundo autem vires sufficientes non habebat; atque adeò non tenebatur.

197. Dices: Orationem esse medium necessarium ad obtinendum, quibus indigemus, pluribus suprà probavimus disp. 3. tota quæst. 1. sed D. Petrus tunc per nos non habuit vires sufficientes ad orandum pro auxilio, quo Fidei præceptum impleret: ergo iis viribus caruit pro adimpletione præcepti Fidei, atque ideò non confitendo Christum, non peccavit.

Respondetur pro tali casu præceptum orationis fuisse, ac si non esset, vt D. Petrus vires haberet ad confessionem Fidei; quia omissio orationis erat ei simpliciter necessaria: vnde alia via implere debuit Fidei præceptum, ad quod vires sufficientes habebat.

Sic in casu vrgentiori respondẽt PP. Salmant. tract. 18. disp. 5. dub. 2. n. 28. loquentes de homine, cui facta esset revelatio de sua damnatione. De quo dicunt laudati PP. non gravari præcepto sperandi salutem: *In eo eventu* (dicunt) *non daretur, aut non obligaret præceptum sperandi salutem; siquidem omissio talis actus esset simpliciter necessaria. Vnde non diceretur homo posse consequi salutem, quia posset adimplere hoc præceptum; sed quia posset facere omne id, ad quod teneretur, haberetque ad id auxilia sufficientia.* Similiter in nostro casu.

198. Per quæ patet ad confirmationem: Dicimus enim illum hominem non teneri ad orandum, quia ad hoc deest fiducia, quæ est de formali, & intrinseca ratione orationis. Teneri tamen ad vitanda omnia peccata, ob quæ damnandus est, quia præcepta manent in sua vi, ad illaque implenda habet vires sufficientes.

Adest exemplum lucem huic materiæ cõcilians. Etenim Fide sanctum est, neminem sine specialissimo privilegio (quo sola Beatissima Virgo decora

fuit) posse venialium collectionem vitare, licèt ad omnia divisivè sumpta vitanda vires quisque habeat; de quo N. Salmant. tract. 14. Seraphica Mat. N. Diva Theresia locis in 3. prædicabili citandis; vbi de hoc fusè nobis agendum est.

Qua veritate posita, possum petere â Deo non solùm pro me, verùm etiam pro aliis, vt taliter vivant, quòd veniaaliter non peccent. Hoc est, possum orare, vt omnia venialia divisivè sumpta vitent, quamquàm certissimè sciam, eos aliquando casuros. Ast quia ad vitanda illa ipsa venialia, quæ committuri sunt, habent vires sufficientes; propterea oratio illa non est otiosa, sed vtilis. Non esset vtilis, sed otiosa, si peterem, quòd collectionem venialium vitarent; quia certus sum, vires ad talem collectionem vitandam ipsis denegatas esse.

199. Sic ergo dicimus, quòd pro illo, de cuius reprobatione revelationem habemus, possumus orare, vt pro impletione omnium præceptorum, ad quorum impletionem vires sufficientes habet, auxilium consequatur, quo illa adimpleat. Quod verũ est loquendo de illis præceptis divisivè: aliud autem est, si collectivè sumãtur; sic enim talem orationem fundere, otiosum est; quia certissimè nobis constat, talẽ hominem aliquod, vel aliqua præcepta vagè sumpta fracturum, ex quo scimus, illum dãnandum esse. Vnde orare non possumus, vt collectionem adimpleat propter dicta; nec vt salutem speret; quia tali præcepto, si conscius est revelationis, non gravatur.

Plures, easque magni ponderis, obiectiones hinc inde contra dicta emergentes nemo non videt. Verùm quia citati nostri Salmanticenses toto illo dubio 2. quicquid pro illarum enodatione necessarium est, manu plenissima conferunt, propterea illas omittimus. Videantur etiam, quæ diximus disp. 3. quæst. 1. præcipuè â num. 36.

200. Obiicies vltimò: Non possumus lætari de reprobi damnatione: ergo possumus orare pro eius salvatione. Antecedens constat; quia illa delectatio animum malè affectum, & inimicum erga illum hominem ostenderet, quod charitas Christiana non patitur. Consequentia autẽ probatur: Eò enim orare non possumus, quatenus teneremur conformari cum Divina voluntate: at in hoc non tenemur conformari, immo discordare debemus; aliàs sicut Deus positivè vult illius hominis damnationem, sic & nos teneremur illam velle, in ipsa delectari, ac pro ipsa orare: ergo &c.

Confirmatur: Possumus desiderare reprobi salutem, quin in hoc Divinæ voluntati cõtrarieмur: ergo possumus signa huius desiderii exhibere. At non est aliud signum proprius, quàm illam petere: ergo.

Ad obiectionem respondetur cum nostris Salmanticẽsibus tract. 13. disp. 9. dub. 3. n. 45. in fine: Quòd *si præcedat suppositio, quòd Deo placuit, Petrum reprobare, licebit de hoc gaudere, præcisè, quia ipsi placuit, & sub respectu ad istam Dei complacentiam; non verò absolutè, aut prævie ad talem suppositionem.* Videantur prædicti Patres hanc ipsam doctrinam prosequentes.

Itaque possum gaudere de Petri reprobatione, si fiat suppositio de Dei complacentia; quia tunc obiectum huius gaudii est complacentia Divina, in qua possum, & debeo complacere. Sed non possum gaudere de tali reprobatione, si dicta Dei complacentia non præcedat; quia tunc gauderem de malo ipsius reprobi, quod lex Charitatis non suffert. Nec in hoc teneor conformari cum Divina voluntate, quæ summè præcisiva est. Sic nostri Salmantic. loco citato ex tract. 18. num. 16. dicentes: *Licèt homo se debeat conformare voluntati Divinæ quantùm ad motivum volendi, non tamen se debet semper conformare quantùm ad rem volitam, quia voluntas creata ob suam defectibilitatem nequit multoties sistere in re volita à Deo, quin transeat ad peccatum, & hac de causa non possumus velle permissionem peccati, nec complacere in eius entitate, licèt Deus, cuius volũtas est summè præci-*

ciſtva, & indefectibilis, permiſsionē peccati velit; & in eius entitate complaceat.

Ad confirmationem conſtat ex iam dictis in hac ipſa quæſtione, quòd poſſumus deſiderare, & amare ſalutem reprobi; quia amor reſpicit rem abſolutè, & non prout cadit ſub iudicio prudenti. Oratio autem, cùm prærequirat ſpem obtinendi, debet terminari ad obiectum, vt futurum: vel ad ipſum quatenus de ipſius non futuritione non cōſtat. Vnde ſalus reprobi non poteſt peti oratione habente nomen virtutis, quāvis poſsit amari, & deſiderari; immo & peti, ſed non oratione, quæ ſit virtus, de qua loquimur.

Cuius deſiderii ſigna poſſe exhiberi non negamus. Fatemur quidem exhiberi poſſe, & etiam huiuſmodi ſignum eſſe petere illam ſalutem, fatemur. Verū talis petitio non eſt virtus, ſed quædam levis, imprudenſque petitio, vtpotè ſine fiducia, & contra Dei decretum ab orante cognitum procedens.

Egregiè Caietanus num. 60. citatus hæc explanat dicens: *Adverte hìc, novitie, quòd oratio eſt explicativa voluntatis, & illius procuratrix; non ſolùm autem volūtatis deliberatæ, ſed velleitatis, & affectus, vt patet ex ſupradictis, & ex oratione Chriſti: Tranſeat à me Calix iſte. Verùm ſicut volūtas diſtinguitur in ſimpliciter, vel ſecundùm quid, ita oratio, vt eſt petitio, diſtinguitur in ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Et vt petit, ſeu procurat pro voluntate deliberata, eſt omnino ſimpliciter: vt autem pro velleitate, & affectu humano, eſt oratio ſecundùm quid.*

Hæc Eminentiſsimus hic Theologus, quæ non intelligenda ſunt ita, vt omnis oratio, quæ non eſt ſimpliciter, ſit imprudens, & otioſa: ſic enim oratio Chriſti Domini apud hortum otioſa, & imprudens foret, quod, vel cogitare, nefas. Tunc enim eſt imprudēs, quando ſine motivo prudenti rem deſideratam â voluntate, vt eſt velleitas, petit proprio nomine ratio, ac ſi illud deſiderium eſſet voluntatis deliberatæ, quæ abs dubio rem impoſsibilem, vt iam eſt illa, de cuius negatione adeſt decretum, ſeriò deſiderare, non poteſt.

§. V. *Pro omnibus ſuperſtitibus diviſivè ſumptis poſſumus orare.*

201. EXcluſionem, ſeu limitationem duobus §§. præcedentibus ſtabilitam ſupponit aſſertio noſtra, quæ eſt omnium Orthodoxorum contra Vvicleph. dicentem non eſſe orandum pro aliqua determinata perſona. Et contra Pelagium garrientem orationes, quas fundit Eccleſia, ſive pro infidelibus, & peccatoribus, vt convertantur, ſive pro Iuſtis, vt in bono perſeverent, fruſtra fieri: Contra hos Hæreticos ſtatuitur aſſertio noſtra, quæ

Probatur primò expreſſo teſtimonio Sacræ Scripturæ, quoniam D. Iacobus cap. 5. ſuæ epiſt. ait: *Orate pro invicem, vt ſalvemini.* Vbi ſive præceptum ſit, ſive conſilium, orationes vivorum proficuas eſſe vivis, demonſtratur. Vrgetq̄ motivum â Sacro textu inſinuatum, videlicet: *Vt ſalvemini*: ac ſi diceret: Salvantur illi, pro quibus oratio funditur: quia eorum ſalus media vivorum oratione prædeſtinata eſt. Salvantur etiam ſuperſtites, qui pro aliis ſuperſtitibus orant, quia ob illam gratiam, quā charitativè conferunt iis, pro quibus poſtulant, merentur & ipſi gratiam. Omnibus vivis oratio eſt duplici titulo vtilis: Eſt vtilis, quia pro omnibus orat; & eſt vtilis, quia ab omnibus pro omnibus oratur.

Dices: Ex hac auctoritate habetur quidem non poſſe orare pro vivis; hoc enim ad minùs probat; ſi autem bene cōſideretur, etiam præceptum inducit. Aſt quòd hoc ſit pro omnibus vivis, nullo excepto, ex textu allato minimè habetur.

Reſpondetur textum adductum præceptum quidem inducere. Verùm quia orare pro aliquibus in particulari, v.g. pro inimicis, *perfectionis eſt non neceſsitatis*; vt docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 8. propterea non illum adducimus ad ſuadendam neceſsitatem orationis; ſed ad probandam vtilitatem.

Ex quo autem oratio ſupponatur vtilis aliquibus,omnibus vtilis eſſe debet: Siquidem ſi ille, pro quo oratur, eſt infidelis, deſervit oratio, vt illius mens illuminetur, & convertatur. Si eſt fidelis, ſed peccator, auxilia ei obtinet, vt â viis ſuis peſsimis retrocedat. Si iuſtus eſt, deſervit, vt iuſtificetur adhuc.

Non eſt, qui ſe abſcondat â calore orationis,neque eſt aliquis, in quo non inveniatur capacitas, vt pro ipſo oretur. Cuius doctrinæ radix ea eſt, quòd *orare pro alio Charitatis eſt*, ait D. Tho. citat. vnde, cùm non ſit homo, quem charitas, vt proximum non reſpiciat iuxta Auguſtinum lib. 1. de Doctrina Chriſt. cap. 30. & D. Thom. dicta 2. 2. q. 25. art. 6. propterea non eſt homo ſuperſtes,pro quo orare non valeamus. Vnde licèt ex textu Divi Iacobi non habeatur orationis præceptum ita amplum, quòd omnes comprehendat, habetur tamen vtilitas orationis nullum excludens:& hoc eſt, quod probare intendimus.

203. Replicabis: Pro excommunicatis orare non licet: ergo non eſt orandum pro omnibus vivis ita, quòd nullus excludatur ab vtilitate orationis.

Reſpondetur ex Divo Thoma in 4. diſp. 18. quæſt. 2. art. 1. ad 1. quòd *pro excommunicatis orari poteſt, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Eccleſiæ fiunt: & tamen fructum non participant,quandiu in excommunicatione manent, ſed operatur, vt detur in eis Spiritus pœnitentiæ, vt ab excommunicatione ſolvantur.*

Eſt dicere iuxta Theologorum, & Canoniſtarum ſenſum:Orari poſſe pro excommunicatis oratione privata,non autem publica;quod noſtro aſſerto non obeſt. Loquitur enim de oratione vel publica, vel privata; ita vt nemo ſit, pro quo orari non poſsit oratione vel publica, vel privata.

Quod luculenter docuit D. Bernardus de grad. humilit. grad. 12. dicens: *Abſit à nobis,vt etiam ſi pro talibus* (loquitur de excommunicatis) *etſi palàm non præſumimus, vel in cordibus noſtris orare ceſſemus. Etſi enim à communibus orationibus ipſi ſe excludant, ſed ab effectibus omnino non poſſunt.*

204. Probatur ſecundò concluſio ſic: Pro his omnibus poſſumus orare, quibus bona deſiderare valemus: ſed omnibus hominibus diviſivè ſumptis bona valemus ex Charitate optare: ergo pro illis omnibus orare poſſumus. Conſequentia ſequitur, minor certa eſt, & maior probatur primò ex illo, quod ſæpè ex Angelic.Doct.& Auguſt. deſumpſimus; videlicet: Id licet petere,quod licet optare: dummodò non ſit ſpecialis prohibitio petendi aliquid, quod optatur, vt vidimus in ſalute omnium collectivè ſumptorum, & in ſalute illius, de cuius reprobatione nobis cōſtat: ſed nulla adeſt prohibitio nobis, vt oremus pro omnibus vivis diviſivè acceptis: ergo poſſumus pro illis orare illa bona, quæ ipſis ex charitate optamus, poſtulantes.

§. VI. *Reſpondetur aliquibus obiectionibus.*

CONtra ſtatutam cōcluſionem plurifariam procedi poteſt: Primò quidem negando,quòd vnus poſsit orare pro alio, quicumque ille ſit: ſecundò per excluſionem aliquorum vivorum,pro quibus orare nō liceat. Quod in multas claſſes ſubdividi poteſt, vt ſcilicet excludantur inveterati in malo,& alii. De omnibus aliqua dicemus. Et â primo incipiens:

205. Obiicies primò: Oratio vivorum non eſt pro aliis exaudibilis: ergo pro illis fundi non poteſt. Conſequentia conſtat; ad hoc enim oratio funditur, vt exaudiatur: & probatur antecedens: Oratio pro aliis non ſervat conditiones bonæ orationis: ergo exaudibilis non eſt. Patet iſta; vt enim oratio exaudibilis ſit, debet eſſe bona, & virtuoſa, quod non habet illa oratio, quæ bonæ orationis conditiones non ſervat. Antecedens autem probatur: Oratio, vt ſit virtuoſa, debet habere quatuor conditiones, videlicet, vt fiat *piè, perſeveranter,pro ſe, & de neceſſariis ad*

ſa-

salutem: at oratio pro aliis, etsi fiat *piè, perseveranter, & de necessariis ad salutem*, non tamen est *pro se*: ergo.

Respondetur negando antecedens; ad probationem distinguitur antecedens: *Bonæ orationis*,, hoc est, orationis, quæ infallibiliter ex Divina promissione consequatur effectum, concedatur: Orationis, cui non sit facta promissio infallibilis consecutionis, negetur antecedens. Ad cuius probationem dicas: Omnes illas cõditiones non requiri, vt oratio virtuosa sit, qui enim pro alio orat, virtuosè procedit: ponuntur tamen eæ conditiones, tamquàm propriæ illius orationis, quæ infallibiliter rem petitam consequitur. Vt enim docet D. Thom. dict. quæst. 83. art. 7. ad 2. *pro se orare ponitur conditio orationis, non quidem necessaria ad effectum merendi, sed sicut necessaria ad indeficientiam impetrandi.*

Vnde oratio *pro se* facta, si adsint illæ aliæ conditiones infallibiliter impetrat; facta autem pro aliis, etiam impetrat; non tamen infallibiliter, & hoc nõ ex defectu ipsius orationis, sed *propter impedimentum, quod est ex parte eius, pro quo oratur*; prosequitur inibi Ang. Doct. videatur etiam in 4. dist. 15. q. 4. art. 7. tota quæstiunc. 3. & ea, quæ tomo 1. 1. p. diximus.

206. Obiicies secundò: *Pater non libenter exaudit orationem, quam Filius non dictavit*, ait D. Chrysostom. in imperfect. homil. 14. sed Filius, cùm nos orare docuit, non dictavit orationem pro aliis; sed pro se; siquidem in oratione Dominica non aliis ex cætu viventium; sed nobis petimus panẽ quotidianum, debitorum dimissionem, & alia: ergo nõ possumus pro aliis viventibus postulare.

Respondetur: Ipsa oratione Dominica firmari assertum nostrum; in illa enim docuit nos Divinus Præceptor noster, vt pro aliis peteremus; propterea q̃ non dicimus: *Pater meus*; sed *Pater noster*: nec etiam dicimus: *Da mihi*; sed *da nobis*: vt sic ad alios vivẽtes instrueremur, nostram orationem extendere. Ita Divus Cyprianus lib. de oratione Dominica, vbi ait: *Ideò non dicimus Pater meus; sed noster: nec da mihi; sed da nobis; quia vnitatis Magister noluit privatim precem fieri, vt scilicet quis pro se tantum precetur.*

Nec Chrysostomo dissentit: Siquidem illa ipsa homilia in cõtrarium adducta circa principium ait: *Pro se orare necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas trãsmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.*

207. Obiicies tertiò: Aliqui viventes peccant in Spiritum Sanctum: sed pro his, qui peccant in Spiritum S. orare non possumus: ergo nec pro omnibus hominibus viatoribus. Cætera constant, & probatur minor ex verbis Domini apud Matth. cap. 12. vers. 32. vbi inquit: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei nec in hoc sæculo, nec in futuro.* Ergo non possumus *orare pro his, qui hoc peccato gravantur.* Patet ista, quia, vt ex supradictis constat, non possumus petere id, cuius oppositum est â Deo decretum; vnde, cùm determinatum sit â Deo, non remittere peccatũ in Spiritum Sanctum, vanè ab ipso petetur eius remissio.

Hoc argumẽtum difficultatem continet ita gravem, vt de eo dixerit Augustinus tract. 2. de verbis Domini: *Fortè in omnibus Sanctis Scripturis nulla maior quæstio, nulla difficilior invenitur.* Illam tamen superare conabimur Sanctorum PP. & maximè D. Thomæ doctrinam præ oculis habentes. Pro huius difficultatis enodatione integrã quæstionem cum quatuor articulis instituit Angelicus Doctor, & est 14. in 2. 2. vbi art. 1. refert diversas opiniones asserentes quid sit peccatum in Spiritum Sanctum, quæ inibi videndæ sunt, nè in immensum abeamus. Ex iis ergo, quæ ibi habentur,

Respõdetur primò ad obiectionem: Quòd peccatum in Spiritum Sanctum iuxta Divum Augustinum citatum est finalis impœnitentia, quando scilicet

quis

quis permanet in peccato vſq; ad mortem, & pro hoc certum eſt, nos orare non poſſe; quia tale peccatum non remittitur, *nec in hoc ſæculo*, quia cum illo moritur peccator, *nec in futuro*, quia tunc non eſt tempus pœnitentiæ.

Reſpondetur ſecundò ex laudato D. Thom. peccatum in Spiritum Sanctum eſſe peccatũ factum ex certa ſcientia, malitiaque peccantis, qui abiiciens vires, quas habet ad bene agendum, & ſcientiam, qua fulget ad diſcernendum inter bonum, & malum, ſciens, volenſque malum ex induſtria operatur.

Dicitur autem hoc peccatum irremiſsible, non quia abſolutè irremiſsibile ſit, *ſed quia quantùm eſt de ſe, habet meritum, vt non remittatur*, docet Ang. Doct. quæſt. citata art. 2. in corp. *& hoc dupliciter: vno modo quantùm ad pœnam, qui enim ex ignorantia, vel infirmitate peccat, minorem pœnam meretur: qui autem ex certa malitia peccat, non habet aliquam excuſationem, vnde pœna minuatur.* Et aliquibus interpoſitis proſequitur aſsignans ſecundum caput huius irremiſsibilitatis, dicens. *Alio modo poteſt intelligi, quoad culpam: ſicut aliquis dicitur morbus incurabilis, ſecundùm naturam morbi, per quem tollitur id, per quod morbus poteſt curari, puta, cùm morbus tollit virtutem naturæ, vel inducit faſtidium cibi, & Medicinæ, licèt talem morbum Deus poſsit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremiſsibile ſecundùm ſuam naturam, in quantùm excludit ea, per quæ fit remiſsio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi, & ſanandi omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, per quam aliquando tales quaſi miraculosè ſpiritualiter ſanantur.*

208. Dices: Omne peccatum mortale, *quantùm eſt de ſe, habet meritum, vt non remittatur*; ſiquidem excludit ea, *per quæ fit remiſsio peccatorum*, nempe Gratiam, & Charitatem: ergo vel omne peccatum mortale eſt peccatum in Spiritum Sanctum, vel hoc peccatum aliud eſt ab eo, quod aſſerit Divus Thomas.

Confirmabis: Peccans ex inclinatione habitus vitioſi peccat ex certa malitia; ſed omne peccatum mortale poteſt eſſe ex inclinatione habitus vitioſi, vt notum eſt: ergo omne peccatum mortale procedit ex certa malitia: ergo ſi peccatum in Spiritum Sanctum eſt peccatum factum ex certa malitia, omne peccatum mortale poteſt eſſe in Spiritum Sanctum.

Reſpondetur, quòd in hac inſtantia novitiorum dubium occurrit, vt docet Caiet. ad art. 3. quæſt. dictæ, cui ſatisfacit ipſe dicens: *Quòd inter peccata in Spiritum Sanctum*, & alia mortalia hæc eſt differentia, quòd peccatum in Spiritum Sanctum excludit directè retractivum â peccato; alia verò non excludunt hoc directè, ſed ex quadam ſequela. Non enim omnis peccans mortaliter directè excludit miſericordiam, ſicut deſperans: aut gratiam, ſicut dolens de diffuſione gratiæ Divinæ, & ſic de aliis. Et propterea huiuſmodi peccatum dicitur irremiſsibile, & morbus incurabilis ex parte peccantis; quia directè tollit ea, per quæ fit remiſsio, & cura: aliis tollentibus *principium curæ ex conſequenti*. Hæc Caietanus.

Itaque peccatum in Spiritum Sanctum illud eſt, quod conſultò, & ex malitia contemnit bonum, proceditque ex ipſa electione mali. Et hoc non ex inclinatione habitus vitioſi (per quod occurritur confirmationi) qui malitia dicitur; aſt peccare ex eius inclinatione, non eſt peccare in Spiritum Sanctum ob motivum, quod confirmatio ipſa repræſentat. Tunc verò in Spiritum Sanctum peccatur, *cùm per contemptum abiicitur, & removetur id, quod electionem peccati poterat impedire, ſicut ſpes per deſperationem, & timor per præſumptionem, & quædam alia huiuſmodi, vt infrà dicetur. Hæc autem omnia, quæ peccati electionem impediunt, ſunt effectus Spiritus Sãcti in nobis: & ideò ſic ex malitia peccare, eſt peccare in Spiritum Sanctum.* ait D. Thom. art 1. in fine corp.

209. Quam doctrinam, vt pœnitiùs calleas, memento ex 1. 2. quæſt. 88. art. 2. quòd peccatum veniale dicitur â venia, ſicut mortale dicitur â

mor-

morte animæ, quam inducit. Peccatum autem veniale tripliciter sumi potest, *primo, quia est veniam consecutum, & sic dicit Ambros. quòd omne peccatum per pœnitentiam fit veniale. Et hoc dicitur veniale ex eventu. Alio modo dicitur veniale, quia non habet in se, vnde veniam non consequatur, vel totaliter, vel in parte. In parte quidem, cùm habet in se aliquid diminuens culpam; vt cùm fit ex infirmitate, vel ignorantia, & hoc dicitur veniale ex causa. In toto autem ex eo, quòd non tollit ordinem ad vltimum finem.* Et hoc est peccatum, quod communiter dicitur veniale.

210. Ex quibus duo prima genera peccatorum mortalia abs dubio sunt, & omissis iis, quæ ad primum genus spectant, peccatum mortale, quod *habet in se aliquid diminuens culpam, dicitur veniale ex causa*; & hoc, quod culpam huius peccati diminuit, est impotentia, seu infirmitas, & ignorantia, quibus perpetratum est. Non quia cum ignorantia, & impotentia simpliciter talibus stare possit peccatum, sed quia, dum committitur, adest, vel ex parte intellectus ignorantia, quæ superari debuerat, vel ex parte appetitus sensitivi aliqua passio vehemens vires ad non peccandum, veluti supprimens. Hoc peccatum dicitur ex infirmitate, sicut illud primum ex ignorantia.

Peccatum directè oppositũ his duobus est illud, in quo nec ignorantia, nec infirmitas reperitur, & hoc est peccatum ex malitia non habens ex se aliquid, quod eius malitiam minuat. Huius peccati principium dicitur voluntas: non quia voluntas non sit causa omnium peccatorum, sed quia ipsa voluntas se determinat ad hoc peccatum ex mera malitia.

Quod egregiè edocetur â D. Thoma dicta 1. 2. quæst. 78. art. 1. per hæc verba: *Principia autem humanorum actuum sunt intellectus, & appetitus, tam rationalis, qui dicitur voluntas, quàm sensitivus. Peccatum igitur in humanis actibus contingit, quandoque ex defectu intellectus, puta, cùm aliquis per ignorantiam peccat: & defectu appetitus sensitivi, sicut cùm aliquis ex passione peccat, ita etiam ex defectu voluntatis, qui est inordinatio ipsius.* Et post alia omnino videnda, quibus hoc peccatum, cuius principium est voluntas, explicat, concludit: *Vnde dicitur ex certa malitia, vel industria peccare, quasi scienter malum eligens.*

211. Nec dicas: Peccare ex certa malitia est peccare ex electione mali: sed qui peccat ex passione, aut ignorantia, etiam eligit malum, aliàs non peccaret: ergo qui peccat ex passione, aut ignorantia, peccat ex certa malitia:

Quia ad hoc respondet D. Thoma nuper citatus art. 4. *Ad 3. dicendum, quòd aliud est peccare eligentem, & aliud est peccare ex electione. Ille enim, qui peccat ex passione, peccat quidem eligens, non tamen ex electione: quia electio non est in eo primum peccati principium, sed inducitur ex passione ad eligendum, quod extra passionem existens non eligeret, sed ille, qui peccat ex certa malitia, secundùm se eligit malum. Eo modo, quo dictum est: Ideò electio, quæ est in ipso, est principium peccati, & propter hoc dicitur ex electione peccare.*

212. Igitur ex dictis notissimum est discrimen inter peccata ex infirmitate, & ignorantia ex vna parte, & peccatum ex certa scientia ex alia. Hoc vltimum dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, cuius denominationis rationem desiderabis. Illamque pulchrè assignat D. Thom. loco citato ex 2. 2. quæst. 14. art. 1.

Cuius doctrinæ fundamentum consistit in eo, quòd inter Divinas personas divisa est attributio potentiæ, sapientiæ, & bonitatis. Patri enim attribuitur potentia: Filio sapientia, & Spiritui Sancto bonitas. Peccatorum principia iam vidimus, esse tria, videlicet infirmitas, impotentia, aut passio; hæc enim omnia idem sunt, ignorantia, & malitia. Peccata ex impotentia, aut infirmitate sunt contra Patrem, cuius est potentia, cui impotentia contrariatur. Peccata ex ignorãtia sunt cõtra Filium, cuius est sapientia, cui opponitur igno-

ran-

rantia. Reſtat ergo, quòd peccata ex malitia ſint contra Spiritum Sanctum, cuius eſt bonitas, quam conatur eliminare malitia.

Hoc peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremiſsibile *& in hoc ſæculo, & in futuro*: Non autem peccata in Patrem, & Filium, quod explicat noſter Sylveira tom. 6. in Euang. ad cap. 3. D. Marci quæſt. 4. dicens, quòd illa clauſula *ſolùm denotat, quòd tam grande, ac grave peccatum non facilè remittitur; nec condonatur*; quod gloſſema non eſt extra Scripturæ morem: vnde improbandum eſt.

Nos autem rationem magis genuinam, & Theologicam dedimus ex D. Thom. num. 206. videlicet, quòd tale peccatum eſt ex ſe omnino irremiſsibile; quia ex ſe non habet, quod illud *in hoc ſæculo*, hoc eſt apud homines, aut *in futuro*, hoc eſt apud Dei iudicium excuſet, aut eius malitiam minuat, quod habent alia peccata; propterèaque iſta dicuntur venialia *ex cauſa*; illud verò eſt ſimpliciter, & abſolutè mortale.

Quod angelicè declarat exemplum illud morbi corporalis â D. Thom. poſitum num. 206. omnis ſiquidem corporalis morbus ſalutem deſtruit: ſed eſt morbus relinquēs capacitatem in natura, vt adiuta medicaminibus valeat in morbum decertare, & hic non dicitur incurabilis. Et eſt morbus talem capacitatem non relinquēs, & hic dicitur abſolutè immedicabilis; non quia abſolutè ſuperari non valeat, ſed quia quantùm eſt de ſe mortem inferet; quia ex parte ſubiecti nihil eſt, quod poſsit vires ipſius frænare.

Sic de morbo hoc animæ cōtra Spiritum Sanctum dicendum eſt: aſt debemus pro illo laborante preces fundere, vt illi propitius ſit Deus, & cor mundum in ipſo creans, ſpiritum rectum innovet in viſceribus eius, remittatque ex ſua benigniſsima pietate peccatum omnino, attenta ſua natura, irremiſsibile.

Solvi, vt potui, difficultatem, quam maximè prædicat Auguſt. prout vidimus ſuprà. Idemque confirmat viarum penè innumerabilium diverſitas, inquas Patres Doctoreſq̄ Sacri, illam, vt ſuperarent, abiere. Si in eius enodatione multus tibi fuit, parce: forſam non omnibus multus ero.

213. Obiicies quartò, & poteſt eſſe replica contra dicta: Quia ex textu Sacro admonemur, vt pro aliquibus peccatoribus non petamus: ergo pro omnibus viatoribus orare non poſſumus. Probatur antecedens: Quia in 1. Ioann. cap. 5. dicitur: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccantis non ad mortem; eſt peccatum ad mortem, non pro illo, dico vt roget quis.* Vbi diſtinguitur peccatum non ad mortem â peccato ad mortem, ac pro primo præcipimur orare, non autem pro ſecundo.

Probatur ſecundò idem antecedens alia Scriptura ex 1. Regum cap. 2. vbi habetur: *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominū peccaverit, quis orabit pro eo?*

Probatur tertiò: Quoniam apud Hierem. cap. 7. præcipitur: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Vbi clariſsimè conſtat de voluntate Dei nolentis orationes pro illo populo fundi: Quiaque numquàm deſunt, qui ſimilibus criminibus gravati ſunt, propterèa pro illis orandum non eſt; atque adeò nec pro omnibus diviſivè conſideratis.

214. Reſpondetur negando antecedēs: Ad 1. probationem ſunt, qui dicant, peccatum ad mortem eſſe peccatum mortale, cui annexa eſt finalis impœnitentia, pro quo nemo ambigit orandum non eſſe, quia ſi nobis conſtat de aliquo tali peccato gravari, hic proculdubio reprobus eſt, pro quo orandum non eſſe, conſtat ex aſſerto 2. opinio hæc Patronos adeò ſuperiores habet, vt non poſsit â nobis non admitti, & quidem reverenter. Verùm quia D. Ioan. loquitur de peccato, quod poſſumus abſque difficultate cognoſcere, qualis non eſt finalis impœnitentia: propterèa

215. Reſpōdent alii vim facientes

in

phrasi D. Ioan. qui non ait *pro peccato ad mortem dico, vt non roget quis*: sed sic, *pro peccato ad mortem non dico*, vt roget quis. Vnde Seraphim Capponi 2. 2. quæst. 14. art. 3. ait, quòd Apostolus quasi in medio cõsistens, hoc est, inter demeritum culpæ, & benignitatem Omnipotentis, nec consulit orare pro illo peccato ob ipsius malitiã, nec prohibet orare ob Dei benignitatem.

Hanc tamen explicationem reiiciendam putamus; quia D. Ioan. considerans indigentiam, qua premitur committens peccatũ non ad mortẽ, hortatur, vt â fratribus pro eo orantibus adiuvetur, & immediatè videns superiorem indigentiam, qua peccans peccato ad mortẽ gravatur, fratrum auxilium non petit? Quis credat? Superior hæc indigentia potiùs, quàm indifferentiam illam, quam in Apost. supponunt, petit positivam applicationem ad subvenẽdum. Oratio est eleemosyna spiritualis, qua animæ subvenitur, sicuti eleemosyna materiali mẽdici â potentibus sublevãtur. Inordinatè certè procederet, qui minùs patienti subveniendũ ab omnibus prædicaret, & ad extrema indigẽtia laborantẽ perveniens nihildiceret, *sed quasi in medio consistens* abstraheret. Quarè hac solutione reiecta, vel ad sensum iam subiiciendæ redacta,

216. Respondetur ad primam probationem antecedentis: Peccatum ad mortem esse peccatum in Spiritum Sanctum, & peccatum non ad mortem esse peccatum vel ex ignorantia, vel ex infirmitate. Omnia hæc peccata dupliciter considerari valent. Primò secundùm ea, quæ ex se habent. Secundò cum respectu ad Divinam misericordiam. Sub hac secunda consideratione omnia illa remissibilia sunt, atque adeò possumus pro illis omnibus orare. Sub prima consideratione peccata ex infirmitate, & ignorantia habent aliquid, per quod remissibilia dicantur, illud videlicet, quod eorum malitiam minuit, excusatque. Vnde pro illis sic acceptis, etiam orare valemus. Ast peccatum in Spiritum Sanctum, attenta eius conditione, irremissibile est, vt patet ex dictis. Eòque pro illo sic sumpto non dicit Ioan. *vt oret quis*, quia in vanum preces fundet.

Et, si novitas non displiceret, addiderim: D. Ioannem illo suo testimonio de vno solo peccatorum genere locutum fuisse, nempe de peccato in Spiritum Sanctum, quod est ad mortem, & non est ad mortem. Est ad mortem considerata ipsius conditione. Sicque irremissibile est, nec pro eo orari potest. Non est ad mortem, inspecta benignitate Dei miserentis; sicque non est irremissibile: vnde orandum pro illo est.

217. Respondetur secundò ad eandem primam antecedentis probationem ex D. Thom. quæst. 3. de malo art. 15. ad 3. vbi ait: *Si autem intelligatur peccatum, ad mortem, id est, quod ex malitia committitur, sic non prohibetur, quin aliquis pro eo oret: sed non quicumque, quia non quicumque est tanti meriti, vt orando ei gratiam impetrare possit; quia sanatio talium est quasi miraculosa: sicut si diceretur: pro suscitatione mortui, non dico, vt oret quis pro eo, id est, quicumque; sed aliquis magni meriti apud Deum.* Idem docet de verit. quæst. 24. art. 11. ad 8.

Ac per hoc patet ad secundam probationem antecedentis. Respondetur enim; quòd iuxta D. Cyprianum lib. 3. ad Quirin. cap. 28. per peccatum in Deum ibi intelligi peccatum in Spiritum Sanctum & per peccatum in hominem intelligi alia peccata. Vnde ex dictis constat, quid dicendum sit pro intelligentia huius Scripturæ.

Quòd si peccatum in Deum intelligatur peccatum contra præcepta primæ tabulæ, & pro peccato in hominem, peccata contra præcepta secundæ tabulæ, vti solidè probat inibi Abulens. tunc pro peccato in virũ cuiuslibet iusti precibus *placari ei potest Deus*. Sed pro peccato in Deum ex malitia procedente, *quis orabit* cum certa spe obtinendi veniam, nisi fuerit iustus eximia Sanctitate decorus?

218. Ad tertiam probationem

respondetur ex D. Thom. loco citato: Verba illa dicta esse ad ostendendam illius populi indignitatem, non quia obstinatus esset, & incapax percipiendi fructum orationis pro ipso factæ.

Vel dicas cum eodem Divo Thoma in 4. d. 15. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. *Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus loquitur quantùm ad hoc, quòd in illo populo erant impedimenta, quarè oratio Prophetæ exaudiri non poterat, scilicet incorrectus error illorum, & finalis impœnitentia, vt glossa ibidem dixit.* Et hæc de hoc primo prædicabili dixisse sufficiat.

HISPALI
Apud FRANCISCVM SANCHEZ RECIENTE, Typographum signatè Latinum, in vico de la Sierpe.

SECVN:

SECUNDUM PRÆDICABILE

De natura mysticè perfectiva.

PROOEMIUM

HVIVS secundi mystici prædicabilis argumentum est Divina Contemplatio, ex quo eius sublimitas venari debet. Est quippe contemplatio omnium humanarum actionum finis, teste Theologorum maximo D. Thom. lib. 3. contra gent. cap. 25. Vbi sextam rationem sui asserti probativam sic concludit: *Est ergo cognitio Divina finis vltimus omnis humanæ cognitionis, & operationis.* Quam etiam veritatem magnum ipsum opus nostræ creationis suadet: quando quidem, agente pietate, factum est, vt terrei, miseri que vermiculi eveherentur ad videndum Deum Deorum in Sion, in quem desiderant Angeli prospicere. Hic nostræ conditionis finis est, Deum facialiter videre, ac in æternum, & vltrà contemplari. Sic oraculum indefectibile annuntiat apud Matth. cap. 5. dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et apud Joan. cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum.* Et in hunc fœlicissimum finem omnes vitæ christianæ actiones diriguntur: est enim contemplatio illa eminentissima nostra beatitudo; eoque finis, ac terminus totius nostri laboris.

Et quod absolutè, & simpliciter verum est de illa faciali contemplatione, veritatem etiam habet relatè ad contemplationem viæ. Hæc enim finis est copiosissimi sudoris, quo viam spiritualem lustrantes ascetæ madent, dum per viam spiritus interdum senticeta calcantes gradiuntur. In illam incipientes tendunt, proficientes respiciunt, omnium eorum labor, & ardor est, thesaurum istum in agro creaturarum absconditum invenire.

Ex eo autem quòd contemplatio sit finis aliarum omnium cognitionum, & operationum, infertur, illam esse hominis perfectivam: quippè finis ipsum intendentis perfectivus est. Vti docet D. Thom. quæst. 21. de veritate art. 1. dicens: *Primò, & principaliter dicitur bonum ens perfectivum alterius per modum finis: sed secundariò dicitur aliquid bonum, quod est ductivum in finem.* Ex quibus constat, idem esse quòd aliquid habeat rationem finis, ac quòd sit perfectivum eius, quod illud, vt finem habet. Quod voce clarissima monstrant ipse appetitus, conatus que in

finem, neutiquàm habendi, si finem intendens non perficeretur à fine.

Est igitur contemplatio, quo homines perficiuntur. Quod ex conceptu finis in ipsa reperto affatim manifestum esse, non obnues. Verum enim vero alia via clarissimè ostensum contemplabere. Etenim homo contemplativus non est homo, si rem æqua lance ponderes; sed est aliquid supra hominem. Sic D. Thom. asserit in 3. d. 35. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. hisce verbis: *Ad primum igitur dicendum, quòd homo, in quantum est contemplativus, est aliquid supra hominem: quia in intellectus simplici visione continuatur homo superioribus substantijs, quæ intelligentiæ, vel Angeli dicuntur.* Vides ne hominem veluti abiectæ conditionis terream sarcinam à mandare, ac inter cœlestes intelligentias recenseri? Vnde hæc fœlicitas? In promptu responsio est: à contemplatione. Contemplatione contemplativus constituitur, & ad cœlestium agminum classem illa perfectione venustus elevatur.

Istud hominis perfectivum est præsens nostrum argumentum: quia sicut in primo prædicabili de oratione, qua homo redditur proximè à contemplatione perfectibilis, loquuti sumus; sic modò de ipsa contemplatione illam perfectibilitatem actuante tractamus. Plurima, eaque gravissima, se se offerunt discutienda. Nec omnia, quæ de hac sublimi entitate disputari possunt, possumus in præsenti prædicabili disputare. Quapropter ea, quæ sublimioris contemplationis propria sunt ad tertium prædicabile reservamus. Vnde hoc secundum prædicabile ad explorandam existentiam contemplationis, ipsiusque quidditatem, species, bonitatem, vitæ rationem, principia, habitus, & species ad ipsam contemplationem, tum acquisitam, tum infusam, deservientes, destinamus.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De existentia Divinæ Contemplationis.

LIcèt divinæ contemplationis existentia sit à Deo nota: sunt tamen motiva non contemnenda, vt disputemus, an Divina Contemplatio detur? Plura enim, quæ hîc dicenda sunt, viam ad alia, postmodùm exploranda sternunt. Vnde præmitti debent, vt postea expeditiùs procedere valeamus. Hoc que motivo ducti communem scriptorum methodum retinemus, & ante alia *an est* contemplationis disquirimus.

QUÆSTIO PRIMA.

An detur Divina Contemplatio?

TItulus intelligendus est, nedum de contemplatione acquisita, verùm etiam de infusa contemplatione quamquàm ob motiva postmodum subijcienda, præcipuus sermo erit de contemplatione acquisita, quæ etiam activa dicitur.

§. I. *Duplici conclusione deducitur controversia.*

1. SIt prima assertio: *Datur contemplatio infusa.* Assertum hoc vnanimi omnium P. P. & D. D. suffragio comprobatur: Vnde impertinens omnino est, aliquem in particulari referre: præterquam quod eorum plurima testimonia totam hanc disputationem exornabunt.

Pro-

Probatur primò concluſio ſic: Quoniam, vt diximus tom. 1. lib. 4. Contemplatio infuſa dicitur *Simplex intuitus Divinæ veritatis à principio ſupernaturali proveniens*: Sed datur hic *ſimplex veritatis intuitus*: Ergo datur infuſa contemplatio. Maior ſupponi nunc debet poſtmodum diſputanda, & minor probatur: quia datur principium ſupernaturale, à quo ſimplex hic intuitus proveniat: Ergo & ipſe datur. Patet iſta, quia aliâs tale ſupernaturale principium, vel ſuperfluum eſſet, vel imperfectum, quandoquidem producere non poſſet actum iſtum adeo ſibi proprium. Antecedens autem probatur: quia fides, dona Spiritus Sancti, & etiam ipſis ſuperius aliud donum, principia ſunt, à quibus provenit talis ſimplex intuitus veritatis Divinæ, iuxta vnanimem Myſtarum ſenſum: ſed talia principia ſupernaturalia ſunt, vt de ſe conſtat: Ergo.

2. Confirmatur, & aperitur vis huius rationis: Etenim principium ſcientificum naturale cauſat contemplationem naturalem, qualis eſt contemplatio philoſophica, quæ cauſatur à ſcientia naturali, inutilesque foret habitus ſcientificus naturalis, ſi hanc naturalem contemplationem non cauſaret: Ergo & principium ſcientificum ſupernaturale, & infuſum cauſat contemplationem infuſam, ne inutile aſſeratur.

3. Probatur ſecundò concluſio: datur contemplatio attingens Deum non ex cognitione creaturarum, & ſub figuris; ſed quaſi nuda veritate: Ergo datur contemplatio infuſa. Conſequentia patet: quia talis contemplatio non poteſt eſſe niſi à Deo; ſuperat quidem modum intellectus humani, qui ſua induſtria pertingere non poteſt ad attingendum Deum, niſi phantaſmata ſpeculando, eumque ex creaturis cognoſcendo. Antecedens autem eſt D. Thom. in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. vbi hæc habet: *In his autem, quæ ſuper rationem ſunt, perficit fides, quæ eſt inſpectio Divinorum in ſpeculo, & ænigmate: connaturalis enim modus eſt naturæ humanæ, vt Deum non niſi per ſpeculum creaturarum, & per ænigmata ſimilitudinum percipiat. Quòd autem ſpiritualia, quaſi nuda veritate capiantur ſupra humanum modum eſt, & hoc facit donum intellectus.*

Docet ergo Præceptor Sanctus hominem dupliciter propriam perfectionem oſtendere: primo quidem operando ſecundùm modum proprium ipſius, & hoc ſive faciat opera ad lineam naturalem attinentia; ſive opera faciat ad ordinem ſupernaturalem ſpectantia; ſemper enim operatur ſecundùm modum ſibi connaturalem; atque adeò *Deum non niſi per ſpeculum creaturarum, & per ænigmata ſimilitudinum percipit.* Secundo modo operatur ſupra modum ſibi connaturalem: vnde petit moveri à ſuperiori impulſu, & ad hoc dantur Spiritus Sancti dona, quibus homo redditur facilè mobilis à Spiritu Sancto, ducitur que in terram viventium. Quod idem Ang. Doct. tradidit 4. contra gentes cap. 52. art. 2. dicens: *In hæreditatem illius terræ beatorum nullus poteſt pervenire niſi moveatur, & ducatur à Spiritu Sancto, & ideo ad illum finem conſequendum neceſſarium eſt homini habere dona Spiritus Sancti.*

Hæc autem contemplatio, quæ ſupra connaturalem modum intellectus contemplantis eſt, quæque indiſpenſabiliter requirit principium infuſum, infuſa certè eſt. Nihil enim aliud per contemplationem infuſam intelligitur ab omnibus. Verùm in re cui nemo contradicit, quid moramur?

4. Sit ſecunda concluſio: *Datur contemplatio acquiſita, ſeu activa.* Hanc aſſertionem tuentur quam plurimi P. P. & Theologi, quos adducit Lucerna Myſtica fol. 7. & 8. Eam à tempore Apoſtol viguiſſe aſſerens, contra non nullos, qui eius novitatem fugillant. Nobis autem ſat ſit, hanc veritatem tradi à D. Dyoniſ. lib. de Divin. Nomin. cap. 1. & 7. Vbi D. Thom. lect. 1. loco citat. ex ſententiarijs, & 2. 2. quæſt. 45. art. 5. & quæſt. 130. art. 1. Sic etiam docent Seraph. Mag. noſtra D. Thereſ. & Extaticus noſter Parens S. Joannes à Cruce, quos noſtrates omnes ſequuntur, & innumeri ex alijs Theologis.

Probatur ergo primò ex D. Dyonis. qui ad Timoth. ſcribens, ait: *Tu autem ó Timothee chariſſime, intentiſſima contuendis ſpectaculis myſticis exercitatione, & ſenſus linque, & intellectuales operationes, & ſenſibilia, & intelligibilia omnia, & quæ ſunt, & quæ non ſunt omnia: & vt illi iungaris qui ſuper omnem ſubſtantiam, omnemque ſcientiam eſt ignotè pro viribus te ipſum intende.* Vbi certum eſt Dyoniſium loqui de anima circa Deum occupata, non autem per meditationem: hæc ſiquidem nec ſenſus, nec intellectuales operationes, nec ſenſibilia, nec intelligibilia derelinquit, nec derelinquere valet. Eſt enim meditatio diſcurſus quidam, quem anima efformat, vt per ea, quæ facta ſunt, Deum inquirat. Propterea que ait Richard. à Sancto Victor. lib. 1. de contemplatione cap. 3. loquutus de cogitatione, meditatione, & contemplatione: *Multum á ſe invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quando que in materia conveniant::: Cogitatio per devia quæque lento pede ſine reſpectu perventionis paſſim huc, illuc que vagatur. Meditatio per ardua ſæpè, & aſpera ad directionis finem cum magna animi induſtria nititur.*

Non ergo intelligi poteſt Dyoniſius de anima meditante; vnde ſolùm intelligi poteſt de anima contemplante: hæc tamen contemplatio, de qua loquitur, non eſt infuſa; quia infuſa contemplatio non dependet ab induſtria humana, nec eſt in manu noſtra illam habere. Contrarium evenit illi contemplationi, de qua loquitur Areopagita: ſiquidem monet linquere *ſenſus, & intellectuales operationes*, quod non moneret, ſi hoc induſtria Timothei, Divina tamen gratia adiuti, fieri non poſſet.

Quod clariùs conſtat ex vltimis verbis huius teſtimonij: *Ignote pro viribus te ipſum intende*: Vbi ſupponit, eſſe ſub poteſtate Timothei, & cuiuſcumque aſcetæ proviribus ſe ipſum intendere, vt Deum, relictis figuris, & imaginationis ſtrepitu, contempletur. Aliter poſſet Timotheus reſpondere: hoc, quòd imperas boni conſulo, ſed mihi iuſſa capeſſere fas non eſt, quia extra ambitum propriæ poteſtatis eſt.

5. Immenſus eſſem; ſi omnia Divi Dyoniſij teſtimonia, quæ hanc concluſionem ſuadent, afferre vellem: vnum tamen, vel alterum adhuc ſubijciam. Sic enim loquitur Epiſt. 9. *Operæ pretium eſt vt ſymbolis, quæ ſenſum movent, divina myſteria exuentes, ea per ſe nuda, & pura oculo fidei intueamur: Si enim ſic ſpectemus venerabimur fontem vitæ in ſemetipſum diffuſum, in ſe ipſo ſtantem: Cernemus etiam quandam vim ſimplicem per ſe mobilem, per ſe agentem, ſe non deſerentem, ſed ſcientiam, quæ omnium ſcientiarum ſcientia eſt, & ſemper per ſe ipſam ſemetipſam contemplatur.*

Quibus verbis à ſymbolis, quibus meditatio vtitur animam elevare ſatagit, & ſpiritualia ſine figurarum involucro, per ſe nuda intueri conſulit. Quod, vt modo dicebamus, non faceret, ſi non eſſet in noſtra poteſtate hanc eminentiam, Numine favente, obtinere.

6. Denique lib. citato de Divinis Nominib. cap. 7. inquit: *Oportet autem videre, mentem noſtram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inſpicit, vnitionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quæ ſunt ſuper ipſum.* Quibus dictis concludit: *Secundùm hanc igitur* (vnitionem) *oportet divina intelligere, non ſecundùm nos, ſed nos ipſos extra nos ipſos ſtatutos, & totos deificatos.*

Quæ miriſsimè elucidat D. Thom. inibi lect. 1. dicens: *Dicit, quòd oportet conſiderare, quòd mens noſtra duo habet ad intelligibilia cognoſcenda. Primò quòd habet naturalem virtutem, id eſt intelligentiam, per quam inſpicere poteſt intelligibilia ſibi proportionata. Secundò verò habet quandam vnitionem ad res divinas per gratiam, quæ excedit naturã mentis noſtræ: per quã vnitionẽ coniunguntur homines per fidẽ, ad quamcumque cognitionem, ad ea, quæ ſunt ſuper naturalem virtutem mentis. Oportet ergo*

vt

vt intelligamus divina ſecundùm hanc vnitionem. Ergo quia non trahendo divina ad ea, quæ ſunt ſecundùm nos, ſed magis totos nos ſtatuentes, ſupra nos in Deum, ita per prædictam vnitionem totaliter deificemur.

His auditis, quis niſi cerebrorſus aſſerat Dionyſium loqui de meditatione? cùm potiùs omnia ipſius verba meditationem, rudemque ipſius formam deſerendas iri, clament. Sed nec intelligi poteſt de contemplatione infuſa: cùm dicat, contemplationem, de qua agit, eſſe effectum virtutis, quam mens noſtra habet *ad intelligendum, per quam intelligibilia inſpicit*, & vnitionis *ad res divinas per gratiam*, quæ licèt ſuperet naturam mentis noſtræ; non tamen extrahit hominem ab hoc, quod ſit mobilis per rationem, nec illum conſtituit in ſtatu ſuperiori, in quo vt mobilis à Spiritu Sancto à donis ipſius movetur. Vnde de contemplatione acquiſita loqui, ambigendum non eſt.

7. Probatur ſecundò concluſio teſtimonijs Ang. Præcept. & primò conſiderandum eſt, illud, quòd numero præcedenti adduximus. In illo enim adeò perſpicuè tradit noſtram aſſertionem, vt tergiverſari non poſsit. Simili claritate loquitur Doct. S. in lib. de Divinis Nominib. quoties Dionyſium de contemplatione actiua loquentem exponit. Authoritas ex ſententiarijs num. 3. adducta idem ſuadet. Ibi enim vtramque contemplationem explanat. Infuſam vltimis verbis, quibus donum intellectus eiuſdem infuſæ contemplationis, principium eſſe docet: Alijs autem verbis antecedentibus, acquiſitam. Vnde hoc vnico teſtimonio vtrumque aſſertum noſtrum de mente Ang. Præcept. comprobatur.

8. Et ne indictis offendas, memento eorum, quæ tom. 1. lib. 4. num. 20. diximus, loquentes de contemplatione actiua, videlicet, aliam eſſe per affirmationem, & aliam per negationem. Prima affirmat de Deo ea, quæ in creaturis obſervat, ablatis tamen imperfectionibus. Secunda vero negat de Deo quicquid in mentem venire poteſt, intelligens illum eſſe aliquid ſupra omne id, quod illa cognoſcere valet. Vtriuſque contemplationis affirmativæ, & negativæ mentionem fecit Dionyſ. de Myſtica Theologia cap. 1. vbi ait: *Cùm ei, vt cauſæ omnium, ea etiam omnia, quæ in naturis dicuntur tribuenda ſunt: eadem que omnia magis propriè, ac verius non tribuenda ſint, vt qui omnia multum, ac longè ſuperet.* Vbi non ſolùm vtramque hanc contemplationem verſat; ſed exceſſum negativæ ſupra affirmativam ſtatuit ijs verbis *magis propriè, ac verius.* Vnde dixit D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 4. ad 5. *In hac vita magis manifeſtatur nobis de Deo quid non eſt, quàm quid eſt.*

Hæc ergo maior perfectio contemplationis negativæ petit perfectiorem modum procedendi, & attingendi proprium obiectum, atque adeò contemplatio affirmativa Deum attingit *per ſpeculum creaturarum, & per ænigmata ſimilitudinum.* Contemplatio autem negativa *ſymbolis, quæ ſenſum movent, Divina myſteria per ſe nuda, & pura oculo fidei intuetur.* Vt numero 5. dicebat Areopagita.

Hoc etiam modo eadem Divina myſteria intuetur contemplatio infuſa, nec mirùm cum vtraque in multis conveniat, vti loco citato dicebamus, & forſam infra dicemus. Verùm diſcriminantur etiam in multis, è quibus vnum eſt principium, & aliud modus procedendi. Principium enim contemplationis infuſæ eſt aliquod donum Spiritus Sancti, vel aliud ſuperius, vt multoties dictum eſt. Modus autem procedendi eſt ex ſpeciali motione Spiritus Sancti. Vnde ex quo D. Thom dixerit, illius contemplationis, de qua num. 5. principium eſſe donum intellectus; propterea neceſſè eſt, illum intelligere de contemplatione infuſa.

9. Contemplatio autem acquiſita quamtumvis perfectiſsima ſit, nec requirit principium adeò ſublime, nec ex ſpeciali motione Spiritus Sancti provenit: exercet enim homo hanc contemplationem, vt eſt mobilis per rationem. Vnde licèt idem obiectum reſpiciat,

ciat, diversa prorsùs est à contemplatione infusa. Ex qua radice ortum ducit, quòd homo non possit quoties vult, contemplationem infusam exercere; non enim subest eius potestati, sed voluntati Spiritus Sancti. Potest tamen exercere contemplationem acquisitam pro suo libito; quia est in ipsius potestate, communibus gratiæ auxilijs adiutus, hoc facere, vti multoties asserit D. Thom. videatur in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 1. 2. & 4.

Quod de omni contemplatione acquisita intelligendum est, etiam de negativa, quæ procedit removendo à Deo ea, quæ in creaturis sunt: vt docet idem Ang. Doct. loco citato dist. 35. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. & 2. 2. q. 8. art. 7. tradit que expressè D. Augustin. lib. 5. de Trinit. cap. 1. vbi ait: *Intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla mutatione sui mutabilia omnia facientem.*

10. Perspicuè autem hoc ipsum docet Mysticæ Theologiæ nostræ Parens Dionysius de Mystica Theologia cap. 5. dicens: *Rursus dicamus ascendentes, quòd neque anima est Deus, neque intellectus, nec ratio, nec intelligentia, nec dicitur, nec intelligitur, nec potentiam habet, nec potentia est, neque lumen, nec vivit, nec vita est, nec substantia est, nec scientia, nec veritas, nec Deus, neque Deitas, neque Spiritus, nec Filiatio, nec Paternitas, nec aliquid nobis, aut alicui entium cognitum, nec quid non entium, neque quid entium est, neque etiam eam* (naturam ipsius Dei) *cognoscunt, vt ipsa est: verius enim sic cognoscitur.*

Vides ne, quomodò contemplationem negativam, quæ perfectissima est, fide ductrice, communibus gratiæ auxilijs exercere valemus? His enim & nostra assertio firmatur, & id, in quo offendere poteras, evanescit. Quippe id ipsum, quòd homo, vt mobilis à Spiritu Sancto infusè contemplatur, illud media contemplatione activa, vt est per rationem mobilis, intuetur. In quo discrimine cætera omnia, inquibus infusa contemplatio contemplationem activam superat, radicantur.

11. Pergamus ergo ostendentes contemplationem activam esse iuxta mentem D. Thom. qui 2. 2. quæst. 45. art. 5. in corp. ait: *Quidam enim tantùm sortiuntur de recto iudicio tam incontemplatione Divinorum, quàm etiam in ordine rerum humanarum secundùm divinas regulas quantùm est necessarium ad salutem. Et hoc nulli deest sine peccato mortali per gratiam gratum facientem: quia si natura non deficit in necessarijs, multò minùs gratia. Vnde dicitur 1. Joann. 2. Vnctio docet vos de omnibus. Quidam autem altiori gradu percipiunt Sapientiæ donum, & quantùm ad contemplationem Divinorum, in quantùm scilicet altiora quædam Mysteria, & cognoscunt, & alijs manifestare possunt.* &c. Concludit que: *Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem.*

Clarissimè hîc distinguit D. Thom. duplicem contemplationem Divinorum, quarum prima communibus gratiæ auxilijs habetur, per quam contemplatio activa intelligenda venit, nisi ad voces reducere velis gravissimum hoc dubium. Secunda autem *non est communis omnibus habentibus gratiam*; atque adeò non invenitur in omnibus; & hæc contemplatio infusa est. Vnde sicut perperàm procederet, qui hanc secundam contemplationem non esse infusam, assereret; sic, & qui illam primam, non esse acquisitam, contendat. Videatur idem D. Thom. ipsa 2. 2. quæst. 130. art. 1. & in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 4.

12. Vt ea, quæ num. 4. diximus, vera esse suo ordine ostendamus, Seraph. Theresiam pro nobis esse, demonstrare debemus. Sic enim lib. de Itiner. perfect. loquitur alma doctrix: *Scire optarem aperire modum huius sanctæ societatis cum nostro societatem nobis faciente Sancto Sanctorum, sine eo, quòd obsit solitudini, qua ille, Sponsa que sua funguntur; cùm hæc anima vult in hunc Paradysum, qui intra se est, introire cum Deo suo, & claudit post se januas omnibus*

bus mundialibus. Dico ipſam velle, quia hæc non eſt res omninò ſupernaturalis, ſed eſt in noſtro arbitrio, poſſumus que facere, adiuvante diuina gratia.

Non potuit contemplatio actiua expreſsiùs, pulchriùſve exhiberi: Anima intra ſe ingreditur, valvas que ſpiritus omnibus rebus creatis occludit, volente ipſa hæc facere, & ſatagente. Cuius ea oratio eſt, quòd hæc contemplatio non eſt omnino ſupernaturalis; ſed eſt in poteſtate noſtra, poſſumus que illam, Numine auxiliante, habere.

Nemo dicat, Seraphicam Doctricem loquutam fuiſſe de meditatione; quia non eſt verbum in data authoritate, quod non contradicat. Sed nec aſſerat, ſermonem facere de contemplatione infuſa; hæc enim eſt omnino ſupernaturalis; non eſt in noſtra voluntate illam habere; nec habetur, niſi ex ſpeciali gratia, quæ cùm non inueniatur in contemplatione, de qua hîc loquitur Sanctiſsima Mater N. non eſt, cur ipſam loqui de actiua contemplatione, negetur.

13. Hoc ipſum probat quadruplex illud orationis genus, de quo agit à cap. 11. vſque ad 19. vitæ ſuæ Sanctiſsima Doctrix, illa que diſcrimina, quæ ad invicem habent orationes illæ, confert cum quadruplici modo, quo xyſtus irrigari poteſt. Profundiſsimè hæc ediſſerit: Videri ab omnibus debet: dum dicimus, ibi clariſsimè, ex ibi dictis, haberi, dari contemplationem actiuam, diuerſam à meditatione, quam aqua prima deſignat, & etiam à contemplatione infuſa, quæ per vltimam aquam de Cœlo venientem, viridarium que totum ſine heri ſudore amœniſsimè irrigantem, adumbratur. Sufficiant hæc, quàm plurimis omiſsis, vt noſtrum aſſertum de mente Sanctiſsimæ Matris noſtræ verè eſſe, dicamus.

14. Extaticus noſter Parens S. Joannes à Cruce hoc ipſum docet lib. 2. Aſcenſ. cap. 14. Vbi inter alia ait: *Finis meditationis, & diſcurſus in rebus diuinis eſt lucrari aliquam notitiam, & amorem Dei, & quoties anima hoc lucratur, eſt vnus actus: Et ſicut plures actus inqualibet re generant habitum in anima; ſic plures actus harum notitiarum affectuoſarum, quas anima ſigillatim lucrata fuit per vſum, ſic continuantur, vt fiat in illa habitus, &c. Et ita quòd anima priùs per ſuum laborem meditandi ſeparatim obtinebat in particularibus notitijs, iam ex vſu factum eſt in illa habitus.*

Hæc Theodidactus iſte Doctor, qui proculdubiò loquitur de contemplatione acquiſita; tum quia loquitur de contemplatione, ad quam aſcendere debemus, poſtquam illa tria ſigna, quæ pro deſſerenda meditatione ponit inibi, viderimus: quod de contemplatione infuſa verificari non valet: ad illam ſiquidem nunquam debemus aſcendere, quaſi noſtra induſtria exercendam. Tum, & præcipuè, quia loquitur de contemplationis habitu, qui ex actuum repetitione habetur, qui habitus infuſus eſſe non poteſt. Non enim datur actus, qui habitum infuſum cauſare queat; immo eſt manifeſta contradictio, quòd habitus ſit infuſus, & quòd ex actuum repetitione proueniat.

Omnes D. D. quos num. 4. adduximus, vidimus contemplationem actiuam concedentes. Noſtrates omnes adeò vnanimitèr in eandem veritatem conſpirant, vt omnia ipſorum opera teſtantur. Videat, qui fidem adhibere recuſat; donec ex extraneis vnum, vel alterum inuitamus.

15. Inſignis Theologus Joannes Gerſon tom. 3. tract. de Myſtica Theologia conſid. 24. ſic loquitur: *Contemplatio facilitatem habet tum ex habitibus per meditationem acquiſitis, tum propter abſtractionem, ſeparationem que intelligentiæ à ſenſibilibus, tum ſæpiùs propter diuinæ gratiæ colluſtrationem in diuina ſpectacula ſublevantem. Meditatio nimirum ſi debitè fiat tranſit in contemplationem, ſicut cogitatio in meditationē. Facta enim ſedula inquiſitione veritatis denudatis inſuper per vehemens ſtudium rerum quidditatibus ab accidentalibus circunſtantijs, generatur habitus ex frequentatione, deputatur lumen intelligentiæ, fit que lucidius quantò*

est tenebrositati sensualis cogitationis impermixtius. Contemplatio igitur, in quam transit meditatio, non est infusa, sed acquisita: sicut etiam acquisita est, & non infusa, quæ ex frequentatione generatur, vti num. 14. dicebamus.

16. Mysta celebris Richard. de Sancto Victor. lib. 5. cap. 2. triplicem contemplationis modum assignat, quorum *primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina, medius autem ex vtriusque permixtione humanæ videlicet industriæ, & gratiæ divinæ.* Et lib. de præparat. ad contemplationem cap. vltimo ait: *Toties ergo Ioseph super collum Beniamin ruit, quoties meditatio in contemplationem desinit. Tunc Beniamin fratrem suum super ferventem excipit, quandò ad studium meditationis animus in contemplationem assurgit.*

Ex dictis authoritatibus rationes efformari possunt vrgentissimæ in comprobationem assertionis nostræ. In earum enim pluribus nedum Authoris mens aperitur, verùm etiam fundamentum ostenditur, quo movetur. Aliunde tamen sic breviter sequenti discursu.

17. Probatur denique conclusio: omnis scientia quantumvis imperfecta, de se, & sine recursu ad aliquid ab extrinseco infusum, contemplatur suum obiectum: Theologia Mystica est scientia, & inter omnes scientias perfectissima: Ergo de se suum obiectum contemplatur. Syllogismus est in tertio modo primæ figuræ, vnde consequentia est bona. Minor quoad vtram que partem fusè disputata est tom. 1. disp. 1. Maior autem certissima est; siquidem tota scientiarum solicitudo eò tendit, vt veritatem inveniat, quam cognoscat, vel sistendo ibi in talis veritatis contemplatione, vel vltra ad opus extra intellectum se conferens. Prima scientia dicitur speculativa, seu contemplatrix, vt eam nominat Aristot. teste Laert. lib. 5. de Vita Philosophorum in vita Aristot. dividentis scientiam contemplatricem in Physicam, & Logicam. Quam denominationem non aliunde habet, nisi quia veritatem inventam contemplatur. Quod etiam evenit scientiæ practicæ, licet quia finis eius non est veritatis cõtemplatio, sed opus; propterea non dicitur contemplatrix secundùm illud, *speculativæ etenim finis veritas: practicæ autem opus.* Ex 2. Metaph. cap. 2.

Cùm autem Theologia Mystica sit scientia perfectissimè speculativa, & practica, non potest non veritatem primam, quæ est ipsius obiectum, contemplari: ipsius cognitioni insistens, vt mirabilibus delicijs inde hausti perfruatur, voluntatem que inflammet, vt illam ipsam, quam cognoscit, veritatem amet, ob eius que amorem mira operetur: Tum in sui profectum, tum in proximorum salutem, quibus practica demonstratur.

Accedit: quòd Theologia scholastica sub expresione talis suum obiectum contemplatur, & in eius contemplatione deliciatur, quæ est contemplatio pure scholastica. Cur ergo hoc idem denegabimus Theologiæ ipsi sub munere mysticæ?

18. Dices: contemplatio conveniens Theologiæ Mysticæ, qua scientia est, est communis omni scientiæ, nec potest dici contemplatio activa, de qua loquimur; sicut non dicitur contemplatio activa, cognitio, qua Metaphysica Deum contemplatur; aliter etiam cognitio, qua Logica ens rationis contemplatur, contemplatio activa diceretur. Idemque evenit in delectatione indè resultante; omnis quippe scientia in sui obiecti attingentia delicias experitur; sicut etiam intellectus, in cuius consideratione est maxima delectatio, teste Philosopho 10. Ethic: Sed hæc delectatio non est propria contemplationis religiosæ, sicut nec cognitio est religiosa contemplatio: Ergo pariformiter de Theologia Mystica.

Respondetur ex D. Thom. in 3. dist. 35. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. *ad 2. dicendum, quòd delectatio, quæ est in actu intellectus, causatur ex congruentia operationis ad operantem, non autem ex dilectione ad ea, circa quæ est operatio, sicut est in sapientia.* Maximum

dis-

discrimen paucis comprehendit Doct. Sanctus inter Theologiam Mysticam ex vna parte, & intellectum, scientias que naturales ex alia. Intellectus enim, & scientiæ naturales obiectum vtique contemplantur, in eius que contemplatione delectantur. Ast cognitio intellectus, & scientiarum naturalium est propter ipsam veritatem cognoscendam: scientiæ autem mysticæ contemplatio est propter veritatem amandam. Propterea que D. Thom. 2. 2. quæst. 180. art. 1. docet: quòd contemplatio religiosa, de qua loquimur, habet principium in affectu, ad quem etiam terminatur: si quidem ad illam movet, ipsam que terminat charitas. Videatur inibi Caietanus. Vnde sicut repugnat, esse Theologiam scientiam illam, quæ ad Deum non terminetur; sic implicat, quòd sit Theologia Mystica, illa scientia, quæ ad primam veritatem amandam non dirigitur.

19. Instas: Si paritas aliarum scientiarum tenet, probabit quidem, nunquam dari contemplationem, quin præcedat meditatio, seu discursus: At hoc non admittimus, cùm dicamus, quòd habentes habitum contemplationis, illam exercent, quin illis opus sit veritatem meditando inquirere: Ergo. Probatur maior: quia antequam scientia naturalis veritatem contempletur, præcedit apprehensio terminorum iudicium de prædicatorum convenientia, aut repugnantia, & discursus, medijs quibus proprietates inferuntur, veritas que habetur, quam post hæc omnia contemplatur: Ergo tenet maior.

Respondetur hac instantia firmari datam doctrinam. Etenim sicut incipientes Logici, aut Metaphysici illa omnia requirunt ante Logici, aut Metaphysici habitus acquisitionem, perfectam que ipsius habitionem, qua semel habita, simplici actu veritates Logicas, & Metaphysicas contemplantur; quin illa omnia ex indigentia præcedant. Sic etiam incipientes mystici meditatione indigent, quousque contemplationis habitum consequantur, Quo semel acquisito, sine illo strepitu, moraque discursuum contemplationem exercent. Vnde nihil aliud, quoad hoc dicimus de Theologia Mystica, nisi id ipsum, quod omnes de alijs scientijs fatentur. Ex eo que habetur dari contemplationem activam.

§ II. *Argumentis contra vtramque conclusionem respondetur.*

20. CONtra primam conclusionem arguitur 1. ex 2. Ex quo detur contemplatio activa, implicat infusa: datur activa, vt patet ex 2. assertione: Ergo repugnat infusa. Probatur maior: quia contemplatio activa habet idem obiectum, ac infusa haberet; siquidem obiectum contemplationis acquisitæ est Deus; insuper habet idem medium, quia in creaturis, ac in sacris litteris veritatem, quæ est ipsius obiectum, intuetur: Ergo id ipsum habet contemplatio activa, quòd infusa haberet; atque adeò hæc non datur.

21. Confirmatur: sicut natura non deficit in necessarijs, nec redundat in superfluis; sic potiori titulo gratia, vt supra dixit D. Thom: sed, si daretur contemplatio infusa, gratia superflua faceret, cùm id ipsum, quòd faceret infusa cõtemplatio, habetur per activam: Ergo infusa contemplatio non datur.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicas: Contemplationem infusam, activam que in aliquibus convenire, sed in plurimis discriminari, vtî in Mystica nostra Isagoge diximus, posteà que dicemus. Vnde non est verum, quòd activa faciat id ipsum, quòd infusa, ac per consequens, nec quo hæc redundet. Per quod patet ad confirmationem.

Adde: quod etiam in ijs, in quibus diximus convenire, plurimum differunt dictæ contemplationes propter sublimiorem modum procedendi, obiectum que attingendi, quem servat contemplatio infusa, ad quem nunquam pervenire valet acquisita, quamtumvis

elevetur. Sicut virtus moralis acquisita nunquam potest pertingere ad perfectionem infusæ, quamvis vtraque in multis conveniat: propterea que non repugnat virtus moralis per se infusa, quamquàm acquisita detur, vt docet D. Thom. 1.2.quæst.63.art.3. de quo egregiè ibi agunt Nostri Salmanticenses.

22. Contra secundam conclusionem citantur passim aliqui Authores, suppresso tamen nomine ferè semper. Vnde in tot dicentium obsequium mentem captivare debemus, & credentes adversarios nos in hac parte habere, debemus etiam argumenta pro ipsis, quæ enodemus, fabricare. Quod continuò nobis evenit in hoc laborioso opere. Vnum tamen priùs dissimulare non possum. Apud quendam ex nostris Mysticis doctissimum hoc invenio.

Ex his omnibus manet exclusa sententia P. Alvarez de la Paz tom. 3. de vit. spirit. lib. 5. de natura contemplat. part. 3. cap. 13. Qui non agnocens aliam contemplationem præter illam, quam Mysticam Theologiam S. Theresia appellat, quæ que apud Mysticos infusa dicitur, ait: Vana est, & ridicula intellectus, & voluntatis applicatio quasi tu velis intellectum in vno fixum tenere, & te admodum contemplantium in vno illo suspendere, in quo oratio á meditatione, & ab alijs discernitur.

Hic dictus quamquàm sine nomine Author, qui in dictum venerabilem P. eius que dicta sic procedit: *Hic quidem dicendi modus, nec contemplationis naturam novit: in contemplatione enim acquisita, nec suspenditur intellectus, nec voluntas; sed ad Deum simplici actu tendit, & attendit, in quo etiam á meditatione secernitur, quæ tota est in inquirenda veritate, in qua per contemplationem quiescat.*

23. Quibus visis, solùm valet admirationem cohibere, hunc virum doctissimum, pijssimum que ex aliorum relatione locutum, quam secutus erravit; quod forsam nobis accidisset; si, animo videndi quid contra activam contemplationem opponeret inculpatus P. Alvarez, illum non inspexerimus. Huic enim periculo expositi sumus, quoties, nec semper possumus, authores non recognoscimus, qui citantur.

Toto illo lib. 5. diversis locis P. Alvarez, dari activam contemplationem, fatetur: sed nullibi expressiùs, quàm illo ipso cap. 13. Ibi enim agit de contemplatione acquisita, quam inchoatam, seu imperfectam appellat, ac inter alia inquit: *Si de inchoata contemplatione loquamur, qua homo, sepositis discursibus, se in præsentia Christi Domini, aut Beatissimæ Trinitatis constituit, & amoris affectibus inardescit, certum mihi est, quod anima iam à vitijs purgata, & à pravis, seu inordinatis affectibus emundata, & virtutibus decorata, & meditationibus exercitata potest, & debet ad eam conari, & an admittatur humiliter tentare, & actione comperire.* Hæc Venerab. ille Scriptor, & alia non minùs perspicua, quæ ibi videri possunt.

24. Post hæc loquitur de contemplatione perfecta, seu infusa, quam, inquit, possumus ardentèr desiderare, & à Deo petere; non autem possumus ad illam conari, applicando scilicet industriam nostram ad illam exercendam: sicut aliud est desiderare, vt dives fias, aliud verò ex hoc desiderio te negotiationi tradere, & ingenium, ac vires applicare, vt divitias acquiras. In negotio ergo perfectæ contemplationis bonum est eius desiderium, & Deo grata eius postulatio; vana tamen est, & ridicula *intellectus, & voluntatis applicatio, quasi tu velis, &c.* vt num. 22.

25. Vide, quantùm distet doctrina huius venerabilis viri ab eo, quod ipsi imponitur. Vide, quanto fundamento dicat, quòd in contemplatione intellectus suspenditur, loquitur enim de contemplatione infusa, vt demonstratum est, quæ contemplatio iuxta D. Bonavent. itin. 3. ætern. dist. 2. *Est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi.*

Similiter Richard. Vict. lib. 1. de contemplat. cap. 8. Similiter etiam omnes Mystæ, vel contemplationem in-

fusam

fusam definientes, vel ipsius effectus declarantes. Dicere autem, dictum authorem loqui non de contemplatione infusa, sed de acquisita, impostura est adeò manifesta, vt sola libri apertione confutetur.

26. Si hæreas illis vltimis verbis, scilicet, *in quo oratio à meditatione, & ab alijs secernitur*, quasi nomine orationis intelligat contemplationem illam, quæ est immediata meditationi, quæ quidem acquisita est. *Respõdetur*: (quicquid sit, an rectè inferatur, quòd eo nomine *Oratio* intelligenda præcisè sit contemplatio acquisita) *sola textus lectione hunc scrupulum evacuari. Sic enim habet. In quo hoc genus orationis à meditatione, & ab alijs secernitur.* Non dicit *oratio*, sed *hoc genus orationis.* Quod genus orationis? Non aliud, nisi illud, de quo loquitur, videlicet, contemplatio infusa, seu perfecta. Vnde habetur, P. Alvarez naturam contemplationis comprehendisse, & in activam nunquam militasse. His dictis, in à nobis assertam contemplationem activam.

27. Arguitur primò ex D. Dionysio, qui lib. de Divin. Nominib. cap. 1. ait: *Tamen ad ipsius respicientes, quantùm Thearchicorum eloquiorum radius se ipsum immittit ad splendores superiores, & simus circa Divina temperantia, & sanctitate constriti.* Vbi clarissimè damnat eos, qui Deum contemplari præsumunt, nisi quandò ipse dederit, & prout dederit: quamobrem *temperantia* nos vti oportere, docet.

Accedit glossema D. Thom. inibi dicentis: *Ad eas non magis nos ingerimus, quàm nobis est datum.* Hæc vltima verba omnem nostram industriam erga contemplationem damnant, ad quam *non magis* nos ingerere debemus, *quàm nobis est datum.*

Respondetur primò, Dionysium hisce verbis loqui de divinorum contemplatione, quæ superat vires nostras, adhuc communi gratiæ auxilio adiutas. Quæ contemplatio infusa certè est, & ad illam non magis nos ingerere debemus, quàm nobis de super datum sit.

Respondetur secundò, mentem Dionysij toto illo §. 1. eo tendere, vt doceat nos, nè ea, quæ supra nos sunt discursibus concipiamus, sed secundùm ea, quæ nobis in Sacra Scriptura traduntur. Vnde ausus culpabilissimus foret velle aliter, seu aliunde intelligere Divina. Hoc autem nobis non oponitur, qui asserimus, Deum à nobis contemplandum esse secundùm ea, quæ ex Scriptura Sacra habemus.

28. Arguitur secundò contemplatio, quæ provenit à donis Spiritus Sancti, est infusa: omnis contemplatio provenit à donis Spiritus Sancti: ergo omnis contemplatio est infusa: Ergo non datur contemplatio acquisita. Consequentiæ bonæ sunt, & minor à Mysticis edocetur, maior que probatur: quia contemplatio, quæ est iuxta instinctum, & motionem Spiritus Sancti, est infusa: contemplatio, quæ provenit à donis, sic est: Ergo. Probatur minor: quia donum Spiritus Sancti ex D. Thom. 1. 2. quæst. 68. art. 1. & 3. *Est habitus supernaturalis, quo homo disponitur, vt sit promptè mobilis à Spiritu Sancto.* Hæc que est præcipua differentia inter dona, & virtutes, quòd istæ perficiunt hominem, vt operetur secundùm rationem; illa verò, vt operetur, prout est mobilis à Spiritu Sancto: propterea que contemplationem, quam numero tertio docuit D. Thom. esse à dono intellectus, diximus esse infusam.

Respondetur distinguendo maiorem, illam que concedendo de donis influentibus secundùm propriam ipsorum naturam; negando verò de donis, provt se attemperant conditioni subiecti, in quo sunt, modo que operandi illius. Itaque dona dupliciter hominem perficiunt; primò simpliciter, vt dona sunt, ac secundùm ea, quæ ex se habent. Et provt sic elevant hominem, vt ductum Spiritus Sancti sequatur, contemplatio que ab illis, sic sumptis, proveniens absdubiò infusa est. Sic que accepta definiuntur tradita diffinitione.

Secundò perficiunt hominem dona, provt se attemperant conditioni ipsius hominis. Sic que illa diffinitione non definiuntur, nec influunt in con-

templationem infusam, nec extrahunt hominem à modo connaturali operandi illius; scilicet, vt mobilis per rationem. Vnde discrimen præcipuum inter virtutes, & dona attenditur, sumptis donis secundùm illam primam considerationem, secundùm quam sumptum à D. Thom. fuit donum intellectus loco citato; eoque de contemplatione infusa locutus ibi fuit iuxta intelligentiam omnium Mysticorum, quos, vt par erat, secuti fuimus.

Dices: non est intelligibile, quid conferant dona contemplationi acquisitæ: Ergo falsum est, quòd ad illam concurrant: Ergo omnis contemplatio, ad quam concurrunt, est infusa.

Respondetur: donum Sapientiæ, quod inter dona Spiritus Sancti præcipuum principium est contemplationis, absdubiò in activam influere, vtî docuit D. Thom. allatus num. 11. ait enim, *contemplationem provenientem ab hoc dono nulli habenti gratiam denegari, quantùm est necessarium ad salutem.* Quod intelligi non valet de contemplatione infusa, quæ iustis quamplurimis non conceditur, nec est ad salutem necessaria.

Verùm, quia obiectio hæc negat donorum concursum ad contemplationem activam, quia non percipit modum concurrendi, dicimus: quòd donum Sapientiæ, de quo loquebamur (idem de alijs donis proportionabiliter intellige) illustrat aliquandò intellectum contemplantis, clarificans conceptum illum, quem fide formavit de Deo in caligine, quo conceptu facit Deum aliquomodò præsentem ipsi intellectui. Solet que etiam facere, quòd ipse intellectus contemplantis percipiat vmbram quandam, Deique protectionem, qua Fides, & Spes roborantur, fervorque Charitatis augetur. Hæc, aliaque plura facit hoc donum, quin hominem extrahat à suo connaturali modo operandi; propterea que contemplatio inde proveniens acquisita est.

Id ipsum, quòd de dono hoc diximus per ordinem ad intellectum, asserimus de eodem relatè ad voluntatem; quia cùm donum istud sit in intellectu secundùm suam essentiam, & in voluntate secundùm suam causam, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 45. art. 2. propterea etiam voluntatem inflammat, vt actus sapidissimos amoris eliciat. Ast intellectum derelinquit in suo connaturali modo operandi: vnde non adest contemplatio infusa.

Cùm autem Deus vult, animam mirabiliter illustrare, speciali auxilio elargitur præcipuum actum huius doni, cum eximia illustratione ex parte intellectus, & extraordinaria inflammatione ex parte voluntatis, tribuens quasi gustandam supernæ beatitudinis dulcedinem. Quæ facit sapientiæ donum, elevans hominem supra suum connaturalem modum; atque adeò est contemplatio infusa. Videantur D. Greg. lib. 16. Moral. cap. 10. D. Thom. in 3. dist. 34. art. 1. & 1. part. quæst. 43. art. 5. ad 2. Et Noster Ioseph à Iesu Maria lib. 1. cap. 25.

29. Arguitur tertiò: Si activa contemplatio daretur, ab antiquis temporibus nota fuisset: hoc non sic est: Ergo talis contemplatio non datur. Sequela certa est; non enim possent tot viri doctissimi, & Sanctissimi notitiam huius contemplationis non habere, nec possent non suis scriptis illam alijs communicare: minor verò probatur: quia talis activa contemplatio est aliquorum modernorum inventum, nullum fundamentum habens in authore, cui assurgere debeamus: nec in Sacra Scriptura notitia illius offertur: cuius signum est, quòd Mystæ hanc contemplationem introducentes, nullam scripturam adducunt in sui patrocinium, quod & nos etiam fecimus in tota hac quæstione.

30. Confirmatur: quia in mirabilibus scriptis Seraph. M.N.D. Theref. omnia orationis genera cœlesti spiritu enucleata inveniuntur: at non invenitur contemplatio activa: Ergo hæc non datur.

Hoc argumentum apud omnes Mysticos invenio; in nullo tamen invenire potui, quis sit, qui activam contemplationem, vt nuperam censuret:

sed

ſed ita hoc eſſe credentes à probatione concluſionis hoc argumentum cum ſua confirmatione debilitare ſtuduimus, tot antiquorum D. D. quorum authoritate æquum eſt premi teſtimonia recenſentes, & etiam S. M. N. Theref. Et licèt ex illis maneat protelatum hoc telum, vt penitiùs protoletur.

Reſpond. negando minorem ad probationem quoad primam partem affatim ex dictis conſtat, quàm maximum fundamentum habeat in Sanctis D. D. concluſio noſtra : immo quàm perſpicuè à quamplurimis ex illis verbis irrefragabilibus doceatur. Vt flocci facias contrariorum audaciam, vide Lucernam myſticam longum cathalogum P. P. & D. D. Græcorum, & Latinorum antiquorum, & modernorum texentem folio 7. & 8.

Ad ipſam minorem quoad ſecundam partem dicimus, pluribus ſcripturis probari noſtrum aſſertum. De quo videri poteſt S. Parens N. D. Joann. à Cruce, qui iuxta noſtr. Joſeph à Jeſu Maria lib. 2. aſcenſ. cap. 14. electus fuit à Deo in Magiſtrum contemplationis acquiſitæ, quam vt perſuadeat, frequentiſsimè Sacra Scriptura vtitur.

31. Inſuper Chriſtus Dominus apud Luc. cap. 10. hanc contemplationem docuit, dum Marthæ dixit: *Solicita es, & turbaris erga plurima, porro vnum eſt neceſſarium.* Quid eſt hoc *vnum*, quòd *neceſſarium* aſſeritur ; indidem que ſubſiſtens ſupponitur ? D. Auguſt. ſerm. 27. de Verb. Domini. D. Greg. alijque innumeri intelligunt dicta verba modo, quo his Caſsian. collat. 1. cap. 8. ait: *Vnum vnius Dei intuitus, & contemplatio, vt ſcilicet etiam Sanctorum actus, ac myſteria mirifica ſuper greſus ſolius Dei iam pulchritudine, ſcientia que paſcatur.*

Quæ ſi aliquantulum explanare velimus, dicemus : per Martham, & Mariam, vt omnes norunt, intellige vitam actiuam, & contemplativam. Vita activa non ſolùm dicitur illa, quæ aliorum vtilitati deſtinatur, ſed etiam quæ in profectu proprio meditationibus exercetur iuxta D. Thom. in 3. diſt. 35. art. 3. Hæc ergo activa vita pluribus occupatur, quæ in Dei obſequium parat. Verùm plurima ſunt : Vnde ex hac parte, quòd plurimis incumbat, reprehenſibilis eſt, & admonetur, ſuam illam pluritatem deſerenda m iri, & in puram, ſinceram, vniformem que fidei contemplationem commutari, & hoc eſt illud *vnum*, quod à Domino dari ſupponitur, & aſſeritur neceſſarium.

Denique apud Eccleſ. cap. 28. veiſ. 25. dicitur : *Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu ſapientiam præcipiet.* Vbi diſſertè aſſeritur, contemplationem, quæ nomine Sapientiæ intelligitur, tunc haberi, quandò anima dimittens omnia ſenſibilia, ab eis que vacua, ſe reducit ad ſimplicitatem actus, quod ſanè eſt actu minorari. Quæ omnia, cùm fieri poſsint communibus gratiæ auxilijs, habetur dari acquiſitam contemplationem iuxta Sacram Scripturam.

32. Ad confirm. reſpond. iuxta N. citatum Joſeph à Jeſu Maria, Seraph. Mater noſtr. deſtinatam à Deo fuiſſe doctricem contemplationis infuſæ: propterea que de hac ferè ſemper agit in ſuis ſcriptis ; ſed contemplationem activam non omiſsit, illam alijs nominibus nominans, vt videre eſt in locis à nobis adductis, & alijs pluribus. Videatur idem Joſeph. lib. 1. cap. 23.

Ex dictis conſtat, quantùm diſtet à vero contrariorum dictum aſſerentium, de hac contemplatione activa non inveniri veſtigium apud Authores antiquos, nec apud Seraph. Theref. Contrarium enim demonſtravimus : & etiam ex ipſa Scriptura Sacra talis contemplationis exiſtentiam oſtendimus, qui plura de hoc voluerit, adeat citatum N. Joſeph cap. 23. & 24.

33. Addiderim tamen, antequam aliò tranſeam : contemplationem activam, nedum â fide decoris edoceri, verùm etiam ab Ethnicis. Ariſtot. enim lib. 10. Ethic. cap. 7. ait: *Oportet non ſecundùm ſuadentes humana ſapere hominem entem, neque mortalia mortalem ; ſed in quantùm contingit immortalem facere.* Et in 1. Metaph. cap. 2. inquit.

quit. *Homo debet se trahere ad divina in quantum potest.* Vnde cùm homo possit *se trahere ad divina*, non solùm per pluritatem discursuum, verùm etiam per simplicitatem actus, fidei que vniformitatem: *Si ergo in quantum potest, debet se trahere ad Divina*, in illa intuitu simplici debet ferri: atque adeò media contemplatione acquisita speculari.

Audiatur Angelic. Doct. 2. 2. quæst. 130. art. 1. *ad 2. dicendum, quòd Divina, & immortalia secundũ ordinem naturæ sunt supra hominem. Homini tamen inest quædam potentia naturalis, scilicet, intellectus, per quam potest conjungi immortalibus, & Divinis; & secundùm hoc Philosophus dicit, quòd oportet hominem se trahere ad immortalia, & Divina, non quidem, vt ea operetur, quæ decet Deum facere, sed vt eis vniatur per intellectum, & voluntatem.*

QVÆSTIO SECUNDA.

An detur oratio fidei, quæ sit idem cum divina contemplatione?

NVllibi sedem magis idoneam hæc controversia habere potest, quàm in præsenti; qua propter illam nunc excitamus.

§. I. *Quæstionis titulus aperitur, sententiæ referuntur, & non nulla ante resolutionem prælibantur.*

34. VIget hac tempestate controversia de oratione fidei, cuius orationis existentiam quærimus. Quod autem sit idem cum Divina contemplatione, non disputamus; sed si verè existit, supponimus. Nihil enim per fidei orationem intelligunt communiter illam adstruentes, nisi cœlestem contemplationem.

Quia que contemplatio Divina est duplex, activa, videlicet, & infusa, vt diximus quæst. præcedẽti, & vnaquæque diversissimos gradus magis, velminus perfectos habet; habendum est præ oculis, nostra non referre, quòd oratio fidei sit idem cum vtraque contemplatione, sive cum vna tantùm; nec similiter, quòd sit idem cum aliqua ex illis secundùm omnes gradus, quos habet, vel secundùm aliquem tantùm. Dummodo verificetur, esse idem cum aliquo gradu contemplationis, satest, vt resolutio affirmativa sit. Vt vel cæci vident; siquidem non potest oratio fidei non dari, si id, quod est cum illa idem, subsistit. His circa tituli explicationem brevissimè dictis.

35. Prima sententia tenet, dari orationem fidei, esse que idem cum contemplatione activa, de qua quæstione antecedenti egimus. Sic cum alijs pluribus sentit Author Lucernæ mysticæ in prolegomen. anima dversion. pag. 6. per plures numeros, num. autem 12. hæc habet. *Hæc contemplatio acquisita illa est, quam Theologi vocant orationem fidei, non quia sola fides concurrat, quia simul concurrit Charitas in illa affectiva, & amatoria Dei notitia, & pariter concurrit Spes summi boni. Dicitur autem oratio fidei, quia fides proponit objecta revelata, quæ contemplanda sunt.*

Vbi & orationem fidei dari supponit, & illam esse contemplationem acquisitam docet sine graduum differentia, sed absolutè. Ac denique motivum, ob quod dicitur oratio fidei, explanat; & observa, hunc authorem *de mente Theologorum* supponere existentiam orationis fidei.

Secunda sententia asserit, orationem fidei esse quendam gradum Divinæ contemplationis, quæ inter alios sic nomi-

nominatur. Sententia hæc est plurium Mysticorum. De quo agit N. Franc. à Sanct. Thoma in sua medul. tract. 4. cap. 5. Verùm hic Author ita describit orationem fidei, vt sit specialis modus contemplationis modos alios, seu gradus veluti transcendens. Addit que, hunc contemplationis gradum esse non solùm acquisitum, sed etiam infusum. Vnde orationem fidei facit idem cum vtraque contemplatione. Et sanè lucernam Mysticam huic dictamini contrariari, non reor. Licèt enim non dicat orationem fidei esse idem cum contemplatione infusa, non tamen hoc negat. Et motivum illud, quo ducitur, commune est contemplationi activæ, infusæ que : siquidem vtrique *fides proponit objecta revelata, quæ contemplanda sunt.* Vnde hæc secunda sententia à prima non differt, nisi tantùm in modo se explicandi.

36. Alia sententia negat, dari orationem fidei, & fundatur in eo, quòd non detur contemplatio activa, vt vidimus præcedenti quæstione. Contra hanc opinionem jam ibi egimus, & infra illam etiam confutabimus, persuadentes contemplationis activæ exercitium.

37. Vltima sententia, & quæ nobis ansam præbuit huic controversiæ, est, quam fuisimè ad nauseam vsque mordicus, & iusulsè defendit Doctor Barambius tom. 1. contra propositiones Michaelis de Molinos pluribus in locis, sed præcipuè discurs. 21. propos. 21. per plura capita : ibi enim num. 23. Supponit celebrem divisionem contemplationis in acquisitam, & infusam, & tamen toto illo discursu negat orationem fidei, ob quod hæc sententia diversa est à præcedenti.

Tam multa, diversa que congerit hic Author in hac sua opinione suadenda, vt facile non sit in multis eum insectantes scire, quid defendãt nec illum impetentes agnoscere, quid oppugnent. Primò enim procedit contra perditi illius hominis propositionem ipsius damnatione loricatus. In quo omnes Catholici cum ipso sentimus. Et quid mirum, si post damnationem ab vniversali Pastore, sic censeamus obsequentissimi filij, qui ante damnationem talem doctrinam improbabamus.

Secundò invehitur contra eos, apud quos meditatio malè audit, & animas omnes in contemplatione, seu oratione fidei occupari volunt. In quo etiam à nobis est, qui in primo prædicabili disp. 1. per plures quæstiones fusè impugnavimus opinionem, quæ meditationem excludit, volens viam spiritus à contemplatione ordiri. Ibi etiam probavimus, perfectos, cùm extra actum contemplationis sunt, meditari debere. Quod etiam quamquàm sine hac expressione, asserit in præsenti Barambius.

Hic est huius Authoris scopus. Vt autem illum muniat, ea assumit, in quibus, an benè procedat, dicenda mostrabunt. Vellem tamen ne tantum pulverem concitaret tenebras offusissimas causantem, quibus arduum est, verum à falso discernere, pretiosum à vili segregare. Ex propositione damnata procedit in doctrinas sanas, ac si eidem damnationi subjacerent. Ex tota propositione proscripta nullam ipsius partem indemnem putat: ac si à Catholicis ex ipsa veritate Catholica falsa sua dogmata inferre non soleant. Quidquid asserit, vt oraculum haberi vult, tamquam fide sanctum, Conciliorum, P.P. que authoritate sancitum, ac rationi consentaneum. Quidquid impugnat, nocivum suo judicio, animabus est, nuperum est, & contra Philosophos, ac Theologos, non solùm *Mysticos*, *sed Theologicos*, & hanc divisionem Theologorum in *Mysticos*, & *Theologicos* non nuperam, risu que dignam habebit. Bonè Deus, & quàm inquieta mens!

38. Vt autem aliquem conceptum efformes doctrinæ, quam in præsenti versamus, & Authoris, de quo loquimur ; forsan enim ad tuas manus eius opera non pervenerunt, scito : ipsum orationem fidei detestari. Sic enim asserit dicto discursu 21. num. 27. in fine hisce verbis : *Esta es nuestra determinacion,*

nacion, y porque no nos podemos detener, dezimos, que no ay oracion de fee obscura, y vniversal, &c. Ni la ha avido, ni la ha de aver. Todo esto es vn embuste de el Demonio. Hoc est: hæc est nostra determinatio: & quia non possumus immorari, asserimus, quòd nec datur oratio fidei obscuræ, & vniversalis, &c. nec data fuit, nec dabitur. Omne hoc Dæmonis mendacium est.

Posteà verò num. 41. absolutissima resolutione procedens, inquit: *Entre Catholicos Christianos no se ha de admitir oracion de fee de ninguna manera*, Hoc est, *inter Catholicos nullo modo admitti debet oratio fidei.* Bene nota, & suo tempori serva, quòd *nullo modo admittenda est oratio fidei inter Catholicos.* Motivum huius tam amplæ resolutionis est duplex, de quo posteà disseremus.

39. Guttulam immensæ paludis inspexisti; vt autem eius profunditatem ex Authore intueare, non alio peregrinandum est tibi, sed in ipso, quem præmanibus habemus, discursu vrgens motivum offendis, quo verum iudicium efformes. Scriptor hic procedit contra præjacti Hæresiarchæ propositionem 21. quæ Latino idiomate sic se habet.

In oratione opus est, manere in fide obscura, & vniversali, cum quiete, & oblivione cuiuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis; & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, ei que serviendum, sed absque productione actuum; quia Deus, in his sibi non complacet.

Nostro autem idiomate, in quo à Barambio adducitur ipsa propositio, & est: *En la oracion es necessario estarse en fee obscura, y vniversal con quietud, y olvido de todo otro pensamiento particular, y distinto de los atributos de Dios, y Trinidad; y estarse assi en la presencia de Dios para adorarlo, servirlo, y amarlo, pero sin producion de actos; porque Dios no se satisfaze de estas cosas.*

Sensum illorum verborum: *cum quiete, & oblivione, &c.* Quivis tametsi nihil aliud, quàm legere sciat, cognoscit esse, quòd in oratione habenda non est cogitatio particularis, ac distincta *attributorum Dei, ac Trinitatis*, sed in cumulum omnis prædicati divini tam lineam primordialem, quàm ad alias attinentis; tam ad absolutam, quàm ad relativam spectantis, esse dirigendam mentis aciem: hanc que appellat fidem obscuram, & vniversalem. Hoc asserit propositio illa, non propter hoc omne damnata, vt mox videbimus.

Hunc ergo sensum, adeò cuique pervium, invium Barambio fuisse, ex suis verbis constat: Quandoquidem inter alia propositionis inconsequentiam censurat; quia loquens de fide vniversali, assignat objectum particulare, nempe attributa, & Trinitatem. Sic propositionem intelligit, ex quo eius profunditatem dignoscere potest quilibet, qui eius scripta non vidit: quippe propositio dicit, quòd, vt oratio fidei vniversalis detur, non debet mens dirigi aliqua cogitatione particulari, ac distincta in objectum aliquod Divinum speciale, vt est attributum aliquod, vel omnia attributa, vel mysterium Trinitatis. Hæc asserit propositio; & Barambius inquit: propositionem asserere, attributa, seu mysterium Trinitatis, aut aliud objectum particulare esse fidei vniversalis objectum. Iudicet cordatus sic scribentis profunditatem. Possemus sanè ob hæc, innumera que alia Barambio reponere ea, quæ ipse dicit contra Authores orationis fidei discursu citato num. 40. pag. 375. col. 2. lin. 13. vsque ad 16. quæ ibi videri possunt.

Nec valebit recursus non insuetus ad Amanuenses, vel Impressores. Quia contextus hunc recursum non patitur: seriò enim de inconsequentia propositionem accusat propter dicta.

Hic igitur est Author, qui opus impugnandi propositiones dictas aggressus est: qui passim Scripturas, Concilia, P. P. Theologos, tum Mysticos, tum *Theologicos*, ac Philosophos affert, quibus

quibus nec parvam requiem concedit: ſed ex eorum mente, quam ſe aſſecutum gloriatur, orationem fidei ſuſque deque invadit, & eliminandam cenſet. Contra hunc Authorem procedo. Vnde in præſenti mihi cum Barambio res eſt: ac de his ſatis.

40. Sed priuſquam ad reſolutionem accedamus: operæ pretium duximus obſervandum, nos quidquid circa orationem fidei dixerimus, abſque præjudicio eorum, quæ dicta relinquimus tom. 1. part. 2. diſp. 1. q. 7. Dicemusque, cùm de principio elicitivo contemplationis agamus, capiendum velle. Stat enim rationes ſuadentes, fidem eſſe principium elicitivum contemplationis roborare, & ab impugnatoribus defendere, quin poſitivè alias aſſeram, contemplationis elicitivum principium fidem eſſe. Cuius ea ratio eſt, quia quod formaliter ad præſentem controverſiam attinet, eſt, an detur oratio fides? Quod verò hæc oratio eliciatur à fide, vel ab alio principio, extraneum eſt à præſenti litigio. Eò vel maximè, quia prima reſolutio ſemper hîc tenenda, firma nobis erit, ſive fidem eſſe, ſive non eſſe principium elicitivum contemplationis dicamus.

Accedit: quòd ſic procedere, eſt propriè præſcindere ab eo, quod directè ad præſentem diſputationem non attinet. Vt ſic id, quod directè attinet, diſputetur. Diſcurſus que contrarios enerves oſtendere; quia quæcumque pars ſubſtineatur, nihil contra nos comprimuntur ſe conſecutos fateri.

41. Obſervandum ſimiliter ſecundò eſt: nos in præſenti cauſam, ob quam oratio fidei ſic nominetur, haud diſquirere, nec de proprietate nominis diſputare. Hoc nobis extra chorum eſt, qui nomen à poteſtatem habentibus impoſitum ſupponimus, & rem ipſam, eo nomine nominatam veſtigamus. Vnde de eo, quod Catholici D. D. fidei orationem vocant, loquimur: ſive propriè, ſive minùs propriè, ſive hoc, ſive illo motivo tale nomen impoſitum ab illis fuerit.

42. Vltimò, ac præcipuè obſervandum eſt id, quod ſemper teſtamur: Videlicet, nos, vt filij obſequentiſsimi ſupremi Paſtoris, damnationem ipſius latam cõtra propoſitiones Michaelis de Molinos venerari, & juſtiſsime fulminatam interiùs, exteriùs que cenſere: quam debita ſubmiſsione amplectimur, hominem illum, eius que doctrinam tales reputantes, quales in decreto Sanctiſsi Domini Innocentij XI. facto feria 5. die 28. Auguſti anno 1687. proponuntur.

Nec huic veneration contradicit alicuius Doctoris contra illas propoſitiones procedentis, doctrinam, vt falſam, aut futilem, aut minùs conſonam impugnare. Hoc enim non eſt defendere hæreticum, ſed impugnare Scriptorem: Quod non eſſe prohibitum, quis non videt? Vt autem paucis plurima, ſive omnia comprehendam, omnia, quæ in hac quæſtione, (ſicut & in omnibus alijs) dicenda à me ſunt, infallibili Eccleſiæ correctioni, ſapientumque dictamini ſubjicio.

§. II. *Vera ſententia eligitur, & probatur.*

43. SIt noſtra concluſio: *Oratio fidei datur, quæ idem cum contemplatione eſt.* Secunda pars huius aſſertionis modo, quo num. 34. dicebamus, intelligi debet; prima autem pars probatur ſic: Nam apud Sancti Jacobi Epiſtolam cap. 5. verſ. 14. & 15. dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbiteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Sine diſcurſuum ambagibus habemus orationem fidei aſſertam à ſacro oraculo.

44. Non ſine riſu Barambium hanc probationem auditurum credimus, & quid oratio fidei, de qua loquimur, quamque ille negat, cum Sacræ vnctionis Sacramento, de quo Apoſtolus loquitur, commercij habere poteſt, interrogaturum? Hanc ergo fidei ora-

tionem nemo Catholicorum negabit. Cum adeò expressè textus illam doceat. Ast oratio fidei, de qua assertio procedit, in hac scriptura nullatenus continetur.

45. Contra hoc tamen disputo 1. sic inferens: Ergo sub aliqua consideratione, seu aliquo modo datur oratio fidei. Consequentia hæc negari non potest, nisi apertè contra datum textum procedatur. Ergo substineri non potest tua illa amplissima resolutio num. 38. posita, videlicet: *Inter Catholicos nullo modo admittenda est oratio fidei.* Patet ista, quoniam hæc propositio, *inter Catholicos nullo modo admittenda est oratio fidei*, contradictoriè opponitur cum illa: *Aliquo modo datur oratio fidei*; atque adeò eo modo, quo datur, est inter Catholicos admittenda: Sed hæc secunda propositio est omnino vera, ac fide sancta: Ergo cùm non possint duæ contradictoriæ esse simul veræ, illa prima propositio substineri non valet.

Declaratur ampliùs: hæc propositio, *inter Catholicos nullo modo admittenda est oratio fidei*, est omnino idem cum ista, *inter Catholicos nulla oratio fidei datur*, quia videlicet, si aliquo modo esset admittenda oratio fidei, iam esset aliqua fidei oratio; atque adeò *si nullo modo est admittenda oratio fidei*, est, quia verum est, quod *nulla datur oratio fidei*; ex veritate enim, aut falsitate huius propositionis simplicis provenit veritas, seu falsitas illius reflexæ. Modo sic: Sed hæc propositio simplex, *inter Catholicos nulla datur oratio fidei*, est omnino falsa: Ergo, & illa alia. Consequentia patet. Et minor probatur: Hæc propositio, *inter Catholicos nulla oratio fidei datur*, est contradictoria huius, *inter Catholicos datur aliqua oratio fidei*: Sed hæc secunda est vera, vt patet ex textu D. Jacobi: Ergo illa prima vera esse non potest.

Si dicas: Illam negativam non distribuere pro omnibus speciebus orationis fidei, sed solùm pro illis, quæ juxta subjectam materiam debent intelligi, nempe pro ijs, quæ mentalem orationem, seu contemplationem concernunt; qualis est illa oratio damnata impij Molinos, & illæ aliæ, quas inibi Barambius impugnat, quamvis damnatas dicere non audeat. Ad has ergo debet restringi vniversalis illa negativa, pro illisque solis distribuere.

Sicut siquis sermonem instituisset de Æthiopibus, & postquam eis albedinem denegaret, concluderet: *Inter sapientes nullo modo admittendum, est hominem esse album*: hanc negativam pro solis illis hominibus, de quibus sermo fuerat, distribuere, censendum erat. Similiter in nostro casu. Vnde dicta resolutio nullatenus textui allato contradicit; quia non loquitur de omni oratione fidei absolutè, sed de omni illa, de qua locutus fuerat.

Hæc sunt, quæ ad salvandam suam illam, illimitatam resolutionem afferre potest Barambius: sed quam infaustè iam subjicienda monstrabunt. Vt autem impugnationes num. 45. inceptas prosequamur, & simul modò dicta impugnemus.

47. Disputo 2. sic: Quia propositio, quæ exponitur censuranda non est propositio mentalis, sed objectiva, vt docent N. Salmantic. tract. 17. disp. 9. dub. 4. num. 37. Est que communis Theologorum sententia, ac praxis qualificationis propositionum, vbi non attenditur, quid propositionem enuntians in mente habeat, aut quo mentem dirigat, sed quid objectum suæ enuntiationis, quod est propositio objectiva, vt Logici nominant, ex se, & circumscripto quocumque alio, mereatur: Sed hæc propositio objectiva; *inter Catholicos nulla datur oratio fidei*; ex se, & independenter à mente proferentis contrariatur oraculo Divi Jacobi: Ergo talis propositio substineri non valet. Idem que dicimus de illo, qui illam aliam propositionem num. 46. positam enuntiaret.

48. Disputo 3: Et si illa propositio vera foret, adhuc substineri non posset; quia malè sonat negare absolutè, & sine aliqua, vel minima limitatione orationem fidei: stante Scriptura

Sacra,

Sacra, quæ fidei orationem dari docet. Vnde quamquàm de illis orationibus, de quibus, ibi sermo est, dicatur loqui propositio illa; semper tamen malè sonat; adeò absoluta cùm sit.

49. Disputo 4: Quia textus D. Jacobi non intelligitur de Sacramento extremavnctionis, sed vel de ipsius forma, quæ sanè deprecatio est; vel de oratione fidelium ægroto astantium, qui, dum inungitur, Dominum deprecantur, vt animæ sanitatem, corporis non excluſa, concedat, vtî est communis sacrorum Interpretum glossa: Ergo datur oratio mentalis, & vocalis, quæ propriè dicatur oratio fidei: illa videlicet, quam fideles pro infirmo fundunt, & quam inungens Sacerdos pronuntiat. Ex quibus.

50. Disputo 5: Oratio mentalis dicta dicitur à D. Jacobo oratio fidei, quod cum magna proprietate, & fundamento factum, supponi debet. Quod fundamentum, si explorare vellimus, inveniemus, quòd dicitur oratio fidei, non solùm, quia sit actus elicitus à fide; sed etiam, quia & si à fide non eliciatur, habet tamen à fide, quòd desiderata obtineat. Vnde idem Apostolus cap. 1. vers. 5. & 6. præmiserat: *Siquis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Satque erit petere à Deo sapientiam, vt hæc obtineatur? Minimè, si in fide oratio non fiat. Vnde additur: *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

Quare D. Augustin. serm. 36. de verbis Domini ait: *Si fides deficit, oratio perit. Vnde & Apostolus, cum ad orandum exhortaretur, ait: omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit, vt ostenderet, fidem esse fontem orationis.* Et D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. docet, *quòd oratio efficaciam movendi habet á charitate, at verò efficaciam impetrandi à fide, & à fiducia.* Ecce quare oratio illa, qua fideles proximum animam penè halantem confortant, dicitur fidei oratio. Quod si hinc Barambius inferat, omnem orationem appellandam esse orationem fidei: dicemus: nullum emolumentum talem illationem suæ resolutioni allaturam; quia si omnis oratio dicenda est oratio fidei, clariùs constat falsitas asserentis: *Inter Catholicos admittenda non est oratio fidei.*

In super quamquàm omnis oratio, quæ verè oratio sit, possit dici oratio fidei, propter dicta, atque adeò ex hac parte oratio fidei non determinet specialem orationis speciem: nihilominùs tamen illa ex communi Mysticorum vsu fidei dicitur, in qua fides specialiter augetur, redditurque vividior ex incendio maiori charitatis: Huiusmodi est illa oratio, de qua D. Jacobus loquitur: in illa enim, vel quia à publico ministro Ecclesiæ facta, vel quia à pluribus vnitis fusa; vel quia extrema proximi indigentia excitat, fervet charitatis opus, fidesque augetur, sicque signat illa oratio specialem speciem orationis, quæ fidei oratio dicitur.

Cuius rei illustria exempla adhuc in nostra Mystica Theologia sunt, quæ si Barambius considerasset, non adeò hallucinatus fuisset: siquidem omnis oratio est oratio quietis; quia quietem, & elongationem à tumultibus requirit oratio omnis. Similiter omnis oratio non incongruè diceretur oratio recollectionis; quia in omni sua oratione debet orans se ipsum intra se recolligere, vt sic possit Deo suo vacare. Et tamen datur specialis oratio, quæ oratio quietis dicitur, & etiam datur gradus orationis specialis, quæ oratio recollectionis nominatur. Ergo pariformiter. Omnia, quæ in hoc numero dicta sunt, eò collineant, vt ijs positis, subsumamus.

Sed contemplatio, vel elicitur à fide, vt omnes Mystæ asserere videntur, dum dicunt, principium elicitivum, formale contemplationis esse fidem; vel habet pro vnico medio, cui innititur, fidem, à fideque habet objectum, quòd contẽpletur: Ergo contemplatio propriè dicitur oratio fidei. Consequentiam probat paritas; si namque propter illas causas oratio illa, de qua loquitur D. Jacobus, dicitur oratio fidei; cur non etiam propriè dicitur ora-

tio fidei contemplatio, cùm ad ipsàm quoquè concurrant eædem causæ.

Minor autem pro prima parte probata manet probatione ibi inserta, de qua posteà sermo redibit. Quoad secundam autem partem probari potest eadem minor pluribus authoritatibus, sed brevitatis causa; solùm afferimus profundissimi Mystici testimonium, hic est noster Extatic. Doct. qui lib. 2. ascensus cap. 9. ait de fide: *Quæ sola est proximum, & proportionatum medium, vt anima Deo vniatur: siquidem nullum aliud discrimen adest, nisi quod Deus visus, aut creditus sit.* Et paucis interjectis, subiungit: *Et sic per hoc solum medium manifestatur Deus animæ in divina luce, omnem intellectum superante: ideò que quantò magis anima fide emineat, tantò erit magis vnita Deo.* Videatur expertissimus hic Doctor toto illo capite; quod in hoc ipsum enucleando insumit.

Quoad tertiam partem, videlicet, quòd à fide habeat contemplatio objectum, quod attingat, est adeò certa ipsa minor, vt non indigeat probatione. Clarissimè illam docet D. Dionys. epist. 9. ad Titum rogantem, *quæ sit domus sapientiæ, quis crater, & quisnam eius cibus, ac potus?* Huic ergo Sanctissimo Episcopo respondet Dyonisius inter alia dicens: *Operæ pretium est, vt symbolis, quæ sensum movent, divina mysteria exuentes, ea per se nuda, & aperta oculo fidei intueamur: si enim sic spectemus, venerabimur fontem vitæ, &c.* vt num. 5. Vbi non aliter Deus, qui fons vitæ est, promittitur contemplandus, nisi fide ductrice intueatur.

Similiter Angelic. Doct. in 3. dist. 34. q. 1. art. 2. ait: *In his autem, quæ supra rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio divinorum.* Ex quibus, omissis alijs pluribus, constat, veram esse tertiam partem illius minoris; atque adeò patet etiam, quàm magno fundamento contemplatio dicatur oratio fidei, sicut dicitur oratio fidei illa oratio, de qua S. Jacobus loquitur.

51. Confirmantur hæc omnia: Etenim D. Jacobus illam orationē, de qua agit, vocat orationem fidei, rationem que reddit Estius ibi per hæc verba: *Dicitur oratio fidei; quia à fide profecta, fide que subnixa*: sed contemplatio est oratio *à fide profecta*: siquidem principium elicitivum eius est fides, vt est communis Mystarum doctrina: ac insuper innititur fide, quia fides est medium, cui innititur, & quo in suum obiectum ducitur, vt numer. præcedenti ostendimus: ergo contemplatio propriè dicitur, & est oratio fidei.

§. III. *Aliæ authoritates, & rationes propositæ.*

52. PRobatur 2. nostra conclusio verbis Redemptoris nostri apud D. Joan. cap. 4. vbi ait: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Quæ verba sic explicat D. Thomas ibi: *In veritate: primò quidem fidei, quia nullus fervor spiritualis desiderij est ad merendum idoneus, nisi adsit veritas fidei.* Vbi instruuntur contemplativi, tunc suam orationem Deo placituram, quando Deum adorent *in veritate fidei.* Sic enim fusa ab ipsis oratio, & eis est meritoria, & Deo, quem adorant, accepta. Hinc que constat, nomen fidei convenire propriè huic orationi: oratio siquidem *in veritate fidei* facta maxima proprietate dicitur oratio fidei.

53. Probatur 3. ex Mysticæ Theologiæ Parente Dionys. qui cap. 1. Mysticæ Theologiæ affert, ad hanc veritatem comprobandam, illud Exodi cap. 24. vers. 15. Vbi Moysi præcepit Dominus, quòd solus montem conscenderet, vt ibi cum Domino familiariter sublimis contemplativus loqueretur. Mons erat offusissima nube coopertus, in cuius medio positus Moyses cum Domino obscurè cognito loquutus est.

In hoc, dicunt communiter Mystici post Dionysium, præsens materia figuratur. Etenim Moyses signat animam contemplativam. Hanc Deus vocat ad contemplationis montem, qua ful-

fulgebit, ſi innititur fide Divina, quæ in nube totum montem recondente, Moyſenque obvelante, figuratur. Solus, & ſupra montem poſitus, tegitur contemplativus nube fidei, nec aliter Deum contemplari valeret; quia fides eſt vnicum medium, quo contemplatio ſubſiſtit, vt ſupra ex noſtro Seraphico Doctore dicebamus.

Huc reſpexit Auguſtinus dum lib. meditat. cap. 22 dixit: *Tranſeat ab his animus, & tranſcendat omne, quod creatum eſt: currat, & aſcendat velociter, pertranſeat, & in eum, qui creavit omnia, quantùm poteſt, oculos fidei dirigat.* Videat Barambius, ſi adeſt fundamentum ingens, vt hæc contemplatio dicatur *oratio fidei*. Qui ſunt illi oculi fidei, quos *in eum, qui creavit omnia*, debet animus dirigere, *quantùm poteſt*? Abſdubio ſunt actus fidei, quibus, ſuo modo, videt fides *eum, qui creavit omnia*: quia ſicut actus intellectus ſunt oculi, quibus animus, ipſe que intellectus vident rem intellectam, ſic & oculus fidei ſunt fidei actus, quibus animus, intellectus, & fides tendunt in rem contemplatam. Cur ergo novum inventum ad perdendas animas dicitur ab hoc monialium Præceptore, id, quod tam inconcuſsis fundamentis firmiſsimè ſolidatur? Id, quo Sacræ paginæ, Sanctorum Patrum, Theologorum, Contemplativorumque ſuffragijs fulcitur? Liceat ſecundò reponere Barambio id, quod ex ipſo in ipſum num. 39. inſinuavimus.

54. Verùm, quia vt ab exordio quæſtionis præmonuimus, non eſt è re noſtra diſcutere, ob quæ motiva contemplatio dicatur *oratio fidei*; proterea in id ſolum dirigitur præſens labor, vt oſtendamus dari orationem fidei, quin vim faciamus in aperiendo modum, quo concedi debet; hoc enim ad diſputationem de principio elicitivo contemplationis reſervamus. Nonnulla tamen dicenda ſunt, quæ aliquomodò modum, in quo conſiſtat, ſuadere vt cumque poſsint, ſemper tamen ſub prælibata præciſione. Et quia videmus Barambium ſummè affectum erga Sacram Familiam Litteratiſsimæ Societatis, & quia Seraphicam Matrem noſtram Sanctam Thereſiam, dum paſsim illam citat, nominat, *mea Sancta Mater*, propterea ex hoc duplici capite oſtendamus, placet, quantum à vero diſtent omnes diſcurſus Barambij.

A Sacra Societate incipimus, cuius ſinguli filij ſunt Barambio pro Cynoſura, & Helice. Vnde eorum authoritate præocupatus tædium, quo in orationem fidei gravatur, depoſiturum ſperamus, immo, & quòd ipſum pœniteat, ſuos Magiſtros non vidiſſe, vt viam aliam luſtraſſet. Dupliciter in hoc capite procedere poſſumus; primò adducendo teſtimonia Doctorum Societatis. Secundò aliorum authoritatem, qui licèt ex Societate non ſint, approbantur tamen à D. D. Societatis. In hoc omnes bene affectum Barambium credimus: in primos propter familiam: in ſecundos autem propter approbationem. Vnum tantùm ex vtraque claſſe adducimus, nè pluribus implicemur.

55. Extaticus noſter parens D. Joannes à Cruce indubitanter docet, dari orationem fidei, in cuius comprobationem omnia eius profundiſsima ſcripta in medium adduco: ferè enim non eſt in ipſis caput, quo hanc veritatem non doceat. Aſt, vt aliquid circa hoc dicamus, occurrit cap. 3. lib. 2. aſcenſus, vbi plura habet hanc veritatem ſuadentia. Ibi enim ait: *Aliæ ſcientiæ luce intellectiva acquiruntur, aſt hæc ſcientia fidei ſine intellectus naturali luce obtinetur.* Hæc ſcientia, quam fidei vocat, eſt ſcientia contemplationis: ſi ergo fides eſt ſcientia contemplationis, contemplatio ipſa erit vtique actus fidei; quia ſcientia actualis habitus ſcientifici actus eſt. Videatur Sanct. Doct. toto illo cap. vbi hoc diverſis ſcripturis comprobat. Prima eſt Iſaiæ cap. 7. v. 9. dicentis juxta verſion. 70. *Si non crediderit is, non intelligetis*: hoc eſt: ſine fide non habebitis lucem, nec contemplationem ſublimem, ac ſupernaturalem, vti idem Sanct. Doct. exponit.

Secunda eſt illius nubis tenebroſæ,

sæ, & illuminantis, de qua Exodi 14. vers. 20. dicitur: *Erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Quòd nubes lucida illuminaret, nil mirum; sed quòd illuminat tenebrosa, stupenda res est. Sed nè mirere; quia juxta eumdem Extaticum hoc in figura contigit Judæorum populo, vt nobis daretur intelligi, quòd fides, quæ animæ est ob sui obscuritatem tenebrosa nubes, ipsa sua tenebrositate animam mirabiliter illuminat. Quæ est doctrina Areopagitæ lib. de Mystica Theolog. cap. 1. vbi inquirit: *Quænam sit Divina caligo?* Ac inter alia dicit: *Aperiuntur in caligine plusquam lucente silentij arcana docentis, quæ in obscuritate tenebrosissima plusquam clarissimè superlucet, & in omnimoda intangibilitate, atque invisibilitate præpulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet.* Videantur annotationes Corderij, & paraphrasis Pachymeræ.

Vbi caligo fidei plusquam lucens dicitur ob lucidam scientiam, qua ambit animam, illam caliginem ingredientem. Ac insuper, quòd *in obscuritate tenebricosissima*, ne dum hæc scientia fidei lucet, verùm etiam *plusquam clarissimè superlucet.* Ac denique asseritur, quòd ipsa scientia caliginosæ fidei *splendoribus*, non quibuscumque, *sed præpulchris, mentes oculis captas*, quia fide ductas, *superadimplet.*

56. Tertia scriptura, qua hoc ipsum ostendit Seraphicus noster Parens, est celebre illud Oraculum Psalm. 18. vers. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Hoc est, eodem Doctore exponente, *dies*, qui est Deus clarè visus, ostendit clarè verbum à se genitum *diei*, id est, Angelis, & animabus Beatorum. Similique modo *nox*, quæ est fides, docet arcanam scientiam, id est mysticam, animas viatorum, qui *nocti* comparantur, quia nocte fidei ducuntur. *Vltima* scriptura est illa eiusdem Psalmistæ Psalm. 138. vers. 11. vbi ait: *Et nox illuminatio mea in delicijs meis.* Quod idem est, ait idem sanctus, ac si diceret: *In delicijs* meæ sublimis contemplationis *nox fidei* erit *illuminatio mea.* Quia ipsa *nox fidei* me docebit, ducetque.

Plura alia ex eodem expertissimo Doctore afferre decreveram, dicta tamen sufficiant, vt videat Barambius, si adest fundamentum, vt contemplatio dicatur *oratio fidei*, vt potè quæ, hoc est, ipsa fides, docet, ducitque contemplationem. Vt autem data doctrina omnino Barambio placeat, audiat quid de illa insignis Societatis scriptor dicat.

57. Balthasar Corderius in orbe litterario notissimus, sacræque Societatis digna proles, in Isagoge ad Mysticam Theologiam D. Dionysij cap. 2. hæc fatur: *Finis per hanc sapientiam intentus est vnio cum Deo, quanta nimium potest in hac vita obtineri aretissima, suavissimaque. Media verò huius obtinendæ sunt actus Theologici supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, quibus immediatè mens Deum attingit, per Fidem scilicet caliginosè; per Spem suspensè; per Charitatem perfectè:::: Fides quidem intellectum, Spes memoriam, Charitas voluntatem, & affectum supra naturam mysticè perficit, & informat; ita vt tribus istis excelentissimis virtutum Theologicarum actibus totius Mysticæ Theologiæ perfectio, & essentia contineatur, vti pulchrè, ac fusè in libris diviniissimis de ascensu montis Carmeli, de nocte obscura, & de cantionum verè mysticarum declarationibus exponit Venerabilis Pater Joannes de la Cruz rerum mysticarum expertissimus.*

Hactenus egregius iste Doctor. Et observa, quòd plus fecimus, quàm promisimus. Siquidem Corderius, nè dum doctrinam nostri Theodidacti Doctoris circa orationem fidei extollit, verùm etiam ipsam fidei orationem tuetur, vt patet ex verbis datis, alijs que in data Isagoge adductis; nec aliter poterat opinari fidissimus Areopagitæ annotator. Nihil horum Barambius vidit, & propterea in orationem fidei adeò generalibus spiculis digladiatur, vt nullo modo inter Catholicos admittendam sentiat. Sed pergere oportet, & Societatis authorem assignare, qui asserat, contemplationem esse orationem fidei,

fidei: & quidem ſine tergiverſatione, vt videat Barambius, quantùm ſua doctrina à ſuis Magiſtris diſtet.

58. Inter innumeros, eoſque celebres ſacræ Societatis Theologos, nullum ſuſpicor cum venerabili, eximioque Suario contendere de primatu. Hic enim inſignis Theologus, cui Deus, referente Hormaza in ſuo theſauro manuali, Theologiæ clavem conceſsit, hæc circa præſens punctum tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. 5. docet.

Ex his ad ſecundum punctum dicitur, illum actum (de actu contemplationis loquitur) *in ſubſtantia ſua eſſe, vel actum fidei proprium, & elicitum, vel eſſe actum Theologicum, & quaſi ſcientificum. Priorem partem indicavit Auguſtinus in lib. meditat. cap. 27. vbi, &c.* (hic ponit Auguſtini verba, & poſteà ait) *ſimiliter Gregorius homil. 8. in Ezech. ante medium eadem ferè verba Auguſtini vſurpat. Ratio verò eſt, quia perfecta contẽplatio huius vitæ eſſe debet cum perfecta adhæſione intellectus ad veritatem contemplatam per firmum aſſenſum fundatum in revelatione diuina, quæ in hac vita obſcura eſt: ergo talis contemplatio debet eſſe per aſſenſum fidei.* Hæc Eximius Suarez, qui toto illo capite videndus eſt, preſertim à num. 7. Videat ergo author, in quem procedimus, qualiter cum hac doctrina Suarij, pro ea Auguſtinum, Gregorium, & Doct. Angelicum allegantis ſtare poſsit, orationem fidei novum inventum eſſe in animarum perniciem, nullo que modo eſſe inter Catholicos admittendam.

59. Seraphica Mater noſtra D. Thereſia hoc ipſum docet manſione 6. cap. 7. Vbi clariſsimè monet, quòd cum Deus non concedit contemplationem infuſam, nec meditationibus applicari valemus, veritates myſteriorum fidei ſimplici intuitu inſpiciamus. Quod fieri à nobis poſſe ibi docet alma Doctrix. Nunc ergo; ſimplicem intuitum mentis terminatum ad fidei veritates, quis negabit eſſe actum fidei? Sicut objectum per illum ſimplicem intuitum attactum eſt veritas fidei; & habitus, qui ab illo objecto eſſentiatur, eſt habitus fidei: ergo & contemplatio, quæ ibi exercetur, eſt oratio fidei. Quod non negabit, niſi qui in re clariſsima hallucinatus fuerit.

Rationes pro concluſione ſuadenda non efformamus, quia ex dictis facilimum cuique erit eas cudere, tum vt probet, contemplationem eſſe actum fidei; tum etiam, vt quamvis actus elicitus à fide non ſit, dici tamen poteſt cum omni proprietate oratio fidei ob allatas authoritates, rationeſque, quas ipſæ offerunt.

§. IV. *Argumenta proponuntur.*

60. CONtra noſtram concluſ. arguitur. 1. *Oratio fidei* videtur damnata in propoſitione 21. impij Molinos: ergo talis oratio non datur. Probatur antecedens: Dicta propoſitio abſdubio loquitur de contemplatione, quam dicimus orationem fidei: ergo hæc oratio damnata in illa propoſitione videtur.

61. Confirmatur: Ad orationem fidei, quam concedimus, vel requiritur productio actuum, vel non? Si non: ergo damnata eſt talis oratio in dicta propoſitione, quæ ideò proſcribitur, quia productionem actuum prohibet. Si ſic: Ergo talis oratio non eſt ſimplex intuitus veritatis: Ergo nec actus fidei: Ergo nec fidei oratio.

62. Antequam huic argumento eiuſque confirmationi reſpondeam, placet hæc in Barambium regerere, ſicut & omnia, quæ boans circa hæc ſcripſit in ipſum regeri poſſunt. Diſputo ſic: Propoſitio illa loquitur de contemplatione: damnatur propoſitio: Ergo & damnatur contemplatio. Similiter: Propoſitio loquitur de fide: damnatur propoſitio: Ergo & fides. Indidem: Omnes illæ *orationes fidei* Authorum Catholicorum, quas inibi Barambius reprobat, ſunt contemplationes: ob illas reprobat abſolutè *orationem fidei*: Ergo debet reprobare abſolutè contemplationem. Vel ſic: Sed ob illas *orationes fidei*, quas reprobat, non reprobat

probat contemplationem: ergo nec ob illas orationes fidei, debet absolutè reprobare fidei orationem. Videat Barambius, quid ad hæc respondere possit, nec præcepi in verba ruat vltimò paritura mœrorem. Debet enim homo esse *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*, juxta Oraculum Divinum. Respond. Ergo ad argument. neg. anteced. Ad probat. Concedatur, talem propositionem loqui de *oratione fidei*, ac de contemplatione: verùm ex hoc non sequitur, quòd damnatio propositionis comprehendat *orationem fidei*, sicut nec fidem, nec contemplationem comprehendit.

63. Ad confirmat. negatur propositio illa disiunctiva; quia vtraque eius pars est vera; vnde disiunctiva est falsa, vt modò ex summulis suppono. Itaque *ad orationem fidei*, seu contemplationē requiritur productio actuum, & non requiritur talis actuum productio. Nota Novitie parùm perspicax, me nō dicere, quòd nō requiratur productio actus, sed *actuum*. Hæc, inquam, actuum productio, & requiritur, & non requiritur *ad orationem fidei*. Requiritur: quia ad contemplationem præcedunt plurimi actus, plures que discursus. Requiritur: quia etiam in ipsa contemplatione, si calor tepescat, discursibus fovendus est, vt eius flamma revirescat. Non requiritur: quia contemplatio, seu *oratio fidei* est vnicus actus, ille que simplex, quo veritas intuetur. Et sanè, si dum veritas simplici intuitu speculatur, alij actus producerentur, quies, pax que contemplationis periret: immo ipsius contemplationis natura decumberet.

64. Angelic. Doct. 2. 2. q. 180. art. 3. quærit: *Vtrum ad vitam contemplativam pertineant diversi actus?* Et respondet, quòd loquendo de vita contemplativa, secundùm quod ad hominem pertinet, *vnum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet, contemplationem veritatis, á quo habet vnitatem. Habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis: alij autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem eius, cuius cognitio inquiritur. Vltimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis*: Loquitur D. Thom. de contemplatione tam secundùm ea, quæ prævie dicit, quàm secundùm id, in quo formaliter consistit. Quia tamen addidimus, quòd etiam requiritur productio actuum, habita iam ipsa contemplatione, oportet hoc probare, & aperire, nè sit, qui sana hac doctrina abuti velit.

Seraphica Mater nostra pluribus in locis hanc doctrinam tradit. lib. vit. cap. 1. docet, quòd etiam, qui sublimi contemplatione fulgent, debent aliquando ad incunabula redire, lac que spiritus, veluti passiones suggere. Videatur etiam Sanctissima Doctrix loco citato ex mansione 6. desumptaque est hæc doctrina ex Davide dicente: *In meditatione mea exardescet ignis.* Quia videlicet ignis sacer contemplationis, meditationibus interjectis, *exardescit*. Non meditationibus, quarum prolixitas contemplationem obruat, sed meditationibus, quarum tenuis vivifica aura ignem cœlestem contemplationis foveat.

65. Accedit Extaticus noster Parens, qui lib. 2. ascensus cap. 32. de anima in simplicissima contemplatione, etiam acquisita, posita hæc fatur. *Tunc* (hoc est dum simplici intuitu anima intuetur Divina) *semper satagat manere cum intellectus quiete sine mixtione formarum, figurarum, aut notitiarum particularium; nisi valde raptim; nec tunc illas valde procuret, sed cum suavitate amoris, vt magis hoc in igne anima ignescat. Ast extra hoc tempus in omnibus suis exercitijs, actibus, & operationibus vtatur memorijs, & meditationibus bonis, prout maiorem devotionem, vtilitatem que cognoverit, particulariſſimè vti debet meditatione vitæ, passionis, mortis que Domini nostri Iesu Christi.*

66. Cuius proficuæ, subtilis que doctrinæ tres illæ illuminatæ mentes diversis locis radicem detegunt. Lo-

quatur

quatur pro omnibus D. Thom. Requiri, diximus, ad actum proprium contemplationis plures actus: huiusque doctrinæ radix, seu ratio ea est, quam Ang. Doct. loco citato assignat dicens: *Dicendum, quòd de vita contemplativa nunc loquimur, secundùm quod ad hominem pertinet. Hæc autem est differentia inter hominem, & Angelum, vt patet per Dionys. 7. cap. de Divin. nominib. Quod Angelus simplici aprehensione veritatem intuetur. Homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis.* Et hæc est ratio, ob quam ad contemplationem illi actus prærequiruntur. Quæ doctrina contraria omnino est asserentibus non esse meditandum, sed ab initio vitæ spiritualis contemplandum, quos disp. 1. impugnavimus.

Etiam diximus, quòd habita iam contemplatione requiritur productio actuum, tum vt contemplatio non tepescat: tum etiam, vt ea finita, non cessetiter cœleste animæ. Hæc duo diximus cum nostra Seraphica Matre, ac cum nostro Extatico Doctore: & vtriusque radicem proponit laudatus D. Thom. art. 8. per hæc verba. *Ad secundum dicendum: quòd nulla actio potest diu durare in sui summo. Summum autem contemplationis est, vt attingat ad vniformitatem Divinæ contemplationis, vt dicit Dionys. sicut suprapositum est. Vnde etsi quantùm ad hoc contemplatio diu durare non possit; tamen quantùm ad alios contemplationis actus potest diu durare.*

67. Non potuit doctrina sana, quam sustinemus, penitiùs, apertiùsque ostendit. Ex dictis constat, datam doctrinam à damnata propositione toto cœlo distare. Illa enim damnata propositio asserit: *In oratione opus est manere in fide obscura, & vniversali.* Quod falsum est, & impossibile. Est falsum, quia qui meditatur, verè orat; quin maneat *in fide obscura, & vniversali.* Et etiam qui contemplatur Trinitatem Divinam, aut Dei attributa verè orat, & contemplatur, & non manet *in fide obscura, & vniversali*: fides enim *vniversalis* ad omne prædicatum Divinum, quin aliquod non includat, terminatur. Est & impossibile; quia ille simplex intuitus veritatis non potest diu permanere, quin vel frigescat, vel emoriatur: si frigescat, requiruntur discursus ad fomentum: si emoriatur, requiruntur ijdem discursus in animæ alimentum: aliter in otium turpe ruet, in quo nihil præter præcipitium inveniet.

Et huius propositionis mala origo suam malitiam manifestam habet à propositione antecedenti, vbi ait hæreticus: *Asserere, quód in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est, &c.* Et etiam à propositione 18. vbi ait: *Qui in oratione vtitur imaginibus, figuris, speciebus, & proprijs conceptibus non adorat Deum in spiritu, & veritate.* Quam similiter detegit pluribus alijs suis propositionibus. Vnde illis damnatis, debuit, & hæc pariter proscribi. Indidemque damnatur talis propositio, quia asserit, tales actus Deo non placere; cùm sint absdubio boni, & virtuosi. Sed quod nostro judicio, caput talis damnationis est, continetur in propositione sequenti, vbi inquit, hanc contemplationem fidei, de qua in propositione 21. locutus fuerat, non esse actum à creatura productum, sed à Deo infusum, quem actum non cognoscit creatura, dum illum habet, nec posteà. Quo nihil aptiùs ad seducendas animas in baratrumque mittendas per turpissimum quietistarum otium. Et licèt Barambio non placeat, quòd vtraque dicta propositio de eadem cognitione fidei loquatur, nihil refert: cùm alij sic intelligant, ostenditque ipsa propositio, quæ sic incipit: *No es este conocimiento de la fè, &c.* vbi illud, relativum *este* certissimè ostendit in hac propositione 22. de eadem cognitione fidei sermonem esse, ac in propositione 21.

68. Sed opponit Barambius discurs. 22. num. 19. & 24. quòd in prima propositione sermo est de cognitione elicita à fide, in alia autem de cognitione ad fidem terminata: per primam

cognoſcit fides ſuum obiectum : ac per ſecundam cognoſcitur ipſa fides. Moveturque ex verbis ipſius propoſitionis, quæ hæc ſunt: *No es eſte conocimiento de la fè vn acto producido de la criatura, &c.* Vbi per illa verba: *conocimiento de la fé*, affatim conſtat, ſermonem eſſe de cognitione ad fidem terminata, non verò de cognitione à fide elicita.

69. Sed nodus indignus eſt, vt in eius enodatione Theologus occupetur. Si namque *cognitio fidei* non ſignat actum fidei, ſed cognitionem ad fidem; pariter cognitio intellectus cognitionem terminatam ad intellectum ſignificabit: ac ſimiliter viſio oculorum non actum videndi, ſed terminum viſionis oſtendet: atque adeò cum Iſaias vaticinatus eſt, quod Dominus, ac Redemptor N. non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit, non loquutus fuit de viſione, qua Chriſtus viſurus erat, ſed qua eius oculi videndi erant ab alijs. Quo quid abſurdiùs? Sed imprudenter in his quiſquilijs moramur. Et adeò inſulſum ſcrupulum potuit Barambius deponere, ſi antequam ſcripta in orbem litterarium miſiſſet, propoſitiones has, provt ſunt in Latino idiomate videret. Hæc enim, de qua loquimur, ſic ait provt P. Arbiol, & P. Caſnedi ſcribunt: *Cognitio hæc per fidem non eſt actus à creatura productus, &c.* Quo, & vtramque propoſitionem de eadem cognitione fidei loqui convincitur, & ſtupeus hic Barambij ſcrupulus diſſipatur.

70. Ex dictis conſtat immenſa diſtantia, quæ adeſt inter noſtrum aſſertum, & propoſitionem proſcriptam. Nos enim præviè, concomitanter, & ſubſequentèr ad orationem fidei *obſcuræ, & univerſalis* actuum productionem, inquibus Deus ſibi complacet, requiri ſentimus. Ipſam *orationem fidei*, ſeu contemplationem, etiam infuſam actum à creatura elicitum propugnamus. Quod ſi aliquando Doctor aliquis Catholicus actum contemplationis infuſæ infuſum dicat, qualiter eum appellat P. Suarez loco allegato, num. 5. in fine: non aſſerit actum ipſum non eſſe à contemplante elicitum, ſed principium elicitivum talis actus infuſum docet.

71. Arguitur 2. *oratio fidei* quomodocunque explicetur ac ſub quocunque modo proponatur, aut nominetur, nec minimum veſtigium, ſignum vè fidei habet: ergo non datur. Conſequentia ſequitur, & antecedens proponitur illis ipſis verbis à Barambio diſcurſ. 22. num. 24. ſine probatione tamen, ac ſi res indubitata foret: poteſt tamen ex ijs, quæ dicit diſcurſ. præcedenti, num. 30. probari ſic 1. quia *oratio fidei* nominatur ſic ab eius Authoribus, vel quia in ea exercetur fides, vt aliqui volunt; vel quia, vt dicunt alij, terminatur ad Divinitatem, & non ad humanitatem; vel denique, vt alij autumant, quia in ea anima nihil facere debet, præter quàm manere in Dei præſentia ad faciendam Divinam voluntatem: ſed quocumque ex his modis explicetur, non eſt oratio fidei: Ergo hæc non datur.

Probat. 2. ex ijs, quæ eodem diſcurſu affert num. 41. *de oratione fidei*, quomodocunque explicetur, non verificatur, quòd ſit *oratio*, nec quòd ſit *fidei*: ergo qualitercunque explicetur, repugnat talis oratio. Certiſsima eſt conſequentia. Probatur antecedens quoad primam partem: quia illa oratio non eſt meditatio, contemplatio, nec vnio: ergo à ſufficienti partium enumeratione non eſt oratio. Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem; quia in illa oratione fidei non datur actus explicitus, nec implicitus veræ fidei: ergo non eſt oratio fidei. Probat. hoc antecedens 1. ex traditis ab hoc Authore num. 21. quia per orationem, quam dicunt fidei, ſolùm reſpicitur Deus: atqui, vt detur actus fidei, non ſat eſt, quòd Deus reſpiciatur, ſed inſuper requiritur, vt, quia ipſe revelavit, credatur: Ergo.

Probat. 2. idem antecedens; quia habens *orationem fidei*, hoc facit ſecundùm aliquos talem orationem ſuſtinentes, accedit ad locum orationis, & genuflexus humiliatur coram Domino, quem præſentem inſpiciens fide viva dicet: Domine adeſt tibi pauper iſte,

fiat

fiat in me tua ſanctiſsima voluntas, & quin aliud dicat amoroſa attentione, & reſignatione, manebit, Deum, trinum, & vnum intuens, & diligens ſuper omnia: in hocque exercitio perſeverabit. Modò ſic ſubſumit Barambius: ſed hîc non exercetur fides. Patet iſta: Quia ſolùm nominatur fides ante orationis principium, poſteà verò humilitas, & reſignatio nominantur; vnde non eſt cur hæc oratio dicatur *fidei* potiuſquam humilitatis, aut reſignationis.

Confirmatur hæc ratio ex ijs, quæ dictis diſcurſibus pluries repetit datus auctor: quia oratio fidei eſt contra id, quod docuere ſacra Concilia S.S. P.P. & Theologi: ergo talis oratio concedi non debet. Patet iſta: Quia ſi dabilis foret, non eſſet contra tot, tam ſacraſque authoritates. Antecedens non probat, ſed credendum noſtræ vrbanitati committit.

72. Hæc ex lacunoſo ſinu ſeligere placuit inter innumera huius furfuris. Non quia digna, vel minima reflexione putemus; ſed nè eorum auctor ſibi ſapiens videatur; ſi eorum aliqualiter non meminimus. Igitur reſpondetur argumento negando antecedens, quod debuiſſet Barambius vel ſupprimere, vel probare, nè de audacia appellaretur; intra ambitum illius termini, *quomodocunque*, & illius *quocumque modo*, clauditur *oratio fidei* à D. Jacobo aſſerta, vt vidimus §. 2. quam fidei orationem non admittere, hæreticum planè eſt, vnde falſum omnino, vt minus eſt, quòd *oratio fidei quomodocumque explicetur, ac ſub quocumque modo proponatur, aut nominetur, &c. non datur*: quia ex indefectibili illa authoritate habemus, dari *orationem fidei*, nec illam ſic Apoſtolus nominaret, ſi aliquod ſignum, veſtigiumve fidei non haberet. Inſuper alijs ſcripturis probavimus dari *orationem fidei*; pluribuſque authoritatibus D. Dionyſ. D. Auguſt. D. Thom. Seraph. M.N. ac noſtri Doct. Seraphici, quibus acceſsit P. Suarez, & Myſtæ ferè omnes dicentes, principium elicitivum contemplationis eſſe fidem. Poſtquæ omnia nuperus iſte, nec *veſtigium*, nec *ſignum fidei* cognoſcit in fidei oratione.

Ad primam antecedentis probationem omiſſa maiori, negamus minorem. Quicumque cordatus expectabit, qualiter Barambius probat orationem ijs tribus modis factam, non eſſe *fidei*. Audiat probationem, & conſideret; *Quivis litteratus, & mediocris capacitatis cognoſcet, quòd nec hæc eſt oratio mentalis fidei, nec iſta fides obſcura, & vniverſalis eſt fides divina, & ſupernaturalis, de qua loquimur, & loqui debet. Dicet, credo, quod ego multoties dixi, quòd hæc oratio, & modus manendi in illa ſunt contra fidem catholicam. Dicet: quòd implicat tam hæc oratio, quàm illa fides obſcura, & vniverſalis. Quod totum hoc eſt mendacium, Dæmoniſque fallacia.* Reſpondimus ſupra Barambio, nè ſapiens ſibi videretur: modò autem ei non reſpondemus, nè ſimiles illi videamur.

73. Omiſimus maiorem, quia, vt ab initio quæſtionis præmonuimus, noſtra mens eò dirigatur, vt *orationem fidei* dari oſtendat: quod autem ſic, vel aliter explicetur, parum refert. Probamus tamen maiorem quoad primam partem, videlicet *in oratione fidei*, ſive contemplatione, fidem exerceri, vel quia fides elicit illum actum, vel quia eſt vnicum medium, cui innititur, vel quia obiectum proponit contemplandum, quæ omnia affatim conſtant ex hactenus dictis.

Approbamus etiam tertiam partem eiuſdem maioris, & parvum, ſeu potiùs pravum conceptum de præſentia Dei habet, qui in illa fervidæ contemplationis exercitium adeſſe, ſi provt debet, habeatur, non videt. Vt autem pretioſam hanc margaritam non parvi pendat, audiat D. Dionyſ. qui locutus de Sanctiſsima Trinitate lib. de Divin. Nominibus cap. 3. ait: *Ipſa quidem vniverſis adeſt, non autem omnia ipſi adſunt. Cùm autem ipſam invocamus caſtiſſimis quidem orationibus, & revelata mente, & ad divinam vnitionem aptitudine; tunc, & nos ipſi adſumus.* Videatur inibi D. Thom. inter alia dicens:

Revelata mente, idem esse, ac vt *intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum, quod accidit illis, qui spiritualia non supra corporalia capere volunt, vt qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis, propter quod etiam impedimur ab ascensu in Deum.*

Vbi quantùm fides conducat, vt simus Deo presentes, nemo non videt: sicut, & quòd tunc sumus Deo præsentes, cùm eum *castissimis orationibus invocamus, & revelata mente, & ad divinam vnitionem aptitudine.* Videatur ergo, si ille, qui sic Deo præsens est, aliquid facit. Et si vt illæ orationes, quibus Deo præsentes sumus, sint castissimæ, conducat maximè fides, iudicent, qui in re litteraria suffragium habere possunt. Ast de his iterum sermo redibit.

74. Ad 2. antecedentis probationem negetur antecedens pro vtraque parte. Ad probationem primæ dicas: Egregiũ hunc Mystam malè ratiocinari, quod sic ostenditur: *Petitio decentium à Deo* non est meditatio, contemplatio, aut vnio: ergo petitio decentium à Deo non est oratio. Antecedens est plusquam certum, & consequentiam negare hic auctor non potest: quia si oratio fidei non est oratio, quia non est meditatio, nec contemplatio, nec vnio; pariter petitio dicta oratio non erit contra omnes D.D. essentiam orationis metaphysicè, per hoc, quod sit petitio, definientes. Simile argumentum potest fieri de actione gratiarum, alijsque partibus orationis præter meditationem.

75. Si autem meditatio sumatur (nec hac glossa dignus erat, qui Catholicorum sensa sectariorum delirijs aggerat, & in omnia sine discrimine furit) prout signat orationem discursus, quæ vulgò *meditatio* dicitur, estque membrum dividens orationem abstrahentem à contemplatione, & oratione discursus. Si sic, inquam, accipitur adhuc malè, insulsèque ratiocinatur. Quia si oratio dividitur in meditationem, & contemplationem; qui concedimus *orationem fidei*, dicimus esse contemplationem. Vbi ergo disputare didicit, qui *orationem fidei* non esse orationem pipiens, probat: quia oratio dividitur in meditationem, contemplationem, & vnionem: Et veluti si nos herbam iam porrigere compulisset, non intendit probare *orationem fidei* ad nullum ex illis dividentibus pertinere?

76. Nec illud tertium membrum, in quod dividit orationem, dividens est; quia per vnionis orationem, vel intelligit contemplationem infusam, vel aliquem gradum infusæ contemplationis. Si primum, malè facit; quia contemplatio infusa absolutè sumpta dividitur in orationem vnionis, quietis, aliosque gradus, quos omnes sola materiali lectione librorum Seraph. nostræ Doctricis, quam toties Matrem appellat, debuit scire. Vnde oratio vnionis est particularis quidam gradus infusæ contemplationis; atque adeò non debet poni, vt dividens contra alia dividentia sicut non ponitur Petrus, qui est rationale quoddam, vt dividens contra irrationale animal. Ex quibus probatum manet, non posse per orationem vnionis intelligi id, quod ipsa reapsè est, nempe gradus quidam contemplationis infusæ. Quibus adde: quòd oratio vnionis dividitur in acquisitam, & infusam; quia non solùm datur vnio infusa, sed etiam acquisita, vt docet alma Doctrix, iamque insuperioribus dictum à nobis est. Vnde non adest motivum, vt per illum membrum *vnio*, quo hic auctor pro suo libito vtitur, intelligatur potiùs gradus vnionis infusæ, quàm acquisitæ.

Denique per secundum dividens, quod est contemplatio, vel intelligit contemplationem acquisitam, vel infusam, vel abstrahentem? si acquisitam, qua facultate hoc facit? Et nomen *contemplatio*, quod vtramque signat, ad solam acquisitam restringit? si loquitur de infusa: vbi adest acquisita? Si loquitur de abstrahente: quæ oratio est illa quam illud nomen *vnio* significat? Siquidem vnio, quamtumvis omnium perfectissima, qualis est Beatifica, contemplatio certè est. Vnico verbo: si

nomen

nomen *vnio* contemplationem infusam significat; malè loquitur in secundo, & tertio dividente. Si autem significat aliquam orationem diversam à contemplatione acquisita, infusaque, novum genus orationis introducit: atque adeò in ipsum militant omnia, quæ in orationem fidei vibrat, vt molestissimè de novitate suggillet.

77. Ad secundam probationem antecedentis negetur antecedens: ad primam ipsius probationē respondetur: novam philosophiam in illa contineri â quovis, quantumvis tyro, sibilandam. Fidei *respicere* est credere, sicut *cognoscere* intellectus est intelligere, & *cognoscere* potentiæ visivæ est videre. Asserere autem fidem posse respicere Deum, quin credat, est idem ac affirmare, visum sive materialem, sive spiritualem posse respicere obiectum, quin illud cognoscat. Et sanè si hæc nova philosophia vera foret, nutaret definitio, à nemine non admissa, quam de fide actuali tradidit Augustinus dicens: Fides *est credere, quod non vides*: vnde ridicula prorsùs est illa præcisio fidei respicientis, & non credentis, quia si ille actus, quo supponitur fides respiciens obiectum, est actus fidei, vt nemo negare audebit: planè sequitur, quòd per illum actum creditur, quod non videtur.

Placet reproducere verba D. Thom. num. 50. adducta: *In his autem, quæ supra rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio Divinorum.* Et ea, quæ ex nostra Seraph. Doctrice num. 59. retulimus, illaque refert Barambius discurs. 20. num. 10. Quamvis authoritatem bis sine signo ostendente, & (possibile est) non sine aliquali malitia interrumpat. Ait ergo Doctrix Sancta: *Intelligit anima hæc mysteria per modum magis perfectum: & ratio est, quia intellectus illa repræsentat, & imprimuntur memoriæ, ita vt per hoc solùm, quod videat Dominum postratum in horto cum illo horribili sudore, hoc solùm sat illi est, nedum pro vna hora, sed pro multis diebus; respiciens simplici intuitu quis est, & quàm ingrati fuimus tanto sudori. Posteà venit voluntas, quamvis non sit cum sensibili devotione, & desiderat rependere aliqualiter tantam misericordiam.*

Dicta omnia Barambij præscisionem expungunt; quia actualis fides datur iuxta Ang. Præceptorem, per hoc, quòd detur *inspectio Divinorum.* Et iuxta Doctricem Seraph. respicientes intuitu simplici veritates divinas habemus divinam illam contemplationem, de qua ibi loquitur. Et sanè contemplatio per hoc, quod sit simplex intuitus veritatis divinæ, definitur. Vbi est ergo discrimen illud inter *respicere* fidei, & credere revelatis, quia revelata à Deo sunt? Qui simplici illo intuitu, de quo Seraph. Doctricem loquentem audivimus, respicit veritates fidei, respiceret illas, comite voluntate, si eis non assentiret? Ergo *inspectio Divinorum* vel est, vel supponit, vel associatur cum assensu fidei circa veritatem contemplatam: atque adeò extat motivum vrgentissimum, vt talis *inspectio Divinorum*, seu *simplex intuitus divinæ veritatis, dicatur oratio fidei.*

78. Superest, vt ad secundam probationem eiusdem antecedentis positam num. 71. respondeamus: dicimus ergo 1. Barambium non bene inferre, non dari absolutè orationem fidei, quia non potest dici, nec est oratio fidei, quam hic, aut ille author affirmat Sicut malè infertur: Omnes scriptores insciij sunt, & audaces, ex eo quòd aliquis particularis scriptor audax, & insçius sit. Vnde si ille diceret, illam orationem, quæ ibi describitur, aliasque similes, nec esse *orationes fidei*, nec *orationes*; forsam cum illo non disputarem: bilem tamen commovent eius illimitatæ illationes, resolutionesque, quarum aliquas iam dedimus. Est non absimilis cæco, quem vnicus, & plurima turba offendit, de quo, vt vindictam sumat, Scipionem contra omnem turbam igneus vibrat, quin efferveſcentiam frænet, quod accidere non rarò solet, videlicet innocentis, immo, & compatientis percussio. Quod P. Martinus Cearrote, alijque illum, vel alium modum *orationis fidei*

fidei fabricent, fundamentum præstat, vt, si tibi non placent, illos impugnes. Ast *oratio fidei* non ijs modis explicata, sed à Scriptura edocta, à Proceribusque doctrinæ sanæ tradita, nosque, qui illam, prout ab ijs fontibus hausta, sustinemus, quid mali tibi fecimus, vt nobiscum, veluti cum acatholicis, agas?

Vt respondeamus 2. præmonere placet: in illa *oratione fidei*, quæ num. 71. describitur, extemplò nobis displicere, quod eius auctores volunt viam spiritus ab ea oratione incipi, in eaque permanere spiritualem quoties Deo vocante, contemplationem infusam non exercet: est enim, aiunt ij Authores, temporis dispendium meditationibus occupari. Hoc autem nobis summoperè displicet, falsumque esse, & valde periculosum, multis ostendimus tota disp. 1. Et si bene consideres nihil aliud probant fulgura, quæ hinc, indè Barambius turbidus ciet. Ast, si in illis verbis contineatur oratio perfectissima, quæ *fidei* nominanda sit, non est ex cerebro Barambij pensandum, sed iuxta lydium Catholicorum lapidem discutiendum.

79. Hic lapis Sacra Scriptura est, quæ lib. 1. Reg. cap. 3. vers. 10. ait: Samuelem ex præcepto Heli Domino vocanti respondisse: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Hîc abs dubio oravit Samuel, siquidem rem decentem à Deo petivit. Confer, oro, orationem hanc Samuelis, cum illa, quæ dicto num. describitur, & simillimam reperies. Humilitavit se Samuel, servum se Domini dicens, promptum se exhibuit, vt iussa Domini exequeretur. Quod idem invenitur in illa alia oratione. Siquidem invenitur humilitas, & resignatio: Ergo qui ponitur in Dei præsentia, dicitque; *Domine adest tibi pauper iste, fiat in me tua sanctissima voluntas*: Non est cur dicatur non orare. Nec motivum adest, vt tanta authoritate dicatur, in ea orandi formula, nec veram orationem dari, nec fidem exerceri: datur enim oratio vera, vt constat ex oratione Samuelis: datur, & fides.

80. Quod si inquiras, an prolibito nostro, an re ipsa fides ibi adsit? Respondeo: re ipsa, & non ex nostro libito fidem adesse ibi. Quod constat 1. ex ipso textu, in quo Samuel fatetur, se Deum audire: *Audit servus tuus.* Verbum *audio* ibi inter alia, significat *credere*, vtî eruditè probat Franc. de Mendoza super illum textum, qui ait: *Audit servus tuus, id est credit.* Vides nè actum fidei ibi adesse? sicut & ob eandem rationem adfuit fides maximè viva in illa Davidis oratione relata in Psalm. 84. vbi ait: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Davidem ibi altissimè contemplantem constat ex nostro Extatico Doct. lib. 1. noct. cap. 9. & in flam. canc. 2. v. 3. §. 6. in fine, qui omninò videri debet. Et pro tali contemplatione fidem necessariam explicuit verbo illo *audiam.* Introspice formulam illam orationis quam tot vocibus, sed aereis, Barambius impugnat, &, ni vehementissimè fallor, Davidem, & Samuelem illam formulam in suis dictis orationibus observasse, comperies. Ita vt ab illis, similibusque exemplaribus desumptam fateare.

Constat 2. in ijs orationibus orantem fidem exercuisse; quia illæ verè orationes fuerunt, vt ex dictis patet. Et vera oratio dari sine fide non valet, vt sæpiùs in superioribus dictum est. Vndè vna ex conditionibus bonæ orationis est, quòd fiat in fide. Quod monitum à D. Jacobo cap. 1. suæ Epistolæ observavimus supra ijs verbis: *Postulet in fide nihil hæsitans.* Ex quibus tertiò constat in dictis orationibus fidem datam fuisse, quia David, Samuel & quivis alius ad Deum accedens, verè orans, propriam miseriam, indigentiamque fatetur: Deum misericordem, omnipotentemque veneratur. Sine quo vera oratio non datur, & cum quo fides abs dubio exercetur.

81. Adest exemplar aliud nobilissimum ex eadem Sacra Scriptura. Postquam caduceator Gabriel cum sua Regina, nostrique omnium Domina, locutus est, dixit Sanctissima Virgo:

Ecce

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Luc. cap. 1. Quis non videat hæc Sanctiſsimæ Virginis verba, ſimillima eſſe illis: *Adeſt tibi pauper iſte, fiat in me tua ſanctiſſima voluntas?* In his puriſsimæ Virginis vocibus radiat humilitas, dum ſe Domini ancillam confitetur. Vnde ait D. Bernard. ſerm. 4. ſuper Miſſus eſt: *Quæ eſt iſta ſublimis humilitas, quæ honori cedere neſcit, inſoleſcere gloria non novit. Dei Mater eligitur, & ancillam ſe nominat.* Reſplenduit etiam reſignatio ibi: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* Eòque inquit Theophilact: *Tabula ſum pictoria, pingat pictor, quod voluerit.* His ergo verbis, quæ ſolùm actum humilitatis, & reſignationis continere videntur, profundiſsimè oravit Sanctiſsima Dei Mater. *Hæc vox (fiat) tum conſentientis, & aſſenſum Angelo ad verbi cõceptionem præbentis eſt. Tum optantis, deſiderantis, orantis, & obſecrantis, vt Meſſias incarnaretur.* Ait graviſsimus Cornelius cum Auguſt. Bernard. Ambroſio, Euthymio, & Beda.

Emicuerunt in illa oratione Beatiſsimæ Virginis plures aliæ virtutes, & prima omnium aſsignatur fides à N. Sylveira. q. 57. vbi inquirit: *Quæ virtutes ſe manifeſtaverint in conſenſu Beatiſſimæ Virginis?* Et ſimiliter Albertus Magn. fidem Deiparæ in oratione illa emicuiſſe, docet: Ergo ſtat bene, quòd anima humilis, & conformis Deum, quietè, & pacificè contempletur, & quòd in illa ſua oratione plures virtutes exerceat, & taliter, quòd illud virtutum exercitium quietem contemplationis non perturbet.

Eandem veritatem docet David Pſalm. 72. dicens: *Ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum.* Quæ verba ſic paraphraſat eruditus Leblanc: *Ex hac terrenarum mutabilitatis contemplatione, tuaque ſumma poteſtate in redigendis ad nihilum ſummis hominum divitijs, & honoribus in vnius amorem exarſi, & delicias omnes, ac voluptates contempſi::: Vilis inſtar iumenti, quod omnem in partem agitur, omnique onere premitur tecum eſſe ſtatui, tibique ad omnes vſus inſervire.* Et titulus articuli, in quo hæc exponit, iſte eſt: *Vitæ vnitivæ initium, ac virtutes in eo neceſſariæ.*

Adeſt ſublimis contemplatio ex conſideratione mutabilitatis mundialium nacta, in qua contemplans corde inflammato ſuam humilitatem, & reſignationem confitetur; quin per hoc aliæ virtutes excludantur. Videatur citatus author, qui pluribus hoc ipſum oſtendit. Vnde per hoc, quòd in illa orationis norma, quam Barambius impugnat ſolius humilitatis, & reſignationis mentio fiat, non propterea aliæ virtutes amandantur.

82. Dices ex Barambio num. 39. in fin. ſi qui præſens adeſt Deo humilis, & conformis tot virtutes exercet, illa oratio non eſt motivum, vt potiùs dicatur fidei, quàm ſpei, aut Charitatis, ſed non dicitur oratio Charitatis, aut ſpei: Ergo nec fidei.

Reſpondetur: hoc iam eſſe concedere *orationem fidei*, ac de ipſius nomine diſputare: quod nomen proprijſsimum eſt, tum propter dicta, tum etiam quia D. Paulus ad Roman. cap. 5. Licèt ſpes, & Charitas ad iuſtificationem concurrant, ſolius fidei meminit: Quod ideo fuit; quia fides iuſtificat, *vt radix, & fundamentum iuſtificationis*, pro vt docet Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. & Canon. 9. Proptereàque fides dicitur, & eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum*: quia licèt accidens ſit, eſt veluti aliorum ſuæ claſsis ſubſtantia; eò quòd eorum fundamentum, ac radix eſt. Quæ ſimili ratione contemplationi applicanda ſunt.

83. Ad confirmationem ex num. 71. relictam reſpondetur, falſiſsimum eſſe antecedens: & quia Barambius illud non probat, haud proſequimur. Monemus tamen, P. Suarez, alioſque Theologos affirmare, peccare, cenſuramque mereri, qui ſuam ſententiam, vt tueatur, oppoſitam probabilem, vt dignam cenſura, ferit. Si autem doctrina noſtra ſit probabilis, nè dicam certa hactenùs dicta

dicta demonstrant. Nec imputandum nostræ veritati est, quod illam fervidus hic impugnator non intelligat. Recole supradicta, & miraberis veritatem fingentis *orationem fidei* esse novum figmentum contra id, quod Sancti P.P. Theologique docuere.

Quæ excusasset vnum Gersonem, præter alios laudatos, si vidisset. Hic enim gravissimus, expertissimusque vir sic ad rem præsentem loquitur: Per quadraginta annos, & plus laboravi, sudavi litteris multum vacans, legens, orans, quietisque horis orationis meditationem exercens: & nihilominus rem nullam inveni magis proficuam, & efficacem ad obtinendam mysticam Sapientiam, quàm quòd spiritus ad pedes Domini effundatur, veluti puer indigens, & ignorans, qui eleemosinam petit ad ianuas Divinæ Sapientiæ, & Misericordiæ, vbi mendicitas spiritualis primum locum habet in sinceritate fidei.

Hactenus egregius iste Doctor, cuius verba requirere debes à Medula mystica tract. 4. cap. 6. num. 22. est nè figmentum novum, nullo modo inter Catholicos admittendum, qualitercumque explicetur *oratio fidei*? Est ne otiosus, & nihil agens, qui dicto modo sistitur coram Domino? Linguam cohibe, & nè Doctorem adeò resolutum agas, in his, quæ prorsus ignoras.

84. Arguitur 3. Barambius, innumera inconvenientia proponens, quæ ex hac *fidei oratione* sequuntur: illa enim est animæ præcipitium, vt testantur hominum multitudines, quæ diversis temporibus à sacro fidei senatu vapularunt. Ex ijs plures laudabiliter per viam spiritus incedebant; sed ad manus *orationis fidei* devenientes bonis omnibus spoliati miserabiliter perierunt. Quæ mala, vt, quantum posset, à Christiana republica arceret hic fidei Catholicæ strenuus pugil, publicas conclusiones defendere in Matritensi curia meditatus est. Sed ij, qui ex adverso erant, timentes Barambij ictus totam suam industriam, vt meditatum certamen lucem publicam non videret, collocarunt: quod, proh dolor! assecuti sunt. Videatur dicto discurs. 21. cap. 44. num. 28. & 29. tragœdiam istam deplorans.

Ex quibus deducuntur duo, *orationem fidei* eliminandam esse simùl, & valdè efficacitèr suadentia. Primum est ruina, quæ ex hac *fidei oratione* paratur animabus: secundum est, quòd talis orationis propugnatores ambulant in tenebris, lucemque renuunt; siquidem suæ illius orationis rationem palam dare, recusant.

Si Barambius mysticos libros legisset, non talia crocitaret; sed iam explosa videret. Totum hoc suum aereum argumentum solvit celebris Mysta in sua Lucerna Mystica ad ianuam ipsius, videlicet in prologo num. 28. vbi gravissimi Authoris authoritatem adducens, sic fatur: *Nostram igitur concludimus sententiam cum ea, quam quædam sacra insula Hispaniæ circa prædictam orationem, & activam contemplationem protulit*: (sequuntur illius insulæ verba) *hæc pessima intelligentia* orationis fidei, nullum debet vitium inferre solido, & catholico exercitio contemplationis, & veræ fidei orationis, quia cognita zizania, maiori cum æstimatione manet triticum ad escam. Temporibus quippe Zenonis Imperatoris fuerunt hæretici vocati Pacificantes, vt refert Evagrius: nec propterea infectum fuit nomen eorum, qui pacem veram in Ecclesia Sancta introducunt. Tempore etiam Sancti Vincentij Ferr ad annum scilicet 1400. orta fuit hæresis flagellantium, vt refert Bernard. de Lucemburg: nec ex inde destitit Vincentius laudabilem, & pœnitentem cerimoniam in publicis Ecclesiæ processionibus, tam in maiori hebdomada, quàm in cæteris missionibus Apostolicis; cùm veritatem disiunxisset ab errore, illæsa remanente pœnitentia devota, & exemplari. Error Flagellantium erat affirmare, neminem posse salvari absque imitatione Christi in hac cruenta flagellatione: & adversus hunc errorem prædicans Vincentius conservavit, quod bonum habebat illa

pœni-

pœnitens mortificatio. Tandem fuerunt hæretici, qui B. Virginem Mariam, tanquam Deum colebant, teſte Epiphanio. Quem exceſſum contraxit Eccleſia ad adorationem hyperduliæ, quæ valdè cedit in beneficium animarum. Ergo licèt perfidus Molinos ſuam perfidam orationem mentalem vocet orationem fidei, & contemplationem acquiſitam; non videtur vitiandam eſſe per ſuum peſtilentem anhelitum veram orationem fidei, *quæ in optima, & catholica intelligentia exercetur. Hactenus ille* (ait Lucerna Myſtica) *qui nihil amplius nobis dicendum reliquit.*

Nec nos habemus, quid addere valeamus: dictis enim corruit totum argumentum Barambij toties in illis ſuis diſcurſibus reproductum, & ſemper infœliciſimè. Et ſanè, ſi res omnes, quibus abutuntur mali, malæ forent, vbi inveniretur bonum? Plura alia, adducit locis citatis, ſed quæ nec minimam difficultatem contineant: Vnde illa omittimus.

DISPUTATIO OCTAVA.

De quidditate Divinæ Contemplationis.

POſt *an eſt* contemplationis divinæ, de quo diſp. præcedenti egimus, recto ordine ſequitur agere de ipſius quidditate, & natura. Circa quod plurima diſputare poſſemus; illa tamen ad locum magis proprium reſervamus, ea ſolummodò in hac diſputatione attingentes, quæ ad illam directè ſpectant, nec alibi poſſent ſimili commoditate verſari. Vndè in præſenti agendum nobis eſt de definitionibus vtriuſque contemplationis activæ ſcilicet, & paſsivæ: quia diffinitio eſt, quæ rei naturam oſtendit; Et quia diviſio etiam rei quidditatem manifeſtat, nonnulla ſimiliter de diviſione contemplationis in activam, & paſſivam, ſeu, quod idem eſt in acquiſitam, & infuſam dicemus. De alijs etiam agemus, vt progreſſus demonſtrabit. Præterita omnia, & ſi ſummè difficilia in ſe; relatè tamen ad futura, quæ iam apparere incipiunt, ſummè facilia videntur. Hactenùs in littore fuimus, vbi arduum non eſt agere Proretam. Sed iam ingredimur altitudinem maris, vbi nihil eſt, niſi pontus, & æther, nubibus hic tumidus, fluctibus ille minax. Vnde in præſenti potiori iure debemus recurrere ad Patrem luminum, vt ſuam nobis ſapientiam concedat, quo aliqua de hac arcana ſapientia dicere valeamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit Divina Contemplatio?

SEmper quòd quid eſt rei, eius definitio nobis aperit. Vnde cùm in præſenti quidditatem Divinæ contemplationis veſtigamus, diffinitiones ipſius adducemus. Et loquimur de vtraque contemplatione, activa videlicet, & paſsiva.

§. I. *Aſſignatur propria diffinitio contemplationis activæ.*

1. VArias definitiones contemplationis activæ trahunt D.D. aliquas multoties in ſuperioribus adduximus; modò tamen videndum eſt, quas ex illis omnibus magis placeat. Et in primis ſunt, qui ita talem contemplationem definiunt ex D. Thom.

2. 2. q. 180. art. 3. *Est simplex intuitus veritatis.* Quam definitionem aptè naturam contemplationis acquisitæ declarare, ostendere videntur ea omnia, quæ Angelicus Doctor ante, & post illa verba docuit.

2. Verùm non deest, qui illos Mystas, qui modo dicto contemplationem definiunt, audacter carpat, dicens talem definitionem non esse Angelici Præceptoris. Huius animositas, præterquamquòd iam pretium stultitiæ tulit, ipsa textus lectione retunditur. Quippe Doctor Sanctus loco citato in corpore sic loquitur: *Hæc autē differentia est inter hominem, & Angelum, vt patet per Dionysium 7. cap. de Divin. Nominib. quòd Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur. Homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis.* Ex quibus, alijsque, quæ ibidem tradit, clarissimè constat, contemplationem Divinam ex mente D. Thom. esse simplicem intuitum veritatis, in quem homo pervenit medio præcedenti processu ex multis. Angelus autem sine tali processu ex multis, sed simplici apprehensione. Vnde mystici tradita definitione vtentes recte procedere, dicendum est.

3. Magis apparenter posset quis objicere, inibi D. Thomam definijsse contemplationem abstrahentem à Philosophica, & Evangelica. Siquidem in adducta definitione non est verbum, quòd contemplationis philosophicæ non sit proprium: atque adeo non potest illa definitio aptari contemplationi Evangelicæ, provt condistinctæ à Philosophica: vnde non benè contemplationem Evangelicam definiunt, qui illa definitione vtuntur.

Objectio hæc duo petit. Primum est, an loco citato definiat D. Thom. contemplationem Evangelicam? An vero contemplationem abstrahentem ab Evangelica, & Philosophica? Secundum est, supposito, quòd contemplationem Evangelicam definiat, an definitio sit bona?

Ad primum videtur posse responderi pro sic definientibus contemplationem, inibi D. Thomam contemplationem Evāgelicam definijsse, quod sequenti discursu videtur ostendi: Etenim D. Thomas illam ibi contemplationem definit, de qua ibi loquitur: ibi loquitur de contēplatione Evangelica: Ergo Evangelicam contemplationem definit. Consequentia formalis est; & maior negari non debet: Minor autem constat ex tota illa quæstione, in qua patet D. Thomam locutum de contemplatione, quæ constituit vitam contemplativam, quæ secundùm D. Gregorium in art. 1. adductum est: *charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, & soli desiderio conditoris inhærere.* Loquitur de contemplatione, quæ ex eodem Gregorio ad 2. citato: *calcatis omnibus, ad videndum faciem sui creatoris inardescit.* Loquitur de contemplatione, ad quam dispositivè pertinent virtutes morales, vt dicitur art. 2. in corpore. Et ad primum asserit, quòd *dilectio Dei, & proximi requiritur ad vitam contemplativam.* Loquitur de contemplatione, ad quam pertinent *oratio, lectio, & meditatio,* vt asserit art. 3. ad 4. Ex quibus omnibus, plurimis prætermissis, constat fundari in Angelico Præceptore opinionem eorum, qui modo tradito contemplationem activam definiunt. Ea enim, quæ ex Angelico Doctore relata sunt, conveniunt contemplationi Evangelicæ, & nullatenus possunt Philosophicæ convenire.

4. Ad secundum dicimus: datam definitionem non deesse fundamentum, vt asseratur rectam esse: ad quod suadendum sat est ipsa D. Angelici relata authoritas. Præterquamquòd ratio etiam aliqualiter suffragatur: quia verba illa *simplex intuitus veritatis* non sumenda sunt absolutè, & secundùm amplitudinem totius significationis. Sic enim nec actum intellectus determinatè significant: quia *intuitus* ex se latius patet, quàm linea intellectiva: siquidem visus corporeus, & etiam sensus interni vident: propterea quæ dantur visiones externæ, & imaginariæ sicut intellectuales. Vnde sicut ly *intui-*

tus

tus determinatur per ly *veritatis* ad ſignificandum actum intellectus, cuius ſolius eſt veritatem intueri : Et per ly *ſimplex* excludit actum compoſitivum, & diſcurſivum, ſic per ly *veritatis*, quæ iuxta ſubjectam materiam ſignat veritatem primam practicè, & affectivè, ſeu ex motione fervida charitatis attactam, ab ipſaque deguſtatam, determinatur potentialitas, ſeu amplitudo illorum verborum *ſimplex intuitus* ad ſignificandum pro contemplatione Evangelica, ita vt minimè poſsit Philoſophicæ convenire.

5. Confirmatur hoc idem : quoniam contemplatio Gentilica, ſeu Philoſophica non ſic dicitur, quia ſolis Gentilibus, aut Philoſophis conveniat; convenit etiam Theologo Scholaſtico ſublimia de Divinis ſpeculante; ſedqui ſuam illam ſpeculationem ad inflammandam voluntatem non dirigit, vtî benè obſervavit noſtra DiſceptatioMyſtica tract. 2. q. 3. art. 1. n. 3. illa ergo contemplatio non qualitercumque reſpicit veritatem; ſed veritatem primam reſpicit tanquam objectum primarium : hæc enim ſola eſt primarium objectum Theologiæ Scholaſticæ, vt modo ſuppono ex 1. p. q. 1. Rogo nunc: in hac definitione *ſimplex intuitus veritatis*, quæ per te convenit contemplationi illius Scholaſtici mere ſpeculativi, quis cogit, vt ly *veritatis* determinatè ſignet primam veritatem, ſeu Deum, non ſolum, vt Authorem naturæ, ſed etiam vt Authorem gratiæ? Nihil aliud propriùs dicere valebis, niſi quòd Theologus ille procedit ex principij fidei ſupernaturalis; atque adeo ex acceptis â fide facultas eius conſurgit ad attingendam primam veritatem ſupernaturalem; licèt, quia ad voluntatem movendam non terminatur, nomen Evangelicæ contemplationis non meretur. Aſt ex hoc quòd præſupponitur procedere ex acceptis à fide, plane ly *veritatis* non quamcumque veritatem, ſed primam, & ad ordinem ſupernaturalem ſpectantem ſignat. Hac igitur facultate, qua tu limitas illam particulam *veritatis* ad primam ſupernaturalem veritatem, limitant illi fundati in data authoritate D. Thomæ illã ipſam particulam, vt non quomodocumque primam veritatem ſupernaturalem ſignet, ſed illam ex inflammatione, & guſtu voluntatis attactam. Qualiter non attingitur per Theologiam merè ſpeculativam, ſed per myſticam: nec per contemplationem Philoſophicam, ſed per Evangelicam.

Vis ne vim huius confirmationis altius penetrare? audi : procedere ex acceptis à fide ſat eſt per te, vt illa particula *veritatis* ſignet primam veritatem, non qualiter à Philoſophis Gentilibus attingitur; ſed provt ſpectat ad ordinem ſupernaturalem : Ergo procedere ex acceptis à fide donis Spiritus Sancti illuſtrata, & ex affectuoſa motione charitatis, terminarique ad augendam ipſam charitatem, ſat erit, vt illa particula *veritatis* ſignet primam ſupernaturalem veritatem, vt attingibilem per contemplationem Evangelicam. Conſequentia videtur nota à paritate. Nunc ergo ſubſumitur ſic: ſed D. Thom. loquitur de *ſimplici intuitu veritatis*, qui non ſolùm procedit ex acceptis per fidem ſupernaturalem, ſed etiam eſt ex affectuoſa motione charitatis, ad quam augendam terminatur: Ergo ſi primum ſufficit, vt ſignetur prima veritas, provt eſt objectum Theologiæ Scholaſticæ; pariter ſufficit & ſecundum, vt ſignificetur prima veritas, provt eſt objectum Theologiæ Myſticæ. Minor ſubſumpta, in qua poterat eſſe difficultas, vel ſola textus lectione ſuadetur. Videatur Angelicus Doctor tota illa quæſtione, vbi pluries repetit, contemplationem, de qua loquitur incipere in affectu, & ad ipſum terminari.

6. Ad hæc : iſta definitio *ſimplex intuitus veritatis*, quæ eſt propria contemplationis abſtrahentis à Philoſophica, & Evangelica; convenit etiam contemplationi determinatè Philoſophicæ. Quare ergo convenit? Quia non eſt vna definitio, ſed duæ. Illa verba, pro vt dicunt *ſimplicem intuitum veritatis* abſtrahentem à modis determinatis, permittentemque contrahi per determinatas

minatas differentias attingendi primam veritatem ex ijs solùm, quæ fides docet, vel vltra hoc, ex fervida motione charitatis, continent definitionem contemplationis abstrahentis ab Evangelica, & Philosophica. Ast, vt determinatè dicunt intuitum simplicem veritatis merè speculativum, continent definitionem contemplationis philosophicæ, nec iam provt sic possunt contemplationi abstrahenti convenire. Eadem ergo facultate, qua tu hoc dicis, dicunt & isti, data verba non continere duas solùm diffinitiones, sed tres. De duabus iam est facta mentio. Tertia autem est, cùm simplex intuitus veritatis determinatè procedit non solùm ex principijs fidei; sed etiam ex motione affectuosa charitatis. Sic enim accepta illa definitio diversa est omninò à duabus alijs, nec alteri, quàm contemplationi Evangelicæ convenire potest.

7. Hæc, licèt ita sint, definivimus in nostra Isagoge contemplationem Evangelicam vnicum verbum addentes. Modò autem, vt claritate posibili procedamus, sic contemplationem Evangelicam acquisitam definimus: *est simplex intuitus Divinæ veritatis nostræ industria comparatus.* Sic quoad substantiam mystici D.D. licèt non omnes hisce verbis vtantur. Videatur noster Philippus p. 2. tract. 1. art. 5. Probatur hæc nostra assertio explicando singulas datæ diffinitionis particulas. Dicitur 1. contemplatio acquisita *intuitus*, in quo convenit cum visione externa, & sensuum internorum; hæ quippe etiam *intuitus* sunt. Ab ijs tamen differt per illã particulã *veritatis*: quia cũ verba in definitione debeãt sumi in sẽsu rigoroso, & formali; ideo ly *veritatis* limitat ly *intuitus*, vt solummodò significet pro visione, cuius formale objectum est veritas, quod de solo intuitu intellectuali verificari potest: veritas enim nullius potentiæ, præterquam intellectivæ, objectum est. Insuper per illam ipsam particulam *veritatis* differt actus contemplationis à simplici apprehensione intellectus: Quoniam simplex apprehensio non attingit veritatem, vt formaliter veritas est, sicut ex mysticis observat nostrum Directorium tract. 3. sect. 2. & ex Dialect. & Metaphys. plures, vt sunt Magister Parra, Froylan, Prado, & alij, de quo infra fusè agemus, cùm de actu, in quo contemplatio consistat, sermo sit.

Vltra hoc per illam particulam *simplex* differt contemplatio ab omni actu intellectus, qui simplex non sit, vt sunt actus iudicij componentis, ac dividentis, & etiam actus discursus. Per illam particulam *Divinæ* differt contemplatio Evangelica à Philosophica; hæc enim, licèt sit *simplex intuitus veritatis*, non tamen *Divinæ*, quæ particula accipienda est in sensu omnino formali, vt supra dicebamus de omnibus, quæ in diffinitionibus ponuntur. Vnde sicut ly *veritatis* signat veritatem, quæ, vt veritas formaliter est, cognoscatur, secundùm prius dicta; sic etiam ly *Divinæ* signat veritatem Divinam, vt propriè, ac rigorosè Divina est: qualiter est origo, terminus que totius boni nostri ad quamcumque lineam pertinentis.

Quod tunc vividè exprimit, cùm charitas ipsius diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui in suis donis nobis datur, estque finis vltimus, in quem nos dirigunt ipsa charitas, & dona. Sicque penitùs differt contemplatio Evangelica à Philosophica, quæ planè Divina non attingit ob amorem Divinorum. Adhuc tamen contemplatio Evangelica acquisita non habet per quid differat ab infusa: ab illa tamen discriminatur per subsequentes particulas, videlicet *nostra industria comparatus.* Quippe contemplatio infusa non comparatur nostra industria, nec possumus quamquàm velimus, illam habere; sed est ex mera liberalitate donantis.

8. Ex dictis constat traditam definitionem esse rectam, egregièque *quid est* contemplationis acquisitæ declarare. Etenim illa est recta diffinitio, quidditativa, quæ naturam diffiniti ostendit per proprium eius genus, & differentiam, servatque regulas bonæ dif-

diffinitionis: Sic eſt diffinitio tradita; ſiquidem per proprium genus, & differentiam contemplationis acquiſitæ eius naturam manifeſtat, ſervatque regulas omnes bonæ definitionis: Ergo eſt bona. Conſequentia bona eſt, & maior patet, minorque conſtabit cuivis, quæ hactenus diximus, ſi conſideret.

§. II. *Solvuntur aliquot argumenta.*

9. CONtra omnes particulas datæ diffinitionis non contemnenda argumenta ſunt; quorum enodatione quidditas contemplationis activæ clariùs cognoſcetur. Igitur arguitur 1. contra illam particulam *intuitus*: Quoniam hæc particula habet rationem generis in definitione contemplationis activæ, per quam convenit cum alijs viſionibus, nempe cum externa, & imaginaria: Ergo ly *intuitus* non limitatur ad intuitionem intellectualem. Antecedens conſtat, & conſequentia probatur: quia ſi limitatur ad ſolam intuitionem intellectualem, non erit intuitus ille ratio generica ad intuitum externum, & imaginarium.

Si dicas: ly *intuitus* eſſe de ſe rationem genericam ad omnes illos intuitus, aſt per differentiam conſtitutivam contemplationis contrahi eius amplitudinem, limitarique, vt ſolummodò intuitum intellectualem ſignificet. Quod in omnibus alijs diffinitionibus evenire, nemo ambigit.

10. Sed contra, & arguitur 2. habens viſiones externas, aut imaginarias, altiſsimè contemplatur: Ergo intuitus contemplationis non limitatur ad intuitum intellectualem. Antecedens eſt omninò certum. Quis enim negabit, quòd cùm miſericors Deus cum anima deſponſatur, eſt hæc in ſublimiſsima contemplatione? Et tamen hæc felix anima habet tunc viſionem imaginariam Sacratiſsimæ humanitatis dulciſsimi ſponſi ſui, ac mundi reparatoris, vtî docet expertiſsima Thereſia manſ. 7. cap. 2. per hæc verba: *Cum primò Deus hoc favore* (de ſponſalitio loquitur) *animam honorat, vult ipſi animæ exhiberi per viſionem imaginariam ſuæ Sacratiſsimæ humanitatis.* Deinde conſequentia videtur nota; quia ſi cum viſione imaginaria addeſt altiſsima illa contemplatio, ſignum eſt, quòd contemplatio non eſt intuitus ſolummodò intellectualis.

Reſpondetur argumento: Primò ſolutione inter arguendum data, quæ optima eſt: nec illam debilitat argumentum ſecundum, cui reſpondetur, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam. Quia aliud eſt, quòd habens viſionem imaginariam v. g. contempletur, aliud verò, quòd contemplatio ſit ipſa viſio imaginaria. Contemplatio eſt actus conſtitutivus vitæ contemplativæ, ſine quo hæc dari nequit. Quæ tamen datur de facto ſine illis viſionibus, ſive externæ ſint: ſive imaginariæ, aut intellectuales. Ipſa viſio v. g. imaginaria, cognitio quidem eſt, vtî conſtat ex eius diffinitione, quam ex D. Thom. ſuper 1. Iſai. cap. afferunt Diſceptatio Myſtica tract. q. 1. art. 2. & alij: Cæterum alia eſt cognitio terminata ad corpus, quod exterius videtur; ſeu ad imaginem, quæ imaginationi repræſentatur; ſeu etiam ad ipſam veritatem, quæ intellectui proponitur: & aliud eſt intuitus ipſe veritatis Divinæ, cui, ſicut, & vitæ contemplativæ, omnino accidentales ſunt illi alij intuitus, ſeu viſiones. Iſtæ infuſæ prorſus ſunt; quia ſi noſtra induſtria habentur, iam non ſunt favores, ſed falaciæ: Contemplatio autem, de qua modò loquimur, noſtra induſtria acquiſita eſt, ſed nec cum contemplatione infuſa idem ſunt; quia illi etiã ſunt omnino accidentales: Evenit quippe in his viſionibus, quod in alijs favoribus Divinis: quia anima raptum v. g. patiens altiſsimè contemplatur: raptus autem ipſe contemplatio formaliter non eſt. Sic ergo in caſu præſenti.

Per quæ ſolutum manet aliud argumentum, quod contra eandem particulam *intuitus* fieri poterat: ſcilicet, quòd ſi contemplatio eſt intuitus, ſeu viſio intellectualis, ſpectabit quidem

ad

ad illam claſſem viſionum intellectualium, quas myſtici ponunt, vt membrum, illudque nobilius, dividens viſionem, vt ſic; quæ communiter dividitur in illa tria viſionum genera, quæ inſinuavimus.

Hoc, inquam, ſolutum manet ex dictis, quia contemplatio licèt viſio ſit, non eſt viſio aliqua ex ijs tribus, quæ quidem nullatenus conſtituunt virum contemplativum: ſine illis enim viſionibus intellectualibus manet vita contemplativa in ſua ſubſtantia, & perfectione: vnde non poteſt ſpectare ad illas viſiones intuitus contemplationis, provt de illo loquimur; Videatur noſter Philippus part. 3. tract. 1. art. 5. Vbi ait dictas omnes viſiones non eſſe gradus orationis, ſed quædam circunſtantiæ contemplationem concomitantes, à quibus denodandas eſſe animas docet Extaticus noſter Doctor lib. 2. aſcenſ. cap. 10.

11. Arguitur 3. contra illam particulam *ſimplex*: Quoniam contemplatio eſt actus intellectus, vt ratio eſt: ergo non eſt intuitus *ſimplex*, ſed diſcurſivus. Patet iſta: quia intellectus, vt ratio, diſcurſivus eſt; & antecedens probatur: Quia contemplatio eſt actus intellectus ſecundùm id, a quo homo dicitur homo: ſed homo dicitur homo à ratione, ſeu diſcurſu, per quem differt ab omni ente, quod homo non eſt: ergo contemplatio eſt actus intellectus, vt ratio eſt.

Confirmatur: quia contemplatio eſt id, per quod divina cognoſcuntur: ergo eſt intuitus diſcurſivus. Antecedens eſt certum, & conſequentia probatur: Motus diſcurſivus eſt venire in cognitionem vnius ex alterius cognitione: ſed ita cognoſcuntur à nobis Divina; quia *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, Ex ad Rom. 1: ergo.

Ad argumentum reſpondet D. Thom. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 2. quæſtiũc. 2. *Ad primum igitur dicendum, quòd homo, in quantum eſt contemplativus, eſt aliquid ſupra hominem; quia in intellectus ſimplici viſione continuatur homo ſuperioribus ſubſtantijs, quæ intelligentiæ, vel angeli dicuntur: ſicut animalia continuantur hominibus in vi æſtimativa, quæ eſt ſupremum in eis, ſecundùm quam aliquia ſimile operibus rationis operantur.* Vide argumentum ſolutum: vide vitæ cõtemplativæ perfectionem: vide contemplativorum fœlicitatem. Ad confirmationem. Reſpõdet ibi idem Ang. Doct. ſic: *Ad ſecundum dicendum, quòd quamvis creaturæ viſibiles ſint via deveniendi in contemplationem Divinorum; tamen in hac via non conſiſtit principaliter contemplatio, ſed in termino viæ, vt dictum eſt.*

12. Arguitur 4: Contemplatio eſt conſideratio: ſed conſideratio, quamvis ſit intuitus intellectualis, non eſt ſimplex: ergo contemplatio non eſt ſimplex intuitus. Conſequentia bona eſt, & minor, præterquamquod eſt de ſe nota, eſt expreſſa D. Bernardi adducti à D. Thom. præcitato in argumento 1. *Sed contra*, vbi ait, *quòd conſideratio ad inquiſitionem magis ſe habet.* Maior autem probatur ex Philoſopho 3. de anim. dicente: (vt teſtatur idem D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 3. ad 1.) *Omnis operatio intellectus conſideratio dicitur*: ergo contemplatio conſideratio eſt.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem: eſt *conſideratio*, ſi *conſideratio* ſumatur in latiſsima quadam ſignificatione, concedo: ſi ſumatur in rigoroſa, & propria ſui ſignificatione, nego maiorem. Ad cuius probationem dicas: Philoſophum aſſerere omnem operationem intellectus dici conſiderationem, ſumpta conſideratione, in ſignificatione nimiùm ampla, & impropria, quatenus per omnem ſuam operationem conſiderat, ſeu advertit intellectus ad id, quod cognoſcit: & provt ſic ipſa meditatio *conſideratio* eſt; cùm motus meditationis valdè diſtet à pacifico contemplationis otio. *Conſideratio* autem in ſui propria ſignificatione inquiſitionem veritatis ſignificat, provt D. Bernard. nos docuit: & hoc modo ſumpta *conſideratio*, multùm à contemplatione diſtat, quæ eſt intuitio veritatis iam inventæ.

Contra

13. Contra illam particulam *veritatis* argumenta ſunt, ſed quæ commodiùs infra enodabimus, cùm de actu, in quo contemplatio conſiſtat, diſputemus: vnde contra illud complexum *Divinæ veritatis* arguitur 5: quoniam contemplatio non ſolùm eſt intuitus veritatis Divinæ, ſed aliarum veritatum etiam, quæ Divinæ non ſunt: ergo ly *Divinæ veritatis* malè ponitur in diffinitione contemplationis Divinæ. Conſequentia certa eſt, & antecedens probatur: quia quævis veritas, quæ eſt perfectiva intellectus, eſt objectum Divinæ contemplationis: non ſolùm veritas Divina, ſed etiam veritates creatæ ſunt perfectivæ intellectus: ergo.

Reſpondetur, quòd veritas Divina eſt objectum primarium Divinæ contemplationis, per ordinem ad quam definitur; quin per hoc excludantur veritates creatæ, qua abſdubio contemplatio Divina attingit: non tamen diffinitur per ordinem ad illas; quia pertinent ad objectum ſecundarium, attinguntur que per ordinem ad Deum, & non aliter à contemplatione, dicente D. Thoma 1. p. q. 1. art. 7. *Omnia pertractantur in ſacra doctrina ſub ratione Dei, vel quia ſunt ipſe Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, vt ad principium, & finem.* Videantur, quæ fuſè diximus tom. 1. diſp. 1. per plures quæſtiones præſertim quæſt. 6.

14. Contra vltimam particulam *noſtra induſtria comparatus* ſolummodò occurrit, quòd ſi noſtra induſtria compararetur contemplatio, nemo ab eius exercitio excluderetur: quod falſum eſſe inde conſtat; quia multi ad hoc ſacrum exercitium non admittuntur, vt multoties in ſuperioribus in hoc tomo, & præcedenti dictum eſt: ſicut etiam multoties diximus, quòd etiam illi, qui ad contemplationem admittuntur, aliquando contemplari non poſſunt; tuncque ad meditationem recurrendum illis eſſe tradidimus: quæ ſanè pugnant cum hoc, quòd contemplatio induſtria noſtra habeatur: ſi namque noſtra induſtria haberetur, ſemper quòd voluntas adeſſet, contemplaremur.

Accedit: Quòd etiam ſi noſtra induſtria haberetur contemplatio, ſemper tamen ad illam habendam requiritur gratiæ auxilium, quod in tradita definitione non explicatur. Vnde ex hac etiam parte nutat, vt potè diminutè procedens.

Reſpondetur de hoc argumento actum iam, agendumque à nobis eſſe: vnde in præſenti ſolummodò dicimus: aliud eſſe contemplationem noſtra induſtria comparari, aliud verò pro libito noſtro exerceri. Comparatur quidem propria induſtria, quia quoties contemplationem activam habemus, vires noſtras ad illam exercendam applicamus, ſine quibus nullatenus haberetur. Non tamen habetur pro habentis libito, vt conſtat ex ijs, quæ verè in argumento dicuntur. Quæ ideo ſic eveniunt, vt ex eo, quòd non omnes contemplativi ſint, pulchritudo ex illa varietate conſurgens habeatur: dùm per viam ſpiritus alij ſedentes ſecus pedes Domini, contemplativi gradiuntur; alij verò ſolicita pietate erga plurima occupati regna ſyderea conſcendunt.

Inſimulque ipſi contemplativi non ſemper contemplationem exercent. Tum quia qui paulò ante meditabantur, non poſſunt extemplò meditationem penitùs derelinquere, attenta rerum providentia, quam Deus, diſponens omnia ſuaviter, indemnem ſervare vult. Tum etiam, quia licet contemplatio ſit fœlicitas, eſt fœlicitas huius vitæ: eoque ſapere debet vitæ huius conditiones; quò circa non poteſt in eodem ſtatu invariabili permanere: quare, vt hæ viciſſitudines ſine animæ diſpendio ſuppleantur, recurrunt vel viri perfectiſsimi ad meditationem, non valentes tunc temporis contemplari. Ex quo patet aliud eſſe propria induſtria contemplari, qui contemplantur; aliud verò, quòd pro libito ſuo contemplentur.

Exemplum: qui Eccleſiam ingreditur propria induſtria, hoc eſt, paſsibus, ac ſolicitudine proprijs; ſed non

pro

pro ſuo, ſed pro libito januam reſerantis ingreditur. Quia ſi clauſa eſt janua, quamquam velit, vireſque ad ingrediendum, quod ſupponimus, habeat, non intrabit. Similiter in noſtro caſu dicendum eſt. Quantum eſt ex parte eorum, quæ requiruntur ad contemplationem, omnes contemplari valent, & ſua induſtria contemplantur; ſi janua huius gratiæ ipſi reſeretur: quod non ſemper evenit, propter dicta. Vireſque illas, quas habent ad contemplandum, habere ex auxilio gratiæ, nemo ambigere poteſt; cùm contemplatio actus adeò Divinus ſit: immo Diviniſsimus, vt eam appellat D. Dionyſius lib. de Divin. Nominib. cap. 7. §. *præterea*, vbi ait: *Eſt rurſus Diviniſſima Dei cognitio, &c.* Vnde non debet addi in diffinitione contemplationis, quòd ſit ex auxilio gratiæ, niſi à volentibus tot verba in definitionibus, quot poſſunt contra illas argumenta fieri. Præterquamquòd ex illa voce *Divinæ* in data definitione poſita, ſatis conſtat, ad contemplationem activam opus eſſe gratia.

§. III. *Proponitur diffinitio contemplationis infuſæ.*

15. SIcut Myſtici D. D. varias definitiones pro contemplatione acquiſita aſsignant; ſic etiam diverſas cudunt pro contemplatione infuſa iam ſub nomine contemplationis, iam ſub Theologiæ Myſticæ nomine de illa agentes. Illos imitati ſumus in præcedentibus diverſimodè hanc contemplationem declarantes. Modò autem, quia definitionem, quæ magis placeat, reguliſque Scholaſticis, quas ex munere ſequimur, aptior ſit, tempus eſt, vt ſtatuamus, ſic contemplationem infuſam definimus: *Eſt ſimplex intuitus Divinæ veritatis à principio ſupernaturali procedens.* Ita noſter Philippus contemplationem hanc definit part. 2. tract. 3. diſcurſ. 1. art. 1. quam ipſam definitionem cum ipſo Authore tradidimus tom. 1. lib. 4. num. 27.

16. Bonitas huius diffinitionis breviter oſtenditur; & in primis illa verba *ſimplex intuitus veritatis Divinæ* affatim conſtant ex dictis duobus §§. præcedentibus, vbi ſermo fuit de contemplatione activa, cum qua in illis convenit infuſa, quæ etiam eſt ſimplex intuitus veritatis Divinæ. Vnde quicquid pro eorum expenſione, ac defenſione ibi dicta relinquimus, hîc pro infuſa contemplatione dicta, intelligenda ſunt.

17. Differt tamen contemplatio infuſa ab activa per clauſulam ſubſequentem, ſcilicet, *à principio ſupernaturali procedens.* Quippe contemplatio infuſa petit principium ſupernaturale, non qualitercumque; ſed formaliter, & immediatè influens; Quod ſic probatur: Etenim actus contemplationis infuſæ eſt intrinſecè, & entitativè ſupernaturalis, vt poſteà diſſeremus. ergo principium illam eliciens ſupernaturale eſt. Patet iſta: Quia principium, quod intrinſecè ſupernaturale non ſit, non poteſt elicere actum intrinſecè ſupernaturalem.

18. Confirmatur; Contemplatio paſsiva eſt actus per ſe infuſus: ergo eius principium per ſe infuſum eſt. Ergo eſt intrinſecè ſupernaturale. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima; quia vel ſupernaturale, & infuſum coincidunt, juxta à nobis dicta cum noſtris Salmanticenſibus, tom. 1. diſp. 1. num. 191. vel, ſi non coincidunt, priùs eſt, quòd principium ſit ſupernaturale, quàm quòd infuſum ſit. Vnde licèt, juxta hunc dicendi modum non valeat; *eſt ſupernaturale: ergo & infuſum*; è contra autem bene valet. Prima verò conſequentia ex antecedenti nota eſt: nec aliter haberet actus infuſus, vnde infuſus diceretur, ſi eius elicitivum principium non eſſet per ſe infuſum. Vide quæ tradidimus loco citato à n. 199. vſque ad 203. Quamobrèm per hoc, quòd contemplatio infuſa à principio ſupernaturali ſit, in ſuo eſſe conſtituitur, & ab activa contemplatione diſcriminatur.

19. Dices: Quod contemplatio paſsiva ſit à principio ſupernaturali, non poteſt eſſe ratio diſtinctiva ipſius à con-

contemplatione acquiſita: ergo in definitione contemplationis infuſæ poni debet diſtinctivum ipſius ab acquiſita contemplatione. Probatur antecedens: quia principium elicitivum contemplationis infuſæ eſt eius cauſa efficiens: ſed cauſa efficiens contemplationem non poteſt eſſe principium diſtinctivum eiuſdem contemplationis: ergo. Probatur minor; quia cauſa efficiens, & etiam ordo ad ipſam eſt quid omnino extrinſecum relatè ad contemplationis actum; ſicut generaliter extrinſecus eſt ordo, quem quilibet actus dicit ad ſuam cauſam efficientem: vnde videmus, eundem hominem produci ab homine, & poſſe creari à Deo; eundem ignem ab igne, & à Sole generari poſſe, & ſic de alijs: ſed ratio diſtinctiva contemplationis infuſæ debet eſſe ei intrinſeca: ergo cauſa efficiens, nec ordo illam poſſunt contemplationem infuſam ſecernere ab acquiſita.

20. Reſpondetur cum noſtris Salmant. in arbore virtutum num. 8. quorum verba dedimus tom. 1 diſp. 1. num. 214. & cum Magiſtro Ioanne à S. Thoma 1. 2. quæſt. 68. diſp. 18. nu. 9. Principium elicitivum contemplationis infuſæ non eſſe purè efficiens, ſed habere etiam rationem regulantis, & menſurantis. Et principium effectivum habens rationem regulæ, ac menſuræ eſt ratio diſtinctiva actus, quem producit: vnde cùm dicitur, quòd contemplationis infuſæ actus procedit à principio ſupernaturali, intelligitur principium regulans, & menſurans ipſum actum: hoc eſt, principium procedens ſupra menſuram rationis, & contemplationem ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti eliciens. Quapropter diſcrimen inter vtramque contemplationem planet conſtat ex earum diffinitionibus, provt à Doctoribus traditis, & acceptis; quandoquidem contemplatio actiua eſt ſecundùm regulas rationes, atque adeò non ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti; ſed ex communibus gratiæ auxilijs noſtra induſtria comparatur, & hoc eſt, quod eius diffinitio manifeſtat. Aſt contemplatio infuſa procedit ex motione ſpeciali Spiritus Sancti; ideoque ſupra regulas rationis, quod explicatur in eius definitione, per hoc, quòd dicitur: *à principio ſupernaturali procedens.* Ex hoc ergo menſurante, ac regulante ſuam ſpeciem habet dicta contemplatio; quippe reſpectus ad ſuam regulam, & menſuram non eſt actui menſurato extrinſecus, ſed intraneus, & eſſentialis. Per quod patet ad exempla incontrarium adducta. Ignis enim v. g. & Sol ignem generantes, vel Deus illum producens, non habent rationem regulantis, ac menſurantis relatè ad ignem productum. Vnde nil mirum, quòd ordo ille extrinſecus ſit, & quòd non poſsit ignis productus ſpeciem ab illo habere.

21. Præter dicta, quæ abſdubio objectionem ſolvunt, poteris, ſi placuerit, reſpondere juxta ea, quæ diximus tom. antecedenti diſp. 1. q. 4. à n. 68. Per quæ penitùs diſſolvitur illa objectio, circa quod non ſemel in ſubſequentibus locuturi ſumus; eòque nihil addimus modò.

22. Ex dictis in hac quæſtione colliges; tradictas definitiones eſſe eſſentiales. Quod inde patet: quia tales definitiones declarant naturam ſuorum definitorum per ipſorum proprium genus, & differentiam: quiaque definitio ſic procedens eſſentialis eſt; propterea definitiones illæ ſunt eſſentiales. Nec contra hoc eſt aliquod argumentum, quod non valeat ſine difficultate ſolvi, tum ex dictis, tum etiam ex regulis, quas pro diffinitionibus accidentium tradunt communiter Doctores.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm diviſio contemplationis Divinæ eſſentialis, & adæquata ſit?

CElebrem diviſionem contemplationis in acquiſitam, & infuſam, ſeu, quod idem prorſùs eſt, in activam, & paſsivam, tradunt paſsim DD. Myſtici: nec parum ad earum naturam dignoſcendam conducere judicamus, ſi, quæ titulus repræſentat, diſputemus.

§. I. *Duplex aſſertio pro veritate ſtabilienda.*

23. PRima concluſio: *Diviſio Divinæ contemplationis in acquiſitam, & infuſam eſſentialis eſt.* Sic ſupponunt Myſtæ omnes ex D. Thom. in 3. diſt. 34. q. 1. art. 2. de quo inter alios videri poteſt noſter Philippus p. 2. ſuæ Theologiæ Myſticæ tract. 1. art. 2. Probaturque concluſio ſic: Contemplatio acquiſita, infuſaque, licèt conveniant in ratione contemplationis, quam propriè participant, differunt prorſùs in rationibus contrahentibus generalem contemplationis conceptum: ergo eſſentialis eſt diviſio contemplationis in acquiſitam, & infuſam. Conſequentia patet, & antecedens probatur; quia differentia propria contemplationis acquiſitæ eſt *quòd ſit noſtra induſtria comparata*; differentia verò contemplationis infuſæ eſt, quòd à nobis non comparetur, ſed à Deo nobis infundatur: At iſtæ duæ rationes ſunt inter ſe omnino differentes, vt de ſe patet: ergo licèt conveniant in conceptu illo vniverſali contemplationis, differunt tamen ſecundùm rationes illum contrahentes.

24. Confirmatur: ratio conſtitutiva contemplationis acquiſitæ repugnat ab intrinſeco contemplationi infuſæ, & è contra: ergo diverſæ ab intrinſeco ſunt tales contemplationes. Probatur antecedens ſic: Quòd contemplatio infuſa ſit noſtra induſtria comparata, ab intrinſeco repugnat contemplationi infuſæ; ſicut & quòd non ſit noſtra induſtria comparata repugnat contemplationi acquiſitæ: ſed ratio conſtitutiva contemplationis acquiſitæ eſt, quòd noſtra induſtria comparetur, & ratio conſtitutiva contemplationis infuſæ eſt, quòd non comparetur noſtra induſtria, vt patet ex earum definitionibus eſſentialibus, quas dedimus quæſtione antecedenti: ergo tenet antecedens, quod iterum

25. Probatur ſic: Procedere juxta regulas rationis repugnat contemplationi infuſæ, & procedere ſupra illas repugnat contemplationi acquiſitæ: ſed hæ ſunt rationes conſtitutivæ harum contemplationum: Ergo verum eſt illud antecedens. Quod denique ſic probatur: Procedere ex communi auxilio gratiæ repugnat contemplationi infuſæ, ſicut & procedere ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti repugnat contemplationi acquiſitæ: ſed hæ ſunt harum contemplationum rationes conſtitutivæ, vt modò ſupponimus: Ergo ratio conſtitutiva contemplationis acquiſitæ repugnat contemplationi infuſæ, & è contra.

26. Secunda concluſio: *Diviſio contemplationis in acquiſitã, & infuſam eſt adæquata.* Sic etiam ſentiunt omnes Myſtici communiter: Probatur ergo aſſertio hoc vnico diſcurſu: Etenim diviſum in hac diviſione eſt contemplatio Evangelica: ſed Evangelica contemplatio adæquatè dividitur in acquiſitam, & infuſam: ergo diviſio contemplationis in acquiſitam, & infuſam eſt adæquata. Probatur minor; quia contemplatio Evangelica non poteſt aliter procedere, niſi vel ſecundùm regulam, & menſuram rationis, aut ſupra rationis

nis regulas : ſed prima eſt contemplatio acquiſita, ſecunda verò infuſa: ergo contemplatio Evangelica adæquatè dividitur in acquiſitam, & infuſam.

27. Confirmatur, ſeu potiùs aperitur vis rationis factæ. Etenim ſi illa diviſio non foret adæquata, eſſet vel quia daretur aliqua cõtemplatio Evanlica, quæ non procederet juxta regulas rationis, nec ſupra illas ; vel quia ſic procedens poteſt conſtituere diverſum dividens à contemplatione infuſa, & acquiſita; nec aliter poteſt intelligi inadæquatio huius diviſionis : conſequens eſt falſum : Ergo, &c. Probatur minor pro prima parte ; quia procedere juxta regulas rationis, eſt procedere modo proprio ipſius contemplantis ſecundùm omnium intelligentiam; juxta quam etiam procedere juxta regulas rationis, eſt procedere juxta modum non proprium, ac connaturalem contemplantis: ſed non eſt alius modus, quo contemplatio Evangelica procedat, niſi vel juxta modum proprium, & connaturalem contemplantis, aut juxta modum non proprium, & connaturalem ipſius: ergo.

Pro 2. parte probatur etiam ipſa minor; quia ſuppoſito, quòd contemplatio vno ex dictis modis procedat, iam pertinet ad vnum ex illis duobus dividentibus ; atque adeo licèt poſsit ſub aliqua conſideratione atoma ab alijs diſcriminari, ſemper tamen eſt vel acquiſita, vel infuſa juxta modum, quo procedit. Vnde nunquam poterit aſsignari Evangelica contemplatio, quæ non ſpectet ad aliquod ex aſsignatis extremis: eòque tradita diviſio adæquata eſt.

§. II. *Reſpondetur argumentis contra vtramque concluſionem.*

28. CONtra 1. concluſionem, in qua oſtendimus, contemplationem activam, paſsivamque eſſe ad invicem oppoſitas. Arguitur 1. Eo modo dividitur contemplatio in acquiſitam, & infuſam, ſicut virtus moralis ad contemplationem diſponens dividitur in politicam, purgatoriam, & purgati animi: ſed hæc diviſio virtutis moralis non fit per differentias oppoſitas, ſeu quod idem eſt, quæ faciant dividentia eſſentialiter inter ſe differre: ergo diviſio contemplationis in acquiſitam, & infuſam non eſt per differentias oppoſitas, ſed eiuſdem entitatis in diverſos modos. Minor patet ex ijs, quæ diximus tom. 1. lib. 1. num. 150, & 151. Maior autem probatur; nam idem iudicium ferendum eſt de contemplatione, ac virtutibus ad ipſam diſponentibus: ſed virtutes morales diſponunt ad contemplationem ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 180. art. 2. ergo.

29. Confirmatur : quia contemplatio, qua homo ſe tradit Deo quantùm poteſt, eſt contemplatio omnium perfectior, atque adeò eſt infuſa : ſed contemplatio hæc non differt eſſentialiter ab acquiſita: Ergo inter has contemplationes non adeſt differentia eſſentialis. Maior videtur nota ; quia ſi alia perfectior contemplatio daretur, iam in illa minùs perfecta non ſe traderet homo Deo quantùm poteſt. Et minor probatur : Illa contemplatio eſt propria Proficientium: ergo eſt acquiſita. Patet iſta; quia, vt in pluribus locis diximus, contemplatio acquiſita eſt exercitium Proficientium. Antecedens autem probatur; quia virtus ſpectans ad Proficientes, cuique eorum contemplatio aſſociatur, eſt virtus purgatoria, ſicut politica pertinet ad incipientes, & purgati animi ad Perfectos : ſed virtus purgatoria ea eſt, in qua homo ſe tradit ad Divina quantùm poteſt ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 61. art. 5. in corpore: ergo dicta contemplatio eſt propria Proficientium.

30. Reſpondetur argumento negando maiorem. Vt enim ex Caietano diximus num. 151. citato, diviſio illa non eſt virtutis *ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm ſtatum, & actus perfectionis*: diviſio autem contemplationis non eſt ſecundùm perfectionem actus, immo nec poteſt; quia ſunt ſpecies diverſæ, quæ non dividuntur penes ſtatum, aut

actus perfectionem, sed secundùm specificas differentias. Quòd si paritas inter nostras contemplationes, & illas virtutes servari debet in earum divisione, dic: quòd si ratio virtutis communis ad politicas, purgatorias, & purgati animi, inter quas sunt aliæ acquisitæ, infusæ aliæ, dividatur in virtutem acquisitam, & infusam; tunc virtutes infusæ, quæ in illa divisione inveniuntur, differūt essentialiter ab acquisitis: si autem divisio sit eiusdem virtutis in seipsam, secundùm quod politica, purgatoria, aut purgati animi est, qualiter eam dividit D. Thom. loco citato in argumento, tunc divisio est accidentalis, seu secundùm diversos gradus, seu status. Quod idem in nostris contemplationibus invenitur: siquidem dum contemplatio Evangelica dividitur in acquisitam, & infusam, divisio est essentialis, vt probavimus: ast si eadem contemplatio, sive acquisita, sive infusa dividitur secundùm statum, seu graduum differentiam, quos vnaquæque habet, divisio accidentalis est. Sed de hac in præsenti non loquimur; quia non comparamus eandem entitatem contemplationis cum diversis gradibus, sibi convenientibus; sed loquimur de duabus speciebus contemplationis, ex quibus vna acquisita est, infusa alia.

31. Ad confirmationem respondetur, quòd hoc, quod est hominem se tradere Divinis, seu se ad Divina tradere quantum potest, stat dupliciter. Primòquidem, vt sit quantum propria industria potest. Secundò ex instinctu speciali Spiritus Sancti: Primum facit homo media virtute purgatoria, & contemplatione acquisita. Secundum autem facit media virtute purgati animi, ac contemplatione infusa: si autem hominem se trahere ad Divina quantum potest, intelligatur secundo modo, vera est maior, sed falsa minor: Si vero intelligatur primo modo, minor est vera, sed maior falsa. Vnde nihil contra nos sequitur.

32. Arguitur 2: Eo modo differt contemplatio acquisita ab infusa, sicut virtus communiter dicta differt ab heroica: sed inter virtutem communiter dictam, heroicamque non datur diversitas specifica: ergo nec inter dictas contemplationes. Minor patet ex ijs, quæ diximus tom. 1. disp. 1. num. 213. & 214. Maior autem probatur: eò illæ virtutes accidentaliter differunt, quia habent idem objectum formale, licèt cum maiori perfectione attactum ab heroica, quàm ab alia: Sed contemplatio acquisita habet idem objectum formale, ac infusa immo eandem rationem *sub qua*, vt fusè dictum à nobis est loco citato tota quæst. 5: ergo non differunt essentialiter.

33. Confirmatur: Quia hæ duæ contemplationes eosdem effectus habent, cum sola illa differentia maioris vel minoris eorum perfectionis: ergo non datur inter illas differentia essentialis. Patet ista; quia si essentialiter differrent, neutiquam eosdem effectus habere possent. Et antecedens probatur: quia vtraque animam à terrenis separat, Deoque coniungit: vtraque easdem Divinas veritates intuetur; & in eodem medio, siquidem vtraque intuetur divinas illas veritates in creaturis, ac in sacris litteris, quæ omnia apud Mystas communia sunt: ergo.

34. Confirmatur 2. Meditatio, quam exercent incipientes, non differt essentialiter à meditatione Proficientium, & Perfectorum, sed solùm penes maiorem status perfectionem: ergo similiter de dictis contemplationibus. Probatur consequentia: Eò enim illæ meditationes non differunt, quia earum objectum est idem: ergo cùm, vt dictum est, idem sit objectum vtriusque contemplationis: eadem indistinctio essentialis verificari debet.

35. Respondetur argumento: Virtutem heroicam posse sumi dupliciter. Primò provt est idem cum virtute, quæ divina dicitur, estque infusa. Secundò, provt dicit virtutem excellentissimam, sed intra lineam virtutis acquisitæ. Vtrunque docuit D. Thom. primum 1. 2. q. 34. art. 3. in fin. corp. vbi ait: *Virtus humana, quæ disponit ad actum convenientem naturæ humanæ,*

næ, distinguitur à divina virtute, vel heroica, quæ disponit ad actum conuenientem cuidam superiori naturæ. Quæ distinctio est specifica, quia ibi Angelicus Doctor intellixit per virtutē heroicam, virtutem infusam, ac per virtutem humanam acquisitam, vtì docent nostri Salmant. tract. 12. in animadversionib. ad art. 5. 1. 2. q. 6. vbi n. 6. dicunt. *Ad 2. ex D. Thom. respondetur, per virtutem humanam intellixisse acquisitam, per heroicam verò infusam, vtì constat ex contextu, & ideò distinxit eas essentialiter.*

Docuit etiam idem Ang. Doct. secundum 3. p. q. 7. art. 2. ad 2. vbi ait: *Habitus heroicus, vel divinus non differt à virtute communiter dicta, nisi secundùm perfectiorem modum.* Hacque ipsa acceptione sumpsimus virtutem heroicam loco adducto in argumento. Ex quibus ad argumentum dicimus; quòd si virtus heroica sumitur primo modo vera est maior, sed minor falsa est. Si autem secundo modo accipiatur, neganda est maior; ad cuius probationem dic, quòd illæ virtutes modo dicto sumptæ non differunt accidentaliter, sed essentialiter, quæ diversitas, vltra alia, provenit ab objectis formaliter diversis. Qualiter differre objectum contemplationis acquisitæ ab objecto contemplationis infusæ, nulli dubium esse potest: cùm ex motione adeò diversa procedant, nedum in esse motionis, & efficientis; verùm etiam in esse principij regulantis juxta dicta num. 20. cum nostris Salmanticensibus adductis tom. 1. disp. 1. q. 8. numeris in argumento citatis; & quæ ibi dicta sunt, videri debent, nè eadem repetamus. Reducuntur tamen ad hoc, quòd virtus heroica secundo modo ex duobus dictis sumpta (qualiter de illa tunc loquebamur, estque propria frequens illius consideratio) tantùm materialiter differt à virtute communiter dicta; quia non petit procedere ex altiori motione regulativa, quàm sit illa, ex qua virtus cōmuniter dicta procedit. Principium autem elicitivum contemplationis infusæ petit procedere ex illa sublimi motione. Vnde non solùm differt à virtute communiter dicta, sed etiam à virtute heroica. Quibus ad argumentum factum patet solutio.

36. Dices: Intra ambitum cuiuslibet virtutis sive moralis, sive Theologicæ dantur opera adeò extraordinaria, vt non possint fieri sine speciali motione Spiritus Sancti: & tamen ista opera fiunt ab ipsis virtutibus procedentibus juxta mensuram rationis: ergo, quòd contemplatio infusa non sit, nisi ex speciali instinctu Spiritus Sancti, non arguit principium elicitivum ipsius fore entitativè diversum à principio contemplationis acquisitæ: ergo hæ tantùm differunt, vt actus magis, vel minùs perfectus eiusdem virtutis. Maiorem authores probare solent diversis Sanctorum exemplis: Nos autem vnico probamus, in quo omnium virtutum Sacer chorus emicuit. Istud nobis dedit SS. Mater nostra Theresia, quæ pene mundo nata, & iam ad stupenda proclivis, in Africam properabat, vt vitam nuper sibi donatam creditori suo proprio cruore tinctam redonaret. In quo Spiritus Sancti motione Sanctissimam puellulam ductam, neminem suspicor negaturum. Et tamen extraordinarium hoc opus virtutibus iam tunc in cœlo cœlestis illius animæ fulgurantibus, adscribitur.

Respondetur: hanc objectionem, pluresque alias, quæ hìc fieri possunt, sine fructu laborare. Quia illa egregia opera fiunt quidem ex speciali motione Spiritus Sancti. Ast motio illa duplex est. Prima est specialis specialitate modi; secunda autē est specialis specialitate rei: liceat his terminis vti, vt rem penitùs aperiamus. Motio specialis specialitate modi est, quæ licèt extraordinaria sit, & valde sublimis intra lineam virtutis juxta modum humanum procedentis, hunc tamen modum non transcendit. Motio specialis specialitate rei est, quæ modum humanum operandi superat, & altiori mensura regulatur. Nunc ergo dicimus, quòd SS. Theresia in illo mirabili exemplo, & quotquot sic mirè operantur, motione

ne vtique ſpeciali ducuntur. An autem hæc motio ſit ſpecialis ſpecialitate modi? An autem ſit ſpecialis ſpecialitate rei? Tuæ diſcuſsioni relinquimus. Quodcumque enim aſſeras, noſtram reſolutionem non impugnas.

37. Nec omittendum duximus Seraphicam Thereſiam in caſu adducto ex motione ſpecialiſsima donorum Spiritus Sancti, quæ ſuperat omnes rationis regulas, proceſsiſſe; ſicque mirandum illud opus patraſſe. Dicta enim dona virtutes Theologicas illuſtrarunt, Fidem donum intellectus, & ſcientiæ, Spem donum timoris, & donum ſapientiæ Charitatem. Aliaque dona virtutes morales ſibi correſpondentes elevavère ad opus tam irregulare per puellam pene non adhuc ratiocinantem, aggrediendum. Si autem idem dici debet de S. Apollonia ſe in rogum iaculantis, ac de Jamſone in aſini maxilla mille viros aggredientis: iam tuæ diſcretioni relictum à nobis eſt.

38. Ad 1. confirmationem reſpondetur: contemplationem activam, paſsivamque in pluribus convenire; in pluribus tamen differre, quæ ſine ſpeciali diſcrimine inter ipſas verificari non poſſent. Differunt quidem primò ex parte moventis, vt hactenus oſtenſum eſt. Differunt 2. ex parte principij; quia principium formale elicitivum contemplationis infuſæ, eſt donum Spiritus Sancti, aut ſuperius aliud, vel etiam ipſum lumen gloriæ; quod contemplationi acquiſitæ convenire non poteſt. Differunt 3. ex parte ſpecierum ad ipſas deſervientium; quia ſpecies deſervientes contemplationi acquiſitæ non ſolùm ſunt naturales quoad entitatem, ſed etiam quoad modum; ſiquidem ſunt propria induſtria à phantaſmatibus abſtractæ, & modo connaturali ad contemplandum applicatæ. Aſt contemplatio infuſa vtitur ſpeciebus ſupernaturalibus, vel in entitate, vel in modo: ſive quia præexiſtentes modo ſupernaturali ordinantur, ſive quia de novo ſpecialiter infunduntur. De quo infra in hoc ipſo prædicabili agendum eſt.

Differunt 4. in modo attingendi ſuum objectum, quia contemplatio infuſa multò clariùs, perfectiùſque cognoſcit, quàm acquiſita; propterea quæ hæc ſolet à Sanctis dici ſpeculatio; illa verò abſolutè dicitur contemplatio. vti facit D. Bonavent. de ſept. itin. ætern. itin. 3. diſt. 3. vbi ait: *Quamvis contemplatio, & ſpeculatio pro invicem ſoleant poni, & in hoc ſæpe ſcripturæ ſententiæ proprietatem obnubilent, & involvant: apertius tamen, & expreſſiùs ſpeculationem dicimus, quando per ſpeculum cernimus; contemplationem verò quando veritatem ſine aliquo involucro, vmbrarumque velamine in ſui puritate videmus.* Et eſt idem, quod nos docuit D. Thom. in 3. diſt. 34. quæſt. 1. art. 2. dicens: *In his autem, quæ ſuper rationem ſunt, perficit fides, quæ eſt inſpectio divinorum in ſpeculo, & in ænigmate. Quod autem ſpiritualia quaſi nuda veritate capiuntur, ſupra humanum modum eſt, & hoc facit donum intellectus, qui de auditis per fidem mentem illuſtrat.* Quiaque contemplatio acquiſita ſemper per ænigmata procedit in ſpeculo ſuum objectum attingendo, propterea ſpeculatio dici ſolet. Quod infuſæ contemplationi convenire nullatenus valet, quia nuda veritate cœleſtia contemplatur; eoque ſemper contemplatio dicitur. De quo videri debet Hugo de S. Victore homil. 1. in Eccleſiaſtem proprijſsimè, ac profundiſsimè de hoc diſcrimine inter vtramque contemplationem agens. In alijs pluribus differunt dictæ contemplationes, quæ videri apud Myſticos poſſunt; dicta enim ſufficiunt, vt eſſe diſtinctas eſſentialiter, convincatur; quamquàm in aliquibus convenire demonſtretur.

39. Ad 2. confirmationem reſpondetur, quòd ſi daretur meditatio acquiſita, & infuſa, vtique eſſentialiter diverſas aſſereremus, ſicut de dictis contemplationibus dicimus. Nullus tamen meditationem infuſam meditatus eſt, nec poteſt; quia meditatio eſt actus veritatem inquirens. Vnde quantumvis perfecta ſit, debet eſſe actus procedens juxta modum meditantis:

cò

eòque infusus esse non potest. Nec illud de obiecto aliquid probat, vt patet ex dictis: quia si daretur meditatio infusa, licèt acquisita idem obiectum attingeret, non possent non differre essentialiter, propter diversitatem motionis regulantis, diversamque moralitatem refundentis.

40. Contra 2. conclusionem arguitur 1. ex Richard. Victor. lib. 5. cap. 2; vbi contemplationem Evangelicam triplicem esse clarissimè docet. Prima, quæ surgit ex nostra industria, & hæc est acquisita. Alia, quæ est ex sola gratia divina, & hæc est infusa. Tertia verò, quæ de illis duabus participat, & nec acquisita potest dici, nec infusa. Verba igitur Richard. subjicio: *Hos igitur contemplationis modos experiuntur, qui vsque ad summam eiusmodi gratiæ arcem sublimari merentur. Primus surgit ex industria humana: tertius ex sola gratia divina: medius autem ex vtriusque permixtione, humanæ videlicet industriæ, & gratiæ divinæ.*

Respondetur: nunquam Richard. aliam contemplationem essentialiter diversam ab acquisita, & infusa cognovisse. Siquidem cap. 1. præcedenti dixerat, nos in contemplatione proficere *aliquando ex sola gratia, aliquando ex adjuncta industria.* Vbi solùm duo illa contemplationum genera dari, cognoscit; quod explicat exemplo Moyses, & Beseleel, quorum primus arcam in monte, & nube sine vllo industriæ labore, ex sola Domini revelatione vidit. Secundus autem ipsam arcam proprio labore formavit. *In morem*, ait, *Moysis arcam Domini sine aliqua humana industria videmus, cùm ex sola Domini revelatione radium contemplationis accipimus; sed tunc quasi juxta Beseleel exemplum in idipsum, ex proprio opere proficimus, cùm in eandem gratiam nostro studio, & labore, arcam comparamus.*

Ad argumentum autem dicimus cum nostro Philippo part. 2. Theolog. Mystic. tract. 1. art. 2. ibi nullam mentionem à Richardo fieri contemplationis, quæ vel activa, vel passiva non sit. Contemplationem activam in illo primo gradu collocat. Contemplationem autem infusam in alijs duobus comprehendit. In primo gradu continetur contemplatio activa, quia hæc, vt supra definivimus, *nostra industria comparatur*; quod idem est, ac illam quærere proprio studio, & ipso repertam exercere cum adjutorio divinæ gratiæ. Sub alio duplici gradu comprehenditur contemplatio infusa; cuius duplex, quoad præsens, gradus est. Primus perfectissimus, qui dicitur *Theologia Mystica*, quam qui exercet, verè agit, sed adeò subtiliter, & arcanè, vt non agens, sed patiens divina dicitur à D. Dionysio. Secundus gradus, quamquàm infusus sit, ita illum exercens agit, vt eius operatio, gratiæque cooperatio de facili cognoscatur; propterèaque videtur procedere ex propria industria, & ex hac parte convenit cum contemplatione activa: eòque dicitur hæc contemplatio mediare inter activam, & passivam perfectissimam illam contemplationem, cùm re vera infusa sit, ac distincta essentialiter ab acquisita. Vide citatum nostrum Philippum.

41. Arguitur 2. Quia vel contemplatio acquisita est entitativè naturalis, vel supernaturalis; quicquid dicatur, arguit datam divisionem non esse adæquatam: ergo non est bona. Probatur minor pro secunda parte: quia si contemplatio acquisita, quam concedimus, est supernaturalis, remanet excluſa ab hac divisione contemplatio naturalis, quam dari, negari non potest, siquidem nullum fundamentum adest, vt mens humana præsuppositio lumine fidei, Deum virtuosè non contempletur. Si autem contemplatio, quam dicimus dividere contemplationem contra infusam, est naturalis, remanet contemplatio supernaturalis, in quam fidē influere docent communiter Mystici; atque adeò non recensentur omnia, quæ dividunt contemplationem; vnde divisio adæquata non est.

Hoc argumentum provocat nos ad certamen, quod sæpissimè recusavimus vsque ad tempus statutum; ide-

licet

licet vſque ad illud, in quo de principijs contemplationis agamus. Vnde in præſenti dicimus; quod diviſio noſtra comprehendit omnem Evangelicam contemplationem acquiſitam ex vna parte, & ex alia omnem contemplationem infuſam. Vnde cùm ex parte primi dividentis ponamus illam contemplationem Evangelicam, quæ modo humano habetur, & ex parte ſecundi dividentis omnem contemplationem infuſam, quæ eo ipſo fit ſupra modum humanum: fit conſequens, quòd ſi contemplatio fit ſupra modum humanum, etiam ſi ſit ipſa viſio beatifica, comprehenſa eſt ſub ſecundo dividente. Si autem contemplatio Evangelica fit juxta humanum modum, quæcumque illa ſit, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis aſſeratur, comprehenditur ſub primo dividente: quamquàm aliàs contemplationes ipſæ acquiſitæ inter ſe diſtinctæ eſſentialiter ſint: ſicut etiam beatifica viſio diverſa eſt eſſentialiter ab alijs contemplationibus infuſis fide regulatis. Ac de his pro nunc nihil amplius.

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm Divina contemplatio ſit vera actio de prædicamento actionis?

SIcut in duabus quæſtionibus præcedentibus naturam divinæ contemplationis acquiſitæ, & infuſæ ex earum diffinitione, ac diviſione venari conati ſumus; ſic modò earundem contemplationum quidditatem percipere optamus, illas in ſe ipſis conſiderantes. Quiaque divinus iſte actus Evangelicæ contemplationis, vtî ex hucuſque dictis conſtat, duo ſibi eſſentialia habet; primum, in quo convenit cum contemplatione Philoſophica. Secundum verò, in quo ab illa ſecernitur: optimè credimus naturam contemplationis diſquiri, dum quidditas illius, quod ipſi genus eſt, & etiam illius, quod rationem differentiæ habet, diſputatur. Primum facimus in hac quæſtione, vbi de eo, quod omni contemplationi convenit, loquimur: de eo quod proprium eſt contemplationis Evangelicæ acquiſitæ; & infuſæ poſtmodùm locuturi. Forſam præſentem quæſtionem impropriam huic noſtro operi Myſtico judicabis; cum adeò Scholaſtica ſit, imò & Metaphyſica, ſeu Philoſophica; qua propter de illa agunt, vt ſibi propria, tum Theologi Scholaſtici, tum Metaphyſici, tum Philoſophi: ergo Myſtico Theologo impropria eſt præſens controverſia. Reſpondeo tamen: quòd ſi omnibus illis licet hanc difficultatem verſare: quia vnuſquiſque habet aliquid, per quod ad ſuum inſtitutum aſſerat ſpectare; ſimiliter, & nos dicimus: quia plura habet difficultas hæc, per quæ noſtri Myſtici inſtituti propria ſit. Agit de illa Philoſophus; quia ſui muneris eſt de anima, de eius potentijs, ac de earum actibus tractare. Agit Metaphyſicus; quia in omne ens, veluti in proprium centrum dirigit mentem ſuam. Agit Scholaſticus, quia ſuum eſt, de ſpeciali quadam contemplatione, ſcilicet viſione beatifica, diſputare: ergo ſimiliter agat Myſticus, cuius abſdubio eſt de anima rationali, de ſenſibus externis, & internis, ac de animæ potentijs, harumque viribus, & actibus agere, vtî faciunt, noſque cum ipſis fecimus in Iſagoge lib. 1. per plures lectiones. Agat Myſticus, cuius, potiùs quàm Metaphyſici, eſt agere de omni ente, vt vidimus tom. 1. diſp. 1. q. 6. Agat denique Myſticus, qui non ſolùm agit de contẽplatione illa fœliciſsima, quæ Deum intuitivè contemplatur, ſed etiam de omni illa contemplatione, quæ in diviſione contemplationis Evangelicæ quæſtione præcedenti ſtatuta, continetur.

Hæc licèt gravia ſint non adeò

vrge-

vrgerent, vt præsentem controversiam attingerem, nisi hoc factum vidissem à Mysticis celeberrimis. Noster Philippus à SS. Trinitate in sua Mystica Theologia discursu procœmiali §. *vnde ad fundamentum* de hac difficultate agit. Similiter Noster Antonius à Spiritu S. in suo Mystic. direct. tract. 1. disp. 1. sect. 3. n. 43. hoc idem facit. Si dicas: eos Authores de hoc agere, vt cuidam objectioni respondeant, non autem disputando. Respondeo, quòd si solummodò disputarem, quæ à Mysticis DD. disputantur, nil penitùs disputarem. Vide, quæ diximus in Prolegom. à nu. 58. Habemus ergo propriam nostri muneris esse præsentem controversiam, ad cuius resolutionem accedamus oportet.

§. I. *Tituli brevissima explicatio, & duplex post eam stabilitur conclusio.*

43. IN quæstionis titulo duo inquirimus. Primum est, an contemplatio sit vera actio? An verò solùm grammaticaliter actio, seu operatio dicatur? Secundum est, an sit actio de prædicamento actionis? Et cùm apud omnes in confesso sit, contemplationem directè spectare, vel ad prædicamentum actionis, vel ad prædicamentum qualitatis; idem omnino est dicere, contemplationem non pertinere ad prædicamentum, v. g. qualitatis, ac asserere ipsam ad actionis prædicamentum spectare, & è contra. Quin opus habeamus diversas pro hoc conclusiones ponere. Est enim idem, quod ad vnum ex illis duobus prædicamentis non pertineat, ac quòd in alio collocetur.

44. Prima conclusio: *Divina contemplatio acquisita, & infusa est verè, ac propriè actio., seu operatio.* Assertio hæc est D. Thom. ac inter Theologos, & Philosophos communissima. Probatur 1. authoritate D. Thom. *de verit.* q. 8. art. 6. dicentis: *Dicendum, quòd duplex est actio: vna, quæ procedit ab agente in rem exteriorem, quam transmutat, & hæc est sicut illuminare: alia verò actio est, quæ non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius, & propriè dicitur operatio; & hæc est, sicut lucere. Actio autem appetitus, & sensus, & intellectus non est sicut actio progrediens in materiam exteriorem, sed sicut actio consistens in ipso agente, vt perfectio eius.* Vbi Angelicus Doctor celebrem illam divisionem actionis in immanentem, & transeuntem memorat, & de vtraque asserit, esse veram, & rigorosam actionem. Vnde cùm contemplatio nostra actio immanens sit, vera actio est, & non solùm grammaticaliter.

45. Dices 1. D. Thom. in allato testimonio docet, contemplationem, seu actionem immanentem dici propriè operationem: Ergo non est propriè actio. *Secundò* dices: Angelic. Doct. ait, quòd contemplatio est actio *sicut lucere*: sed *lucere* tantùm grammaticaliter actio est; ergo & contemplatio.

Hæc ab aliquibus objiciuntur satis inconsequenter; quia D. Thom. docet, quòd actio immanens *propriè dicitur operatio*, & immediatè subjungit, *& hæc est sicut lucere.* Modò interrogo: lucere est propriè operatio? Minimè: ergo stat, quòd contemplatio sit secundùm D. Thom. *propriè operatio*, cum illo exemplo, quo vtitur: *sicut lucere*: ergo similiter ex illo exemplo non habetur cõtemplationem non esse proprie actionem. ¶ Ad 1. ergo respondetur nomen *actio* ex sua proprijssima institutione impositum esse ad significandum actionem, quæ transit in rem exteriorem, quæ est idem, ac actio transiens: nomen autem *operatio* proprijssimè signat actionem illam superiorem, quæ simul est *fieri*, *& factum esse*, simul via, & terminus, qualis est actio immanens, de cuius conceptu non est terminum à se distinctum producere. Vnde D. Thom. vt penitus actionem immanentem à transeunte secerneret, non solùm ostendit diversitatem earum quoad id, in quo vnaquæque consistit; sed etiam quoad ipsarum

nomen: propterea àque dicit, quòd licèt vtraque verè actio sit ; tamen nomen *actio* proprium est actionis transeuntis: nomen vero *operatio* proprijssimum est actionis immanentis. Nec hoc tibi voluntarium apparebit, si consideres vltra dicta, quòd D. Thom. non dixit: *actio immanens propriè est operatio*: sed sic: *propriè dicitur operatio*; ita vt per ly, *dicitur*, ostenderet, se non negare, quòd illa actio propriè actio sit ; sed solùm de nomine ipsius esse dissidium. Ac si diceret: actio immanens verè, & propriè est actio ; sed non ita propriè nominatur : habet enim aliud nomen sibi proprium ; & hoc nomen est *operatio*.

Ad 2. objectionem respondetur, quod *lucere* dicit duo : primum est, quòd non procedit in rem exteriorem, sed manet in lucente. Secundum est nomen actionis, quod habet. Ex quibus illud primum dicit cum omni proprietate : secundum autem tantùm grammaticaliter dicit. D. Thomas comparat contemplationem cum *lucere* secundùm illud primum, quod dicit, non autem juxta illud secundum. Nec hoc debuit explicare D. Thomas; quia, cùm dixisset, quòd actio immanens *propriè dicitur operatio*, dictum erat, illud exemplum non adduci secundùm nomen actionis, quod tantùm grammaticaliter *lucere* convenit ; sed quia *non procedit in rem exteriorem*, sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius, in quo propriè convenit *lucere* cum actione immanenti, eratque, quod ibi aperire intendebat Angelicus Doctor.

46. Probatur 2. assertio nostra ratione gravissimis authoritatibus innixa : Etenim contemplatio Evangelica est verè vita actualis : ergo est verè actio : Antecedens patet ex illis verbis Christi Domini apud Joann. cap. 17. dicentis: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te*: Et consequentia probatur, quia contemplatio non est vita per modum principij viventis, aut per modum termini à se producti, sed per modum exercitij, quo vivens vivit, & movet se ; sed exercitium, per quod vivens vivit, & movet se, est vera actio: ergo contemplatio vera actio est. Maior, quoad primam partem, patet, quia cõtemplatio non est principium vivens per ipsam contemplationem; hoc enim est suppositum contemplationem eliciens. Deinde quoad secundam partem constat ipsa maior; tum quia contemplatio non petit de se terminum producere, vt patet in visione beata; tum quia contemplatio sub munere contemplationis productiva termini nunquam est; sed intuitiva termini priùs potentiæ contemplatrici conjuncti: tum denique, quia licèt sub munere dictionis terminum producat, implicat, quòd sit ipse terminus à se productus, vt de se constat. Resta ergo, quòd sit vita per modum exercitij principij viventis, & termini, iam potentiæ intimè vniti, contemplantis, & hæc est tertia pars illius maioris.

Probatur ergo minor. Exercitium agentis est vera actio: ergo exercitium viventis est verè actio vitalis, seu, quod idem est, est verè vita actualis. Antecedens est certum; aliàs nec actio transiens vera actio foret. Et consequentia probatur 1. Quia vivens, seu vitam actu exercens, est quoddam speciale agens: ergo sicut exercitium agentis est vera actio; sic exercitium agentis specialis est vera actio specialis; ac subinde exercitium vitam actu exercentis est vera actio vitalis. *Probatur* 2. illa consequentia; quia visio beata est verè vita actualis, seu actio vitæ: sed hoc habet, quia est exercitium viventis illa superna vita: ergo exercitium viventis est vera actio vitalis. Cætera constant & maior est expressa D. Thom. 1. 2. q 3. art. 2. vbi docet beatitudinem esse operationem.

Ad hæc: Contemplatio est verè actus secundus contemplantis, seu vitam contemplativam exercentis: ergo est propriè operatio. Antecedens est omnino certum, & consequentia probatur ex eodem laudato D. Thom. dicente: *Manifestum est autem, quòd operatio est vltimus actus operantis. Vnde, & actus secundus à Philosopho nominatur*

minatur in 2. de anima. Nam habens formam potest esse in potentia operans; sicut sciens est in potentia considerans. Et inde est, quòd in alijs rebus, res vnaquæque dicitur esse propter suam operationem, vt dicitur in secundo de cælo. Necesse est ergo beatitudinem hominis operationem esse. Videatur Ang. Doct. tota illa quæstione, vbi loquitur de beatitudine, tum perfecta, qualis est visio beatifica: tum imperfecta, qualis est contemplatio huius vitæ, semperque nomine actionis, & operationis illas nominat.

47. Secunda assertio: *Contemplatio Evangelica non pertinet ad prædicamentum actionis, sed ad prædicamentum qualitatis.* Resolutio hæc est contra Nostrum Philippum, Nostrumque directorium mysticum locis citatis n. 42. vbi planè asserunt contemplationem esse actionem de prædicamento actionis; quod consequenter ad sua principia docet citatus Philippus, qui in lib. de anima q. 44. art. 1. docet intellectionem directè pertinere ad prædicamentum actionis. Idem docent plures alij DD. tam intra, quàm extra Scholam D. Thom. quos adducunt nostri Complutens. lib. 3. de anim. disp. 20. q. 1. Nos autem, qui cum ijsdem Complutens. tenemus, intellectionem esse actionem de prædicamento qualitatis, id ipsum de contemplatione asserimus. Hoc etiam docetur communiter à nostris Thomistis, & ab alijs pluribus.

Probatur ergo assertio ex D. Thom. opusc. 47. cap. 7. vbi ait: *Intelligere, & sentire sunt actiones immanentes; quia dicunt actum intelligendi esse actum in intelligente, vel sentiente: hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis*: Ex quibus verbis hæc deducitur ratio: Contemplatio hominis ad aliquod prædicamentum debet directè pertinere: Ergo pertinet directè ad prædicamentum qualitatis. Antecedens certum est, & consequentia probatur: non potest contemplatio directè spectare nisi ad prædicamentum actionis, vel qualitatis, vt constat ex dictis num. 43. sed non pertinet directè ad prædicamentum actionis, vt nobis dixit S. Thom: Ergo directe pertinet ad prædicamentum qualitatis.

48. Probatur deinde conclusio sic. Actio pertinens directè ad prædicamentum actionis est actio, quæ fluit ab agente cum motu: Contemplatio non fluit ab agente cum motu: ergo non collocatur in prædicamento actionis. Probatur maior: Actio prædicamentalis subjectatur in motu, per illum que definitur; quippe talis actio *est motus provt ab agente*: sed actio, quæ in motu subjectatur, ac per illum definitur, fluit ab agente cum motu; non enim potest sine subjecto consistere: ergo. Hic discursus fundatur in doctrina D. Thom. in 1. dist. 8. q. 4. art. 3. vbi ait: *Dicendum, quòd actio, secundùm quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, & cum motu.* Vbi Ang. Doct. duo exprimit requiri, vt actio in prædicamento actionis collocetur. Primum est, quòd sit fluxus ab agente. Secundum est, quòd motui associetur. Licèt enim detur actio, quæ realiter fluat ab agente, si tamen sine motu fluat, actio prædicamentalis non erit. Vnde contemplatio quamvis realiter à contemplante fluat, non est actio prædicamentalis, quia sine motu fluit.

49. Hic discursus, qui intentum planè convincit, non placet nostro Philippo, & ad testimonium D. Thom. super quod fundatur inquit: Ang. Doct. in illis verbis, *& cum motu*, non loqui de motu propriè dicto, & provt est actus imperfecti, diffiniturque à Philosopho 3. Physic. per hoc quòd sit *actus entis in potentia, secundùm quod in potentia*: sed loqui etiam de motu, qui est actus perfecti; quem motum in contemplante inveniri certum est: omnis enim actio immanens mutatio quædam est, & motus communiter dictus. Vnde infert, quòd ex dicto testimonio sequitur, contemplationem inter actiones prædicamentales accensendam esse.

Confirmat hic Author D. Thom, debere intelligi, provt ab ipso explicatur, ex ijs, quæ immediatè annectit illis verbis; ait enim: *Sed in Deo non est*

aliquid medium ſecundùm rem inter ipſum, & opus ſuum, & ideò non dicitur agens actione, quæ eſt prædicamentum. Sed actio ſua eſt ſubſtantia. Vbi nihil medium *ſecundùm rem* cadere inter Deum, & opus ſuum docet Sanctus, per quod non ſolùm excluditur actio tranſiens, quæ cum motu propriè dicto fit; ſed etiam excluditur actio immanens, quæ fit cum mutatione. Vnde de vtraque ſermo eſt in dicto textu.

Reſpondetur D. Thom. non poſſe intelligi, niſi de motu propriè dicto; & ratio eſt: quia quævis actio, etiam ſi ſit perfectiſsima contemplatio, fluit ab agente, & mutatio eſt, ſeu motus perfecti, ſed non quævis actio fluit ab agente, & eſt motus imperfecti. Vnde, vt oſtenderet D. Thom. ſe loqui de actione prædicamentali, addidit ly, *& cum motu.* Quod ſanè; ſi ob hoc non fieret, ſuperfluum foret. Quia quòd illa actio fiat cum mutatione, ex hoc, quòd ſit fluxus ab agente, convenit cuicumque actioni; atque adeò non erat neceſſarium, imò ſuperfluum foret addere, *& cum motu.*

Sed quare D. Thom. loquitur de actione prædicamentali; ſi quævis actio, etiam ſi prædicamentalis non ſit, non mediat ſecũdùm rem inter Deum, & opus ſuum? Reſpondetur: Angelic. Doct. in art. 2. illius quæſtionis docere, Deum non collocari in prædicamento ſubſtantiæ. Poſteà in dicto art. 3. quærit: *Vtrùm alia prædicamenta de Deo dicantur?* Reſolutio eſt negativa, contra quam efformat argumenta, quæ Deum ad prædicamenta plura ſpectare, ſuadere conantur. Primum argumentum agit de quantitate, & qualitate; de quibus etiam agit 2. In 4. agitur de relatione. A quibus omnibus Deum excludit. Tertium autem argumentum loquitur de actione in hunc modum: *Deus eſt primum agens: ergo in eo actio præcipuè invenitur.* Actio de qua hîc ſermo eſt, non eſt actio attinens ad prædicamentum qualitatis, ad quod iam dixerat non pertinere; ſed loquitur de actione, quæ ad prædicamentum actionis ſpectat. Propterea que, vt de ipſa actione, de qua argumentum procedebat, loqueretur, dirigit ſolutionem ad ipſam actionem prædicamẽtalem, quæ non ſolùm eſt fluxus ab agente; ſed eſt *cum motu.* Quam actionem docet in Deo non reperiri. In quo etiam non reperitur illa alia, quæ ſine motu mediat ſecundùm rem inter agens, & opus ſuum: aſt de hac ibi non loquitur, quia ex duplici argumento præcedenti iam conſtabat in Deo non reperiri; ſi namque reperiretur, non poſſet non ſpectare ad prædicamentum qualitatis, in quo juxta ſententiam eiuſdem Ang. Præcept. actio illa, quæ fit ſine motu, collocatur, vt conſtat ex num. 47.

§. II. *Argumenta aſſertiones impugnantia ſolvuntur.*

50. CONtra 1. concluſionem arguitur 1. Quia viri contemplativi dicuntur divina patientes, cùm contemplantur. De quibus intelligunt communiter Myſtici dictum illud D. Pauli, *qui Spiritu Dei aguntur.* Ob quæ non nulli ex SS. PP. docent, contemplationem ſublimem eſſe ab extrinſeco. Ex quibus, quæ omnibus pervia ſunt, hoc conficitur argumentum; qui ſublimem contemplationem exercent, non agunt, *ſed patiuntur*; & *ſpiritu Dei aguntur*: ergo iſtorum contemplatio non eſt propriè actio. Probatur conſequentia: nam patientis influxus non eſt agere, ſed pati: Ergo eius cauſalitas eſt paſsio, & non actio, niſi valde impropriè.

Reſpondetur negando antecedens: Illi enim contemplativi aguntur, & agunt. Aguntur quidem; quia lumen ſupernaturale recipiunt, quo contemplantur. Aguntur, quia ſpeciali Spiritus Sancti motione vocantur, vt eius ſpecialem inſtinctum ſequentes, occulta Sapientiæ Divinæ intueantur. Vnde verificatur, quòd *ſpiritu Dei aguntur*, & ſimul, eius ductum ſequentes, agant; Quod egregiè tradidit Auguſt. lib. de correct. & grat. cap. 2. dicens: *Intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſe ſpiritu Dei agi, vt, quod agendum eſt, agant; & cùm egerint,*

egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: Aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant. Idem docet Doct. Sanct. sermon 3. de verb. Apost. cuius doctrinam, immò & verba exscripsit Venerab. Beda ad illum Pauli locum, vbi ait: *Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo: Immo & agis, & ageris, & tunc bene agis, si à bono ageris: Spiritus enim Dei, qui te agit, agenti adjutor est tibi.*

Huius doctrinæ rationem Philosophicam nobis offert D. Thom. quæst. vnic. de vnione verbi art. 6. his verbis: *Considerandum tamen, quòd si virtus, quæ est actionis principium ab alia virtute superiori moveatur, operatio ipsa procedens, non solùm est actio, sed etiam passio, in quantum scilicet procedit à virtute, quæ á superiori movetur.* Cùm autem actus Divinæ contemplationis perfectissimæ, nedum sit à virtute superiori movente, verùm etiam infundente principium proximum elicitivum illius; propterea illa contemplatio *non solùm est actio, sed etiam passio.*

51. Dices tamen: si res ita se habet, cur illa contemplatio dicitur tantùm passio, & non simul appellatur actio? Et similiter, cur illam habentes dicuntur *patientes divina*, & non agentes, sed acti? *Respondet* Illustrissimus Bracharensis Antistes 2. p. compendij cap. 11. §. 2. *Quamvis hæc fervens dilectio elicitur à voluntate; dicitur tamen passiva; quia ad illam non excitat voluntas se ipsam, sicut ad primam; sed immediate excitatur à Deo fortiter.* Nec omittam egregiam eximij Suarez responsionem ad hoc ipsum dubium: sic enim tom. 2. de religione lib. 2. cap. 12. num. 18. loquitur: *Est ergo vitalis illa passio, vnde non est sine intellectus, & voluntatis efficientia: denominatur autem potiùs passio, quàm actio, quia principalis motor ibi est Spiritus Sanctus, qui in animam tunc agit per specialissimum auxilium internum, per dona sua, & non tantum per ordinarium modum operandi virtutibus accommodatum.*

Radicem huius sanissimæ doctrinæ deterit D. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. vbi ait: *Ad 2. dicendum, quòd voluntas non solum est motiva quantùm ad exteriores motus, qui vacationi repugnant, sed etiam motuum interiorum, etiam ipsius intellectus, quidem motus æquivocè dicuntur, vt patet in 3. de anima: sunt enim actus perfecti; & ideò magis assimilantur quieti, quàm Motui.* Ecce quare Contemplatio hæc passio dicitur, & contemplativi dicuntur divina pati. Illa contemplatio verè, & propriè actio est; sed est actio, quæ *magis assimilatur quieti, quàm motui.* Vnde illam habentes magis recipere videntur, quàm agere; propterea que pati, & non agere dicuntur. Per quæ patet ad objecta, & ad plura alia, quæ hìc objici adhuc poterant, propriùsque de eis alibi agetur. Constat etiam ad id, quod num. 50. dictum est, de aliquibus Sanctis dicentibus, contemplationem esse actum ab extrinseco intellectui impressum. Hæc enim locutio falsa omnino est de ipso actu contemplationis perfectissimæ. Verùm quia principium elicitivum talis actus, motioque ad illum eliciendum, sunt penitus ab extrinseco; non solùm, quia à Deo dantur, sed etiam quia motio est totaliter extra id, quod petit connaturalis modus operandi intellectus, eò dicitur ab extrinseco esse talis actus.

52. Arguitur 2. contra secundam conclusionem ex Arist. qui 10. Ethic. ait: *Neque enim virtutis operationes qualitates sunt, neque fœlicitas:* sed operationes virtutis, & fœlicitas sunt actiones immanentes: ergo actiones immanentes non sunt qualitates, sed pertinent ad prædicamentum actionis. Minor pro prima parte certa est: pro secunda autem constat ex ipso Arist. qui cap. 7. sequenti docet, fœlicitatem esse actum intellectus.

Respondetur ex D. Thom. ibi lect. 3. Verba illa Philosophi continere argumentum Platonicorum contra Eudoxium, qui asserebat, delectationem esse de genere bonorum, quod argumentum à Platonicis confectum, & ab Aristot. propositum, & solutum refert

D.

D. Thom. ſub hac forma: *Bonum videtur ad genus qualitatis pertinere: quærenti enim quale eſt hoc? Reſpondemus, quoniam bonum: delectatio autem non eſt qualitas; ergo non eſt bonum.* Hoc eſt argumentum: audiamus ſolutionem. *Sed hoc* (proſequitur D. Tho.) *Ariſtot. removet dicens, quòd non ſequitur, ſi delectatio non ſit de genere qualitatum, quod propter hoc non ſit de genere bonorum: bonum enim dicitur non ſolùm in qualitatibus, ſed etiam in omnibus generibus.*

Conſtat autem ex iſtis Ariſtotelem in enodando illud Platonicorum argumentum noluiſſe negare illam minorem propoſitionem: *delectatio non eſt qualitas*: quam ſi negaſſet, æquivocationem non paterentur adverſarij. Noluit tamen illam, quamquàm falſam, negare, vt arguentibus irrideret, ſui argumenti futilitatem oſtendens. Noluit ergo negare illam minorem, ſed nec conceſsit: omiſsit tamen illam, ex qua omiſsione nihil adhuc concludere argumetum, teſtatus eſt, dicens, quòd licèt delectatio non foret qualitas, adhuc tamen poterat eſſe de genere bonorum; quia bonum *dicitur non ſolùm in qualitatibus, ſed etiam in omnibus generibus.*

53. Arguitur 3. Diviſio actionis in immanentem, & tranſeuntem eſt diviſio generis in ſpecies: ergo actio, quæ eſt diviſum, eſt genus relatè ad actionem immanentem, & tranſeuntem: ergo iſtæ duæ actiones pertinent ad idem prædicamentum: atque adeò cùm actio tranſiens ſpectet ad prædicamentum actionis in eo etiam collocanda eſt actio immanens. Cætera conſtant, & antecedens probatur à noſtro Philippo ſic: ab illis actionibus abſtrahibilis eſt vna ratio vnivoca *actionis*, quæ de illis vnivocè prædicetur: ergo cùm illa ratio abſtracta dividitur in illas actiones, datur diviſio generis in ſpecies.

54. Confirmatur: Omnis vera ſubſtantia creata collocatur in prædicamento ſubſtantiæ, & omnis quantitas, in prædicamento quantitatis, & ſic de alijs: Ergo omnis vera actio collocatur in prædicamento actionis. Modò ſic: ſed contemplatio eſt vera actio: ergo in prædicamento actionis collocatur.

Reſpondetur argumento negando antecedens; quia actio immanens, tranſienſque non ſunt ſpecies ſub vno aliquo genere; pertinent enim ad diverſa prædicamenta: & cùm prædicamenta ſint prima genera, non datur ſupra illa aliquod vnum genus. Nec aliud neceſſe eſt addere pro huius argumenti ſolutione: quia arguens non fundat illam ſuam vnivocam rationem, quam fingit: idem enim poſſet dicere de relatione abſtrahente à tranſcendentali, & prædicamentali: nec enim maius fundamentum inveniet, vt actio aſtrahat vnivocè ab immanenti, & tranſeunti, quàm vt relatio abſtrahat ab ijs relationibus.

Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens, quod certè falſiſsimum eſt: quia licèt omnis ſubſtantia creata pertineat ad prædicamentum ſubſtantiæ, & ad predicamentum quantitatis vera quantitas; non tamen ſic eſt de omnibus alijs. Siquidem, vt modò vidimus, dantur veræ relationes, quæ non pertinent ad prædicamentum relationis, datur etiam vera paſsio, quæ non pertinet ad prædicamentum paſsionis, ſed ad qualitatem, eſtque tertia qualitatis ſpecies. Ad hunc ergo modum datur vera actio, quæ non ad actionis, ſed ad qualitatis prædicamentum ſpectat propter dicta.

Videantur noſtri Complutenſes citati, nobis autem circa hæc immorari non licet.

☞)(✝)(☜

QVÆS-

QVÆSTIO QUARTA.

Vtrùm Divina contemplatio ſit entitativè ſupernaturalis?

LOcuti ſumus quæſtione præcedenti, vt num. 42. obſervavimus, de Divina contemplatione ſecundùm ea, in quibus conveniunt, tum contemplatio acquiſita, & infuſa inter ſe; tum etiam ſecundùm id, (& hoc præcipuè) in quo vtraque hæc Divina contemplatio convenit cum contẽplatione Philoſophica. Sicque quidditatem Divinæ contemplationis aperire ſtuduimus per id, quod ipſi commune eſt. Modò autem eius quidditatis cognitionem exploramus per id, quod contemplationi infuſæ, & acquiſitæ proprijſsimum eſt, ac differentiale. Et hoc non ſolùm loquendo de conſtitutivo contemplationis Divinæ, vt talis illamque provt ſic conferendo cum contemplatione Philoſophica: ſed etiã, (& hoc maximè) comparando contemplationem infuſam cum acquiſita ſecundùm ea, in quibus, ex earum diffinitionibus quæſtione 1. datis, ad invicem differre dicebamus. Vnde quæſtionis titulus ſic explicatur, & cardo difficultatis aperitur: *An divina contemplatio acquiſita, & infuſa ſecundùm id, in quo inter ſe differunt, ſint entitativè ſupernaturales?*

§. I. *Prænotantur aliqua, & referuntur ſententiæ.*

55. PRælibandum 1. eſt cum noſtris Salmant. tract. 14. diſp. 3. dub 3. n. 24. rem aliquam ex triplici capite poſſe habere ſupernaturalitatem, videlicet ex cauſa efficienti, finali, & formali. Cauſa enim materialis ſupernaturalitatem refundere non poteſt; quia eſt potentia receptiva; quod à natura habet; vnde ſupernaturale non eſt, & conſequenter non poteſt ſupernaturalitatem præſtare. Ex parte efficientis eſt aliquid ſupernaturale, quando, vt fiat, requiritur virtus ſupernaturalis, quamquam res facta naturalis ſit. Et hoc modo dicitur ſupernaturalis illuminatio cæci; quia licèt potentia viſiva reſtituta ſit naturalis, nunquam tamen reſtitueretur, ſi virtus ſupernaturalis non adeſſet. Ex parte cauſæ finalis eſt aliquid ſupernaturale, cùm ab extrinſeco in finem ſupernaturalem ordinetur, quamvis res in illum finem ſupernaturalem ordinata ſit in ſe naturalis. Et hac ratione actus virtutum acquiſitarum, ſi per charitatem in finem ſupernaturalem ordinentur, ſupernaturales ſunt, ac ſalutares.

Ex parte denique cauſæ formalis eſt aliquid ſupernaturale, quando eius intrinſecum conſtitutivum ſupernaturale eſt, vt patet in charitate, cuius intrinſecus reſpectus, quem ad Deum dicit, ſupernaturalis eſt. Vnde cùm hic reſpectus ſit forma intrinſeca charitatis ab hac forma habet charitas ſuam ſupernaturalitatem, à cuius objecto etiam illam habet; hoc tamen eſt, tanquam à cauſa formali extrinſeca, & termino ſuæ habitudinis. Quare ille habitus erit intrinſecè, ſeu entitativè ſupernaturalis, cuius terminus in ratione termini illius habitus, ſupernaturalis fuerit. Tunc enim habitus ille ſupernaturalitatem habet à termino, vt à cauſa formali extrinſeca; ab habitudine verò in talem terminum, tanquam à cauſa formali intrinſeca. Habitus autem, vel actus reſpicientes terminum naturalem; vel ſi ſupernaturalis ſit; non tamen reſpicitur, vt ſupernaturalis; vel denique, ſi vt ſupernaturalis inſpicitur; non tamen eſt proprius terminus talis habitus, vel actus, ſed iſti in illum ordinantur ex aliunde acceptis; tunc habitus, & actus ſunt entitativè

tativè naturales; & ſolùm ſub vltima conſideratione habent ſupernaturalitatem; hæc tamen modalis eſt, aut ex obiecto.

56. Inſuper prænotandum eſt, (vt aliqualis notitia entitatis ſupernaturalis habeatur) quòd ſicut ab intitate divina provenit entitas quæcumque creata, Deus enim eſt totius creatæ entitatis origo; ſic etiam à ſupernaturalitate Dei omnis creata ſupernaturalitas derivatur. Vnde ſicut illud eſt ens, quod cum primo ente menſuratur, ſic & illud eſt ſupernaturale, quod entis ſupernaturalis ſupernaturalitatem capit. Hoc autem primum ſupernaturale eſt tale ſimpliciter, & omnibus modis, quod inveniri nequit in ſecundo ſupernaturali: hoc enim, ex quo ſecundum eſt, defficienter ſupernaturalitatem habet: vtî à ſimili patet in ſecundo libero, in ſecundo ente, & alijs. Vnde in primo ſupernaturali dantur plura, quæ inveniri in ſecundo haud poſſunt. Et hoc non ſolùm intelligas de alijs prædicatis diverſis ab ijs, quæ non ſunt propria ſecundi ſupernaturalis; verùm etiam de ijs, quæ illi propria ſunt. Quare Charitas v.g. non ſolùm non habet immenſitatem, omnipotentiam, rationemque luminis, quæ ſunt propria luminis increati, omnipontentiæ, immenſitatiſque divinæ; ſed etiam caret modo illo peculiari, quo gaudet charitas increata; ſecundùm quem ſecum identificat tam principium radicale volendi, quàm volitionem ipſam, obiectumque ipſius. Vnde datur ſupernaturalitas in charitate creata eo deficienti modo, quo nec obiectum, nec principium radicale, nec actum ſecum identificet. Quod tam in charitate creata, quàm in alijs ſecundis ſupernaturalibus revocari debet in id, quod non ſit ſuum eſſe, ſicut eſt primum ſupernaturale.

57. Dices: ſi dicta vera ſunt, ſubſtantia creata erit ens ſupernaturale: hoc eſt falſum: ergo eò doctrina tradita. Probatur mai. ſubſtantia creata participat à primo ente ſuam entitatem: licèt ea deficientia, vt ſuum eſſe non ſit; ſicut charitas creata habet à prima charitate ſuum eſſe eodem dificientiæ modo: ergo ſimiliter.

Reſpond. nos adhuc non definiſſe ens ſupernaturale; ex eius tamen diffinitione conſtabit, nihil valere obiectionem. Itaque ens ſupernatnrale primum eſt, quod ex ſe, & à ſe omnem naturam creatam, & creabilem ſuperat. Vnde ens ſupernaturale ſecundùm illud erit, quod excedit omnem naturam creatam, & creabilem, licèt hoc non habeat ex ſe, aut à ſe, ſed à primo ſupernaturali. Ex quo conſtat ſubſtantiam creatam non eſſe ens ſupernaturale; quia non excedit omnem naturam creatam, & creabilem. Si namque omnem naturam creatam excederet, ſe ipſam, quæ vtique natura creata eſt, ſuperaret: quod manifeſtam dicit contradictionem. Charitas autem, fides, ſpes, & alia huiuſmodi ſupernaturalia ſunt, quia omnem naturam creatam, creabilemque tranſcendunt.

58. Obijcis: malè ens ſupernaturale diffinitur per hoc, quod omnem naturam creatam, creabilemque ſuperet: ergo talis diffinitio deſerenda eſt. Probatur antecedens: definitio non explicat naturam entis ſupernaturalis: ergo &c Probatur antecedens 1. quia data diffinitio ſolùm exprimit, quòd ens ſupernaturale eſt excedens, & etiam extremum huius exceſſus exprimitur: ſed per hoc nulla certa notitia definiti nobis datur: ergo. Probatur 2. idem antecedens: quia ob datam rationem male definiret hominem, qui diceret, hominem eſſe ens, ſuperans omnem naturam ſenſitivam creatam, & creabilem.

59. Confirmatur: quia N. Complut. in log. diſp. 15. quæſt. 2. num. 6. referentes diffinitionem, qua P. Hurtado qualitatem definit, quæ ſic ſe habet: *Qualitas eſt accidens abſolutum à quantitate diſtinctum* illam cenſurant, quia *nullo modo explicat eſſentiam qualitatis, cùm declaret illud, per quod ens contrahitur ad eſſe qualitatis, & per quod iſtud prædicamentum diſtinguitur ab alijs generibus. Dicere namque*

qua-

qualitatem esse accidens absolutum distinctum à quantitate, notificat, quid qualitas non sit, sed minimè exponit quid sit. Quod planè nugatorium est, sicut siquis definiret animal esse vivens distinctum á planta, &c. Hæc, & alia de illa diffinitione prædicti P.P. quod præsenti entis supernaturalis definitioni applicari posse, quis negabit?

60. Ad hæc: cùm dicitur, quòd ens supernaturale superat omnem naturam, vel illa natura signat naturam substantialem præcisè, vel non? Si non: Ergo, non habemus, vnde sciamus fidem excedere omnem naturam: cùm detur fides humana, aliaque accidentia dentur, quæ naturam non superant. Si sic: sequitur 1. quòd non habeamus, vnde sciamus, fidem humanam non similiter excedere omnem naturam. Sequitur 2. datam definitionem pugnare cum probabili opinione asserente possibilem esse substantiam supernaturalem. Si namque hæc daretur, vtique accidentia supernaturalia, superaret, quiaque diffinitio est velut primum principium, quod ab omnibus admitti necesse est: propterea tradita definitio non est bona.

Respond. datam definitionem bene naturam entis supernaturalis exprimere: Per hoc enim, quòd dicam fidem divinam exigentiam cuiuscumque naturæ superare affatim naturam fidei exprimo. Vt autem hæc planè percipiantur, observa, fidem v. g. posse sumi vt particulare quoddam supernaturale, & etiam posse accipi secundùm ea, præcisè, quæ dicit, vt est ens supernaturale. Primo modo non solùm differt ab ente naturali per supernaturalitatem, sed etiam per suum proprium specificativum differt ab omni alio ente supernaturali, quod fides non sit. Secundo tamen modo sumpta non differt ab ente supernaturali, sed solùm ab ente naturali. Primo modo accepta non definitur tradita definitione; sed habet propriam, quam dedimus in Isagoge. num. 153. lib. 1. Ast si secundo modo accipiatur, rectè diffinitione tradita diffinitur: sicut siquis definiret hominem sub ratione intellectivi, congruè procederet dicens hominem esse ens superans omnem naturam sensitivam, creatam, & creabilem. His enim sufficienter explicatur natura hominis sub illa abstractione sumpti; quamvis vt intellectivus discursivus est, non illa definitione definiatur, sed habet propriam. Similiter de qualitate v. g. dicimus, quòd vt accidens, eius definitio non est alia, nisi definitio accidentis. Cæterùm vt qualitas debet definiri definitione illam speciale accidentis demonstrante, diversum ab omni alio accidente. Propterea àque definitionem num. 59. positam carpunt P. P. Complut. quia ea nec sub conceptu entis, nec sub ratione accidentis, nec qualitatis diffinitur. Per quæ patet ad obiecta vsque ad confirmationem.

Ad additamentum respondetur: per naturam intelligi vtique substantiam. Ad primùm, quod contra hoc objicitur, dicas: naturæ exigentiam esse reciprocam: vnde sicut datur natura exigens, sic & datur res à natura exacta: atque adeò fides divina est supernaturalis; quia nec est natura exigens, nec res creata à natura, sed accidens omnem naturæ exigentiam transcendens. Fides autem acquisita non est supernaturalis, quia licèt non sit natura exigens: est tamen accidens haud superans exigentiam naturæ.

Ad secundum respond. dari sanè illam opinionem, quam omnes Thomistæ impugnant, alij *insignem ignorantiam* dicentes, alij *temerariam* nominantes ipsamque P. Vazquez *ineptam* dicit. Ex quibus mirari non debes, si ad opinionem his privilegijs decoram sustinendam communis definitio desideratur, & eius loco aliæ ad libitum subrogentur. Consule circa hoc nostros Thomistas, quos inter rem egregiè versat, vt solet, Illustrissim. Palanco tract. de Deo vno disp. 3. q. 2.

61. His igitur breviter dictis pro cognoscenda vtcumque entis supernaturalitate, de quo videri possunt N. Salmanticenses tract. 14. disp. 4. dub. 3. præcipuè num. 41. dubium speciale est circa

circa cognitionem huius ſupernaturalitatis, & inquibus reperiatur. Non eſt enim valde arduum ſcire, illud ens eſſe intrinſecè ſupernaturale, quod ſuperat naturam omnem creatam, & creabilem. Aſt percipere, quid requiratur ad hūc exceſſū, & in quo reperiatur? Hoc valde arduum eſt, nec poſſumus circa illius declarationem detineri, nec proprios limites, vltra debitum tranſgrediamur. Placet tamen proponere dictos N. Salmant. tract. 12. diſp. 3. dub. 2. num. 33. optimè definijſſe ſupernaturalitatem *per habitudinem mediatam, vel immediatam ad Deum ſecundùm modum, quem habet, in ſe tanquàm ad obiectum, vel finem ſupernaturalem, aut per connexionem cum illo ſecundùm hanc rationem.* Et aliquibus interiectis ſubiungunt. *Quòd ſi ſupernaturalitatem rerum creatarum explicare velimus per modum participationis à Deo non oportet, vt talis participatio ſit formalis; imò nec ſufficit; nam ſubſtantia creata, intellectus, voluntas, & ſimilia participant perfectionem formaliter in Deo repertam; & non ideò ſunt formaliter ſupernaturalia: ſufficit ergo, & requiritur, quòd participatio ſit alicuius convenientis Deo ſecundùm modum eſſendi ſibi proprium, & qui ex affectibus naturalibus venari nequit: ſive talis participatio ſit formalis, vt contingit in gratia, charitate, & lumine gloriæ: ſive ſolùm virtualis, vt in humilitate, pœnitentia, fortitudine, & ſimilibus virtutibus infuſis.*

62. Quibus addendum nihil eſt, vt quantùm per materiam nobis licet, aliquam notitiam entis ſupernaturalis nos tradidiſſe verum ſit. Ad rem autem noſtram accedentes dicimus: gratiam ſanctificantem eſſe naturam in ordine ſupernaturali, primumque ſupernaturale creatum, cuius conditionem æmulari debent ſecunda creata ſupernaturalia. Vnde ſicut gratia conſtituitur per hoc, quod ſit participatio formalis naturæ divinæ ſub conceptu naturæ; quòd affatim cum ſuo Ang. Præcept. ſuadent aliàs noſtri Thomiſtæ, & docet Sanctiſsima Thereſ. lib. exclamat. 17. atque adeò ex hoc cap. cognoſcitur eius exceſſus ſupra omnem exigentiam naturæ, vti adſtruit Seraph. ipſa Doctrix lib. vitæ cap. 40. in maſ. cap. 4. Ita omne ens ſupernaturale debet ſuo modo, & proportione habere, quod gratia habet. Eoque videmus, quòd ab hac natura divina per participationem ſua attributa emanent, vt ſunt lumen gloriæ, Charitas, Fides, aliæque virtutes infuſæ, & dona, in quibus gratiæ conditiones relucent; nam ſicut illa participat phyſicè naturam divinam, eſtque principium radicale operationum ſupernaturalium; ſic lumen gloriæ participat increatum lumen, & charitas increatam charitatem, fideſque, quæ luminis vicaria eſt eius conditionem in infallibilitate aſſenſus ſapit. Ab ijs etiam gratiæ attributis proveniunt proximè operationes illæ ſupernaturales, quæ radicaliter à gratia procedere dicebamus. Vnde à lumine, & à charitate eliciuntur operationes videndi, & amandi Deum, vt eſt in ſe: quæ operationes ſunt participationes excellentium illorum actuum, quibus Deus ſe ipſum contemplatur, & amat. Atque adeò dilectio, qua Deum iuſtus amat, eſt participatio illius dilectionis, qua Deus ſe ipſum diligit: & intellectio, qua Deus facie ad faciem intuetur, eſt participatio illius divinæ intellectionis, qua Deus ſe ipſum contemplatur. An etiam de contemplatione, qua iuſtus viator Deum attingit, hoc idem dicendum ſit, vt ſic intrinſecè ſupernaturalis aſſeratur, eſt quod in præſenti inquirimus: & loquimur de vtraque contemplatione acquiſita, ſcilicet, & infuſa.

§. II. *Relatis ſententijs proponitur noſtrum in hac parte iudicium.*

63. IN hac controverſia prima ſententia docet contemplationem infuſam eſſe entitativè, & intrinſecè ſupernaturalem. In hoc conveniunt omnes Authores, quos vidi. Circa con-

contemplationem acquisitam est præcipua difficultas, quam adauget obscuritas ingens, qua in hac materia Mystici D.D. procedunt. Qui ferè omnes adeò dubiè loquuntur vt iam naturalem dicere, iam supernaturalem asserere videantur. Verùm ex ijs, qui expresse hanc materiam versant duplex invenitur opinio.

64. Prima tenet contemplationem acquisitam esse intrinsecè supernaturalem. Sic sentire debent quotquot dicunt principium proximè elicitivum contemplationis acquisitæ esse fidem infusam: actui enim proprio infusæ fidei, quis supernaturalitatem intrinsecam denegabit? Ast quia hos omnes non loqui, nec posse si sibi constantes sunt, de principio ita propriè elicitivo contemplationis acquisitæ, vt hanc proprium actum fidei asserant, firmavimus tom. 1. disp. 1. quæst. 7. toto num. 154. Ibique modum, quo intelligi possunt fusè diximus: propterea non omnes, qui fidem esse principium contemplationis adstruunt, illam intrinsecè supernaturalem fateri censemus. De quo non adhuc nostrum vltimum iudicium promimus, sed vsque ad locum non semel statutum reservamus. Monentes, quòd quicquid tunc temporis affirmemus, præsenti resolutioni non obstabit. Sicut non semel in superioribus præmonuimus.

Inter eos autem, de quorum mente dubitari non potest, est nostra Disceptat. mystica, fidem infusam principium contemplationis tum infusæ, tum acquisitæ adstruens, vt videre est in tract. 3. quæst. 3. art. 5. & tract. 2. quæst. 3. art. 1. & 7. In fine enim dicti art. 1. loquens de vtraque contemplatione ait: *Prima contemplatio* (acquisita) *est quidem supernaturalis quoad subſtantiam, naturalis verò quoad modum. Secunda autem* (infusa) *& quoadmodum, & quoad ſubſtantiam eſt ſupernaturalis.* Pro eadem opinione referri possunt omnes illi, qui censent habitum Theologiæ Scholasticæ esse supernaturalem, & non distingui ab habitu Theologiæ Mysticæ.

65. Secunda sententia extremè opposita docet contemplationem acquisitam esse intrinsecè naturalem, licèt radicaliter remotè, & ex obiecto supernaturalis sit. Hanc conformiorem iudicamus menti Ang. Præceptoris pluribus in locis infra referendis. Illam docet Seraph. M. N. S. Theres. Extaticus N. Parens D. Joannes à Cruce, N. Philip. à Sanctissima Trinitate, N. Anton. à Spiritu Sancto, & Mag. Valgornera, locis, quæ mox assignabimus. Alij etiam hoc idem tuentur, maximè illi, qui Theologiam Scholasticam, & Mysticam eundem habitum esse tradunt, & scholasticam naturalem esse defendunt, ei supernaturalitatem solummodò radicalem, remotam & ex obiecto concedentes: qui sanè plurimi sunt & præsertim, è Thomistarum choro. Ad resolutionem igitur accedentes primùm de contemplatione infusa, in qua minor est difficultas, loquemur.

66. Prima nostra conclusio. *Contemplatio infusa est intrinsecè ſupernaturalis.* Probatio huius conclusionis sunt omnia, quæ §. antecedenti prælibavimus, ex quorum brevissima applicatione probatur sic primò assertio: Contemplatio infusa superat omnem naturam creatam, & creabilem: Ergo est intrinsecè supernaturalis. Consequentia constat ex dictis, & antecedens probatur: quia contemplatio infusa ex vna parte non est natura, seu subſtantia exigens; ex alia autem à nulla subſtantia creata exacta est, nec valet exigi: ergo est supra omnem naturam. Consequentia patet ex dictis num. 60. & antecedens quoad vtramque partem est per se notum. Similiter applicare potes ea, quæ diximus num. 57. vt hanc ipsam supernaturalitatem comprobare valeas, sicque ad alia transimus.

67. Probatur 2. conclusio: quia principium formaliter elicitivum contemplationis infusæ est intrinsecè supernaturale: Ergo & ipsa est supernaturalis intrinsecè. Consequentia est evidens; quia sicut à principio intrinsecè naturali non potest actio supernaturalis haberi; sic nec à principio in-

trinſecè ſupernaturali proximè, & formaliter influente, poteſt operatio non ſupernaturalis produci. Antecedens autem probatur primò; quia ſic conſtat ex diffinitione contemplationis infuſæ, quam dedimus num. 15. in ea ſiquidem dicitur, quòd contemplatio infuſa *à principio ſupernaturali provenit*. Probatur ſecundò idem antecedens: quia principium formale proximè elicitivum contemplationis infuſæ, vel eſt fides infuſa, vel aliquod Spiritus Sancti donum, vel aliud donum ſuperius ipſis Spiritus Sancti donis, aut etiam ipſum lumen gloriæ, vt tenet communiſsima Myſticorum ſententia: ſed omnia hæc ſunt intrinſecè ſupernaturalia, vt nemo negare audebit: ergo principium contemplationis infuſæ eſt intrinſecè ſupernaturale.

68. Confirmatur: quia contemplatio infuſa, vel infuſa non eſt, vel eſt ſupernaturalis intrinſecè: primum implicat ex ipſis terminis: Ergo eſt intrinſecè ſupernaturalis. Probatur mai. quia id, quod per ſe infuſum eſt, eſt intrinſecè ſupernaturale, vt patet in virtutibus Theologicis, ac etiam in moralibus, quæ infuſæ per ſe ſunt: ſed contemplatio infuſa eſt actus per ſe infuſus: Ergo. Probatur minor: Ille actus eſt per ſe infuſus, qui per ſe procedit ex ſpeciali motione Spiritus Sancti, & ſupra modum connaturalem intellectus: ſic procedit contemplatio infuſa, vt ſæpiùs diximus: Ergo eſt habitus per ſe infuſus.

69. Secunda aſſertio: *Contemplatio acquiſita eſt intrinſecè naturalis, & ſolùm extrinſecè, & ex principio remoto, atque ex obiecto eſt ſupernaturalis.* Huius aſſertionis 2. pars probatione non indiget: ex quo enim contemplatio activa non ſit entitativè ſupernaturalis, habetur, quòd ſit ſupernaturalis extrinſecè: aliàs enim non differret hæc Sanctiſsima contemplatione Gentilium. Diſcriminantur certè, & diſcrimen conſiſtit in eo, quòd diverſis in locis tetigimus. Vide dicta num. 6. & quantùm ad præſentem materiam facit, conſiſtit talis differentia in hoc, quòd contemplatio Evangelica activa eſt ſupernaturalis ex principio remoto, quod eſt fides, quæ indiſpenſabiliter requiritur, vt talis contemplatio detur, eſt etiam ſupernaturalis ex obiecto, vt ſæpiùs dictum eſt.

70. Prima autem pars noſtræ concluſionis præcipuam difficultatem continet; ſed quæ ſuperata iam eſt ex dictis tom. 1. diſp. 1. q. 8. vbi fuſiſsimè probavimus principium proximè elicitivum huius contemplationis eſſe habitum Theologiæ, qui cùm intrinſecè naturalis ſit: propterea & ipſa contemplatio intrinſecè naturalis. Sic enim ibi diximus cum Ang. Præcept. qui 1. p. q. 1. art. 3. inquirit: *Vtrùm ſacra doctrina ſit vna ſcientia?* Quod quæſitum reſolvit ſic: *Reſpondeo dicendum ſacram doctrinam vnam ſcientiam eſſe.* Vbi nomine ſacræ doctrinæ comprehendiſſe Myſticam Theologiam diximus loco citato num. 187. quod Doct. Sanctus clariſsimè tradit in 1. diſp. 1. q. 1. art. 2. vbi ait: *Iſta ſcientia vnica manens, non multiplicata diverſarum rerum conſiderationem habet, non tantùm in communi, ſicut Metaphyſica, quæ conſiderat omnia, in quantùm ſunt entia, non deſcendens ad propriam cognitionem moralium, vel naturalium: ratio enim entis cùm ſit diverſificatio in diverſis, non eſt ſufficiens ad ſpecialem rerũ cognitionem, ad quarum manifeſtationem divinum lumen in ſe vnum manens habet efficaciam.* Eſt ergo certum habitum Theologicum comprehendere ſine omni prorſus ſpecifica diſtinctione Myſticam noſtram Theologiam.

Eadem certitudine indubitabile eſt, hunc habitum Theologicum eſſe acquiſitum, & non infuſum quod docuit D. Thom. 1. p. q. 1. art. 6. ad 3. Vbi inquirens an Theologia ſit ſapientia? Arguit ſic pro parte negativa. *Hæc doctrina per ſtudium acquiritur. Sapientia autem per infuſionem: vnde inter ſeptem dona Spiritus Sancti connumeratur, vt patet Iſaiæ 11. ergo hæc doctrina non eſt ſapientia.* Ad hoc argumentum reſpondet, quòd *ſecundùm*

dupli-

duplicem modum iudicandi dupliciter ſapientia accipitur. Contingit enim aliquem iudicare vno modo per modum inclinationis, ſicut qui habet habitum virtutis rectè iudicat de his, quæ ſunt ſecundùm virtutem agenda in quantùm ad illa inclinatur. Vnde & 10. Ethic. dicitur quòd virtuoſus eſt menſura, & regula actuum humanorum. Alio modo per modum cognitionis, ſicut aliquis inſtructus in ſcientia morali poſſet iudicare de actibus virtutis, etiam ſi virtutem non haberet. Primus igitur modus iudicandi de rebus divinis pertinet ad ſapientiam, quæ eſt donum Spiritus Sancti ſecundùm illud Corinth. 12. ſpiritualis homo iudicat omnia. Et Dionyſ. dicit 2. cap. de divinis nominibus Hierotheus doctus eſt non ſolùm diſcens, ſed & patiens divina. Secundus autem modus iudicandi pertinet ad hanc doctrinam, ſecundùm quod per ſtudium habetur, licèt eius principia per revelationem habeantur. Similia docet Doct. Sanctus 2. 2. q. 45. art. 1. ad 2. & in 1. diſp. 1. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. ad 3. in quibus locis ſemper dicit, quòd habitus Theolog. acquiſitus eſt. Ex quibus

71. Probatur cõcluſio ratione ex ijs D. Thom. authoritatibus eruta: nullus actus habitus acquiſiti eſt entitativè ſupernaturalis: contemplatio eſt actus habitus acquiſiti: ergo non eſt intrinſecè ſupernaturalis. Conſequentia eſt in quarto modo primæ figuræ. Minor conſtat ex adductis D. Thom. teſtimonijs pro quorum perfecta intelligentia videnda ſunt, quæ loco citato diximus, & Authores, quos ibi adduximus. Maior autem ad quam præſens difficultas reduci poterat, probatur ſic. Habitus acquiſitus eſt entitativè naturalis: ergo eius actus non eſt intrinſecè ſupernaturalis. Conſequentia bona eſt, quia cùm actus habeat ſuum eſſe ab habitu, & non poſsit habitus naturalis cauſare entitatem ſupernaturalem; propterea repugnat ſupernaturalitas intrinſeca actus, ſi habitus naturalis eſt. Antecedens autem probatum relinquimus dicta q 8. num. 191. & 202. ab authoritate. Modò verò probatur ſic breviter: etenim ſi ille habitus ſupernaturalis eſſet acquiſitus, vel acquireretur actibus naturalibus, vel ſupernaturalibus: neutrum poteſt dici: ergo ſi habitus ſupponitur acquiſitus non eſt ſupernaturalis. Probatur minor pro prima parte: quia actus naturalis non poteſt eſſe cauſa habitus ſupernaturalis; non enim illum valet præcontinere præterquamquòd iam daretur gratia ex operibus naturæ, quod dici, ſalva fide, non poteſt: ergo actus naturalis nequit habitum infuſum cauſare. Sed nec à ſupernaturali acquiri poteſt. Probatur iſta: quia ille actus acquiſitivus habitus vel provenit ab aliquo auxilio tranſeunte; vel ab aliquo habitu? Si primum: iam diviſio habitus in habitum per ſe acquiſitum, ac per ſe infuſum periret; quia nullus habitus daretur, qui non poſſet noſtris actibus acquiri; atque adeò nullus eſſet per ſe infuſus. Si aſſeratur ſecundum: debet aſsignari habitus, à quo actus iſti ſupernaturales cauſantes ſupernaturalem alium habitum provenire queãt. Quòd ſi pro præſenti habitu Theologiæ aſsignetur fides, quam debet præſupponere. Contra eſt: nam etiam omnes virtutes morales per ſe infuſæ, & prudentia infuſa præſupponunt fidem, & charitatem; atque adeò per actus charitatis poterunt acquiriri virtutes morales infuſæ, ac per actus fidei, prudentia infuſa. Quod diſonum prorſus eſt. Videatur Mag. Gonet. tom. 1. diſp. 1. art. 6.

Dices: poſſumus elicere actum entitativè ſupernaturalem: ergo & habitum ſupernaturalem producere. Antecedens patet in actibus virtutum Theologalium, alijſque: & conſequentia probatur. 1. quia actus eſt perfectior, quàm habitus: ergo ſi poſſumus producere actum, potiori iure poſſumus producere habitum. Probatur 2. antecedens à paritate ſupernaturalitatis actus, & habitus, quæ ſupernaturalitas non obeſt, vt actus à nobis eliciatur: ergo nec vt producatur habitus.

Reſpondetur conceſſo antecedenti negando conſequentiam. Diſcrimen eſt: quia ex vna parte, actus implicat

cat, quòd sit talis, & non procedat intrinsecè ab operante, cuius motus, & vita actualis est. Aliunde autem habet principia, à quibus supernaturalitatem accipiat, nempe obiectum supernaturale, à quo speciem habet, & principium elicitivum, sive illud sit transiens, sive permanens. De habitu vero hæc non verificantur: quia ex vna parte habitus non est vita actualis; vnde non petit vitaliter ab operante procedere. Ex alia verò, non adest principium, per quod acquiri possit; quia si tale principium daretur, iam tales habitus non essent per se infusi, vt constat ex dictis num. præcedenti. Videatur Mag. Joannes à Sancto Thoma 1. p. q. 1. disp. 2. art. 8. num. 5.

Per quod patet ad probationes illius consequentiæ, ad primam quidem, omisso antecedenti, negatur consequentia, sive enim habitus sit, vel non sit minùs perfectus quàm actus, potest quidem hic à nobis elici, & ille non potest acquiri propter dicta. Ad secundam similiter negetur consequentia: quia quòd habitus acquiri non possit, non provenit ex eo, quòd sit habitus, neque ex eo quòd sit supernaturalis; sed ex complexo habitus supernaturalis. Datur vtique supernaturalitas acquisita, qualis est actus virtutis supernaturalis. Datur etiam habitus acquisitus: cæterũ habitus acquisitus supernaturalis dari nequit ob ostensam repugnantiam. Vnde tametsi actus supernaturalis acquiri possit, habitus supernaturalis non potest acquiri.

§. III. *Alijs authoritatibus, & probationibus inde haustis, probatur eadem secunda assertio.*

73. PRobatur 2. conclusio ex Seraph. M. N. D. Theresq. quæ in de itiner. cap. 29. ait loquens de anima contemplativa: *Cùm hæc anima vult intra se ingredi in hunc paradisum cum Deo suo. Dico quòd vult, quia intelligere debetis, hoc non esse omnino supernaturale.* In his verbis loquitur Alma Doctrix de contemplatione, vt vel ex titulo capitis constat. Cæterùm non loquitur de contemplatione infusa; siquidem asserit illam contemplationem, de qua ibi, esse in nostra voluntate, & potestate, supposito auxilio divino, *sine quo*, addit, *nihil possumus, nec ex nobis bonam aliquam cogitationem habere valemus.* De hac ergo contemplatione acquisita inquit, quòd *non est omnino supernaturalis.* Supernaturalitatem concedit; omnimodam tamen negat. Ex qua authoritate sic in favorem asserti propositi argumentor: Contemplatio non omnino supernaturalis est contemplatio entitativè naturalis, & supernaturalis ex principio remoto, & ex obiecto: contemplatio acquisita sic à nobis ponitur, vt patet ex vtraque parte nostræ secundæ conclusionis: ergo hæc quoad vtranque partem est doctrina Seraph. M. Nostræ. Maior certa videtur: quia contemplatio supernaturalis ex objecto dicit quidem supernaturalitatem, sed non omnimodam, cùm sit entitativè naturalis.

Declaratur hoc: omnimoda supernaturalitas contemplationis est, quòd sit ex omni parte supernaturalis: ergo non omnimoda supernaturalitas tunc datur quando ex aliqua parte est naturalis: atqui non potest esse supernaturalis entitativè, & naturalis ex objecto, vt de se notum est: ergo illa contemplatio est non omnimodè supernaturalis, quæ ex objecto, & principio remoto habet supernaturalitatem; ex entitate autem naturalis est.

74. Dices: divisionem assignatam supernaturalitatis inadæquatam esse; quia remanet alius modus supernaturalitatis, quo gaudet contemplatio activa, ac de quo loquitur Magistra Cœlestis. Quippe datur supernaturalitas ex obiecto, & hæc est extrinseca: datur etiam supernaturalitas entitativa, & hæc est duplex; quia actus supernaturales quoad substantiam, & modum, quales sunt actus donorum Spiritus Sancti, & omnes alij infusi, qui

sunt

ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, vt ſupponitur, ſunt etiam ſupernaturales quoad modum; quia fiunt ſupra modum connaturalem hominis operantis. Dantur etiam alij actus quoad ſubſtantiam ſupernaturales, qua ſupernaturalitate gaudere actus virtutum infuſarum, certum eſt. Verùm quia dictis virtutibus vtimur, provt volumus: propterea tales actus ſunt quidem entitativè ſupernaturales, ſed naturales quoad modum. Et hæc certè eſt ſupernaturalitas media, ſeu non omnimoda, de qua loquitur Seraph. Doctrix: quia inter naturalitatem quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalitatem entitativam mediat ſupernaturalitas entitativa, & naturalitas quoad modum. Et de hoc modo ſupernaturalitatis non omnimodæ loquuntur quotquot aſſerunt contemplationem activam eſſe ſupernaturalem.

Reſpondetur ita eſſe, quòd inter actum naturalem quoad ſubſtantiam, & modum; & ſupernaturalem, quoad modum, & ſubſtantiam, mediat actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, & naturalis quoad modum. Proptereaque non locuti, fuimus de actu abſolutè, ſed de actu contemplationis: quia in contemplatione non admittimus talem ſupernaturalitatem entitativam iunctam naturalitati ex modo procedendi. Ratio eſt: quam iam ſæpiſsimè pluribus in locis tetigimus, videlicet, quòd talis contemplatio eſt actus proprius fidei, vt volunt eius Authores; & cùm aliàs ſit actus ſcientificus; ignoramus pro nunc quomodò actus fidei ſcientificus eſſe poſsit. Adveniet deſtinatum tempus, ſcilicet, cùm de principio elicitivo contemplationis ſermo ſit; & tunc videbimus, ſi ab hac ignorantia exire poſſumus. Pro nunc verò ſolum habitum Theologicum agnoſco principium elicitivum contemplationis activæ ob fuſiſsimè dicta loco citato ex 1. tom. Vnde cùm ipſe Theologicus habitus ſit quoad ſubſtantiam naturalis, & ſolùm ex principio remoto, & ex objecto ſupernaturalis; ideò hanc ſolummodò ſupernaturalitatem refundit in actum activæ contemplationis. Quæ ſupernaturalitas etiam mediat inter naturalitatem omnimodam, & omnimodam ſupernaturalitatem, vt de ſe patet. De illaque locutam Seraph. Doctricem non dubitamus. Tum, quia non aſsignabunt contrarij locum, vbi aſſerat appoſitum, nec faciat fidem principium elicitivum contemplationis. Tum etiam, quia N. Anton. à Spiritu Sancto, & N. Philipp. (eximius mentis Thereſianæ indagator, ac in eius operibus verſatiſsimus) nobiſcum tenent dictam contemplationem eſſe tantùm extrinſecè ſupernaturalem; quod non facerent, ſi contrarium de mente Sanctiſsimæ Magiſtræ foret. Præterquamquòd ex alijs locis eiuſdem idem conſtat.

75. In Epiſtola 18. num. 3. ait (proprio idiomate verba dabo, nè aliquid eius elegantiæ derogetur) *la primera oracion, que ſenti, à mi parecer ſobrenatural, (que llamo yo lo que con induſtria, ni diligencia no ſe puede adquirir, aunque mucho ſe procure, aunque diſponer ſe para ello ſi, y debe de hazer mucho al caſo) es vn recogimiento interior, &c.* Vbi perſpicuè docet Sanctiſsima Magiſtra, id ſolùm ab ipſa vocari ſupernaturale, quod propria induſtria, ac diligentia acquiri non poteſt. Quod eſt idem ac nos in noſtra concluſione aſſerimus: videlicet, contemplationem acquiſitam, quæ, ex eo quòd acquiſita eſt, noſtro labore, ac induſtria habetur, non eſſe ſupernaturalem, niſi ex objecto: quia, cùm ſermo eſt de contemplatione, illam ſolummodò vocamus ſupernaturalem, quæ noſtra induſtria non habetur, vtî fecit Seraph. Thereſia.

Quæ eandem doctrinam repetit manſ. 4. vbi juxta expertiſsimum, ac excellentiſsimum eius Annotatorem agit de contemplatione ſupernaturali, & §. *Pareceme, que nunca*: ait: *No penſeis, que es por el entendimiento adquirido, procurando penſar dentro de ſi à Dios, ni por la imaginacion, imaginandole enſi: bueno es eſto, excelente manera*

de

de meditacion: : : Mas no es esto; que esto cada vno lo puede hazer (con el favor de el Señor se entiende todo.) Postea §. immediato addit: *Pareceme, que he leido que es como vn erizo, ò tortuga quando se retira hazia si: debialo entender bien quien lo escriviò; mas estos ellos se entran quando quieren, acà no està en nuestro querer, sino quando Dios nos quiere hazer esta merced.* Ecce cœlestem Magistram contemplationem supernaturalem explicantem per hoc, quod non possumus illam habere, cùm volumus: vnde illam contemplationem, quam, cùm volumus, habemus, non esse supernaturalem nisi tantùm ex objecto, ex adductis testimonijs planè constat.

76. Extaticum nostrum Doctorem idem sentire constat ex pluribus testimonijs, quæ adducere ex ipso poteramus: sufficiat tamen dicere, quòd Vener. Dom. Dom. Joann. de Palafox loco citato docet nostrum Seraph. Patrem agere de contemplatione supernaturali lib. 2. noct. cap. 5. quod caput, si attente legas; Immò, & antecedentia, & subsequentia, videbis, ipsum de contemplatione infusa loqui, ac de modo, quo anima, quæ iam contemplationem acquisitam exercet ad infusam habilitetur: ac si idem sit contemplatio infusa, & supernaturalis. Ex quo fit, quòd non est supernaturalis illa contemplatio, quæ non est infusa.

77. Sed probemus assertionem nostram ratione fundata in authoritate eiusdem Sancti Doctoris, quæ sic se habet: Principium proximum contemplationis activæ est intrinsecè naturale: ergo & ipsa. Antecedens præter dicta num. 71. probatur: principium proximum contemplationis, activæ est habitus ipsius contemplationis habilitans potētiā, vt illā exerceat: iste habitus est naturalis: ergo. Probatur minor: iste habitus est acquisitus per frequētes actus meditationis, qui talem habitum causant: ergo iste habitus est naturalis. Consequentia patet, tum ex dictis dicto num. 71. tum etiam quia habitus causatus per actus meditationis, non habet quo intrinsecè supernaturalis sit, nisi meditatio ipsa entitativè supernaturalis asseratur: quod, etiam si poneretur, adhuc non posset habitum supernaturalem causare, vt num. citato vidimus. Antecedens, in quo posset esse difficultas, probatur expressa authoritate Theodidacti P. Nostri lib. 2. Ascens. cap. 14. vbi. §. *La segunda*, ait: *Tael alma en este tiempo tiene el espiritu de la meditacion en substancia, y habito. Porque el fin de la meditacion, y discurso en las cosas de Dios, es sacar alguna noticia, y amor de Dios, y cada vez, que el alma la saca es vn acto: y assi como muchos actos en qualquiera cosa vienen à engendrar habito en el alma: assi muchos actos de estas noticias amorosas, que el alma ha ido sacando en vezes, vienen por el vso à continuarse tanto, que se haze habito en ella. Lo qual Dios tambien suele hazer sin medio de estos actos de meditacion (à lo menos sin aver precedido muchos) poniendolas luego en contemplacion. Y assi lo que el alma antes iba sacando en vezes por su trabajo de meditar en noticias particulares: ya por el vso se ha hecho en ella habito, y substancia de vna noticia amorosa, general, no distinta, ni particular como antes. Por lo qual ya en poniendose en oracion como quien tiene llegada el agua bebe sin trabajo en suavidad, sin ser necessario sacarla por los arcaduces de las passadas consideraciones, formas, y figuras. De manera, que luego en poniendose delante de Dios, se pone en acto de noticia confusa, amorosa, pacifica, y sossegada, en que el alma està bebiendo sabiduria, amor, y sabor.* Hactenus hæc illuminata mens. Quo nihil expressiùs, elegantiùsve dici potuit.

Est dicere: quòd meditatio, vt fructuosa sit, debet ad contemplationem terminari. Quippe vt ait N. Thomas à Jesu de contemplatione Divina lib. 1. cap. 13. *Infructuosam meditationem debemus facilè credere, & existimare, quæ in contemplationem, quæ illius finis est, non transit: erit enim tunc via sine termino, navigatio sine portu, corpus sine anima.* Quod intelligendum est, non solùm de meditatione vt sic, com-

comparata cum Divina contemplatione eodem modo ſumpta: verùm etiam de meditatione hac in individuo, quæ, vt fructuoſa ſit, debet ad contemplationem terminari. Ad illam videlicet, quæ inquolibet actu orationis meditativæ habetur, diciturque *attentio quieta*, vt diximus cùm de his in Iſagoge diſſeruimus. Inqualibet ergo meditatione notitia particularis Dei acquiritur, in ſimulque aſſueſcit paulatim anima, vt quietè, & pacificè Deum intueatur, & totum tempus, quod in hac propria habilitatione, & notitiarum acquiſitione inſumit, eſt in ſtatu meditationis, & incipientis. Poſtquam autem iam habitum contemplationis acquiſivit ex frequentia, & repetitione prædictorum actuum, tranſit ad ſtatum contemplationis, & Proficientis. Ex quibus patet illud noſtrum antecedens, quo, vt ſuaderemus, hæc adduximus, veriſimum eſſe, ac de mente Myſt. N. Parentiſ. Illud etiam docet D. Bernardus *de oct. punc.* punct. 2. dicens: *Noſcere debes, quòd divina virtus plus facere poteſt, quàm homo cogitare, & quomodo frequentia actus ſimilem ſibi habitum generare conſuevit, inde ſæpiùs contingit quòd ad illud ad quod fortaſſe ſe homo à principio adſtrinxit cum quadam violentia, & difficultate, poſteà faciliter operabitur, & tandem cum magna delectatione dummodo non deſiſtat.* Sic ergo per meditationis actus generatur habitus contemplationis: vnde conſtat, illum non eſſe fidem infuſam, nec aliquem alium habitum ſupernaturalem.

78. Numero 61. diximus pro noſtra opinione eſſe egregios myſtas N. Philippum, & N. à Spiritu Sancto, & Mag. Valgorneram. Comprobemus ergo hoc ita eſſe. Vnius tantùm verba referemus, quia omnes illi adeò vnanimiter ſcribunt in hac parte, vt nec in verbis diſcrepent: ita vt ſpiritus antiquioris, qui N. Philip. eſt in alios videatur tranſmigraſſe. Si fidem mihi deneges, illos vide, primum eorum parte 2. Theologiæ Myſt. tract. 1. art. 2. §. *differunt igitur*, & tract. 3. diſcur. 1. art. 1. ſecundum in Director. myſtico tract. 3. diſput. 1. ſect. 8. num. 45. & diſput. 3. ſect. 1. num. 210. tertium denique quæſt. 3. Theolog. Myſticæ diſp. 1. art. 4. num. 3. & diſput. 3. art. 1. num. 3. Vnde vnius ſolùm verba referam, quia, eo audito, audiuntur, & alij. Eorum primus loco citato ex tract. 1. poſtquam in 1. artic. naturam contemplationis expreſsit, eamque prima ſui diviſione in Gentilicam, & Chriſtianam diviſit; inſtituit art. 2. cuius titulus eſt. *Dividitur Contemplatio fidelium in acquiſitam, & infuſam*, & aliquibus præmiſsis, ait:

79. Differunt igitur hæ duæ ſpecies contemplationis primò ex parte principij; nam contemplatio acquiſita naturam ipſam pro principio immediato, & Deum vt authorem naturæ pro principio primo cognoſcit; quia in ordine naturæ continetur: contemplatio autem infuſa Deum, vt authorem gratiæ pro ſuo agnoſcit immediato principio; continetur enim in ordine gratiæ. Vnde prima illa eſt in entitate ſua naturalis, quamvis ad eius exercitium auxilia divinæ gratiæ actualis requirantur; nam ad bona quæcumque ardua etiam ordinis naturalis propter naturæ noſtræ corruptæ debilitatem, ac infirmitatem, neceſſariò gratiæ robur, & auxilium prærequiritur. Secunda verò eſt in entitate ſupernaturalis; propterea dicitur infuſa, nec ad illam cauſa ſecunda concurrit, niſi priùs elevata lumine ſupernaturali, vt ſtatim dicemus.

80. Hæc graviſsimus iſte Doct. ab alijs duobus exſcriptus. Quæ quidem verba (ait Diſcept. Myſt. ſolummodò M. Valgoneram referens tract. 2. q. 3. art. 7. num. 30.) rectam continere videntur contemplationis intelligētiam. Tum: quia loquitur de contemplatione præciſè naturali, vt eſt illa, quam habuerunt Philoſophi de Deo, vt prima cauſa. Tum: quia loquitur de contemplatione, quæ non eſt de veritatibus fidei præciſè. Alioquin falſum eſſet, quod dicitur: Vbi enim aliquid ad fidē pertinens, vel ad Scholaſticam Theologiam proponitur contemplandum,

non ſufficit lumen naturale, ſed lumen fidei requiritur. Hucuſque Author ille de cuius explicatione poteſt ipſe, quem nititur explicare, graviſsimo fundamento conqueri. Vnde.

81. Contra talem explicationem facit 1. quòd dicti Authores locis citatis non loquuntur *de contemplatione præciſè naturali*, vt eſt illa, quam habuerunt Philoſophi: quia de hac contemplatione iam egerant, dividentes contemplationem vt ſic in Gentilicam, & Chriſtianam, vbi vtriuſque differẽtias tum ex principio, tum ex objecto earum aperiunt. Vt quid ergo hîc repeterent, quod immediate antea dixerant.

Secundò facit, quòd hîc contraponitur contemplatio acquiſita immediatè contemplationi infuſæ, vt conſtat ex data authoritate: ſed contemplatio Philoſophica non contraponitur immediatè contemplationi infuſæ; ſiquidem mediat contemplatio acquiſita Evangelica: Ergo. ¶ *Tertiò facit* quòd data authoritas loquitur de illa contemplatione, de qua in titulo articuli pollicetur loqui: at articuli titulus loqui promittit non de contemplatione Philoſophica, ſed de Evangelica, vt patet ex num. 71. in fine in illis verbis *dividitur contemplatio fidelium in acquiſitam, & infuſam*: Ergo, &c. Et ſanè, ſi promitteret loqui de contemplatione fidelium; & non de ea, ſed de contemplatione Gentilium ſeriò, & ex propoſito loqueretur non ſerius ſcriptor foret, ſed ab omnibus ſibilandus.

Quartò facit, quia contemplatio, de qua ibi loquitur, requirit *auxilia divinæ gratiæ actualis*. Requiruntur hæc auxilia divinæ gratiæ ad contemplationem Philoſophicam? ¶ Quinto denique quia ipſe Valgornera, quem explicare ſatagit, explicatione non indiget; quia ipſe adeò manifeſtè, vltra dicta ſe explicat loco citato ex q. 3. (idem faciunt alij duo) vt alienam explicationem non expectet. Hæc ſunt verba ipſius: *Vt contemplatio ſupernaturalis dicatur non ſufficit, quòd viam fidei ſupernaturalem incedat: loquimur enim de contemplatione ſupernaturali intrinſecè, & quantùm ad ſubſtantiam actus, non autem extrinſecè tantùm, & ex parte obiecti: ſed requiritur, quòd principium talis actus elicitivum, ſive proximè ac immediatè concurrens ad contemplationem, ac ſimul medium, quo concurrit, & elicit, ſint ordinis ſupernaturalis. Cùm enim principium elicitivum, & concurrens ad actum eſt tamen mediatum, & remotum, licèt aliàs ſit ſupernaturalis ordinis, à principio tamen naturali proximo, & immediato, limitatur, modificatur, & ad ordinem naturalem actus inde procedens determinatur.* Hæc præfactus author loquitur de contemplatione infuſa, illam que ab acquiſita diſtinguens, qui dicta num. 79. dixerat de contemplatione acquiſita illam ab infuſa ſecernens. Indigent hæc aliqua explicatione? & ſi aliqua indigerent, foret illa num. 80. poſita: & hactenus impugnat? Nec omittendum duximus, Diſcept. Myſticam dicere, quòd author à ſe explicatus loquitur de contemplatione, tum (ſeu 1.) Philoſophica, tum (ſeu 2.) quæ non eſt de veritatibus fidei; nec Theologiæ. *Vbi enim aliquid ad finem pertinens, vel ad Scholaſticam Theologiam proponitur contemplandum*, &c. Rogo: contemplatio, quæ nihil ad fidem pertinens, vel ad Scholaſticam Theologiam contemplatur, in quo differt à contemplatione Philoſophica?

82. Vt autem Diſcept. Myſticæ ſcrupulum ſedetur, dico: authorem, quem explicat, ſanam doctrinam, nulla elucidatione indigentem tradere. Conſiſtitque in hoc, quòd contemplatio infuſa non ſolùm prærequirit gratiam, & fidem, ſed etiam procedit ex principio proximo ſupernaturali: vnde ipſa eſt intrinſecè, & entitativè ſupernaturalis. Nec inobſervatam relinquas in verbis num. 79. poſitis illam clauſulam: *ſecunda verò eſt entitativè ſupernaturalis, propterea dicitur infuſa*, quæ clariſsimè denotat, quòd ideo illa contemplatio *dicitur infuſa*, quia *in entitate ſupernaturalis eſt*: vt noſcas quòd idem eſt, quòd contemplatio ſit *in entitate ſupernaturalis, ac quòd dicatur infuſa*.

Ac

Ac ſubinde, quòd contemplatio, quæ non dicitur infuſa non eſt inentitate ſupernaturalis. Sed ad inceptum redeuntes: contemplatio Evangelica acquiſita prærequirit etiam gratiam, & fidem; aliter Evangelica non foret. Verùm principium proximum ipſius eſt entativè naturale, modoque naturali procedit, hoc eſt, iuxta modum naturalem intellectus contemplantis. Vnde licèt per viam fidei incedat, non habet ſupernaturalitatem entitativam à fide, quæ eſt principium mediatum, ac remotum ipſius: atque adeò per principium proximum, & immediatum *limitatur, & modificatur, & ad ordinem naturalem actus inde procedens deprimitur.* Conſequenterque talis habitus naturā pro principio immediato habet, hoc eſt, intellectum iuxta modum ſibi connaturalem intelligentem. Quod minimè pugnat cum hoc, quod per viam fidei incedat, vt conſtat ex dictis, ampliùſque ex dicendis conſtabit.

§. IV. *Reſpondetur argumentis.*

83. CONtra primam concluſionem non adeſt argumentum, cui neceſſarium ſit occurſum ire. Contra ſecundam autem arguitur ſic 1. ex D. Dionyſ. cap. 7. de Div. Nomin. §. *propterea*: vbi ait: *Eſt rurſus diviniſſima Dei cognitio, quæ eſt per ignorantiam cognita ſecundùm vnitionem ſupermentem quando mens ab alijs omnibus recedens poſteà, & ſe ipſam dimittens vnita eſt ſuper ſplēdentibus radijs. Inde, & ibi non ſcrutabili profundo ſapientia illuminata.* Ex quo teſtimonio hæc ratio formatur. Contemplatio, de qua hîc Dionyſ. loquitur, eſt acquiſita: ſed eſt intrinſecè ſupernaturalis: ergo contemplatio acquiſita intrinſecè ſupernaturalis eſt. Minor patet ex illo nomine, quod huic contemplationi Dionyſ. tribuit illam *diviniſſimam* dicens, quod de actu naturali dici nequit. Accedit que, quod alibi probavimus ſupernaturalitatem intrinſecam contemplationis infuſæ, ex eò, quod D. Thom. eam dixerit quodam modo *divinam.* Vnde cùm hîc Dionyſ. acquiſitam contemplationem appellet *diviniſsimam*, erit vtique intrinſecè ſupernaturalis. Mai. autem prob. Contemplatio illa, in qua, qui contemplatur propria operatione procedit, eſt acquiſita: ſic eſt contemplatio præſens, vt denotant ea verba *ab alijs omnibus recedens*, & illa *ſe ipſam dimittens*, quæ activitatem contemplantis exprimunt: ergo talis contemplatio activa eſt.

Reſpondetur negando maiorem. Dionyſ. enim inibi de duplici contemplatione agit, vt obſervat D. Thom. quarum illa, de qua in præiacta authoritate loquitur, eſtque diviniſsima, contemplatio infuſa eſt. Vnde *diviniſſima* dicitur, & intrinſecè ſupernaturalis à nobis cognoſcitur. Ad probationem autem in contrarium dicas: contemplationem infuſam eſſe propriam operationem contemplantis. Verùm quia ſenſus arguentis eſt, quòd ibi contemplans ex propria induſtria procedat, propterea hoc negamus, nec verba illa inſertæ probationis tale ſuadent. Quia *recedens ab alijs*, & *ſe dimittens*, poteſt hoc facere ex ſe, aut ex propria induſtria, & poteſt facere ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti ſi primo modo fiat, activè contemplatur: ſi fiat ſecundo modo, contemplatur paſsivè. In præſenti ergo receſſus ille ab omnibus alijs, ſuique ipſius dimiſio eſt Spiritus Sancti ſpecialiſsima motio, quam oſtendunt: tum ſubtiliſsima illa contemplatio, quæ *diviniſſima* aſſeritur: tum alia, quæ ex Dionyſ. contextu, & D. Thom. expoſitione oſtenduntur, vt textum, & explanationem legens haud difficulter cognoſcet.

Accedit quòd Maximus in ſcholijs illa verba *ſecundùm vnitionem ſupermentem*, ſic legit *ſecundum illam, quæ ſupra intellectum eſt vnionem*, quæ ſic explicat: *nota eum vnionem viſionis Dei mentem ſuperantis intellexiſſe.* Ex quo patet Dionyſ. loqui vel de contemplatione intuitiva, vel ſi de contemplatione viæ, loquitur de illa, quæ eſt ſu-

pra ipsum intellectum, vel mentem, quæ procul dubio infusa est.

84. Vt secundam solutionem huic argumento præstemus, nonnulla observare oportet, quæ præsenti materiæ, pluribusque alijs lucem non modicam credimus allatura, naturamque contemplationis divinæ, cuius elucidationi incumbimus, non parùm aperient. Primò igitur observa: quòd multa, quæ sine revelatione, aut lumine fidei, nullatenus attingere valeremus, quia vel *an est* ipsorum nobis prorsus ignotum foret suppositio tamen lumine fidei docente nos illas veritates, seu mysteria possumus illa cognoscere non solùm cognitione elicita ab ipsa; atque adeò intrinsecè supernaturali: verùm etiam cognitione alia infra fidem, consequenterque intrinsecè naturali, & solùm ex principio remoto supernaturali. Quod docuere N. Salmant. tract. 14. disp. 3. dub. 3. num. 48. patetque in fide revelante nobis Verbum Divinum nostram naturam assumpsisse, qua revelatione supposita, illi innixi plurima circa hoc innefabile mysterium discursibus naturalibus Sacra Theologia imbutis disquirimus, ac resolvimus. In quo fides ipsa, quæ mysterium revelat, facem offert, seu est, vt ea illustratus valeat intellectus mysteria sublimia tractare. Vnde possumus, ac debemus dicere fidem ad hæc concurrere. Primò vt influens medio suo supernaturali actu. Secundò vt ostendens veritatem, quam intellectus proprio suo actu cognoscat.

85. Secundò observa: contemplationis species, seu gradus proponi à Richard. de Sanct. Vict. relato à D. Thom. in 3. dist. 35. q. 1. art. 2. vbi in argumento 3. ait: *Ricard. de Sanct. Vict. ponit sex species contemplationis. Prima est, quando sensibilia per imaginationem considerantes in eis Divinam Sapientiam admiramur. Secunda est, quando earum rationes inquirimus. Tertia est, quando ex visibilibus invisibilia ascendimus. Quarta quando remota imaginatione in solis intelligibilibus versamur. Quinta quando ea considerabamus, quæ ex divina revelatione cognoscimus non humana ratione. Sexta quando ea considerabamus, quibus etiam humana ratio contradicere videt.* Ad quos sex gradus omnes modos Evangelicæ contemplationis tàm acquisitæ, quàm infusæ reduxit insignis iste Mysta. Nec intelligas, aliquos ex illis gradibus ad contemplationem activam spectare, alios verò ad infusam pertinere. Hoc imaginari aliquos suspicor: siquidem illos cespitantes miror in rebus, in quibus non debuissent cespitare. Veritas tenenda est: quòd omnes illi sex contemplationis gradus possunt, & activa, & infusa contemplatione exerceri. Huius rei authoritatem offero, postmodùm allaturus rationem.

Ipse enim Richard. quem num. 40. omnimodò videndum retulimus, sic ad rem præsentem lib. 4. de contemplatione. Cap. 22. fatur: *Ad quolibet contemplationum genus pertinentia possunt Domino revelante per mentis excessum* (hoc est contemplatione infusa) *videri. Sed ex Beseleel opere nihilominus potest perpendi, quia quælibet horum absque illo mentis excessu* (hoc est contemplatione acquisita) *possunt & solent in contemplationem adduci. Quod enim, quæso, est arcam fabricare, auro vestire, coronaque cingere, Propitiatorio tegere, Cherubim adiungere: nisi gradatim quidem indicta contemplationum genera artem comparare, & multo studio atque labore alia post alia addiscere, & in vsum adducere, & tandem aliquando opus consummare, & ad vltimum in omnibus perfectum esse? Sed vt de arca taceam, quid de ipsis Cherubim dicam? Nunquid vt eos formaret, vel formatos videret, legitur vel montem ascendisse, vel ad nubem intrasse? Vnde & manifestè datur intelligi, quia & illa noviissima contemplationum genera* (quæ in principio huius numero scripsimus) *quibus quasi proprium esse videtur per mentis excessum exerceri; solent tamen quandoque infra humanæ comprehensibilitatis metas cohiberi. Omnia contemplationum genera possunt modo vtroque fieri: & modò per mentis ex-*

exceſſum, modò ſine aliquo mentis exceſſu ſolent exerceri. Vidiſti authorem, & quidem luculentiſsimum, clariſsimè, quod tradideram, edocentem: accipe motivum: etenim contemplationes divinæ, ſive acquiſita, ſive infuſa, nec differunt ex parte obiecti, nec ex parte potentiæ: eadem enim potentia vtramque elicit, & ad ipſum obiectum vtraque terminatur. Vndè vtraque, ductrice fide, in idem centrum collineat. Diſcrimen ſtat in hoc, quòd infuſa attingit obiectum ſub ratione ſupernaturali; in ſimulque potentia hanc infuſam contemplationem exercens non procedit iuxtà modum ſibi proprium; ſed ſuprà illum, ſeu, iuxta phraſim Richardi, *per mentis exceſſum.* Aſt contemplatio activa illud ipſum obiectum attingit modo naturali: conſequenterque potentia procedit tunc iuxta modum ſibi proprium, hoc eſt, per proprium diſcurſum deveniendo in ſimplicem objecti intuitum; quod appellatur ab eodem Richardo *abſque vllo mentis exceſſu.* Nec datur objectum ita ſublime, & arcanum, quod non valeat intellectus iuxtà modum ſibi proprium cognoſcere: ſicut non datur obiectum ita infimum, quod non poſsit etiam ſupra connaturalem ſibi modum contemplari. Quia, vt dictum eſt, diverſitas non ſtat in objecto attacto, ſed in modo, quo attingitur objectum.

Radicem huius doctrinæ iam inſinuavimus; modò verò illam explicatiùs offerimus. Conſiſtitque in eo, quòd vtraque contemplatio procedit per viam fidei. Vndè ipſa fides, cui innititur contemplatio infuſa, & à qua edocetur, eſt, quæ docet, ac dirigit contemplationem activam. Quare cùm fides ſit vna, eandem lucem, quam vni præſtat, præbet & alteri. Cum diverſitate tamen ex parte modi, ſcilicet, vel iuxtà, vel ſuprà mentem.

86. Aſt quia in hoc, quod eſt contemplationem eſſe ſupra mentem, aut, quod idem eſt, ſuprà modum connaturalem intellectus; ſeu ex ſpeciali Spiritus Sancti motione poteſt latêre ingens æquivocatio, quæ intelligentiam quidditatis Divinæ contemplationis penitùs impediat: propterea debes obſervare 3. ly *ſupra mentem* duplicitèr intelligi poſſe. Primò, vt cadat ſupra modum contemplandi. Secundò, vt cadat ſupra rem contemplatam. Tunc cadit ſuprà modum, quando licèt res contemplata ſit de facili ab intellectu cognoſcibilis; modus tamen illam cognoſcendi adeò ſublimis eſt, vt *ſupra mentem* ſit. Tunc cadit ſupra rem contemplatam, quando hæc talis eſt, vt intellectus ex ſe nunquam poſſet in eius cognitionem pervenire; ſuffultus tamen ſuperiori illuminatione, in eius cognitionem venit. Cæterùm modus, quo talem rem cognoſcit, eſt ſibi connaturalis, videlicet per diſcurſus.

Horum exempla in promptu ſunt. Siquidem quoad primum, nemo ambigere poteſt, quòd res quædam naturalis poteſt ita ſublimiter contemplari, & ex motione tam ſuperiori, & arcana; vt totus ille progreſſus *ſupra mentem* eſſe, faciliter cognoſcatur. Quæ cõtemplatio ſolet eſſe etiam ita efficax, vt raptum cauſet. De quo plura exempla ſunt illorum, quia ex intuitu rei naturalis, aut ex auditione vnius vocis, extatici mirabiliter fiunt. In quo certum eſt ſuperioritatem huius contemplationis non provenire ex obiecto attacto; ſed ex modo, quo anima fertur in obiectum.

Quoad ſecundum autem etiam res eſt perſpicua, conſtatque ex duobus vltimis gradibus cõtemplationis, quos ex Richardo retulit D. Thom. num. 85. in eorum primo vtique *ſupra mentem* procedimus; quia ex nobis in illa dirigimur, ad quorum attigentiam natura nobis vires dedit: vnde cùm ea contemplamur, quæ ſolùm ex revelatione cognoſcimus, *ſupra mentem* procedimus. Quod clariùs conſtat in alio gradu, in quo illa conſideramus, *quibus etiam humana ratio contradicere videtur*, quia ex nobis illa ſolùm conſiderare valemus, quæ humana ratio nobis dictat: vnde in illa dirigi, *quibus humana ratio contradicere videtur*, abs

dubio

dubio est *supra mentem* cognoscere. Verùm quia fides, cuius ductu obiecta illa, nostram mentem transcendentia, attingimus, non confert nobis modum illa attingendi superiorem nostro modo discursivo, nec ex consequenti, discursum nostrum aufert, aut prævenit: propterea illa ipsa arcana, & sublimissima objecta cognoscimus ex discursu; atque adeò iuxta modum connaturalem intellectus, consequentèrque non *supra mentem*. Ex quibus

Respondetur. 2. ad factum argumentum: prætermissa maiori, distinguendo minorem: contemplatio, de qua, &c. *si supra mentem* fiat, conceditur: si fiat *juxta mentem*, ac modum proprium intellectus, negatur. Itaque Dionys. loquitur de sublimissima contemplatione, quæ per negationem habetur, quæ quidem haberi non valet, quin intellectus sublimetur ad operandum supra modum sibi proprium; vnde *supra mentem* est illa contemplatio, ly *supra mentem* cadente supra rem contemplatam juxta dicta num. antecedenti, quia semper, quòd talis contemplatio datur, debet esse hoc modo *supra mentem*. Cæterùm objectum illud, vt dictum est, potest attingi modo proprio intellectus; atque adeò *juxta mentem*, & tunc quamquàm objectum sit adeò sublime, contemplatio est acquisita, & naturalis, quia per illum modum naturalem, quo intellectus procedit ad ordinem naturalem actus inde procedens deprimitur: vt vidimus numero 81. Si autem obiectum illud attingatur ex motione transcendente modum proprium intellectus; atque adeò *supra mentem*; tunc contemplatio est infusa. Quæ omnia ex ijs, quæ prælibavimus, constant. Vnde patet, illam contemplationem, quam nobis Dionys. loco citato proponit, vtroque modo posse haberi: & secundùm modum, quo facta fuerit, erit, vel non erit intrinsecè supernaturalis.

Per quæ patet ad ea, quibus minor illa propositio negata suffulciebatur. Etenim Dionys. illam contemplationem appellat *divinissimam*; vel quia infusa est juxta primam solutionem, vel quia juxta secundam, potest esse infusa: vel denique, quia licèt acquisita sit, multoties, favente Deo, transit in infusam. Quod licèt etiam accidat meditanti, & etiam vocaliter recitanti, vtî adstruit Seraph. M. Nostra; frequentiùs tamen evenire solet contemplanti contẽplatione illa adeò elevata, quamquàm acquisita. Vnde ob hoc motivum iure etiam dicitur *divinissima*: licèt, si inspiciantur, quæ ipsa habet ex se, hoc nomen ei non detur.

87. Arguitur 2: quæ differunt secundùm substantiam, continuari non possunt: actus contemplationis acquisitæ, & infusæ continuantur: ergo non differunt secundùm substantiam: ergo cùm substantia contemplationis infusæ sit supernaturalis; pariter, & substantia contemplationis acquisitæ. Hæc secunda consequentia constat ex prima, quæ legitimè infertur ex præmissis, quarum maior certissima est, minor verò est juxta ea, quæ diximus num. præcedenti.

88. Confirmatur 1. Quia contemplatio acquisita causat intensiorem amorem supernaturalem: ergo & ipsa supernaturalis est. Antecedens apud omnes mystas est certissimum, qui cum D. Thoma 2. 2. quæst. 180. art. 1. in corp. & 3. ad 3. docent, contemplationem terminari ad voluntatem, quam facit igne intensiori inflammari. Et consequentia probatur: intensio illa amoris est de linea ipsius amoris: vnde supernaturalis est: sed effectus supernaturalis nullatenùs provenire potest à causa naturali: ergo contemplatio acquisita, quæ talem intensionem causat, est supernaturalis.

89. Confirmatur 2. Contemplatio acquisita est regulativa illius amoris sibi correspondentis: ergo est supernaturalis. Antecedens patet: quia quivis actus voluntatis regulatur per actum intellectus; vnde obiectum voluntatis est bonum, vt ab intellectu apprehensum, sibique propositum; ita vt nihil voluntas diligat, nisi id, quod ei intellectus proponit. Deinde probatur con-

se-

ſequentia, quia actus intellectus regulans amorem ſupernaturalem debet eſſe ſupernaturalis: ergo contemplatio acquiſita, per quam regulatur amor ille ſupernaturalis, ſupernaturalis eſt. Probatur antecedens: quia voluntas nequit diligere niſi id, quod ſibi intellectus proponit, & ex motivo propoſito ab intellectu: ſed voluntatis actus, quem regulat contemplatio acquiſita, tendit in obiectum ex motivo ſupernaturali: ergo ipſa contemplatio regulans attingit idem ſupernaturale motivum; atque adeò ſupernaturalis eſt.

90. Reſpondetur argumento ex noſtris Complutenſibus lib. 1. de anim. diſp. 5. q. 2. num. 9. & cum noſtris Salmant. tract. 14. diſp. 3. num. 56. concedendo maiorem, & negando minorem. Nec nos diximus, actus contemplationis acquiſitæ, & infuſæ continuari. Sed diximus, quod omnes docent, videlicèt, quòd animam, contemplationem activam fervidè exercentem, ſolet Deus elevare ad contemplationem infuſam. ¶ Quãdo autem hoc evenit, datur vera ſucceſsio vnius actus poſt alium: vnde continuatio non adeſt. Variatur enim motivum, & obiectum formale contemplationis: quare hæc non poteſt non variari. Quod clariſsimè conſtat ex illo addito in contrarium adducto. Siquidem vocaliter recitantem poteſt Deus elevare, elevatque aliquando, ad infuſam contemplationem. Dum tamen anima ingreditur contemplationem infuſam, hanc cum oratione vocali quis aſſerat continuari? Similiter in noſtro caſu: in eo quippè datur vera, & realis ſucceſsio: non tamen datur continuatio. Videantur citati Salmantiſ. Complut. que.

91. Ad primam confirmationem reſpondere debent, qui nobis in hac parte adverſantur. Etenim meditatio dirigitur ad inflammandam voluntatem, rogumque charitatis augeſcendum, vt multoties dictum in ſuperioribus eſt, & modò ſupponi debet. Eſt nè meditatio cauſa illius ſupernaturalis amoris, vel non? Si non alio recurrendum eſt, vt cauſa illius intenſionis inveniamus; quod idem in caſu præſenti dicemus. Si ſic: ergo potiori iure idem dicemus de contemplatione acquiſita. Inſuper frequens myſtarum opinio tenet, Theologiæ Scholaſticæ habitum eſſe principium elicitivum contemplationis acquiſitæ, quæ non terminatur ad ipſas veritates fidei, ſed ad concluſiones inde deductas. Inquiro: eſt nè habitus Theologiæ Scholaſticæ cauſa amoris ex illa contemplatione, veluti reſultantis, vel non? Quodcumque dicatur, nihil contra nos hanc confirmationem, ſequentemque probare convincitur. Quia ſi eſt cauſa; habemus intentum. Si autem cauſa non eſt: aliam aſsignare teneris, de qua nos idem dicemus.

Reſpondetur ergo ad primam confirmationem; contemplationem acquiſitam, nec alium actum cuiuſcumque virtutis, & etiam actus ipſius charitatis, non poſſe cauſare intenſionem, ſeu augmentum charitatis, niſi in genere cauſæ diſpoſitivæ, ob ea, quæ noſtri Salmant. docent. tract. 19. diſp. 5. dub. 3. num. 16. Quòd autem contemplatio hoc modo poſsit influere in charitatis augmentum, res eſt communis omni virtuti, nedum infuſæ; ſed etiam acquiſitæ, vt docent ijdem P.P. tract. 16. diſp. 4. dub. 2. Quod quidem in contemplatione ſpecialiter vrget. Cùm certum ſit, evenire poſſe, quòd iuſtus eliciat actus aliarum virtutum (vt contingit cùm intra Sacramentum iuſtificatur) priuſquàm actum formalem charitatis eliciat, vt tradunt dicti Patres loco citato ex tract. 19. dub. 4. num. 223. Cæterùm contemplationis actus elici non poteſt, quin charitas præcedat, juxta doctrinam D. Thom. in ipſo loco, qui contra nos citatur. Vnde ex hoc habet contemplatio acquiſita, quòd dicto modo influat in augmentum charitatis.

Ob quæ Abbas Antiochus oratione 128. dixit: *Nihil ita cor hominis inflammat, ſicut Theologia.* Sed audiendus eſt D. Thom. in quo hactenus dicta fundantur. Sic enim loco citato art. 7. inquit, *Ad primum ergo dicendum,*

dum, quòd vita contemplativa, licèt essentialiter consistat in intellectu: principium tamen habet in affectu, in quantùm videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio: inde est, quòd etiam terminus, & finis contemplativæ vitæ habetur in affectu: dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ipsa delectatio rei visæ amplis excitat amorem. Vnde Gregorius dixit super Ezech. quòd cùm quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius ampliùs igneſcit. Et hæc est vltima perfectio contemplativæ vitæ, vt scilicet non solùm divina veritas videatur, sed etiam vt ametur.

Ad 2. confirmationem ex doctrina tradita patet solutio. Hic enim etiam vrget illud, quod de actu meditationis dicebamus, & etiam de actu contemplationis acquisitæ ad veritates deductas ex principijs fidei terminatæ. Vnde licèt actus naturalis non possit ex se effectum supernaturalem habere, nec obiectum supernaturale attingere: actus autem, qui ex se naturalis est, supernaturalis autem aliundè; potest quidèm, provt sic, effectum intra ordinem supernaturalem habere, & obiectum supernaturale attingere, illudque ex motivo supernaturali proponere voluntati. Vnde, cùm contemplationem acquisitam, licèt naturalem quoad substantiam; supernaturalem tamen radicalitèr, & ex obiecto dixerimus: propterea ex hoc, quod ei ex fide, ac charitate accrescit, potest facere, quod sibi relicta, haud valeret.

92. Arguitur 3. contemplatio acquisita est participatio formalis prædicati Divini, illius scilicet intellectionis, qua Deus seipsum contemplatur: ergo est quoad substantiam supernaturalis. Consequentia patet ex ijs, quæ prælibavimus, & antec. prob. Ex eo quòd nihil videtur deesse huic nobilissimo actui, vt sit formalis participatio illius supernæ intellectionis, sicut illam participat contemplatio infusa: ergò illius participatio formalis est. Prob. antec. Solùm adest differentia inter contemplationem acquisitam, & infusam, in eo, quòd illa sit minùs perfecta, quam ista: sed hæc minor perfectio non obest, vt participet dictam intellectionem; sicut patet in virtutibus Theologalibus, & moralibus infusis, quæ licet, se in perfectione excedant, sunt nihilominus participationes prædicati divini, & vt comparatio fiat inter res eiusdem ordinis, diversi gradus infusæ contemplationis se in perfectione excedunt: & tamen omnes illi participant dictam intellectionem divinam: Ergo.

93. Confirm. Si contemplatio acquisita fieret ex speciali motione Spiritus Sãcti, vt infusa, foret vtique supernaturalis intrinsecè, sicut illa: sed quòd non fiat ex speciali illa motione, non obest, vt sit intrinsecè supernaturalis: Ergo est. Consequentia sequitur, & mai. certa videtur; quia in hoc solummodò differunt hæ duæ contemplationes, vt patet ex multoties dictis, in quo, si non differrent, auferri non posset contemplatione acquisita intrinseca supernaturalitas; vel illam contemplatio infusa non haberet. Minor. autem probatur; quia actus virtutum Theolog. sunt intrinsecè supernaturales, etiam si fiant non ex speciali motione, sed ex industria, ac studio nostro: Ergo licèt ex simili studio procedat contemplatio acquisita erit intrinsecè supernaturalis.

94. Respondetur argum. negando antec. Quia tunc datur supernaturalitas intrinseca quando datur participatio alicuius prædicati Deo *convenientis secundùm modum essendi sibi proprium*, vt diximus num. 61. si autem aliter participetur tale prædicatum, non solùm intrinsecam supernaturalitatem non arguit; quinimo illam excludit. Quòd autem contemplatio acquisita hoc secundo modo, & non illo primo Dei prædicatum participet, inde omissis alijs constat, quia si primo illo modo participaret, in Deum vt terminum supernaturalem tenderet, quod non habet, vt ex dictis constat. Nec huius alia ratio, vltra datas, modò necessaria

est,

est nisi illa, quam assignant nostri Salmanticenses tract. 12. dub. 2. num. 36. hisce verbis: *Actus non attingit obiectum nisi in virtute sui principij proximi, ex eiusque directione, & idcò quamvis in obiecto sint plures rationes aliàs formales, & propter se attingibiles; si tamen predictum principium non omnes formaliter respiciat, sed aliquam, vel aliquas purè materialiter, hoc ipsum debet habere actus.* Vnde licèt in obiecto contemplationis acquisitæ sit ratio supernaturalis; quia verò hanc rationem illa ex se non attingit; eo quòd principium eius, nempe habitus Theolog. acquisitæ, non respicit illam pro formali; propterea actus ille supernaturalis intrinsecè non est.

Per quod patet ad ea, quæ pro illius antecedentis probatione adducta sunt. Etenim contemplatio acquisita, ita est minùs perfecta, quàm infusa, quòd sit generis multum inferioris: eoque adest discrimen notissimum inter has contemplationes, & exempla ibi allata; siquidem illa diversa sunt intra lineam entis supernaturalis, in qua illam maiorem, vel minorem perfectionem habent. Contemplatio verò acquisita est extra genus entis supernaturalis: vnde non adest paritas.

95. Ad confirm. respond. maiorem impossibile continere: ex quo sequitur quodlibet. Si namque contemplatio acquisita fieret ex speciali motione Spiritus Sancti foret, & non foret supernaturalis: foret quidem, vt supponitur; sed non foret, quia eius principium proximum non esset tunc supernaturale, sicut nec nunc. Vnde etiam si non differrent contemplatio acquisita, & infusa in motivo, ex quo procederent: Si tamen principium proximum contemplationis acquisitæ maneret naturale, ipsa esset, & non esset supernaturalis, vt dictum est. Vnde falsum est, quod ibi additur, videlicet, has duas contemplationes solùm differre in motivo, ex quo procedunt. Differunt in motivo, differunt in principio proximo, & differunt in pluribus alijs; & quamquàm dum de his contemplationibus loquimur, regulariter dicamus, in motivo discriminari: Hoc non est, quia alias rationes differentiæ excludamus: sed quia ista verè differentia est, & in illa aliæ implicantur.

Ad min. autem, quatenus nobis opponi potest, dicimus ex tom. 1. disp. 1. quæst. 8. num. 200. habitum supernaturalem dupliciter infundi. Primò ita, vt actus eius nostræ industriæ relinquatur. Secundò ita, vt actus eius sit ex superiori motione, nec subsit industriæ nostræ. Habitus contemplationis supernaturalis infunditur hoc secundo modo, & illo primo modo infunduntur habitus virtutum Theologalium, & aliarum infusarum virtutum. Vnde actus harum virtutum, licèt sint supernaturales, fiunt à nobis, dum volumus. Actum verò contemplationis, quæ intrinsecè supernaturalis sit, non, cùm volumus, elicimus: sed cum illa Spiritus Sancti motione specialissima, ad eius elicientiam requisita, ditamur. Quare contemplatio illa, quæ ex hac motione non procedit, intrinsecè supernaturalis non est.

96. Dices: Cur in alijs generibus dantur actus acquisiti naturales, vt sunt omnes actus virtutum acquisitarum, tum moralium, tum aliarum: dantur etiam virtutum supernaturalium habentium idem nomen cum acquisitis, actus supernaturales acquisiti, vt sunt actus virtutum omnium infusarum: Insuper, ac denique dantur actus infusi, quales sunt actus donorum Spiritus Sancti? vt patet ex dictis num. 37. & 38. Cur inquis, hoc ipsum non dabitur in contemplatione: ita talitèr, quod detur contemplatio naturalis acquisita, & contemplatio acquisita supernaturalis, & demùm contemplatio infusa? Datur v. g. fortitudo virtus naturalis, cuius actus intrinsecè naturalis est: & datur virtus fortitudinis supernaturalis, cuius actus intrinsecè supernaturalis est, licèt acquisitus, hoc est, nostra industria elicitus: ac datur fortitudo donum Spiritus Sancti cuius actus non solùm est supernaturalis, sed & infusus: Idem evenit in fide; quia

datur fides humana, quæ eſt merè acquiſita, & fides virtus Theologica, quæ eſt infuſa, licèt actus ſit acquiſitus, & fides quæ eſt vna ex gratijs gratis datis, quæ penitùs infuſa eſt: idem evenit in alijs, & ab hac generaliſsima regula excipietur Divina contemplatio; ſiquidem non ponimus actum contemplationis, qui ſit intrinſecè ſupernaturalis, & acquiſitus medians inter contemplationem naturalem, & prorſùs infuſam?

Obiectio hæc petit quod ſæpiſſimè negavi, quamquàm ſimulet petitionem. Explorare enim vult, quid circa virtutem fidei hac in parte ſentiamus. Quod iam diximus, neutiquam revelandum, vſque ad locum ſæpe ſæpiùs dictum; nec iam plurimum diſtat. Et certè de hoc multotiès ſermonem facere cogimur; nè ſi inſtantiam, cum ipſa ſeſe prodit, præterimus, ex alio fine illam diſsimulare videamur. Nec te moræ tædeat; quippè res admodùm difficilis eſt, & ab Authoribus innumeris Scholaſticis, & Myſticis, quos ſedula reflexione vidi, penitùs prætermiſſa.

Ex ijs enim invenies, qui dicant, vt ſuo loco monuimus, Theologiam Myſticam, & Scholaſticam eſſe eundem habitum, ac inſuper principium proximè elicitivum contemplationis eſſe fidem. Quibus addunt, Theologiam Myſticam eſſe ſcientiam. Hæc dicunt, & quomodo compatiantur, nec leviſsimè inſinuant. Nobis autem in animo fuit ab initio huius operis, nodum iſtum, Gordiano ſuperiorem, penitùs abſcindere, ſi non poſſumus, quod optamus, enodare; viamque hanc, quam calcatam, non video, ſternere; ſi fortè alijs alicuius, vel minimi ſolatij eſſe poſſum; nè in eius ſenticetis ſudent, vt nos, & quidem copioſiſsimè, ſudaſſe, potes credere. Præterquàm quòd, etiam ſi ſuo loco dicam, actum contemplationis eſſe actum fidei, nihil ex eijs, quæ modò aſſerimus, & priùs aſſerta ſunt, mutationem ſubibit. Vnde diviſionem adæquatam contemplationis in infuſam, & acquiſitam; huius, de qua hic loquimur, naturalitatem intrinſecam; habitum ipſius eſſe Theologiæ habitum; eſſe ſcientiam, aliaque ſimilia minimè mutabimus. Nullum ergo malum tibi facit, circa illud punctum ſuſpenſio noſtra. Maximè cùm, ad locum vbi propriorem ſedem habet, ſit remiſsio. Patientiam ergo habe in me, & omnia tibi, favente Numine, reddam.

97. Pro nunc autem reſpondetur ad factam obiectionem conced. Omnia, quæ dicit de illis omnibus virtutibus, donis, & gratijs, & negando hoc ipſum inveniri poſſe in contemplatione. Diſcrimen offertur ab ipſa rerum, de quibus agimus, natura. Etenim vt illæ virtutes habeant illam triplicitatem actuum, nulla adeſt repugnantia; immo provida convenientia, vt Theologi explanant. Aſt, vt eadem actuum triplicitas detur in contemplatione, adeſt clariſsima repugnantia. Quia actus ille contemplationis ſupernaturalis acquiſitæ non eſt principium proximum, à quo eliciatur. Non auxilium aliquod trãſiens; quia talis actus debet fieri, ſeu procedere connaturaliter à contemplante, ad quod neceſſarium eſt, ponere habitum permanentem, vt paſsim cum communi ſententia Theologor. docent Salmant. noſtri.

Iſte habitus non poteſt eſſe Donum Spiritus Sancti, aut aliud ſuperius, quia hæc Dona operantur ex ſpeciali motione Spiritus Sancti. Vnde actus ipſorum ſunt infuſi. Præterquamquòd Dona Spiritus Sancti ſub iudice eſt, an ipſa ſint principia proximè elicitiva actuum: an verò ſolùm concurrant, vt modificantia principium proximum, de quo loco inſinuato agemus. Videatur interim Diſcept. myſtica tract. 2. q. 3. artic. 7. num. 29.

Inſuper habitus iſte debet eſſe intellectualis, de quo nemo dubitare poteſt: Ergo vel eſt habitus principiorum, vel ſapientia, aut ſcientia, aut prudentia, aut ars. Patet, quia in hos habitus adæquatè dividitur habitus intellectualis ex Ariſtot. 6. Ethic. cap. 4. quem omnes ſequuntur. Videantur à

nobis

nobis dicta in Isag. lib. 1. num. 157. & disp. 1. proœmiali num. 211. Habitum contemplationis non esse artem, nec prudentiam, quis negare audebit? Habitus principiorum est habitus naturalis, vnde actum supernaturalem producere non potest. Si autem pro habitu principiorum velimus intelligere Donum intellectus, quod à D. Thom. solet dici habitus principiorum, huius actus est infusus; quare contemplatio acquisita non potest esse actus eius.

Si verò pro habitu principiorum sumatur fides, quam relatè ad Theologiam idem Ang. Doct. vocat habitum principiorum; adhuc non potest esse contemplatio acquisita actus eius. Tum: quia hic actus est scientificus: vnde à fide esse non potest. Tum: quia aliàs fides esset virtus intellectualis, contra ea, quæ ex D. Thom. diximus dicto loco ex Isag. num. 154. vnde devolvitur tota controversia ad sapientiam, & scientiam.

Sed nec istæ possunt esse principium contemplationis acquisitæ supernaturalis. Quia adhuc in nullo Theologorum aliam sapientiam, aut scientiam vidimus, nisi vel acquisitam; vel infusam. Infusa est Donum Spiritus Sancti, aut gratia gratis data, aut alia superior. Harum omnium actus infusi sunt: actus autem sapientiæ, & scientiæ acquisitæ sunt, sicut & ipsæ, intrinsecè naturales. Vnde nullum adest principium proximum, quod elicere possit hanc contemplationem supernaturalem acquisitam.

98. Instas: omnia hæc superantur, si dicatur, habitum Theologicum esse intrinsecè supernaturalem; sic enim contemplatio erit acquisita, & supernaturalis intrinsecè. ¶ Respond. non sic omnia superari: quia si habitus Theolog. ponitur intrinsecè supernaturalis, non dabitur contemplatio Evangelica naturalis; atque adeò de hac fiet idem argumentum, quod factum est num. 96. Adde: supernaturalitatem habitus Theologici non esse opinionem adeò communem, vt illi possimus rem adeò communem, ac fundatam alligare. De quibus nihil ampliùs.

99. Arguitur vltimò: Contemplatio acquisita Evangelica habet supernaturalitatem superiorem supernaturalitate contemplationis merè Scholasticæ: sed contemplatio merè Scholastica est supernaturalis ex principio remoto, & ex obiecto: ergo supernaturalitas contemplationis Evangelicæ acquisitæ est intrinseca. Consequentia bona est; quia supernaturalitas creata adæquatè dividitur in supernaturalitatem intrinsecam, & extrinsecam. Vnde id, quod est supernaturale, & non extrinsecè, erit vtique intrinsecè supernaturale. Min. vera est; quia Theolog. Scholastica, quæ est principium proximum illius contemplationis Scholasticæ, est supernaturalis à fide, quæ est principium eius mediatum, & ab obiecto, vt neminem latet. Mai. autem probatur: quia contemplatio Evangelica acquisita petit indispensabiliter gratiam, & charitatem, estque actus vitæ æternæ meritorius, nihil horum habet ex se contemplatio merè Scholastica; siquidem datur in peccatore, & dummodò salvetur fides Theologica, salvatur Theologia Scholastica: ergo tenet maior.

100. Confirm. seu vrgetur ratio facta: Contẽplatio Evangelica acquisita habet intimam, ac indispensabilem connexionem cum ente supernaturali, scilicet cum gratia, & charitate, à qua indispensabiliter procedit, in ipsamque terminatur, vt supra ex D. Thom. vidimus: ergo est intrinsecè supernaturalis. Anteced. patet: quia pereunte charitate, perit necessariò contemplatio Evangelica acquisita, quod non potest aliundè provenire, nisi ex intima connexione, quam cum charitate habet. Et consequentia probatur: quia nullum ens naturale dicit illam connexionem cum ente supernaturali: ergo si talem connexionem dicit contemplatio Evangelica acquisita, est quia est intrinsecè supernaturalis.

101. Respond. argum. ex dictis in nostra Isag. lib. 1. num. 159. & num. 68.

vſque ad 71. Virtutes, & vitia poſſe ſumi, & in eſſe habitus, & quoad eſſentiam ; & in eſſe virtutis, & vitij, ſeu quoad ſtatum. Virtus (idem eſt de vitio) in eſſe habitus dicit ipſam eſſentiam virtutis, adeò remiſſam, vt nec habentem denominet *virtuoſum*, vt dicunt N. Salmant. tract. 12. diſp. 4. dub. 2. num. 28. nec alia, quæ ſunt propria virtutis, habeat. Virtus in eſſe virtutis dicit ſe ipſam cum perfectione ſtatus. Horum exemplum eſt fides infuſa, que in peccatore non eſt in eſſe virtutis, ſed in eſſe habitus ; in iuſto autem ſtatum virtutis habet, eſtque principium operum valdè ſublimium, quorum in eſſe habitus non poteſt principium eſſe. Ex quibus ad argumentum,

Dicimus: habitum Theolog. in eſſe virtutis eſſe principium contemplationis Evangelicæ acquiſitæ, quæ indiſpenſabiliter petit pro principio habitum ipſum perfectum, & quoad ſtatum, quod non habet ſine gratia, & charitate, ſicut & aliæ virtutes acquiſitæ. Aſt principium contemplationis merè Scholaſticæ non exigit ipſum habitum quoad ſtatum pro principio; ſed poteſt elici ab ipſo habitu in eſſe habitus. Vtrobique tamen ſupernaturalis extrinſecè eſt. Licèt dum procedit ab illo in eſſe perfecto, ſit illa ſupernaturalitas perfectior, & à pluribus, perfectioribuſque principijs proveniens. Sicut patet in ipſa fide informi, & formata, quæ ſemper eſt ſupernaturalis intrinſecè, ſed perfectior formata, quàm informis. Ac denique, ſicut pereunte fide informi, perit contemplatio Scholaſtica, ſic abeunte fide formata, abit contemplatio Myſtica. Vnde in forma,

Reſpondetur: Conceſſa maiori de ſuperioritate intra lineam ſupernaturalitatis extrinſecæ, & conceſſa etiam minori, negando conſequentiam; quia ſine eo quod detur alia ſupernaturalitas diverſa ab extrinſeca, & intrinſeca, datur exceſſus in illis, ſive extrinſecæ, ſive intrinſecæ ſint, vt dictum eſt. Per quod patet ad omnia, quæ in argumento dicuntur.

Ad confirmat. dicas: eandem intimam connexionem cum gratia, & charitate habere etiam contemplationem Scholaſticam, ſi proveniat ab habitu Theologico in ſtatu perfecto. Vnde dicit illam connexionem cum ente ſupernaturali: non tamen propter hoc eſt intrinſecè ſupernaturalis contemplatio Evang. acquiſita, quia talem connexionem non dicit intrinſecè, & ex ſe; ſed ex gratia, ex fide, ex charitate. Vnde licèt, illud, quod ex ſe, & intrinſecè dicit illam intimam connexionem cum ente ſupernaturali, ſit ſupernaturale entitativè, quod, & non ampliùs probat hæc confirmatio; Illud tamen quod ſolùm ex aliundè acceptis dicit talem connexionem, non eſt entitativè ſupernaturale. Et ſi ob dicta contemplatio Evangelica intrinſecè ſupernaturalis foret; etiam Theologia Scholaſtica eadem ſupernaturalitate gauderet; ſiquidem ipſa quoquè dicit intimam, ac indiſpenſabilem connexionem cum fide; ita vt in non habente fidem dari nequeat. Et etiam omnis virtus acquiſita in eſſe virtutis, & quoad ſtatum, petit indiſpenſabilitèr charitatem, & non ob hoc ſunt entitativè ſupernaturales. Videantur N. citati Salmant. ex quorum doctrina aliquot inſtantias contra dicta ex aliquibus reduplicationibus provenientes, haud difficulter ſolvi poſſunt.

DISPVTATIO NONA.

De bonitate Divinæ Contemplationis.

DIſputationem de quidditate Divinæ Contẽplationis abſolvimus, ſed non adhùc ab illa recedimus ; Immo nec in toto hoc prædicabili recedemus. In eo enim tota noſtra ſolicitudo in id dirigetur, vt

huius

huius excellẽtiſsimæ operationes quidditas aperiatur. Omnia quippè de quibus in eo agendum nobis eſt, lucem conferunt ad hanc nobiliſsimam cognitionem nanciſcendam: tum ab eius cauſis: tum ab effectibus: tum ab alijs. In præſenti diſputatione de bonitate ipſius acturi ſumus. Nec ipſius bonitatem diſquirimus, ſed ſupponimus. Et hac contemplationis bonitate ſuppoſita, modum, quo ei convenit, & quomodo convenit, aliaque huius materiæ propria, explorabimus. Duplex bonitas in contemplatione conſideranda eſt. Prima, quæ ipſi convenit in quantum eſt ens: omne enim ens eſt bonũ, vt docet D. Thom. 1. p. q. 5. art. 3. conſtatque, quia *bonum* eſt vna ex affectionibus entis: vnde cùm Contemplatio Divina ſit ens completum, & perfectum, vtpotè directè in prædicamento poſita; propterea bona eſt. Verùm de illa ſecundùm hanc bonitatem conſiderata non loquimur, quia hoc eſt valdè commune; eoque deſervire non poteſt, vt mens circa eſſentiam Divinæ Contemplationis illuſtretur. Alia eſt bonitas ipſi conveniens, vt eſt animæ in perfectionem euntis perfectiva; ac de iſta loquimur in præſenti. Quia cùm hoc prædicabile de perfectivo animæ modo dicto ſumptæ, agat, & hoc perfectivum ſit Cõtemplatio Divina, quæ animam veluti à propria conditione alienat, hominemque veluti divinum cõſtituit, vt ex ſupra dictis conſtat, ampliùſque ex dicendis conſtabit: idcò de bonitate Contemplationis, vt eſt hominis perfectiva, nobis in præſenti ſermo eſt.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Contemplatio Divina ex ſe ſit bona?

SVpponimus Divinam Contẽplationem eſſe bonam, & perfectivam hominis, quem extrahit à confuſione pluralitatis actuum, cui dum meditaretur, inſudabat, conſtituitque in ſtatu Proficientium, & Perfectorum. De quo ſpecialiter diſputare noluimus; quia res eſt ſatis nota, & quàm omnia quæ de Divina Contemplatione diximus, dicemuſque, affatim oſtendunt. Breviter tamen placuit aperire, an hoc, quod eſt perficere hominem, ſeu eſſe bonam habeat Divina Contemplatio ex ſe, an aliunde illi proveniat? Et loquimur indiſcriminatim de omni Divina Contemplatione, acquiſita ſcilicet, & infuſa; quia ſeorſim de qualibet loqui in præſenti neceſſarium non eſſe, progreſſus ipſe monſtrabit. Accedit: quòd præcipuè de contemplatione acquiſita loquuturi, quid circa infuſam tenendum ſit, explanamus.

§. I. *Statuitur, probaturque pars affirmativa.*

1. NOſtra concluſio: *Contemplatio Divina ex ſe eſt bona.* Sic ſentiunt omnes D. D. Myſtici bonitatem divinæ contemplationis ſummis laudibus efferentes, & nunquam pro merito ſe illam extollere iudicantes. Ita vt de illa dicere poſsimus, quod de æterna fœlicitate ait Auguſt. trat. 34. in Joan. *Deſiderari poteſt, concupiſci poteſt, ſuſpirari poteſt, verbis explicari non poteſt.* Probatur ergo 1. aſſertio ratione ab authoritate deſumpta: Contemplatio ex ſe eſt appetibilis: ergo ex ſe eſt bona. Conſequent. patet ex D. Thoma 1. p. q 5. art. 1. vbi in fine corporis ait: *Manifeſtum eſt, quòd bonum, & ens ſunt idem ſecundùm rem: ſed bonum dicit rationem appetibilis.* Etiamque patet ex Philoſ. 1. Ethic. vbi inquit: *Bonum eſt, quod omnes appetunt.* Vnde ſi contemplatio ex ſe habet appetibi-

tibilitatem, eodem modo habet bonitatem.

Anteced. autem prob. 1. à D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 7. in argumento *ſed contrà*, vbi illud probat ex ſacra Scriptura, & ex D. Greg. in hunc modum: *Sed contra eſt, quod de contemplatione dicitur Sapientiæ 8. non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium victus eius, ſed lætitiam & gaudium. Et Gregor. dicit ſuper Ezech. quòd contemplativa vita amabilis valdè dulcedo eſt.* Et artic. 7. ad 3. affert idem Sanctus Doct. verba eiuſdem Salomonis inibi de contemplatione loquentis, dicentiſque: *Amator factus ſum formæ illius.* Ergo Contemplatio Divina eſt appetibilis.

Plura concurrunt ad hanc appetibilitatem Divinæ Contemplationis ſuadendam, ex quibus pauca adducam, quibus probatur 2. illud antecedens. Primum ſit illud eiuſdem Sapientiæ cap. 7 vbi dicitur: *Invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ.* Hæc Sapientia eſt Contemplatio Divina, teſte D. Th. dicta q. 180. art. 3. ad 4. dicente: *Ad 4. dicendum, quòd homo ad cognitionem veritatis pertingit dupliciter, vno modo per ea, quæ ab alio accipit, & ſic quidem quantum ad ea, quæ homo à Deo accipit, neceſſaria eſt oratio ſecundùm illud Sapientiæ 7. invocavi, & venit in me ſpiritus Sapientiæ.*

Vidimus, Salomonem de Divina Contemplatione loqui in allatis verbis: videamus, quid ſecum afferat contemplatio, vt hac via eius appetibilitas demonſtretur. Proſequitur Salomon ipſe contemplationis ſua oratione obtentæ conditiones proponens hiſce verbis: *Et præpoſui illam regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia.* Videatur totum illud cap. 7. & ſequens, in quibus multa, & mira dicit pro hac Contemplationis Divinæ appetibilitate commendada. Inter quæ ait: *Hanc amavi, & exquiſivi à iuventute mea, & quæſivi in ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.*

2. Nec multum eſt, & ſi tam magnum Divinam Contemplationem eſſe hominibus deſiderabilem; quod verè mirandum eſt, ipſi Deo eſſe appetibilem: quod eodem cap. 8. Salomon ipſe aſſerit ſubiungens: *Sed & omnium Dominus dilexit illam.* Nihil vividiùs exprimere poteſt bonitatem, & appetibilitatem Contemplationis Divinæ; ſiquidem ſi *omnium Dominus dilexit illam* evidens eſt, bonam eſſe, ſuavem, & appetibilem eſſe. Quò reſpiciens Extaticus N. Parens cant. 39. profundiſſimè modulatus eſt.

El aſpirar de el ayre,
El canto de la dulce Filomena,
El ſoto, y ſu donayre
En la noche ſerena, (pena.
Con llama, que conſume, y no dà

Vbi per illam ſerenam noctem conſumentem, pœnam tamen haud cauſantem, intelligit Divinam Contemplationem, in qua, inter ſublimia alia, certum animæ eſt, ſe dulciſsimæ Philomelæ cantum dulciſsimum habituram. Cuius cantus ſuavitas non ſolùm animam recreat; ſed etiam ipſi Deo dulciſsima eſt. Hæc ſunt verba huius expertiſsimi Doct. inibi: *Et ita hæc vox iubilationis eſt dulcis Deo, & etiam dulcis animæ.* Quod comprobat ex ipſo ſponſo Deo hanc vocem audire deſiderante, ſicque lib. Canticor. cap. 2. v. 13. & 14 ſuum hoc deſiderium exprimente: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Videatur idem Doct. Sanctus in explicatione illius cantionis, vbi mira affert, mirè contemplationis appe-

petibilitatem, atque adeò bonitatem, comprobantia.

3. Probatur 2. concluſ: Bonum, & pulchrum ſunt idem: Divina Contemplatio eſt ex ſe pulchra: ergo & bona. Conſequentia bona eſt: vnde duas alias propoſitiones probare debemus. Probatur ergo minor ex D. Thom. dicta q. 180. art. 2. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quòd pulchritudo, ſicut ſupra dictum eſt, conſiſtit in quadam claritate, & debita proportione. Vtrumque autem horum radicaliter in ratione invenitur, ad quam pertinet, & lumen manifeſtans, & proportionem debitam in alijs ordinare. Et ideò in vita contemplativa, quæ conſiſtit in actu rationis per ſe, & eſſentialiter invenitur pulchritudo. Vnde Sapient. 8. de Contemplatione Sapientiæ dicitur: Amator factus ſum formæ illius.*

Hoc idem convincitur ex verbis Salomonis num. præcedenti poſitis. Illa enim Contemplationis Divinæ pulchritudinem affatim manifeſtant. Verùm in ipſo cap. 7. v. 29. & 30. hæc veritas clariſsimè demonſtratur his elegantiſsimis vocibus: *Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim ſuccedit nox, ſapientiam autem non vincit malitia.* Supereſt, vt propoſiti ſyllogiſmi maiorem propoſitionem veram etiam eſſe oſtendamus. Igitur

Probatur mai. ex eodem D. Th. qui illam clariſsimè docet tum 2. 2. q. 145. art. 2. tum 1. p. q. 5. art. 4. ad 1. vbi ait: *Pulchrum, & bonum in ſubiecto quidem ſunt idem; quia ſuper eandem rem fundantur, ſcilicet ſuper formam, & propter hoc bonum laudatur vt pulchrum.* Ex quibus perſpicuè apparet identitas inter bonum, & pulchrum; & ratio huius identitatis: quin opus ſit alia addere, vt hæc veritas conſtet, niſi authoritatem D. Dionyſ. Areopag. qui cap. 4. de Divinis Nominibus *de bono, & pulchro* profundiſsimè differens inquit: *Hoc bonum laudatur à cunctis Theologis, & ſicut pulchrum, & ſicut pulchritudo, & ſicut dilectio, & ſicut diligibile*, & poſteà ait: *Omnibus igitur eſt pulchrum, & bonum, deſiderabile, & amabile, & diligibile.*

4. Dices: D. Thom. dicto art. 4. docet, Pulchrum, & bonum planè inter ſe differre; ſiquidem *bonum* pertinet ad voluntatem, habetque rationem finis. *Pulchrum* autem pertinet ad intellectum, habetque rationem cauſæ formalis: ergo tradita doctrina ruit.

Reſpondetur hanc obiectionem ſolummodò convincere *bonum*, & *pulchrum* differre *ratione*, vt in ibi docet Ang. Doct. quod nos minimè denegamus: ſunt tamen idem re: Et hoc ſufficit, vt factus diſcurſus teneat: quia ſi ſunt identicè idem; ex quo Divina Contemplatio *per ſe*, & *eſſentialitèr* ſit pulchra, vt ex D. Thom. vidimus num. 3. habetur, quòd etiam ſit bona; & hoc eſt, quod intendimus, non autem, quòd nec ratione differant. Immo hæc diverſitas ſecundùm rationem nobis favet: quia non vtcumquè aſſerimus, noſtram Contemplationem eſſe bonam; ſed taliter bonam dicimus, quòd ſit animarum perfectiva; ac propterea de illa agimus in hoc prædicabili, quod de myſtica differentia, ſeu de myſtico perfectivo agit. Vnde, ſi in contemplatione concurrunt duæ illæ rationes, ſecundùm quas & bona, & perfectiva eſt; bona, quia habet rationem finis; & perfectiva, quia *pulchrum propriè pertinet ad rationem cauſæ formalis*, vt ibi aſſerit D. Thom. ex hac doctrina prorſùs aſſertum noſtrum firmatur.

§. II. *Solvuntur argumenta.*

5. CONtra concluſ. arg. 1. Si contemplatio eſt *eſſentialiter* pulchra, & bona, vt diximus num. 3. erit bona, & pulchra *per eſſentiam*: implicat, quòd res creata ſit bona per eſſentiam: ergo implicat, quòd contemplatio ſit ex ſe, ſeu *eſſentialiter* bona. Cætera nota ſunt, & maior probatur: Quia nihil magis convenit per *eſſentiã* contemplationi, ſicut & cuilibet enti, quàm id, quod ex ſe, ſeu *eſſentialiter*

conve-

venit: ergo, ſi eſt bona ex ſe, ſeu *eſſentialiter*, erit *per eſſentiam* bona.

Reſpond. 1. concedendo 1. conſeq. Nec nos dicimus, contemplationem eſſe ex ſe, ſeu per ſuam eſſentiam bonam: ſi namque hoc aſſereremus, vtique teneremur admittere, contemplationem eſſe bonam *per eſſentiam*, quod de nulla creatura poteſt dici. Quippè ſicut creatura non eſt ens à ſe, ſeu ex ſe, ſeu per ſuam eſſentiam; ſic non poteſt eſſe per ſuã eſſentiam bona. Itaque aliud eſt dicere: *Contemplatio ex ſe, ſeu per ſuam eſſentiam eſt bona.* Et aliud eſt affirmare: *Contemplatio eſt bona ex ſe, ſeu per ſuam eſſentiam.* Primum ſignificat, contemplationem ex ſua natura eſſe appetibilem, & perfectam, perfectivam que animarum. Quod certè cum entitate ab alio non pugnat. Secundum autem explicat, contemplationem habere bonitatem à ſe, quod indubiè falſum eſt.

Solutio hæc eſt Eminent. Caietani 1. p q. 6. art. 3. vbi dictam differentiam adeſſe docet inter has propoſitiones: *Hoc per ſuam eſſentiam eſt bonum.* & *Hoc eſt bonum per ſuam eſſentiam.* Et quamquàm D. Thom. art. 3. loquatur de bonitate ſine hac differentia: hoc ideò eſt, ait idem Cardinal. quia iuxtà ſubiectam materiam, de qua ibi ſermo eſt, vterque loquendi modus coincidit. Cæterùm, ſi ea, quæ ex ſe exprimunt datæ propoſitiones, conſideremus, datum diſcrimen ſubſiſtere, verum eſt.

Reſpond. 2. cum N.N. Salmant. tract. 11. diſp. 2. num. 15. negando mai. Ad probationem negatur conſeq. Ratio verò eſt, quia illa locutio, *bonum per eſſentiam* denotat, non vt cumque aliquid eſſe tale ratione ſuæ eſſentiæ; ſed eſſe tale à ſe, & non per participationem ab alio. Quare licèt contemplatio ſit eſſentialiter bona; non tamen eſt bona per eſſentiam

Addunt dicti P. P. illud propriè dici *per eſſentiam* bonum, quod ita ex ſe habet omnem ſuam bonitatem, vt illam nullatenus habeat ex aliquo antecedenti, concomitante, ſeu ſubſequente. Et hoc ſoli Deo convenit; alia verò licèt ſint eſſentialiter bona, in illa etiam bonitate, quam eſſentialiter dicunt, augentur, vel ex adiunctis; vel alias. Quod in noſtra contemplatione evidens eſt; ſiquidem prærequirit plures actus, & virtutes morales, aliaque concomitantia, & ſubſequentia, vt eius bonitas perſeveret, & augeatur. Nunquam tantã bonitatem habet, quantam, eius natura conſiderata, poteſt habere. Siquidem, ſi ſtatus non repugnet, ſemper poteſt bonitas contemplationis augeri. Vnico verbo dicimus, quòd ſi *bonum per eſſentiam* ſumatur, prout eſt idem ac bonum non participatum, ſeu ab alio; ſic contemplatio non eſt per ſuam eſſentiam bona: ſi autem ſumatur, provt eſt idem, ac non accidentaliter; ſic eſt bona per ſuam eſſentiam, ſeu ex ſe.

6. Arguit. 2. Quod ex ſe eſt bonum & animæ perfectivum, ſemper hoc habet: ſed contemplatio, maximè acquiſita, multoties eſt mala, & animæ deſtructiva: ergo ex ſe non eſt bona. Mai. pat. quia quod alicui eſſentialiter convenit, ſemper illi convenit; immo non ſolùm non poteſt concipi ſub oppoſito; ſed nec ſine illo, quod ſibi eſſentialiter convenit, poteſt concipi. Minor autem probatur: Quia contemplatio acquiſita multos perdidit, duxitque in lamentabilem ruinam, quorum catalogus innumerabilis poſſet fieri; ſi hoc non eſſet ab omnibus notum. Hinc Quietiſtæ orti ſunt, in quorum tartaream claſſem quotidiè multi accenſentur, in ea manibus cõtemplationis activæ collocati: ergo hæc potiùs deſtructiva animæ eſt dicenda, quàm bona, & perfectiva nominanda.

Reſpond. nullam rem adeò bonam eſſe, quæ vitiari non poſsit hominum malitia. Contemplatio de ſe bona eſt. Sed ſiquis, incipiens cùm ſit, vult ad illam quin meditationem exercuerit convolare: proculdubiò ſuam ruinam experietur. Siquis ſine Directore, ſe ſibi ſufficere iactans, contemplationem exercet, nè miretur, ſi pennis, quibus erat ſydera calcaturus, præcipitatur. Siquis media contemplatione non ſa-

tagit

tagit fervorem accendere, ſed potiùs tumulare, deſidiæ, ac torporis altor: nil mirum, ſi in turpiſsimum otium ruat miſerrimè ſtrangulandus. Nec intelligas, hos, dum pereunt, Divinam Contemplationem exercere; ſi namque illi incumberent, haud perirent. Paulatim propria ſua culpa vrnam ſibi conſtruunt fœtidè ſepulchralem, quam cùm occupant, iam in eis non remanet contemplatio, ſed abominatio.

Itaque Divina Contemplatio bona eſt, perfectiva animæ eſt, otium eſt; ſed non turpe illud Quietiſtarum otium; ſed otium Sanctum, otium vigilans, otium penetrabilius omni gladio ancipiti. D. Auguſtin. huius ſanctiſsimi otij expertiſsimus cultor otium illud contemplationis, & vitæ activæ laborem in illis duabus ſororibus Martha, & Maria contemplatus eſt, dixitque Serm. 27. *De verbis Domini.* Sic: *in duabus fœminis duæ vitæ ambæ innocentes: vna laborioſa, & altera otioſa.* Otioſam dixit contemplationem; ſed ea otioſitate otioſam dixit, de qua aliàs idem ſanctiſsimus Doct. dixit: *Meum otium magnum eſt negotium.* Vel ipſe Poeta Princeps fidei lumine deſtitutus, otium agnovit non turpe, ac negligens; ſed bonum, & rationabilitèr appetendum, cùm cecinit: *Deus hæc nobis otia fecit.* Verùm de his non plura, quia de eis multotiès in ſuperioribus actum eſt, agendumque in ſubſequentibus, & præcipuè in 3. prædicabili, dum, an in exercitio Theolog. Myſticæ anima tantùm patiatur? exploremus.

Vnde in forma ad argumentum factum negetur minor. Ad cuius probationem negetur anteced. Illi enim, de quibus ibi ſermo eſt, non propter contemplationem, ruinam experti ſunt, ſed propter ſuam malitiam. Præcipitium vtique vitarent, ſi, vt par eſt, & à ſpiritus Magiſtris traditur, contemplationem exercerent. Vnde Divina Contemplatio ſemper, & vbicumque conſideretur, non ruinam parat, ſed, illam virtuoſè exercenti, coronam. Vide, quæ diximus diſp. 7. q. 2. in fine.

7. Arguitur 3. Quia D. Auguſt. 8. de Trinit. cap. 3. ait, quòd Deus eſt *bonum omnis boni*, cui conſonat Boet. in lib. *An omne ens ſit bonum?* vbi ait *Omnia dicuntur bona, in quantum ordinantur ad Deum*: Ergo Contemplatio Divina non eſt ex ſe bona. Probatur conſeq. Quod eſt bonum à bonitate divina, ac per ordinem ad ipſam, non eſt intrinſecè bonum: Divina Contemplatio eſt bona à bonitate divina, & per ordinem ad ipſam, vt patet ex allatis authoritatibus: ergo.

Reſpond. argumento ex D. Th. 1. p. q. 6. art. 4. Contemplationem Divinam duplici bonitate gaudere. Prima eſt bonitas, quæ in ipſam, & quodvis bonum creatum derivatur à primo bono. Secunda eſt, quam ipſa ex propria entitate habet. Primam fatemur, eſſe extrinſecam: Aſt ſecunda intrinſeca eſt, & de qua loquimur in præſenti. Vnde ſicut contemplatio in ratione entis analogatur. Cum primo ente, analogia attributionis: & prout ſic dicitur ens extrinſecè ab entitate primi entis: quod non obeſt, vt ipſa dicat aliàs intrinſecè ſuam propriam entitatem: ſic de bonitate diſcurrendum eſt. Videatur Ang. Doct. loco citato, & ibi Caietan.

8. Arguitur vltimò: Contemplatio Evangelica acquiſita non eſt intrinſecè ſupernaturalis: ergo nec eſt intrinſecè bona. Anteced. conſtat ex dictis tota quæſtione præcedēti, & conſequentia probatur: Eodem modo dicta contemplatio eſt bona, ac eſt ſupernaturalis: ſed eſt extrinſecè ſupernaturalis: ergo & bona. Probatur mai. Sicut contemplationi accidit, quòd veritates ſupernaturales ſpeculetur, atque adeò quod ſit ſupernaturalis; ſic accidit, quòd virtuoſa, & meritoria ſit; atque ideò quòd ſit bona: & ſicut ſalvatur eſſentia contemplationis acquiſitæ, quin ex principijs fidei infuſæ procedat; ſic ſalvatur tota eſſentia ipſius contemplationis, quin charitatem infuſam habeat pro principio, & termino: ſed quia ſalvatur eſſentia contemplationis acquiſitæ, quin fidem infuſam pro principio habeat, eſt ſolummodò extrin-

trinsecè supernaturalis: ergo pariformiter, quia salvatur essentia ipsius contemplationis, quin sit ex influxu charitatis, erit bona solùm extrinsecè.

Respondetur neg. conseq. discrimen inter supernaturalitatem, ac bonitatem contemplationis acquisitæ consistit in hoc, quòd contemplatio ex se non habet vnde supernaturalis sit; habet tamen ex se vnde sit bona. Nec, vt bona sit dicta contemplatio, requirit charitatis influxum: quippe contemplatio Philosophica bona est. In hoc ergo æquivocationem patitur arguens, quòd bonitatem aliam non agnoscit in contemplatione acquisita, nisi bonitatem virtuosam, seu ad lineam moralem spectantem. Quod quidem falsum est; quia illa, præscisa omni moralitate, suam habet bonitatem, quæ est intellectus perfectiva. Intellectus enim verbum producens illud contemplatur, & per hanc verbi contemplationem illustratur, ac perficitur. Vnde priusquàm moralitas, ac supernaturalitas intelligatur, iam contemplatio bona est, & perfectiva potentiæ. Et de hac bonitate loquimur in præsenti. Quæ bonitas posteà per gratiam, & charitatem ad lineam bonitatis moralis supernaturalis elevatur: ac de hac bonitate supernaturali idem dicimus, ac de supernaturalitate ipsa diximus quæstione antecedenti.

Vnde informa ad probationem consequentiæ distinguatur. mai. *est bona* bonitate illa, ad quam ab extrinseco elevatur, concedo. Bonitate sibi ab intrinseco convenienti, nego mai. Et concessa minori, distinguatur consequens; ergo *& bona* bonitate, quam habet ab elevatione, concedo: bonitate, quam ante elevationem habet, nego consequentiam. Ad probationem maioris patet ex dictis, quòd contemplationi acquisitæ non accidit, quòd sit bona, & potentiæ perfectiva; si sermo sit de bonitate, quam ante elevationem habet: si verò de ea, quam ab elevatione habet, sermo sit, hanc iam diximus esse extrinsecam.

9. Dices: Licèt contemplationi abstrahenti à Philosophica, & Evangelica accidat bonitas supernaturalis, contemplationi tamen Evangelicæ non accidit: siquidem necessariò debet dicere principia supernaturalia, scilicet gratiam, & charitatem: ergo doctrina data ruit. Consequentia patet, & anteced. probatur: Quia id, quo ablato, necessariò perit contemplatio Evangelica non accidit ipsi: sed ablata gratia, & charitate, necessariò perit Evangelica contemplatio: ergo.

Si dicas: Idem argumentum posse fieri de virtute morali acquisita, quæ vt alibi diximus, non potest esse in statu perfecto sine gratia: & tamen virtus illa, adhuc sub statu perfecto non est intrinsecè supernaturalis, nec bonitate supernaturali bona est: ergo similiter de contemplatione Evangelica.

Contra est, Quia si paritas adducta virtutis moralis aliquid probat; convincet quidem, divisionem contemplationis in Philosophicam, & Evangelicam non esse essentialem, sed accidentalem, & penes diversos status eiusdem contemplationis, quorum vnus illam in esse imperfecto dicit, alter verò in statu perfecto: at hoc est contra ea, quæ multoties diximus præsertim disput. præcedenti q. 2. & contra veritatem ipsam: ergo.

Respond. ad obiectionem, Quòd licèt contemplationi Evangelicæ non accidat gratia, sed illam necessariò dicat; non tamen est intrinsecè bona bonitate supernaturali: sicut licèt contemplationi Theologicæ, merè Scholasticæ, non accidat fides infusa, sed illam necessariò supponat, non tamen est intrinsecè supernaturalis. Et vtriusque ratio est omnino eadem; videlicet, principium proximum, quod est intrinsecè naturale, quodque influxum illum virtutum supernaturalium limitat, & coarctat, vt quæst. præcedenti dicebamus, nè actus, principia illa supernaturalia supponens, intrinsecè supernaturalis sit. Vnde sicut actus Theolog. Scholasticæ, qui necessariò requirit fidem infusam, est ob datam

ratio-

rationem intrinsecè naturalis: sic etiam ob eamdem rationem actus Theolog. mysticæ acquisitæ intrinsecè naturalis est.

Nec momenti est, quòd actus Theolog. mysticæ plura principia supernaturalia prærequirat, quàm actus Theolog. Scholasticæ. Quippe principium proximum, quod potest coarctare influxum vnius principij remoti supernaturalis; nè actus intrinsecè supernaturalis evadat: potest idem facere cum innumeris principijs supernaturalibus remotè concurrentibus. Quiaque bonitas sequitur entitatem; nec compati potest bonitas supernaturalis, si entitas naturalis est: propterea bonitas actus Theolog. mysticæ acquisitæ non est intrinsecè supernaturalis.

Vnde solutionem inter arguendum datam, licèt veram doctrinam contineat, non probamus, quia pro materia præsenti est insufficiens. Est verum id, quod de virtutibus moralibus dicit: & idem verificatur in Theologia Mystica, quæ diversissimos gradus habet, se in perfectione superantes. Verùm divisio hæc accidentalis est, vtî bene contra illam instatur. Divisio autem contemplationis in Philosophicam, & Religiosam non est accidentalis; sed essentialis. Et ratio est, quia cùm actus specificentur ab obiectis, & duplex hæc contemplatio obiecta adeò diversa habeat, vt in 1. tomo diximus: propterea distinctio, quæ inter illas datur essentialis est, licèt vtraque intrinsecè naturalis sit.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrùm Divina Contemplatio sit honesta?

DIvisio illa celebris, ac vulgarissima, qua bonum dividitur in honestum, delectabile, & vtile, motivum præbet, vt de Divina Contemplatione exploremus, an sit vtilis, delectabilis, & honesta? Viso enim iam Contemplationem Divinam esse ex se bonam, restat, vt videamus, an illo triplici modo bona sit, an verò aliquibus, vel aliquo tantùm ex ipsis? Primum in hac quæstione facimus, in subsequentibus alia discussuri. Incipimus tamen à bono honesto, quia primum locum inter alia tria sibi vendicat.

§. I. *Statuitur veritas tenenda.*

10. NOstra conclusio: *Divina Contemplatio habet bonitatem honestam.* Assertio hæc communissima est, & antequam illam probemus, observandum est ex Caietano 2. 2. q. 145. art. 1. bonum honestum bifariam posse considerari. Primò vt pertinet ad lineam virtutis: & de illo hoc modo sumpto agit D. Thom. dicta quæst. Secundò potest considerari, vt dicit bonitatem transcendentalem: ac de illo sic accepto differit Ang. Doct. 1. p. q. 5. quæ non est divisio rei, & rei; sed consideratio eiusdem rei sub maiori, vel sub minori amplitudine, vt inibi docet Caietanus. In præsenti autem non loquimur de bono honesto sub hac, vel sub illa determinata consideratione, sed indifferenter loquimur de vtroque; quia eadem est respectu vtriusque considerationis difficultas præsens. Quamobrèm, nec hoc, quoties sermo occurrat, tenemur explicare, nec diversas assertiones pro vtraque illa consideratione ponere. Sicut nec illas ponimus pro contemplatione acquisita, infusaque; sed in discriminatim de vtraque loquimur; quia idem de illis, quoad presens, dicendum est. Igitur

Probat. 1. conclusio ex Sacra Scriptura; quia in lib. Sapient. cap. 7. verbis adductis q. 1. num. 1. sermo est de Divina Contemplatione; vt ibi ex D. Thom. probavimus. Et ibi expressissimè honestatem Contemplationis

Divinæ docet Salomon; ait enim v. 13. *Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* Et v. 11. dixerat: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Vbi ponderatu digniſsimum judicamus, quòd poſtquam Salomon, ſe omnia bona, ſine alicuius excluſione ſortitum eſſe pariter cum contemplatione, fatetur, poſtea de honeſtate contemplationis, veluti de bono inter omnia, quæ ſecum contemplatio affert, vel eminentiori, vel propriori eloquatur

11. Probat. 2. concluſio ratione fundata in authoritate D. Thom. 1. 2. q. 39. art. 2. quam ſub hac forma proponimus: Actus procedens ex rectitudine intellectus, & voluntatis dicit bonitatem honeſtam: contemplatio eſt actus procedens ex rectitudine intellectus, & voluntatis: ergo dicit bonitatem honeſtam. Conſequentia eſt in tertio primæ. Mai. autem eſt expreſſa D. Thom. loco proximè citato vbi inquit: *Omne autem bonum honeſtum ex his duobus procedit, ſcilicet, ex rectitudine rationis, & voluntatis.* Min. verò probatur: quia contemplatio procedit ex voluntate rectificata per charitatem infuſam, & ab intellectu rectificato per fidem, & prudentiam infuſas, ac per Spiritus Sancti Dona: ergo procedit ex rectitudine intellectus, & voluntatis.

12. Confirmatur 1. hæc ratio ex eodem Ang. Mag. *Omne, quod meretur præmium vitæ æternæ, habet rationem honeſti*: Sed contemplatio Evangelica meretur præmium vitæ æternæ: ergo habet bonitatem honeſtam. Conſequentia bona eſt, & min. omninò certa. Mai. autem eſt D. Thom. loco citato in argumento *ſed contra*, vbi ex illa propoſitione, quam aſſumit, ſuadet, triſtitiam eſſe bonum honeſtum.

13. Confirmatur 2. ex deſcriptione, quam de contemplatione facit D. Gregor. homil. 14. ſuper Ezech. eſtque huiuſmodi: *Contemplativa vita amabilis valde dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cœleſtia aperit, ſpiritualia mentis oculis patefacit, & terrena contemptui eſſe debere, oſtendit.* Ex quibus, quàm magna rectitudine guadeant intellectus, voluntaſque, cùm Contemplatio Divina adeſt, faciliter cognoſci poteſt: actus ſiquidem animam ſupra ſemetipſam rapiens, cœleſtia aperiens, ſpiritualia patefaciens, & mundialia contemnens, non poteſt non eſſe niſi ab intellectu, & voluntate eximiè rectificatis: conſequenterque actus ille rationem boni honeſti habet.

14. Dices: nulla contemplatio datur proveniens ab intellectu, & voluntate meliùs, nec æquè rectificatis, quàm beatifica contemplatio: atqui contemplatio beatifica non habet rationem boni honeſti: ergo ex eo, quòd contemplatio procedat *ex rectitudine intellectus, & voluntatis*, non ſequitur, quòd habeat rationem boni honeſti. Cætera omnia notiſsima ſunt, & min. probat. 1. nam actio, habens bonitatem honeſtam, eſt laude digna ex D. Iſidor. lib. 10. Ethym. cap. 8. dicente: *Honeſtas dicitur quaſi honoris ſtatus*: Sed contemplatio beatifica laude digna non eſt; quia per opus neceſſarium, quod facit, nemo laudabilis eſt: ergo. Probatur 2. illa min. quia contemplatio beatifica non meretur præmium vitæ æternæ: ergo non habet rationem boni honeſti. Conſequentia patet ex dictis num. 12. ex D. Thom. & antecedens conſtat: quia in ſolida Theologia meritum debet præcedere præmium: ſed viſio beatifica non poteſt præcedere præmium vitæ æternæ, vt notum de ſe eſt: ergo.

15. Confirmatur: quia actus, quibus à Deo primò excitamur, ſunt actus venientes à Deo, vt à cauſa morali, ſuntque iuxta regulas morum: ſed iſti actus *honeſti* non ſunt propter aſsignatam rationem, ſcilicet, quia ſunt neceſſarij, atque adeò nullatenùs laude digni: ergo quòd noſtra contemplatio ſit ab intellectu, & volũtate rectificatis, & conſonè ad regulas rationis, morumque concurrentibus, non arguit ipſam eſſe *honeſtam*.

Faciliter argumentum, & confirmatio

firmatio ſolverentur, ſi diceremus: noſtram rationem procedere de contemplatione viæ, quam, ſive infuſa ſit, ſivè acquiſita; ſivè Philoſophica, ſivè religioſa, liberè fieri, non eſt dubium. Vnde ſuppoſito, quòd debet eſſe actus liber; ſi procedat ex intellectu, & voluntate rectificatis, *honeſtus* ſanè eſt. Quod inveniri in omni contemplatione Evãg. certum eſt. In contemplatione autem Philoſophica invenitur rectitudo intellectus, quæ ad honeſtatem tranſcendentalem ſufficit. Nec mirum eſt, quòd contemplatio, quæ manet intra intellectum, ita vt non extendatur ad inflammandam volũtatem, intellectus rectificationem ſolummodò expoſcat, à quo, ſic per naturalia rectificato honeſtatem tranſcendentalem, ſicut & entitatem habet. Per quæ omninò patet ad argumentum, & confirmationem.

Cui ſolutioni præluxit D. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. in corp. dicens: *Reſpondeo dicendum, quòd hæc diviſio propriè videtur eſſe boni humani.* Loquitur ibi Ang. Doct. de diviſione boni *per honeſtum, delectabile, & vtile.* Et ſi hanc reſolutionem applicemus, vt par eſt, noſtræ contemplationi, quæ actio eſt, vt vidimus diſput. anteriori q. 3. & bona eſt, vt patet ex quæſtione antecedenti, inveniemus, ipſam contemplationem eſſe *honeſtam*, prout eſt actio humana. Actio autem humana illa ſolummodò eſt, quæ cum libertate fit, iuxtà doctrinam eiuſdem Ang. Mag. 1. 2. q. 1. art. 1. dicentis: *Ille ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo eſt Dominus. Eſt autem homo dominus ſuorum actuum per rationem, & voluntatem: vnde & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis, & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.*

16. Quia tamen illa reſolutio D. Thom. loco citato ex 1. p. iuxta Caietanum inibi, eſt ſecundùm communem opinionem. Propriam autem ſtatuit verbis immediatis dicens: *Si tamen altiùs, & communiùs rationem boni conſideremus invenitur hæc diviſio propriè competere bono, ſecundùm quod bonum eſt.* Propterea, vt plenè facto argumento eiuſque confirm. ſatisfiat, obſervare debes cum noſtris Salmant. tract. 11. diſp. 1. dub. 2. num. 11. *Honeſtum* poſſe dupliciter ſumi, primò quidem in tota ſua latitudine, qualitèr ſumitur à D. Thom. cùm loco citato ex 1. part. ponitur in diviſione boni tranſcendentalis: ſicque includit omnem perfectionem conſonam naturæ rationali: vnde includit ſubſtantiam, accidens, potentias, habitus, obiecta, & actus, ſive neceſſarij ſint, ſive liberi, ſive ad ordinem moris ſpectent, ſive ad ordinem naturalem: quia quicquid poteſt honeſtè, & ordinatè amari, includitur in *honeſto*, hoc modo ſumpto. Secundò autem ſumitur *honeſtum* ſtrictè pro ſola honeſtate & bonitate morali, quæ fundat meritum, laudemque propriam virtutis. Ex quibus

Reſpondetur ad obiectionem: conceſſa mai. diſtinguendo min. *boni honeſti* ſtrictè ſumpti, conc. latè conſiderati, neg. min. & negetur abſolutè conſequentia: termini conſtant ex facta obſervatione, quin aliquid addere oporteat, vt percipiantur. Vnde ratio à nobis facta in ſuo robore perſeverat, & contemplationem beatificam rationem boni honeſti habere conſtat. Ad id, quo contemplationis beatificæ honeſtas impugnatur, dicas: ipſam eſſe laude, & honore digniſsimam; quia iuxta D. Thom. 2. 2. quæſt. 145. art. 1. ad 2. *Virtuti quidem debetur laus, ſecundùm quod eſt appetibilis propter aliud honor autem, prout eſt appetibilis propter ſe ipſam: & ſecundùm hoc habet rationem honeſti.* Vndè cùm beatifica contemplatio ſit appetibilis propter aliud, nempe propter Deum, quem apprehendit; & etiam propter ſe, quia ex ſe eſt bona: propterea eſt laude digna, & etiam eſt digna honore. *Et ſecundùm hoc*, quod eſt digna honore, quia appetitur propter ſe, *habet rationem boni honeſti.*

17. Inſtas: viſio beata, vt appetibilis propter aliud, non habet rationem boni honeſti, vt patet ex modò dictis:

ergo

ergo nec vt appetibilis propter ſe. Patet iſta: quia vtroque modo eſt amabilis, & bona illa fœliciſsima contemplatio: ergo ſi ſub prima conſideratione non dicit honeſtatem, nec ſub ſecunda.

Reſpond. rationem *boni honeſti* eſſe rationem propriam finis, ſicut & rationem *delectabilis*: finis autem eſt id, quod propter ſe appetitur; non autē id, quod appetitur propter aliud: hoc enim non habet rationē finis, ſed medij: vnde cū de *bono honeſto* ſermo eſt, id dicitur habere rationē *honeſti*, quod habet rationē finis: non autem illud, quod medium eſt. Atque ideò, cùm contemplatio beatifica, vt eſt appetibilis propter aliud, ſit medium, & non finis, propterea, prout ſic, eſt quidem digna laude; non tamen digna honore, nec habet rationem *boni honeſti*; quam habet, vt eſt appetibilis propter ſe: quia tunc dicit rationem finis.

Ad id, quod num. 14. opponebatur, dic: quòd nos num. 12. non diximus, quòd omne honeſtum meretur præmium vitæ æternæ; ſed quòd *omne, quod meretur præmium vitæ æternæ, habet rationem honeſti.* Vnde licèt contemplatio beatifica non mereatur præmium vitæ æternæ, rationem boni honeſti habet modo dicto. *Ad confirm.* ex num. 15. reſpondetur ex dictis: actus illos honeſtos eſſe, ſumpto *honeſto* in tota ſua latitudine, vt dictum eſt.

§. II. *Reſpondetur Argumentis.*

18. COntra concluſionem arg. ſic 1. *Ratio honeſti* eſt ratio propria finis: contemplatio Evangelica non eſt noſter finis: ergo nec habet rationem boni honeſti. Conſequentia bona eſt, & maior eſt omnino certa. minor autem probatur: Contemplatio Evangelica eſt medium ad obtinendam vnionem cum Deo, & ad conſequendum ipſum Deum: ergo non eſt finis. Patet iſta, ex repugnantia, quæ datur in hoc, quòd aliquid ſit reſpectu eiuſdem medium, & finis: ſiquidem finis diligitur propter ſe; medium autem diligitur propter aliud: vnde cùm implicet, quòd idem ſit reſpectu eiuſdem appetibile propter ſe, & propter aliud, relinquitur, quòd non poſsit, eſſe ſimul medium, & finis.

19. Si dicas: rationem finis non poſſe contemplationi denegari. Quod conſtat ex Philoſ. 2. de Cœlo text. 27. vbi ait: *Vnum quodque eſt propter ſuam operationem.* Quod refert, & approbat D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 2. in corpore, inde probans noſtram beatitudinem eſſe operationem.

Hoc ſi dicas: contra eſt 1. Quia per hoc non occurritur repugnantiæ oſtenſæ in hoc, quod idem ſit ſimul medium & finis, quæ nunc clariùs proponitur: etenim omnis bona diviſio fieri debet per membra oppoſita, ſeu quorum vnum non ſit aliud: ſed *honeſtum, delectabile, & vtile* dividunt *bonum*, vt dictum eſt: ergo iſta tria ſunt oppoſita; ſive nullum illorum aliud eſt. Modò ſic: ſed ſic eſt, quod vtile eſt idem, ac medium, & honeſtum eſt idem ac finis: ergo idem non poteſt ſimul eſſe finis, & medium: ergo cùm evidens ſit, contemplationem eſſe medium, ſequitur ipſam non poſſe rationem finis habere.

Contra 2: quia licèt D. Thom. laudatus illa Philoſ. authoritate, quæ ferè in paræmiam abijt, vtatur: Nec ipſe Angelicus Doct. nec Philoſ. volunt, operationem eſſe finem operantis. Eorum tamen mentem aperuit nobis Caietan. inibi art. 4. dicens: *Cùm dicitur: vnumquoque eſt propter ſuam operationem, poteſt dupliciter intelligi. Primò ſicut propter rem, quæ eſt eius finis: & ſic falſiſſimum eſt. Alio modo ſicut proprium complementum: & ſic eſt verum: ita quòd vnumquodque habens operationem eſſe propter ſuam operationem, nihil aliud eſt, quàm eſſe propter ſe ipſum in actu completo, & perfecto.* Vnde operatio non eſt finis operantis, ſi ſumatur quaſi in abſtracto, ſeu ſe ſola; ſed inconcreto, & provt includit ipſum operans. Videantur noſtri Complut. de anima elucidantes animæ definitionem eſſentialem ad illa verba *actus primus.*

Con-

Contra denique: quia, vt ipſi P. P. ibi docent, in dicta authoritate extrema comparationis non ſunt operatio, & operans, ſed operatio, & potentia immediatè operativa, media qua operans elicit operationem. Verba prædictorum P. P. accipe. *Cùm dicitur, vnumquodque eſſe propter ſuam operationem, vel debet intelligi de eo, vt conſtituto per potentiam proximè operativam, & facta tota reduplicatione ſupra illam, non ſupra ſubſtantiam, &c.* Et hoc nobis non opponitur: cùm ſæpiſſimè dixerimus, potentias, & habitus ab actibus ſpeciem, & perfectionem habere. Ex quibus omnibus relinquitur, contemplationem non poſſe eſſe finem hominis contemplantis.

20. Reſpond. argumento neg. min. ad probationem negetur conſeq. cuius probationem diluit D. Thom. 1. p. quæſt. 5. art. 6. dicens: *Ad 2. dicendum, quòd hæc diviſio (boni in honeſtum, vtile, & delectabile) non eſt per oppoſitas res, ſed per oppoſitas rationes.* Quam Doctrinam repetit 2. 2. q. 145. art. 3. in corp. per hæc verba: *Ipſa etiam virtus, quæ ſecundùm ſe honeſta eſt, refertur ad aliud, ſicut ad finem, ſcilicet, ad fœlicitatem: & ſecundùm hoc idem ſubiecto eſt honeſtum, vtile, & delectabile; ſed ratione differunt: nam honeſtum dicitur, ſecundùm quod aliquid habet quandam excellentiam dignam honore propter ſpiritualem pulchritudinem: delectabile autem, in quantùm quietat appetitum: Vtile autem in quantùm refertur ad aliud.* Videantur noſtri Salmant. tract. 8. diſp. 1. dub. 1. num. 2. & 14. & P. P. Complutenſ. in logica diſp. 1. q. 6. num. 35. in ſimili dicentes: *Logicam quatenùs ſpeculativam appeti propter ſe, cùm tradat notitiam plurium veritatum circa ens rationis; ſimul tamen eſt appetibilis propter alias ſcientias: quia eſt earum inſtrumentum, & miniſtra.*

Per quod patet ad omnia illa, quæ in oppoſitione, quam inter ſe debent habere membra dividentia, fundabantur. Quippè neceſſum non eſt, vt ſit oppoſitio realitatum; ſed ſat eſt, quòd adſint formalitates diverſæ, penes quas fiat diviſio. Vide dicta num. 16. Solutio inter arguendum data non poteſt à nobis ſperni: quamquàm adeò vrgenter impugnata. Ad primam impugnationem patet ex modò dictis. Vt ſecundam, & tertiam enervemus prænotare oportet. Primò operationem poſſe eſſe illam, quæ nos coniungit cum noſtro fine; vel illam, ſeu illas, quas elicimus; quin, ijs medijs, cum noſtro fine vltimo coniungamur. Illa, qua noſtro fini vltimo vnimur, eſt ipſa beatitudo: quæ ſi vnit nos cum noſtro fine vltimo ſupernaturali, erit ſupernaturalis & ipſa: & hæc eſt viſio beatifica, quam ad vivum æmulatur, quantùm per exilium licet contemplatio Evangelica. Si autem vnit vltimo fini naturali, eſt beatitudo naturalis, quam in veritatis contemplatione Philoſophica collocavit. Rurſùs operationes illæ, quæ non ſunt coniunctio operantis cum ſuo vltimo fine, poſſunt conſiderari, vel in eſſe entis, vel in eſſe actus ſecundi. Termini ex ſe noti ſunt. Sicut etiam noti ſunt termini illi, ſecundùm quos dividitur perfectio in perfectionem *ſimpliciter, & ſecundùm qui talem.* Ex his ergo, ſic breviter refricatis,

Obſervare debes 2. Motivum, ob quod denegatur, quòd operatio ſit finis operantis, non eſſe aliud, niſi quòd finis debet eſſe perfectior ipſo operante: quod entitatulæ accidentali, qualis operatio eſt, convenire haud poteſt. Aſt hoc motivum prorſus ruit, ſi ſermo ſit de operatione, qua coniungimur noſtro fini vltimo ſupernaturali; ſive per gratiam in via; ſive per gloriam in termino. Hæc enim eſt operatio ſupernaturalis, de cuius conceptu eſt, quòd ſuperet non ſolùm ſubſtantiam operantis, ſed omnes etiam ſubſtantias creatas collectivè ſumptas, vt tradunt noſtri Salmant. tract. 14. diſp. 4. dub. 7. num. 130.

Quod, præterquamquòd illi fœliciſsimæ operationi convenit ex conceptu entis ſupernaturalis, ad cuius claſſem ſpectat, convenit etiam ex privativa ratione vniendi nos cum eo, quod

quod nobis nobilius eſt. Quod angelicè docuit D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. ad 5. dicens: *Aliquod accidens poteſt eſſe ſubſtantia nobilius, in quantùm per ipſum ſubſtantia aliqua coniungitur alicui nobiliori ſe. Et hoc modo beatitudo creata, & gratia, & huiuſcemodi ſunt aliquid nobilius natura animæ, cui inhærent.*

21. Nemo negare poteſt hanc D. Thom. doctrinam multùm favere aſſerenti, etiam operationem, quæ eſt coniunctio cum fine vltimo naturali, eſſe perfectiorem ipſo operante: ſed nè in non adeò neceſſarijs implicemur: negari non debet, hanc ipſam operationem, ſub expreſsione coniungentis principium cum ſuo fine, præſtare ipſi operanti, vt minùs ſecundùm quid. Quem exceſſum dicit etiam ſub expreſsione actus ſecundi: atque adeò omnem operationem eſſe ſecundùm quid perfectiorem ipſa ſubſtantia operantis. De quo videri poſſunt noſtri Complut. loco citato de anima, approbantes, vindicanteſque hanc Caietani opinionem, quæ ſanè dici communiſſima poteſt, eamque D. Thom. pluribus in locis tradit. ex his ergo,

Ad ſecundam, & tertiam impugnationem reſpondetur, quòd operatio ſupernaturalis ex conceptu ſupernaturalis perfectior eſt omni ſubſtantia creata. Vnde ſi huic conceptui accedat, quòd talis operatio ſit immediata coniunctio operantis cum ſuo fine ſupernaturali, vtî facit contemplatio beatifica, & etiam quantùm poteſt contemplatio Evangelica viæ; tunc talis operatio evadit ſimpliciter, multùmque perfectior operante: ſubindeque poteſt eſſe ipſius finis. Vnde de hac fœliciſsima operatione intellecta parœmia illa communis, *vnumquodque eſt propter ſuam operationem*, vera eſt, provt iacet. Conſequenterque ſolutio inter arguendum data bona eſt, tranſitque in probationem aſſertionis noſtræ.

Si autem ſermo ſit de operatione purè naturali, ſivè ſit coniunctio immediata, ſivę mediata cum fine vltimo naturali: talis operatio ſub expreſsione actus, & coniungentis, perfectior eſt; ſed exceſſu ſecundùm quid. Vnde ſe ſola, ſeu in abſtracto non poteſt eſſe finis operantis: quia finis præſtat operanti ſimpliciter. Quare de hac operatione non poteſt proloquium illud verificari, niſi prout à Caietano, aut à Complutenſibus explicatur. Hoc tamẽ nobis non obeſt, qui loquimur de operatione ſupernaturali, qualis eſt Diuina Contemplatio.

22. Dices: Contemplatio eſt perfectiva animæ, ac propter hoc loquimur de illa in hoc prædicabili: ergo non eſt finis contemplantis. Probatur cõſequentia: Finis non habet rationem *perfectivi*, ſed *perfecti*, vt docet D. Th. loco citato ex 1. p. & 3. contra gentes cap. 37. Sed conceptus *perfecti* differt à conceptu *perfectivi*; quia eſt prior illo; ſiquidem priùs eſt, quòd aliquid ſit in ſe *perfectum*, quàm quòd aliud perficiat: ergo Contemplatio Diuina non eſt finis contemplantis.

Reſpond. D. Thomam ferè ſemper explicuiſſe finem per rationem *perfectivi* alterius, ſcilicet appetitus, vt patet in quæſt. 21. de veritate art. 1. vbi ait: *Primò, & principaliter dicitur bonum ens perfectivum alterius per modum finis.* Similiterque paſsim hoc ipſum repetit. Vnde cùm certò conſtet de mente Ang. Præcept. parum refert, quòd aliquandò oppoſitum tradidiſſe aliquibus videatur; quia *ad hoc dicitur, quòd cùm conſtet de certa concluſione, verba, quæ apparent quandoquè diſſona, piè interpretanda ſunt*, ait aliàs Caietan. 1. 2. quæſt. 4. art. 1. Quod in præſenti eò faciliùs implendum eſt, quò clariſsimè nullam repugnantiam inter illos modos explicandi naturam finis adeſſe, conſtat; quin potiùs adeſt maxima cohærentia. Quandoquidem finis eſt vtique perfectivus, ad quod priùs debet in ſe eſſe bonum *perfectum*: non enim poteſt eſſe bonum perfectivum alterius, quod aut *bonum* non eſt, aut in ſe non eſt *perfectum*. Exquibus habentur duo. Primum eſt, quòd cùm *bonum* ſit diffuſsivum ſui, idem prorſus

ſus eſt, quod finis ſit *bonum perfectum*, ac quòd ſit ſui ipſius diffuſivus, indidemque alterius *perfectivus*. Secundum eſt, quòd cùm *perfectum* ſumi non impropiè poſsit pro *perfecto* cauſaliter: propterea finis, qui vtpotè *perfectivus* reddit *perfectum* id, relatè ad quod *perfectivus* eſt, eſt etiam cauſaliter *perfectus*, hoc eſt, facit perfectum proprium perfectibile. Quod ſi tibi hæc non placeant, vide noſtros Salmant. loco citato ex tract. 8. vbi dicta D. Thom. teſtimonia apparenter repugnantia luculenter conciliant.

Quomodocunque conciliatio fiat, Contemplatio Divina & eſt perfecta, & perfectiva animæ contemplationem exercentis: vnde habet rationem finis per ſe appetibilis, deſiderabiliſque ab anima, rationemque *boni honeſti*, quod idem eſt, ac eſſe appetibilis per ſe.

23. Arguitur 2. & ſimul contra dicta replicatur: Contemplatio non eſt per ſe amabilis: ergo non habet rationem *boni honeſti*, nec finis. Conſequentia eſt bona. Vt enim ſæpiſsimè diximus, eſtque concors Myſtarum, ac Scholaſticorum ſententia, idem eſt finis, ac bonum honeſtum; idemque eſt bonum honeſtum, ac bonum per ſe amabile. Antecedens autem probatur: Id eſt per ſe amabile, quod terminare poteſt actum virtuoſum voluntatis: Contemplatio Divina non poteſt per ſe actum virtutis terminare: ergo. Probatur minor 1: Quia actus voluntatis terminatus ad Contemplationem Divinam regulatur per actum intellectus ad ipſam terminatum: ſed actus intellectus terminatus ad Contemplationem Divinam, non eſt vnde virtuoſus ſit; ſiquidem eſt merè ſpeculativus: ergo.

Probatur 2. illa minor: Qui amat Contemplationem Divinam, vel amat illam ſecundùm ſe ſumptam; vel amat in ordine ad Deum; vel propter perfectionem ipſius contemplantis: Quodcunque ex his modis ametur, vel non eſt finis; vel non poteſt terminare actum virtutis: ergo tenet illa minor. Conſequentia bona eſt, & maior continet omnia capita, ex quibus Divina Contemplatio poſſet actum virtutis terminare, aut finis rationem ſortiri. Minor autem, in qua tota difficultas conſiſtit. Probatur 1. quoad 2. partem: quia ſi Contemplatio Divina amatur in ordine ad Deum, iam non eſt finis, ſed medium illius amoris; ſiquidem non amatur propter ſe, ſed propter aliud. Deinde probatur ipſa minor quoad 1. partem: quia ſi ſecundùm ſe amatur, ſequitur 1 illum actum voluntatis non eſſe actum charitatis infuſæ; hæc enim terminatur ad Deum propter ſe ipſum, & ad alia propter ipſum Deum. Sequitur 2: illum actum voluntatis regulari per actum intellectus, cuius finis ſit ſcire propter ſcire, *quod* teſte D. Bernardo, *turpis curioſitas eſt*. Sequitur 3: illum actum intellectus, & voluntatis in nullo diſcriminari ab actibus voluntatis, & intellectus terminatis ad obiecta merè Philoſophicè contemplanda; atque adeò illi actus conflabunt quidem contemplationem, non Evangelicam, ſed Gentilicam, ſeu Philoſophicam, qualis eſt illa, quæ ex affectu præcedente voluntatis ad Mathematicas v. g. earum veritates contemplatur.

Quoad vltimam partem probatur ipſa minor: quia ſiquis propter perfectionem ſui ipſius amat contemplationem, elicit actum amoris non divini, ſed proprij: ſed amor proprius non eſt virtutis; Immo, vt omnes Myſtici docent, eſt omni veræ virtuti contrarius: & etiam inter Scholaſticos noſtri Salmant. tract. 8. diſp. 4. dub. 3. num. 39. vel ipſum nomen *amoris proprij* odibile repræſentant hiſce verbis: *In vulgari locutione nomen amoris proprij ſonat in malum, & accipitur pro amore in ordinato.*

Accedit, quòd vt diximus in Iſagoge lib. 4. num. 21. Contemplatio Philoſophica, quæ nullatenùs virtus eſt, ſed vanitas, diffinitur per hoc quòd ſit *ſimplex intuitus veritatis propter perfectionem contemplantis*: ergo diligere contemplationem propter aman-

tis perfectionem, non eſt actus virtutis.

24. Confirmatur 1. quia obiectum actus electionis non eſt finis, ſed media, quibus finis intentus obtinetur: ſed Contemplatio Evangelica eſt obiectum actus electionis: ergo non habet rationem finis; ſubindèque nec boni honeſti. Conſequentia bene infertur, & mai. eſt expreſſa D. Thom. 1. part. q. 83. art. 3. vbi ait: *Proprium obiectum electionis eſt id, quod eſt ad finem.* Idem docet quæſt. 22. de veritat. art. 15. de quo agunt noſtri Salmant. diſp. 1. citata ex tract. 8. dub. 4. Minor autem probatur: nam qui intendit viam ſpiritualem luſtrare, eligit ad deſiderij impletionem vitam activam, vel contemplativam, quarum qualibet finis ille fœliciſsimus adipiſcitur: ergo Contemplatio Evangelica, ſicut & actio eſt obiectum formale actus electionis.

25. Confirmatur 2. Contemplatio Evangelica eſt via, & motus, quo finis vitæ ſpiritualis obtinetur: ergo non habet rationem boni honeſti, aut finis. Conſequentia patet: quia motus ad terminum non eſt ipſe terminus, ſed omninò ab illo differt, vt evincunt noſtri Complutenſ. in Phyſica diſp. 16. q. 3. Anteced. autem probatur: quia terminus vitæ ſpiritualis eſt vnio cum Deo: ſed via, qua in hanc vnionem itur eſt Evangelica Contemplatio, vt nemo non videt: ergo talis contemplatio eſt via, ſeu motus ad conſecutionem termini vitæ ſpiritualis.

26. Hoc argumentum plura continet ad notitiam quidditatis Divinæ Contemplationis apprimè idonea. Illud autem, quamquàm difficile, enervè fecit omniſcius D. Thomas, tum innumeris, quæ dictavit, vt telum hoc protelaretur, ex quibus iam non nulla dicta à nobis ſunt. Tum directè modum, quo vitetur docens 2. 2. q. 180. art. 1. dicens in corp. *Movet autem vis appetitiva ad aliquid inſpiciendum, vel ſenſibiliter, vel intelligibiliter: quandoque quidem propter amorem rei viſæ, quia dicitur Math. 6. vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum: quandoque autem propter amorem ipſius cognitionis, quam quis ex inſpectione conſequitur.*

Similiter art. 7. ait: *Reſpondeo dicendum, quòd aliqua contemplatio poteſt eſſe delectabilis dupliciter. Vno modo ratione ipſius operationis, &c.* Quibus ſi adiungas, quæ ipſe Doct. S. docet ibidem q. 145. art. 3. in corp. nempe: *Honeſtum eſt naturaliter homini delectabile, ſicut de operatione virtutis Philoſophus probat in 1. Ethic.* Invenies, quòd idem eſt, actum Contemplationis Evangelicæ eſſe delectabilem, ac eſſe honeſtum; quia *honeſtum eſt naturaliter homini delectabile.* Et ratio eſt; quia ipſa honeſtas contemplationis, ſeu virtutis fundat delectabilitatem, quæ ab illa veluti propria paſsio reſultat.

Qua Angelica doctrina imbutus egregius ille Theologus Scholaſticus, Myſticuſque P. Suarez tom. 2. de *Religione* lib. 2. cap. 9. & 10. miriſsimè diſcurrit; aliqua ex ijs, quæ inibi docet exſcribam, ſunt enim digniſsima ſcitu, inquit enim: Ait verò D. Thom. hunc affectum interdum eſſe ipſius contemplationis, interdum eſſe amorem rei contemplatæ, nimirùm Dei. Prior affectus videri poteſt imperfectus, & inſufficiens ad ſtudioſam contemplationem, de qua tractamus; quia non videtur practicus ſed merè ſpeculativus, qualem etiam habet ad ſpeculationem, qui Metaphyſicæ, vel Mathematicis ſtudet, quia ad illam ſpeculationem affectus eſt: nihil ominùs tamen ſiquis ex conſideratione ipſiuſmet contemplationis, & frutuum eius ad illam affectus ſit, & ex hoc affectu ad illam applicetur, ſatis practica, & ſtudioſa eſt applicatio. Poteſtque ille affectus interdum eſſe ex religione ipſa, ſi feratur in contemplationem ſub ratione cultus divini; nam reverà eſt magnus cultus Dei, vt Bernardus dixit. Nam ipſamet divinæ maieſtatis actualis conſideratio eſt quædam Dei gloria, ideòque vt cultus eius appeti poteſt. Interdum verò poteſt eſſe illa propenſio ex affectu proprij commodi, non humani, ſed ſuper-

natu-

naturalis, qui ad ſpem reducitur, nam contemplatio magnum ſpirituale commodum ſecum affert, & ideò hoc etiam modo propter proprium commodum honeſtiſsimè appeti poteſt contemplatio. Maximè verò amari poteſt, & debet ex affectu charitatis ad Deum ipſum, quatenus amicitiæ proprium eſt, vniri amico, & adeſſe illi, atque cum illo colloqui. Quomodò Beati in patria amant viſionem beatam, non tantùm vt proprium commodum ſuum, ſed maximè ex charitate Dei.

27. Hactenùs Eximius hic Theologus, qui in ibi plura addit pro præſenti materia affatim propria, quæ videnda ſunt, vt huius argumenti robur penitùs declinetur. Ex his ergo reſpondetur ad argumentum, neg. antec. ad probationem negetur min. ad cuius primam probationem dicas: actum illum intellectus, qui terminatur ad Divinam Contemplationem, regulat que affectum ad ipſam, non eſſe merè ſpeculativum, ſed ſatis ſtudioſum, ac practicum. Quod vel ex ipſo, quod nobis opponitur conſtat. Siquidem actus intellectus regulans, movenſque voluntatem, vt rem dignam amore diligat, nemo negare poteſt, non eſſe merè ſpeculativum. Itaque actus ille debet eſſe ſupernaturalis, quandoquidem ad obiectum ſupernaturale terminatur, repræſentatque voluntati motivum ſupernaturale, vt applicetur ad diligendum Contemplationem Divinam. In quo recedimus à doctrina laudati Suarez in fine illius num. 10. Sed contrarium tenendum eſt, vt iam diſput. 8. num. 91. & alibi cum noſtris Salmant. diximus. Quarè licèt poſsit evenire, quòd quis ex fama ſolummodò ipſius Contemplationis Divinæ accendatur in ipſius amore: quod vt certum docent noſtrates, de quo videri poteſt noſtra Catena Myſtica colat. 1. Prop. 1. Reſp. 1. ſi tamen amor eſt ſupernaturalis, vt eſt ille, de quo loquimur, actus intellectus ad illum movens, applicanſque voluntatem, ſupernaturalis debet eſſe. Vnde actus ille eſt virtuoſus, & practicus.

28. Ad 2. eiuſdem min. probationem: concedatur mai. & negetur min. quoad omnes ſuas partes. Etenim Divina Contemplatio amatur propter ſe, & propter aliud: eſt enim finis intermedius: vnde quà finis, propter ſe amatur: quà intermedius, amatur propter finem vltimum, cum quo animam coniungit. Et per hoc patet ad ſecundam probationem illius minoris.

Ad probationem pro prima parte dicimus: Omnia illa, quæ ibi repræſentantur aerea eſſe. Ad primum quidem reſpondetur Divinam Contemplationem poſſe amari ex triplici illo motivo propoſito num. 26. vnde poteſt amari ex motivo Religionis, ex motivo proprij commodi ſupernaturalis, & etiam ex motivo charitatis. Quòd verò iam propter ſe, iam propter alium ametur, arguit quidem ipſam Divinam Contemplationem non eſſe finem vltimum; non autem, quod non habet *honeſtatem*, finis intermedij propriam.

Ad ſecundam dicas: regulativum illius amoris eſſe actum intellectus proponentis voluntati *honeſtatem* ſupernaturalem Divinæ Contemplationis, applicantiſque illam, vt rem illa honeſtate decoram, diligat. Vnde non terminatur ad ſcire propter ſcire, ſed ad ſcire propter vberes fructus inde ſibi colligendos. Atque adeò non eſt merè ſpeculativus ille actus, ſed etiam eſt practicus, prorſuſque diverſus, ab eo, qui ex affectu ad Mathematicas earum veritates contemplatur. Per quod patet ad 3. quod in comprobationem illius primæ partis adductum eſt.

29. Ad probationem primam ipſius minoris quoad tertiam partem reſpondetur, illum amorem poſſe quidem eſſe proprij commodi, ſed ſupernaturalis, vt dictum eſt. Et quamquàm amor proprius ſit tinea, virtutem omnem ſpiritus corrodens, ob quod vel nomen ipſius abominabile eſt apud Myſtas, conſtatque ex adducta authoritate P.P. Salmant. ex tract. 8. nihil-

ominus tamen ipsos P. P. Salmanticenſes, & vulgarem locutionem, cui innituntur, explicamus Salmanticenſibus ipſis, qui tract. 15. diſp. 3. dub. 1. num. 13. hæc dictant: *Non omnis affectus, qui fundatur in amore ſui eſt vituperabilis, ſed ſolus ille, qui affert ſeparationem à Deo, & converſionem ad bonum proprium, tamquam ad vltimum finem. Ille autem affectus, qui ex honeſto amore ſui trahit hominem ad Deum, & qui ita reflectitur ſupra amantem, vt nihilominus vlteriorem ordinem ad Deum non excludat, reputandus eſt inter affectiones honeſtas. Sicut etiam ſpes reſpicit obiectum ſub ratione proprij; & tamen quia ex ſe non excludit ordinem ad Deum vltimum finem, qui habetur per charitatem, non eſt affectus vituperabilis, ſed honeſtus, & conducens ad ſalutem.*

Hæc prædicti P. P. quibus fermè omnia dicta firmantur. Ex illis conſtat, quòd licèt hoc complexum *amor proprius* rem malè ſonatem ex vulgari acceptione, repræſentet; ipſe tamen proprius amor non ſemper malus eſt. Et P. P. Salmant. qui loco adducto ex tract. 8. *Amoris proprij* abominabilis fœtidum aſpectum ex vulgari locutione proponunt: inibi etiam docent, pluribuſque teſtimonijs Ariſtot. & D. Thomæ fundant, amorem proprium fundare affectus honeſtos erga virtutem, etiam in ijs, qui gratia deſtituti ſunt. Videantur dicti P. P. In caſu autem noſtro ceſſat omnis difficultas, quia loquimur de proprio commodo ſupernaturali. Ex dictis tamen habes, quid ſentire debeas de illo, qui ex fama, vel abſtractiva notitia, aut alia naturali cognitione Divinæ Contemplationis, illam ſibi cuperet, vt fructus, quos ſecum affert, perciperet. Hic enim naturali amore honeſto, fundato in amore proprio, Divinam Contemplationem diligeret: Et forſam de hoc intelligi poteſt P. Suarez num. 27. adductus. Si autem loquatur de alio amore ſupernaturali, iam diximus, debere ad illum præſuponi ſupernaturalem cognitionem.

30. Ad vltimum, quod argumentum affert reſpondetur: Contemplationem Philoſophicam eſſe quidem propter contemplantis perfectionem non moralem, ſeu Myſticam; ſed inanem, aeream, & phantaſticam, qua perficitur intellectus veritatem aliquam acquirens; aſt cùm acquiſitio illius veritatis non ſit ex motivo virtuoſo; propterea illa contemplatio cum illa ſua perfectione inflat. Amor autem ad Divinam Contemplationem, & cognitio ad illum movens, licèt poſſint eſſe propter operantis perfectionem, hæc perfectio virtuoſa, & myſtica eſt. Vnde toto cœlo differunt iſti actus ab illa Gentilica contemplatione.

31. Ad primam confirmat. reſpondetur eſſe quidem medium ad finem vltimum nanciſcēdum; eòque eſſe obiectum *electionis*. Cum quo ſtat, quòd etiam ſit finis; atque adeò, quòd honeſta ſit, vt dictum eſt. ¶ Ad ſecundā confirmationem dic: Contemplationem Divinam non eſſe viam, aut motum; ſed terminus motus præcedentis. Quod vel in ipſa Contemplatione Philoſophica verum eſt, quæ ſuppoſito motu meditationis ſcientificæ ad veritatem per illum motum inventam terminatur, ſimplici tamen intuitu. Verum eſt, quòd Divina Contemplatio eſt medium ad intimam vnionem cum Deo; ſed ex hoc non ſequitur, quòd non ſit etiam finis. Diſcrimen inter medium, & finem ex vna parte, & inter motum, & terminum ex alia conſiſtit in hoc, quòd motus realiter differt à termino, vt docent P. P. Complut. citati: vnde nec motus poteſt eſſe terminus, nec è contrà. Vtile autem, & honeſtum, ſeu, quod idem eſt, medium, & finis, non ſunt res realiter diverſæ, ſed eiuſdem rei diverſæ formalitates, vt dictum eſt: atque ideò, id ipſum, quod, vt vtile medium eſt, habet bonitatem, & honeſtatem, propterquam vt finis diligatur.

QVÆS-

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm Divina Contemplatio ſit bonum delectabile?

32. TAmetſi *delectabile* latius pateat, quàm *honeſtum*, vt de ſe conſtat, obſervavitque D. Thom. 2. 2. quæſt. 145. art. 3. tamen quia non de *delectabili* in tota ſua amplitudine loquimur, ſed de illo, quod bonum comitatur: propterea priùs de honeſtate Divinæ Contemplationis egimus, modò verò de ipſius delectabilitate diſputamus, vltimum locum vtilitati reſervantes. Qua methodo vtimur ſequentes Ang. Præceptorem, qui 1. p. q. 5. art. 6. ait: *Ad 3. dicendum, quòd bonum non dividitur in iſta tria ſicut vnivocum æqualiter de his prædicatum, ſed ſicut analogum, quod prædicatur ſecundùm priùs, & poſteriùs: per priùs enim prædicatur de honeſto, & ſecundariò de delectabili, tertiò de vtili.* Ob hoc ergo motivum, & ob alia plura, quæ in ipſa natura horum dividentium fundantur, agimus poſt honeſtatem de contemplationis delectabilitate. Circa quam plures difficultates occurrunt proprijſsimæ, ac graviſsimæ, quarum aliquas, levi tamen manu, attingemus.

§. I. *Divina Contemplatio delectabilis eſt.*

33. HÆc noſtra aſſertio eſt, quam tenent omnes Doctores Scholaſtici, & Myſtici. Illam probat D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 7. ex cap. 8. Sapientiæ, vbi de contemplatione Sapientiæ dicitur: *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus eius, ſed lætitiam, & gaudium.* Vbi expreſsiſsimè aſſeritur id ipſum, quod pro concluſione ſtatuimus. Deinde idem Ang. Doct. ibidem probat hoc ipſum authoritate D. Greg. ſuper Ezech. homil. 14. dicentis: *Contemplativa vita amabilis valdè dulcedo eſt.* Itidem probat hanc ipſam veritatem à ratione in corp. artic. quam poſtmodùm proponemus.

34. Probatur deinde aſſertio noſtra authoritate Myſtici P. N. D. Joann. à Cruce, qui pluribus in locis hanc Divinæ Contemplationis delectabilitatem commendat. Non omnia ipſius teſtimonia adducere poſſumus, nè in immenſum abeamus; ſed nec omnia præterire valemus. Clariſsime loquitur in ſuo ſpirituali cantico, dum Cantione 25. modulatur:

Alli mediò ſu pecho,
Alli me enſeñò ſciẽcia muy ſabroſa.
Y yo le di de hecho
A mi, ſin dexar coſa
Alli le prometi de ſer ſu Eſpoſa.

Scientiam ſapidiſsimam vocat contemplationem, ob inſignem delectabilitatem, quam ſecum affert. Radixque huius ſaporis, quem ſecum affert Divina Contemplatio detegit Theodidactus P. dicens in declaratione verſus ſecundi. *Hæc ſcientia ſapida eſt Theolog. Myſtica, quæ eſt ſcientia arcana de Deo, quam ſpirituales vocant contemplationem, quæ ſapidiſſima eſt: quia eſt ſcientia amoris, qui eſt huius ſcientiæ Magiſter, & qui omne facit ſapidum. Et quia Deus confert hanc ſcientiam, & intelligentiam in eo amore, quo ſe animæ communicat; ideò hæc ſcientia ſapida eſt intellectui, quia eſt ſcientia ad illum pertinens. Eſt etiam ſapida voluntati, quia eſt ſcientia in amore, qui ad voluntatem ſpectat.*

Dictis authoritatibus noſtram concluſionem affatim communitam cenſemus. Vnde, innumeris alijs non allatis, illam ſuadere conabimur, tum ratione D. Thom. tum etiam diſcurſibus ſuper authoritatem noſtri Extat. Doctoris fundatis. Sed priùs objicere poteſt: data teſtimonia, & illa innumera, quæ omitti dicimus, poſſe intelligi

ligi de Contemplatione Divina ex parte obiecti contemplati, quod quidem Deus eſt, qui ſuaviſsimus, ac dulciſsimus eſt, à cuius dulciſsimæ domus vbertate animæ contemplativæ inebriantur; ſiquidem eas liberaliſsimè potat de torrente ſuæ voluptatis: ergo cùm hîc de ipſa Contemplatione Divina in ſe ipſa inſpecta loquamur, non videtur datis authoritatibus comprobata noſtra concluſio.

Reſpondetur: hunc nodum enodatum à D. Thom. eſſe loco citato vbi ait: *Reſp. dicendum, quòd aliqua contemplatio poteſt eſſe delectabilis dupliciter. Vno modo ratione ipſius operationis: quia vnicuique delectabilis eſt operatio ſibi conveniens ſecundùm propriam naturam, vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini ſecundùm ſuam naturam, prout eſt animal rationale: ex quo contingit, quòd omnes homines natura ſcire deſiderant: & per conſequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum ſapientiæ, & ſcientiæ, ex quo accidit, quòd ſine difficultate aliquis contemplatur. Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte obiecti, &c.*

Hæc Doctor Ang. quibus ex duplici capite delectationem habere Divina Contemplatio dignoſcitur. Nec intelligas: delectationem, quam ex obiecto habet Contemplatio Divina, fore ei extrinſecam, quod videtur obiectio facta ſupponere. Vtraque delectatio; ſeu vt propriùs loquar, delectatio, quam ex vtroque illo capite habet, eſt intrinſeca ſibi: quia quod accidens reſpectivum ab obiecto habet intrinſecum illi eſt. Aliud eſt enim, quòd obiectum ſit cauſa extrinſeca; aliud verò, quòd id, quod ab ipſo in effectum derivatur, ſit extrinſecum effectui. Quod à ſimili cauſæ efficientis notum eſt. Vnde ſenſus verborum D. Thom. iſte eſt: Videlicet, quòd contemplatio, ita ratione ſui eſt delectabilis, vt, etiam ſi ab obiecto delectabilitatem non haberet, dulcis foret: & ita ex obiecto eſt dulcis, vt, etiam ſi ratione ſui ſuavis non eſſet, delectabilitatem ex obiecto ſortiretur. Hoc ergo eſt, quod adductis verbis docet D. Thom. quibus etiam rationem ſolidiſsimam confert, qua concluſionis veritas oſtendatur.

36. Probatur ergo concluſio ratione D. Thom. ſub hac forma propoſita: Contemplatio Divina, vt contemplatio, eſt delectabilis: ergo etiam, vt divina, delectabilis eſt. Duplici propoſitione conſtat hoc breve argumentum, & vtramque probare debemus. Suadetur 1. anteced. Contemplatio Divina, vt contemplatio eſt, *competit homini ſecundùm ſuam naturam, prout eſt animal rationale*: ergo vt contemplatio eſt, eſt delectabilis. Antecedens eſt D. Thom. loco citato, & 2. 2. q. 83. art. 10. & conſequentia probatur. Quia vnicuique delectabilis eſt illa operatio, quæ ei convenit ſecundùm propriam naturam: ſed contemplatio veritatis eſt operatio conveniens homini ſecundùm propriam naturam: ergo contemplatio veritatis eſt homini delectabilis. Omnes propoſitiones notæ ſunt, tum ex ſe, tum ex præiacta authoritate.

37. Dices tamen, minorem huius Syllogiſmi non eſſe veram; quod inde ſuadere conaris: quia quod competit homini ſecundùm propriam naturam, ſcilicet *prout eſt animal rationale* ſoli homini convenit: ſed contemplatio veritatis non ſoli homini convenit: ergo contemplatio veritatis non convenit homini, *prout eſt animal rationale*. Cætera conſtant, & min. probatur: Quia contemplatio veritatis convenit Angelis, & etiam Deo convenit: ergo non convenit homini *prout eſt animal rationale*. Probatur iſta: quod convenit homini *prout eſt animal rationale*, convenit ei, prout eſt diſcurſivus: quod convenit homini, prout eſt diſcurſivus, non convenit Deo, & Angelis: ergo ſi contemplatio veritatis conveniret homini, prout eſt animal rationale, &c.

Reſpond. quòd contemplatio veritatis poteſt ſumi. Primò vt eſt ſublimis mentis oratio ad aliquod beneficium obtinendum ordinata. Secundò prout eſt ſimplex intuitus veritatis, ſive

hæc

hæc veritas, primariò contemplata, ſit à contemplante diſtincta, ſive indiſtincta ſit. Primo modo ſumpta contemplatio non convenit, nec convenire poteſt Deo, cui in propria natura orare repugnat, vt fuſè dictum à nobis eſt in primo prædicabili diſp. 4. q. 1. Sed hoc modo accepta contemplatio convenit Angelis, & etiam homini *prout eſt animal rationale*; quin hæc reduplicatio aliquam repugnantiam retrudat. Et ratio eſt, quam aſsignat D. Thom. art. 10. citato hiſce verbis: *Ad 2. dicendum, quòd intellectus, & ratio non ſunt in nobis diverſæ potentiæ, vt in primo habitum eſt. Differunt autem ſecundùm perfectum, & imperfectum, & ideò quandoquè intellectuales creaturæ, quæ ſunt Angeli, diſtinguuntur à rationalibus: quandoquè autem ſub rationalibus comprehenduntur. Et hoc modo dicitur oratio eſſe proprium rationalis creaturæ.* Vnde, cùm dicimus, contemplationem eſſe propriam hominis ſecundùm propriam naturam rationalem, ſub natura rationali Angeli comprehenduntur.

Si autem contemplatio ſecundo modo conſideretur, tunc convenit homini, prout eſt intellectivus: quippè contemplatio non eſt actus intellectus, vt *ratio* eſt, ſed vt intellectus eſt: ſicque convenit omni intellectivo cum diſtinctione tamen; quia intellectivo Divino convenit ſine diſtinctione à principio contemplante: Angelico autem, & humano cum reali diſtinctione à principio contemplante, & ab obiecto contemplato. Siquidèm ſolius contemplativi Divini eſt, quòd ſit ſua contemplatio. Et hoc modo non incongruè dicitur, quòd contemplatio convenit homini *prout animal rationale eſt*, hoc eſt, prout eſt intellectivus: quippè gradus intellectivi tripartitur in Divinum, Angelicum, & humanum.

38. Quæ vt penitiùs oſtendantur, obſervare placet: D. Thomam dicentem, contemplationem convenire homini, *prout eſt animal rationale*, contuliſſe hominem cum omni natura ſibi inferiori. Vnde extremum excluſum per illam reduplicationem ſolummodò eſt natura homine inferior, non autem illæ naturæ, quibuſcum, licèt deficienter, convenit in gradu intellectivi. Eſt dicere: quòd homo eſt medium inter naturas purè ſpirituales, & purè materiales. Vt medium participat de vtroque extremo. Hoc ergo medium, quatenus participat de extremo ſuperiori, comparatur cum inferiori extremo. Et idcircò dicitur, quòd contemplatio ei convenit ſecundùm propriam naturam; quia reverà, quod ei convenit, prout convenit cum extremo ſuperiori, ſecundùm propriam naturam illi convenit.

39. Et hanc intelligentiam, quam præiacto teſtimonio D. Thom. dedimus, ab ipſo Sancto Doctore didiſcimus, qui in 3. diſp. 35. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. Quærit, an contemplatio ſit actus intellectus, vt intellectus eſt? An verò vt ratio eſt? Reſolutio eſt: quòd contemplatio non eſt actus rationis, ſed intellectus. Contra quam reſolutionem ponit primò hoc argumentum. *Vita contemplativa eſt vita humana: ſed humana vita eſt ſecundùm operationem humanam: cùm ergo operatio humana ſit ſecundùm rationem, à qua dicitur homo, videtur, quòd vita contemplativa conſiſtat in operatione rationis principaliter.* Ecce argumentum, in quo quicquid contra traditam doctrinam poteſt obijci, continetur. Videamus, quid ad illud reſpondeat Ang. Magiſter.

Ad primum igitur dicendum, quòd homo in quantùm eſt contemplativus, eſt aliquid ſupra hominem: quia in intellectus ſimplici viſione continuatur homo ſuperioribus ſubſtantijs, quæ intelligentiæ, vel Angeli dicuntur, ſicut animalia continuantur hominibus in vi æſtimativa, quæ eſt ſupremum in eis, ſecundùm quam aliquid ſimile operibus rationis operantur. Eſt ergo contemplatio operatio homini conveniens ſecundùm propriam naturam, vel *prout eſt animal rationale*; taliter tamen, quòd conſideretur homo, vt *ſupra hominem eſt*, & vt continuatur ſubſtantijs ſupe-

ſuperioribus: atque adeò contemplatio eſt homini delectabilis, pro quo ſuadendo hæc omnia à nobis adducta ſunt. Sed nec adhuc ab hoc propoſito recedimus. Vnde

40. Probatur 2. illud anteced. poſitum num. 36. ex D. Thom. loco citato ex ſententiarijs q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. vt ſic propoſitionem, quam ex doctrina D. Thom. deduximus, ipſius etiam doctrina comprobemus. Præcept. Ang. verba hæc ſunt: *Secundùm quod Philoſoph. dicit in 11. de animalibus: Amans in prima comprehenſione amati magis delectatur, quàm in magna aliorum comprehenſione. Et ideò, vt ipſe dicit, illud parum, quod de ſubſtantijs ſeparatis cognoſcere poſſumus, plus deſideratur, & delectat, quàm quicquid de alijs rebus cognoſcimus.* Videatur idem Ang. Doct. art. 7. citato ex 2. 2. ex quo manet etiam hac authoritate comprobatum illud antecedens.

Nec dicas: D. Thom. in loco illo locutum de dono intellectus, quod eſt principium contemplationis ſupernaturalis: vnde illa authoritas impertinens eſt ad probandum contemplationem ex conceptu contemplationis eſſe delectabilem.

Reſpondetur enim: D. Thomam vtique eo loco diſputaſſe de dono intellectus, quod ſanè contemplationis ſupernaturalis principium eſt. Aſt verba, quæ retulimus, non loquuntur de contemplatione ſupernaturali, ſub conceptu ſupernaturalis; ſed ſub conſideratione contemplationis, quomodo nunc de illa loquimur. Quod evidens erit obſervanti, Ang. Doctorem adduxiſſe in comprobationem illius ſuæ doctrinæ, Ariſtotelem, qui abs dubio de contemplatione ſupernaturali nihil docuit; cùm illam, fide orbus, penitùs ignoraſſet. Quo ſolo evidens fit, ibi ſermonem eſſe de contemplatione ſub expreſſo contemplationis.

41. Sed rogas: cur Ang. Doctor, cùm de contemplatione ſupernaturali, vt tali, loquitur, ea tradit, quæ ſunt propria contemplationis ſub conceptu contemplationis? Reſponſio huius dubij eſt noſtræ conſequentiæ, num. 36. poſitæ, congrua probatio. Itaque D. Thom. in illa quæſtiuncula, immo in toto articulo, loquitur de contemplatione Divina, de cuius delectabilitate, vt aliquid diceret, ſic proceſsit. Oſtendit Contemplationem Divinam, ſub generali ratione contemplationis, eſſe delectabilem; & ſic, ſub munere Diuinæ, delectabilem eſſe demonſtrabat. Veluti ſi hoc enthymema conficeret: *Contemplatio Divina, vt contemplatio, eſt delectabilis: ergo etiam vt Divina.* Antecedens probavit inter alia authoritate illa Philoſophi: & illius antecedentis veritate oſtenſa, conſequentia probata manet, vt potè legitimè ex antecedenti deducta.

Hoc ipſum, & nos fecimus, vt præſens noſtrum aſſertum probaremus. Vnde probato antecedenti, in cuius oſtenſione hactenùs immorati ſumus, probata relinquitur noſtra illa conſequentia.

42. Declaratur, & illuſtratur vis prædictæ probationis: idcirco contemplatio, vt contemplatio, eſt delectabilis, quia eſt actus digniſsimus proceedens à potentia nobiliſsima, & terminatus ad obiectum digniſsimum: atqui hæc omnia magis vigent in contemplatione, ſub expreſsione divinæ: ergo. Maior conſtat ex dictis, eſtque etiam iuxta mentem Philoſophi 10. Ethic. cap. 8. & 9. vbi perfectæ contemplationis tres conditiones aſsignat. Prima quòd ſit actus potentiæ altiſsimæ, ſecunda, quòd ſit in actu nobiliſsimo; tertia in obiecto digniſsimo. Quas conditiones adduximus in Iſagoge lib. 4. num. 30. Et contemplatio, quæ has omnes conditiones habet, vtique digniſsima, ac delectabiliſsima eſt.

Deinde probatur minor: quia Contemplatio Divina, ſub conceptu Divinæ, eſt actus potentiæ altiſsimæ, ſcilicet intellectivæ, quæ inſignem exceſſum habet reſpectu ſui ipſius, vt elicit contemplationem ſub munere contemplationis; ſiquidem dicit elevationem ſupernaturalem; aliter enim

actum

actum adeò ſublimem elicere nũquam poſſet. Deinde eſt ab habitu nobiliſsimo, videlicet ab habitu fidei, vel remotè, vel proximè influentis, etiam à donis Spiritus Sancti, qui ſunt nobiliſsimi habitus, & ſimiliter habitus Theologiæ quamquàm inferior, habitus nobiliſsimus eſt. Tertiam denique conditionem habet ſub altiori ratione, quandoquidem habet obiectum digniſsimum, quod attingit prout ſupernaturale eſt: ergo illa, quæ contemplationem, vt contemplatio eſt, faciunt delectabilem, verificantur, & perfectiori modo, de contemplatione divina, ſub expreſsione divinæ.

43. Confirmatur etiam ex dictis: Ideò contemplatio, vt contemplatio, eſt delectabilis homini, quia eſt operatio ſecundùm propriam naturam ipſi conveniens: Hoc ipſum habet contemplatio divina, vt talis: ergo pariter delectabilis eſt. Probatur minor: quia natura hominis poteſt eſſe vel natura, qua in eſſe hominis conſtituitur; vel qua conſtituitur in eſſe iuſti; quippe gratia ſanctificans eſt, diciturque natura in ordine, ſupernaturali: ſed contemplatio divina, eſt homini conveniens ſecundùm vtramque hanc naturam: ergo, &c. Minor probatur pro 2. parte: quia gratia ſanctificans, ſine qua divina contemplatio non eſt dabilis, eſt natura ipſam contemplationem, radicans, eamque, medijs habitibus vel fidei, vel donorum, & charitatis, eliciens: ergo contemplatio divina convenit homini iuſto ſecundùm propriam naturam, per quam in eſſe iuſti conſtituitur. Pro prima parte etiam probatur: quia natura, qua homo in eſſe hominis conſtituitur, eſt intellectiva, habetque capacitatem, vt proportionetur ad aradicandam eliciendamque divinam contemplationem; nempe per gratiam, & habitus infuſos: ergo hæc convenit homini, ſecundùm propriam naturam, illum in eſſe hominis conſtituentem.

Vnde delectabilis eſt divina contemplatio.

§. II. *Reſpondetur argumentis.*

44. CONtra noſtram concluſionem arg. 1. In contemplatione divinorum adeſt luctamen, & pugna: ergo delectatio non adeſt. Patet iſta; Quia pugna, ſudorque certaminis ſunt cum delectatione incompatibiles. Antecedens autem eſt Div. Gregor. ſuper Ezech. homil. 14. vbi ait: *Anima cùm contemplari Dominum nititur, velut in quodam certamine poſita, modò quaſi ſuperat, quia intelligendo, & ſentiendo de incircumſcripto lumine aliquid deguſtat: modò ſuccumbit, quia deguſtando iterum deficit.*

45. Confirmatur, & declaratur ratio facta: Quia Jacob ex ſublimi contemplatione, quam habuit, dum *vidit Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima eius*, vt dicitur Geneſ. cap. 32. vehementiſsimam læſionem corporalem contraxit, quandoquidem toto nervo fœmoris eius claudicabat: ergo in illa contemplatione delectationem non habuit. Ergo in nulla datur. Hæc ſecunda conſequentia conſtat ex prima: Sinamque in contemplatione illa perfectiſsima delectatio non fuit, nullum adeſt motivum, vt in alijs adeſſe, dicamus. Prima autem conſequentia probatur: Quia læſio corporalis, & maximè vehemens, omnem delectationem excludit: vbi enim adeſt dolor, delectatio non adeſt.

46. Reſpond. arg. ex Div. Thom. artic. 7. citato: Certamen contemplationis non eſſe cum veritate, quam intuetur; quin potiùs eſt, vt in intuitu illius veritatis ſecuriùs, expeditiùs, diutiùſque occupetur. Quod non faceret contemplativus, ſi ille ſupernæ veritatis intuitus ſibi non foret delectabilis. Vnde pugna contemplativi eſt cum proprio corpore illam ſuaviſsimam contemplationem non ſuſtinente, iuxta illud Sapient. 9. vbi dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Hinc ortum habent

querulæ illæ voces cum Apoſtolo : *Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis huius?* Hinc cum ipſo Apoſtolo deſiderium illud: *Cupio diſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Hinc cum Davide clamant: *Heu! quia incolatus meus prolongatus eſt , multùm incola fuit anima mea.* Hinc denique cum Extat. Patre noſtro frænare ſatagit imaginationum turbam ſuavem illam quietem perturbantem dicens:

O Nimphas de Judea,
En tanto que en las flores , y roſales,
El ambar perfumea,
Morà en los arrabales, (les.
Y no querais tocar nueſtros vmbra-

Hoc eſt certamen viri contemplativi, illudque init propter delectabilitatem divinæ contemplationis : ſinamque ipſa appetibilis non foret , neutiquam contemplativus tot adverſa propter illam ſuſtineret. Vnde certamen illud, quod Div. Gregor. in contemplatione dari docet, contemplationis delectabilitatem commendat. Sicut commendat delectabilitatem honoris , aut coronæ, certamen initum ob coronæ, aut honoris conſervationem.

47. Ad confirmationem reſpondetur; Delectationem contemplationis divinæ præſtare omni dolori , & delectationi corporali , vt poſtmodùm dicemus. Et hoc non ſolùm quoad ſe, ſed etiam quoad nos , *cuius ſignum eſt* (ait Caietan. loco citato) *quòd tales* (hoc eſt contemplativi) *tolerant quæcumque contraria delectationibus corporalibus , & ſenſibilibus , potiùs quàm amittant contemplativam delectationem.* Vnde quamquàm Jacob dolore vehementi gravaretur, illum tunc temporis non ſentiret ; quia ſi eius illa contemplatio fuit adeò ſublimis , anima , tota in Deum rapta , dolorem illum corporalem percipere non valebat.

Nec motivum habemus , vt aſſeramus, dolorem illum ex nervi fæmoris tactu reſultantem , fuiſſe adeò vehementem : quandoquidem ea ipſa die, immediatè ad luctam , ac contemplationem ad nervi fæmoris contuſionem,& ad claudicationem inde ortam, dicitur cap. 33. *Elevans autem Jacob oculos ſuos vidit venientem Eſau : : : Et ipſe progrediens adoravit pronus in terram ſepties , donec appropinquaret frater eius.* Et tunc , ait ibi Abulenſ. iam non claudicabat Jacob. Et ſi dolor fuiſſet adeò vehemens , gravem relaxationem in parte illa ſummè delicata , argueret : atque ideò non tam citò evanuiſſet claudicatio.

Claudicationis dictæ licèt naturaliter ſubſecutæ myſterium ad noſtrum propoſitum, detegit Div. Thom. in dicto art. 7. his verbis: *Ad 4. dicendum , quòd Jacob poſt contemplationem vno pede claudicabat : quia neceſſe eſt, vt debilitato amore ſeculi , convaleſcat aliquis ad amorem Dei , vt Gregor. dicit. ſuper Ezech. & ideò poſt agnitionem ſuavitatis Dei vnus in nobis pes ſanus remanet atque alius claudicat. Omnis enim qui vno pede claudicat, ſolùm illi pedi innititur , quem ſanum habet.* Ecce duplicem claudicationem contraxit ex illa contemplatione Jacob. Primam, ſpiritualem : ſecundam, corporalem: hanc defectuoſam, illam virtuoſam: à defectuoſa illico ſanavit: virtuoſam autem per totam vitam retinuit : ad hoc enim illi infuſa fuit , vt Deo ſuo pijſsimo ſe totis ſuis viribus in poſterum conſecraret.

48. Arg. 2: Delectatio eſt propria paſsio appetitus ſenſitivi: ergo contemplatio non dicit delectationem. Patet conſequentia , quia contemplatio eſt actus rationis. Et antecedens probatur: tum ex Myſticorum,& Scholaſticorum conſenſu vnanimi. Tum etiam ex eo, quòd in brutis dantur delectationes: ergo delectatio eſt paſsio propria appetitus ſenſitivi.

49. Confirmatur : Nulla delectatio eſt bona: ergo contemplatio nullam delectationem dicit. Patet iſta : quia contemplatio eſt ex ſe bona,& honeſta, vt vidimus quæſtionibus præcedẽtibus. Vnde non poteſt dicere ex ſe niſi id, quod ſit bonum. Inſuperque , quia delectatio eſt complementum actionis delectantis : & complementum actionis

nis de se bonæ, qualis est contemplatio, non potest non esse bonum. Antecedens autem probatur ex Philosoph. in 2. Ethicor. cap. 3. docente, quod virtus, & ars sunt circa difficile, & bonum: sed nulla ars ordinata est ad delectationem: ergo hæc bona non est.

50. Respondetur argum. cum D. Thom. 1. 2. q. 31. art. 3. Quòd datur delectatio consequens naturam, & delectatio consequens rationem. Prima est passio appetitus sensitivi. Secunda autem appetitus rationalis. Per primam convenit homo cum brutis, à quibus per secundam differt. Hæc est propria contemplationis, & non illa. Vtraque dicta delectatio convenit homini; cùm sit compositus ex eo, in quo cum sensitivis convenit, & ex eo, in quo convenit cum Angelis. Delectatio ergo propria contemplationis est illa, quæ convenit homini, secundùm id, in quo convenit cum Angelis. Quod mirè docet D. Thom. citatus art. 4. his verbis: *Ad 3. dicendum, quòd in nobis est delectatio non solùm, in qua communicamus cum brutis; sed etiam in qua communicamus cum Angelis. Vnde ibidem Dionys. dicit, quòd sancti homines multoties fiunt in participatione delectationũ angelicarũ: & ita in nobis est delectatio non solùm in appetitu sensitivo, in quo communicamus cum brutis, sed etiam in appetitu intellectivo, in quo communicamus cum Angelis.*

51. Dices: Philosoph. lib. 1. Reth. cap. 10. in fine, diffinit delectationem per hoc quòd sit *motus quidam sensibilis*: sed in parte intellectiva non est motus sensibilis: ergo nec delectatio.

Respond. ex eodem D. Thom. art. citato ad primum Philosoph. nomine motus sensibilis intellexisse quamcumque apprehensionem. Vnde cùm pars rationalis capax sit apprehensionis, & voluntas bonum, vt apprehensum, respiciat: propterea potest etiam delectationem habere. Et Philos. ipse etiam in ipso Deo delectationem posuit, cùm dixit lib. 7. Ethicor. cap. vltim. *Quòd Deus vna simplici operatione gaudet.* Consequenterque delectatio non restringitur ad naturam sensitivam. *Adde*: quòd etiam potest dici: Philosoph. ibi definijsse delectationem, quæ est propria appetitus sensitivi.

52. Instas: Omnis delectatio est passio quædam: sed omnis passio est propria appetitus sensitivi: ergo & omnis delectatio. Ergo nulla datur in appetitu rationali. *Respondetur*: Quod si nomen *passio* propriè sumatur, dicit transmutationem corporalem: & prout sic non datur in appetitu rationali, sed solùm in sensitivo. Si autem nomen *passio* non ita propriè sumatur, sed *secundùm simplicem motum*, vt ait laudatus. D. Thom. ad 2. sic invenitur in appetitu rationali, vt patet ex dictis. Invenitur etiam in Angelis, vt docet Div. Dionys. lib. de *Cæles. hierarch.* cap. vlt. per hæc verba: *Angeli non sunt susceptibiles nostræ passibilis delectationis, sed congaudent Deo secundùm incorruptionis lætitiam.* Invenitur etiam in Deo, vt constat ex authoritate Philosoph. num. præcedenti posita. Et etiam ex illo Proverb. cap. 8. *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum.* Et ex illo Cãtic. 2. *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Dicente ibi Ang. Præcept. *Tu, inquit, dilecta mea, quæ in lecto contemplationis dulcissimè requiescis, veni, & ostende faciem tuam mihi.* Et post pauca: *Sonet vox tua in auribus meis: Vox videlicet prædicationis, vel divinæ laudis, qua alios facias proficere. In auribus enim Dei vox Ecclesiæ sonat, cum prædicatione ex multorum conversione delectatur Deus.*

Ad confirm. respondet idem Div. Thom. loco citato ex 1. 2. q. 34. art. 1. *Ad 3. dicendum, quòd non omnis boni est ars, sed exteriorum factibilium, vt infra dicetur. Circa operationes autem, & passiones, quæ sunt in nobis, magis est prudentia, & virtus, quàm ars.* Et hoc verificatur in nostra contemplatione, pro cuius exercitio, & delectationis ab ipsa procedentis perceptione, maximopere requiritur virtus, scientia, & prudentia, vt constat

ex ijs, quæ multoties in ſuperioribus dicta ſunt.

53. Obijcies: Delectatio impedit vſum rationis, & *corrumpit exiſtimationem prudentiæ*: ergo prudentia non poteſt ſervire ad regendam delectationem contemplationis. Patet iſta ex antecedenti, quod probatur: quia eſt expreſſum Philoſoph. 6. Ethic. & Div. Thom. citati, q. 33. art. 3.

Reſpond. ex eodem Ang. Doct. inibi: Delectationem, quoad præſens duplicem eſſe. Prima earum eſt propria actus delectantis; ſecunda autem extranea. Inter quas hoc intereſt: quòd delectatio propria operationis delectantis, non impedit, ſed adauget ipſam operationem; eſt enim eius complementum, vt dictum eſt. Et per proprium complementum non impeditur operatio, ſed perficitur. Accipe verba Div. Thom. *Delectationes propriæ adaugent operationes, extraneæ verò impediunt. Eſt ergo quædam delectatio, quæ habetur de ipſo actu rationis, ſicut cùm aliquis delectatur in contemplando, vel ratiocinando, & talis delectatio non impedit vſum rationis, ſed adiuvat: quia illud attentiùs operamur, in quo delectamur: attentio autem adiuvat operationem. Sed delectationes corporales impediunt vſum rationis triplici ratione, &c.* Proſequitur Doct. Sanct. aſsignans motiva, ob quæ delectationes extraneæ impediant delectationem contemplationis. Cuius doctrinæ exemplum eſt v. g. in ludo, cui ſi nimis quis deditur propter delectationem, quam inde percipit: Hæc delectatio ludi actionem ipſam ludendi non impedit, ſed invitat: eſt quippe talis delectatio propia illius actionis. Impedit tamen delectationem extraneam, videlicèt delectationem litteris, vel divinæ contemplationi vacandi. Hoc ergo modo verum eſt, delectationem vſum rationis impedire; & eius conditionis poteſt eſſe delectatio, tantamque diſtractionem cauſare, ſeu ſuperexcedentiam habere, vt *corrumpat exiſtimationem prudentiæ*. Et hoc eſt, quod Philoſoph. in teſtimonio illo contra nos obiecto docet, quod nobis non obeſſe, ex dictis conſtat.

54. Arg. 3. Delectatio eſt de bono præſenti, ſeu poſſeſo: ſed contemplatio noſtra eſt de bono abſenti: ergo non eſt delectabilis. Conſequentia bona eſt, & mai. eſt expreſſa D. Thom. qui motum apetitus ſive ſenſitivi, ſive rationalis comparat motui corporeo docens, quòd ſicut in termino motus quieſcit mobile, ſic etiam, obtento bono, habet appetitus ſuam quietem, quæ nihil aliud eſt, quam delectatio habita de ipſa habitione, ſeu poſſeſsione boni. Hoc multoties repetit Div. Thom. in quæſtionib. modò citatis ex 1. 2. & q. 23. art. 4. & q. 30. art. 2.

Minor autem probat. 1. Quia noſtra contemplatio innititur ſpei, eſtque actus fidei, vel actus fidem indiſpenſabiliter requirens: Ergo noſtra contemplatio non eſt de bono præſenti, & poſſeſo; ſed de abſenti, & ſperato. *Probatur* 2. illa minor: Quia quò perfectior eſt contemplatio, eo creſcit ſitis, deſideriumque erga rem contemplatam: ſed ſitis, ac deſiderium obtinendi rem contemplatam implicat cum quiete ob habitionem boni deſiderati: ergo idem, quod priùs. Conſequentia eſt legitima, & minor certa videtur, patetque exemplo illo motus materialis, & mobilis in terminum pervenire cupientis, quod deſiderium, & motus repugnant cum quiete in termino. Maior autem conſtat, tum ex Div. Thom. 2. 2. q. 130. art. 1. & 7. vbi clariſsimè docet, divinam contemplationem eſſe effectum, & cauſam amoris divini. Effectus: quia ipſe divinus amor, quo anima flagrat, movet ad cõtemplationem: eſt & cauſa, quia ipſa divina contemplatio rogum ipſum amoris auget, cuius flamma mirabiliter creſcit ſitis deſideriumque animæ, quæ hac amoris ſagitta, ſiti, ac fame ſaucia clamat ad ſuum ſponſum dicẽs cum noſtro Doct. Extat. in ſuo cantico cantione 1.

A donde te eſcondiſte,
Amado, y me dexaſte con gemido?
Como el ciervo huiſte,
Aviendome herido:
Sali tràs ti clamando, y ya eras ido.

Hoc

Hoc dicit anima in ſublimi contemplatione poſita. Et in explanatione verſus 2. ait Sanctus Doct. *Notandum eſt, abſentiam dilecti cauſare continuum gemitum in amante.* Circa quæ duo ſunt obſervatione digna. Primum eſt: myſticum noſtrum Doctor. expreſiſsimè docere, animam in inſigni contemplatione poſitam, à ſuo ſponſo eſſe abſentem. Vnde non poteſt tunc anima quietem in ſponſo ſuo dilecto habere. Secundum eſt: gemitus ille, quem ob talem abſentiam habet. Quo gemitu

55. Confirmat. & illuſtrat. ratio facta: Contemplatio noſtra, etiam eminentiſsima cauſat gemitum: ergo non cauſat delectationem. Anteced. conſtat ex citato teſtimonio, & conſequentia probatur: Quia gemitus, & delectatio omnino contrariantur: ſed contemplatio cauſat gemitum: ergo delectabilis non eſt. Maior, in qua poterat eſſe difficultas, ſuadetur: quia gemitus dicit triſtitiam: ſed triſtitia eſt omnino contraria delectationi; quia delectatio, quæ ſecundùm rationem eſt, eſt idem ac gaudium, vt patet ex Div. Thom. quæſt. 31. citata art. 3. Ergo gemitus, & gaudium contrariantur.

56. Tota machina huius argumenti ruit impetu doctrinæ Angelicæ locis citatis. Etenim q. 32. art. 3. ſic ait: *Ad primum ergo dicendum, quòd ſpes, & memoria ſunt quidem eorum, quæ ſunt ſimpliciter abſentia, quæ tamen ſecundùm quid ſunt præſentia, ſcilicet, vel ſecundùm apprehenſionem ſolùm, vel ſecundùm apprehenſionem, & facultatem, ad minus æſtimatam.* Videatur Ang. Doct. in corp. art. vbi docet, quòd *coniunctio ſecundùm apprehenſionem* cum re ſat eſt ad delectationem memoriæ: & coniunctio cum ipſa re *ſecundùm facultatem, vel poſſibilitatem adipiſcendi* bonum, ſufficit, vt ſpes cauſet delectationem.

Eandem doctrinam repetit Doct. Sanctus q. 33. art. 2. vbi ad ſecundum ait: *Id quod imperfectè habetur, ſecundùm quid habetur, & ſecundùm quid non habetur, & ideò ſimul de eo poteſt eſſe, & deſiderium, & delectatio.* Et ad primum dixerat: *Quandò delectatio eſt perfecta, tunc habet omnimodam quietem, & ceſſat motus deſiderij tendentis in non habitum: ſed quando imperfectè habetur: tunc non omnino ceſſat motus deſiderij tendentis in non habitum.* Ex quibus

57. Reſpond. ad argumentum: Quod in contemplatione divina Deus contemplatus eſt præſens contemplanti non ſolùm ſecundùm memoriam, vel *apprehenſionem*, quod ſufficeret ad cauſãdam delectationem, vt dictum eſt; ſed etiam eſt præſens *ſecundùm facultatem*, videlicet fidem, ſpem, charitatem, dona Spiritus Sancti, religionem infuſam, & alia. Secundùm hæc ergo præſens eſt. Aſt hæc præſentia, & ſi ſublimis, imperfecta eſt, comparata cum præſentia faciali, in qua ſine velamine fidei ſponſum dilectum ſuum anima facie ad faciem contemplatur. Hæc ergo facialis contemplatio dicit perfectiſsimam delectationem, excludentem ſitim, aut deſiderium tendens *in non habitum.* Illa verò alia contemplatio, quæ fidei velamine clauditur, delectat quidem; ſed delectatione (ſi conferatur cum illa alia delectatione patriæ) imperfecta, & quæ non excludit ſitim, ac deſiderium tendens in *non habitum.* Videre poteris, quæ diximus in noſtra Iſagoge lib. 3. à num. 34. & lib. 2. à num. 136. vbi agentes de actibus intellectus, & voluntatis lect. 3. & 4. diximus, *bonum* diverſimode poſsideri à facultate, videlicet iam minùs, iam magis perfectè: ſemper tamen cauſare delectationem.

Vnde ſi argumentum loquitur de præſentia, aut poſſeſsione perfecta *boni*, minor eſt vera; ſed maior falſa: vt enim detur delectatio non requiritur præſentia intuitiva, aut perfecta; ſufficit imperfecta. Si autem loquatur de præſentia imperfecta, vera eſt maior, ſed falſa minor; quia noſtra contemplatio, licèt ſit de re abſenti, prout abſentia opponitur præſentiæ perfectæ; non tamen eſt de re abſenti, prout abſentia compatitur cum imperfecta præ-

præsentia. Atque adeò nostra contemplatio est de re præsenti *secundùm apprehensionem, & secundùm facultatem.* Vnde delectabilis est. Quia autem ea, quæ ad suadendas maiorem, & minorem propositi argumenti, datæ doctrinæ possunt aliqualiter obstare; & etiam, ac speciatim, quia pro dictorum intelligentia possunt plurimùm deservire: propterea ad id, quo maior suadetur,

Resp. ita esse, quòd D. Thom. multoties adducit illam paritatem motus corporei, vt declaret naturam motus appetitivi. Quod & cum ipso Sancto Doct. dicimus. Quia ex hac paritate ægregiè delectabilitas nostræ contemplationis ostenditur. Itaque qui iter è Matrito in Hispalim arripit, non vnico motu, numquam interrupto, iter conficit; sed tot terminos intermedios, motum illum interrumpentes, habet, quot dietæ præter vltimam, mediant. Matritum inter, ac Hispalim. In illis terminis intermedijs vtique viator ille quiescit, ac de absoluto illius diei motu fatigante delectatur. Etiam delectatur, & quiescit, cùm in Hispalim pervenit. Verùm inter has duas delectationes, seu quietes hoc interest; quòd hæc secunda est absoluta, & perfecta, atque adeò excludit desiderium obtinendi terminum; quia iam hic obtentus est: excludit etiam angorem, ac solicitudinem motus, quia iam motus finitus, & absolutus est. Illa autem prima quies, aut delectatio excludit quidem motum illius dici, ac de hoc gaudet viator; sed non excludit motum dierum sequentium, de hoc-que angitur, torquetur, ac solicitus est. Desiderat enim pervenire ad terminum vltimum sui motus, vbi quietem sine amaritudinis permixtione reperiat.

Habemus ergo, quòd in motu progressivo est quies perfecta, & imperfecta. Illa non habetur, vsque dum terminus vltimus habeatur: hæc autem etiã in terminis intermedijs reperitur. Prima, quia perfecta, omnem motum excludit. Secunda verò, quia imperfecta est, excludit quidem motum illius diei, dierum autem sequentium motum non excludit. Hoc ipsum invenitur in motu appetitivo. Quippe almæ Sionis æmuli Sionem versus gradimur. Terminus vltimus huius motus est Deus clarè visus. Terminus intermedius est ipse Deus sub fidei obscuritate contemplatus. In hoc termino vtique quiescimus, deliciamur. Ast heæ deliciæ, ista quies, quia imperfectæ sũt, vt potè termini nondùm perfectè habiti, non excludunt motum, nec solicitudinem animæ erga ipsum terminum perfectè possessum. Vide igitur quam magno fundamento conferat Ang. Doct. motum appetitivum cum progressivo: & quam idoneus ille sit ad perfectam intelligentiam illius.

Ad primam probationem minoris respondetur primò ex dictis, distinguendo consequens: *non est de bono præsenti* præsentia perfecta, concedatur; imperfecta, negetur. Termini ex dictis noti sunt: & ideò, *Respondetur* secundò: Div. Thom. dicta quæst. 32. integrum articulum habere, in quo inquirit: *Vtrùm spes, & memoria sint causæ delectationis?* Cuius resolutio est affirmativa, & videri debet, quia pro præsenti materia est admodùm vtilis.

Ad 2. illius minoris probationem patet etiam, quòd contemplatio nostra, quia non est adeptio perfecta Dei contemplati, licèt delectabilis sit, admittit secum, immo & causat sitim, ac desiderium ipsius Dei perfectè habiti. Videatur citatus Div. Thom. quī alium articulum habet, & est secundus quæstionis trigesimæ tertiæ, vbi quærit: *Vtrùm delectatio causet sui sitim, vel desiderium?* Et respondet affirmativè. Videatur ibi Doct. Sanctus, quia omnia, quæ docet, pro cognoscenda delectabilitate nostræ contemplationis multùm prodesse possunt

58. Ad cantionem adductam Extat. nostri Patr. dicas primò ipsum loqui de absconsione, qua sponsus divinus animas sibi amicissimas torquere solet, se se ab illis abscondens, ac in maxima

xima ſpiritus ariditate, ac ſi offenſus eſſet, conſtituens. Quam deſtitutionem dum patiuntur, clamant, gemuntque ad ſponſum, vt ipſas exaudire dignetur. Verùm quia etiam iuxta mentem eiuſdem Sancti Doct. loquitur de abſentia, quam arguens intendit: Idcò ex doctrina data,

Reſpond. 2. Extat. Doct. loqui de abſentia, quæ excludit omnem rationem ſitis, & deſiderij *tendentis in non habitum*: non autem de abſentia, quæ cum imperfecta præſentia compatiatur. Ibi, inquam, clamat anima pro intuitiva contemplatione ſponſi, ſe aſſerens inſaciatam, vſque dum gloria Domini ſibi appareat. Videatur Sanct. Doct. in declaratione generali dictæ Cant. Hoc autem non obeſt, vt in contemplatione huius viæ delectetur propter ſponſi præſentiam imperfectam, & obſcuram, vt patet ex dictis, conſtatque ex eodem Sanct. Doct. in Cant. 22. vbi ait:

Entrado ſe ha la Eſpoſa
En el ameno huerto deſeado,
Y à ſu ſabor repoſa,
El cuello reclinado
Sobre los dulces brazos del amado.

Ecce animam ipſam, quæ Deum deſiderat vt abſentem, ſuper ipſum dulciter quieſcere. In quo nulla adeſt contradictio; ſiquidem quieſcit, & delectatur in illo imperfectè, ſeu obſcurè habito: deſiderat autem ipſum perfectè, ſeu clarè contemplatum.

Ad confirmat. reſpond. ipſam contemplationem, quæ cauſat delectationem propter Deum imperfectè habitum, cauſare etiam gemitum, & triſtitiam, quia Dei perfecta, facialiſque poſſeſsio differatur. Et *nihil prohibet idem ſecundum diverſa eſſe cauſam contrariorum. Sic igitur ſpes in quantum habet præſentem æſtimationem boni futuri, delectationem cauſat, in quantum autem caret præſentia eius cauſat afflictionem.* Verba ſunt D. Thom. ex dicta quæſt. 32. art. 3. ad 2. quæ materiam præſentem optimè explanant, & miram conſonantiam inter Doctrinam Angel. noſtri Doct. & Seraph. noſtri Patr. adeſſe, demonſtrant.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat, ſit delectabilis?

PRæcedenti quæſtione vidimus, divinam contemplationem duos effectus valdè contrarios cauſare: videlicet delectationem, & mœrorem: hunc propter abſentiam perfectæ poſſeſsionis dilecti: illam ob præſentiam imperfectam amati. Reſtat modò inquirere: an non ſolùm ſit delectabilis divina contemplatio, propter imperfectam præſentiam amati, qua gaudet; ſed etiam propter illam perfectam præſentiam, qua caret, & pro qua gemebunda ſuſpirat? Quod eſt idem, ac explorare: An dolor, gemitus, & triſtitia divinæ contemplationi indivulſè aſsiſtentes, ſint re ipſa delectabiles?

§. I. *Statuitur, probaturque affirmativa concluſio.*

59. NOſtra aſſertio: *Ipſa triſtitia, ipſe clamor, & dolor divinæ contemplationis eſt ex natura ſua delectabilis.* Concluſio hæc eſt omnino ad mentem D. Thom. qui illam probat dicta q. 33. art. 4. in arg. *ſed contra*, ex illo Pſalmi 41. vbi David inquit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Quæ verba ſic inibi declarat Sanctus Doct. *Per panem autem refectio delectationis.* Ex quibus infert: *Ergo lacrymæ, quæ ex triſtitia oriuntur, poſſunt eſſe delectationis cauſa.* Sed

videamus totum textum, & mirabimur insignem explicationem.

Ait David: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.* Ac si diceret: Ipsa Dei memoria, quam habeo, in lacrymas me effundere compellit, quia ipsum non video: verum ipsæ, propter dictam absentiam, tristes lacrymæ sunt mihi delectabiles, ac veluti robustus panis reficiunt, quia me *vsque ad domum Dei* contemplandam ducunt, & spes, quam habeo, hanc domum Dei videndi, in eaque ipso in æternum fruendi, meam vitam fulcit, ac reficit.

60. Clarissimè hoc ipsum docet Doct. Sanctus super hunc Psalm. vbi solidissimas rationes tradit, ob quas lacrymæ ipsæ delectabiles sunt. *Panis reficit, & sic lacrymæ reficiunt duplici ratione. Vna est, quia vnicuique est delectabilis actio sibi conveniens. Vnde tristitia est delectabilis actio conveniens tristitiæ, & lacrymatio est tristitiæ actio. Alia ratio est, quia quando calor evaporat extra, minuitur: & ideò dicit, quod lacrymæ sunt ei sicut panis, quasi reficientes eum. Vel sicut panis; quia sicut per panem sustentatur, ita ipse sustentatur in bono per lacrymas.* Quas rationes sic expendo, illisque

61. Probat. iterum conclusio: Actio alicui conveniens est ipsi delectabilis: sed contemplativo dolenti de Dilecti absentia convenit lacrymatio: ergo illi lacrymatio est delectabilis. Consequentia est bona, maior, & minor sunt expressæ Div. Thom. in primis verbis propositæ authoritatis, quæ potest sub hac forma proponi: *Vnicuique est delectabilis actio sibi conveniens: vnde* (seu ergo) *lacrymatio*, quæ quidem *est tristitiæ actio, est delectabilis actio conveniens tristitiæ.* Cuius enthymematis duæ propositiones eæ sunt, quas pro maiori, & minori in nostro Syllogismo posuimus.

Deinde prob. min. in qua difficultas viget. Exuli de sua patria cogitanti convenit lacrymatio: Contemplativus dolens propter absentiam Dilecti, est exul cogitans suam patriam, in qua ipsum in æternum facie ad faciem videbit: ergo ipsi conveniens est lacrymari. Consequentia sequitur, & minor est certa. Maior autem pluribus probari poterat, brevitatis tamen causa illam probamus toto Psalm. 136. vbi exul contemplativus sic loquitur: *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flebimus, cùm recordaremur Sion. In salicibus in medio eius, suspendimus organa nostra.* Et volentibus ipsos audire more suæ patriæ canentes, respondérunt: improprijssimam esse exulibus musicam, cùm ipsis fletus conveniat, *Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vide exules suæ patriæ memoriam habentes, & absentiam deplorantes: lætitiæ instrumenta, veluti exilio repugnantia, in salicibus suspendentes, & vel iussi ab ijs, quibus complacere congruum videbatur, canere recusantes: ergo exuli de sua patria cogitanti, non cantare proprium est, sed lacrymari.

Super hunc Psal. poema fecit Noster Mystic. Doct. quo & animas in cœlestis patriæ desiderium maximè excitat, & omnia dicta firmat. Sic enim ait:

Encima de las corrientes,
Que en Babilonia hallaba,
Alli me sentè llorando,
Alli la tierra regaba.
Acordandome de ti,
O Sion, à quien amaba
Era dulce tu memoria,
Y con ella mas lloraba.

Quibus verbis, & sequentibus, ostendit, *qualem decet exulis esse* operationem: videlicet tristitiam, & lacrymas ob absentiam à patria. Hasque lacrymas fore exuli delectabiles exprimit, dicens:

En mi por ti me moria,
Y por ti resucitaba,
Que la memoria de ti
Daba vida, y la quitaba.

Confer

Confer verba hæc cum alijs Pſal. 41. quæ num. 59. adduximus, & videbis huius cantus veritatem ſuper illorum infallibilitatem fundatam. Ait enim Sanctus Doct. quòd Dilecti abſentis memoria contemplativum reficit, & interficit, eique vitam confert, & aufert. Vnde ipſa gemens memoria delectabilis eſt ei, qui ab ipſa vitam ſe habere, fatetur.

62. Confirm. ratio facta: ei, cui eſt triſtabile vnum contrarium, aliud contrarium eſt delectabile: ſed contemplativo propter Dilecti abſentiam ſuſpiranti eſt triſtabilis riſus: ergo ipſi eſt delectabilis planctus. Conſequentia benè infertur, quia riſus, & flectus, triſtari, & gaudere contraria ſunt. Maior certa eſt, & minor probatur ex Eccleſiaſt. cap. 22. v. 6. dicente: *Muſica in luctu importuna narratio.* Sed quare in luctu muſica eſt narratio importuna, ſeu, iuxta Figur. Div. Hieronym. & & Malu. *intempeſtiva?* Reſpondet Cornel. *Quia lugentes, dum lugent, non delectantur muſica, ſed ea magis contriſtantur luctumque quaſi per antiperiſtaſin adaugent.* Hanc ipſam veritatem nobis eadem claritate docet alia Scriptura ex cap. 25. v. 20. Proverb. vbi dicitur: *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Symmach. vertit, *triſtiſſimo.* Cuius oraculi ſenſus idem eſt, ac præcedens. Eſtque quod in nobiſmetipſis experimur: ſiquidem, cùm triſtamur, ſi aliquid ad lætitiam provocans viderimus, non gaudemus, ſed exaſperamur. Sit ergo muſica *in convivio vini*, vt ait idem Eccleſiaſt. 49. v. 2. quia *vinum letificat cor*; & lætis eſt muſica ſonora, triſtibus autem adverſa. Ex quibus omnibus conſtat, quam vera ſit illa minor, pro qua ſuadenda allata ſunt. Videlicet, quòd contemplativo propter Dilecti abſentiam ſuſpiranti riſus triſtabilis eſt. Quia ſi datur *tempus flendi, & tempus ridendi*; tempus illud non eſt ridendi, ſed flendi. Vnde fletus eſt tunc contemplativo delectabilis, quia pro illo tempore eſt ipſi conveniens.

63. Dices: Hæc confirmatio ſe ipſam deſtruit: ergo nihil probat. Anteced. probatur. 1. Quia lætitia, & mœror cõtrariantur: ergo non poſſunt ſimul in formaliter eodem inveniri. Ergo in dicto contemplativo, in quo, vt ſupponimus, adeſt planctus, non eſt lætitia. Ergo planctus ille ei non eſt delectabilis. Antecedens certum eſt, à nobiſque aſſertum num. præcedenti. Et ex illo prima, & ſecunda conſequentia legitimè deducuntur. Tertia autem ex ipſis manifeſta eſt; ſi namque lachrymæ forent illi delectabiles, iam triſtitia, ac lætitia invenirentur ſimùl in formaliter eodem; & illi contemplativo idem omnino tempus foret tempus flendi, atque ridendi.

Probat. 2. principale antecedens: quia muſica non eſt diſconveniens triſtibus, vt conſtat ex citato Pſal. 136. vbi exules illi triſtiſsimum Pſalmum illum canebant, ad cuius imitationem Extat. noſter Doct. carmina illa fecit, quæ retulimus: ergo contemplativo propter Dilecti abſentiam ſuſpiranti non eſt triſtabilis muſica: ergo nec delectabilis planctus. Eſt dicere; vel cantus ille erat illis exulibus mæſtiſsimis delectabilis; vel non: ſi ſic: ergo Muſica in luctu non eſt intempeſtiva narratio. Si non: ergo planctus non eſt contemplativo delectabilis.

64. Reſpond. negando antecedens, ad cuius probationes, vt reſpondeas, obſerva: nos poſſe loqui de triſtitia contemplationis, prout contemplatio eſt actio contemplativo triſti conveniens, vel, vt propriùs loquar, conveniens triſti. Vel de triſtitia contemplationis ſub munere contemplationis, & ſub formalitate Evangelicæ, Deum vt vltimum finem inſpicientis, pro ipſiuſque faciali intuitu ſuſpirantis. Eſſeque hæc munera diverſiſsima cæcus eſt, qui non videat. Nec Div. Thom. in q. q. ſupra quas hanc diſputationem fundamus, loquitur de delectatione contemplationis, vt contemplatio eſt, ſed de omni delectatione. Et hanc ipſius rationem, quam modo expendimus, clarum eſt, loqui

de delectatione in ſuo generali conceptu.

65. Deinde obſerva id ipſum, quod iam ex ipſo Ang. Mag. diximus num. 53. videlicet; delectationem aliam eſſe propriam illius operationis, quam complet; aliam verò extraneam ipſi operationi, & eſt illa, quæ eſt propria alterius operationis differentis. Ex quo provenit, quòd vna delectatio ſit impeditiva alterius delectationis: ſicut delectatio ludi impedit delectationem litterarum. Quapropter Div. Thom. q. 31. citata art. 8. docet, delectationem poſſe eſſe delectationi contrariam. His ſuppoſitis, loquendo de divina contemplatione, prout operatio eſt contemplantis lugentis

Reſpond. ad primam antecedentis probationem diſtinguendo antecedens: *Contrariantur*, ſi lætitia, vel delectatio ſit extranea mœrori, concedo: ſi extranea non ſit, nego antecedens. Termini patent ex dictis num. præcedenti. Quia cùm actus eſt de ſe contrarius, vel ex ſuppoſitione incompatibilis cum alio actu: tunc delectatio correſpondens vni actui eſt impeditiva delectationis alij actui correſpondentis, ipſique extranea. Aſt delectatio propria actus eliciti, nec eſt illi extranea, nec ipſi contrariatur: Immo ipſum complet, & perficit, vt loco citato dicebamus. Quiaque, vt dictum eſt, actio alicui conveniens, ex conceptu generaliſsimo actionis convenientis, eſt illi delectabilis; propterea lachrymæ, & triſtitia ſunt delectabiles lugenti: quin illa delectatio, ſeu lætitia cum illa triſtitia dicat oppoſitionem; quandoquidem non eſt extranea, ſed propria; nec quòd ſit propria; atque adeò delectabilis poteſt ab illa auferri; quin auferatur, quod ſit conveniens. Cùm autem num. 62. diximus, luctum, & lætitiam contrariari, loquebamur de lætitia, quæ fletui extranea eſt.

Hac ipſa doctrina reſpondetur ad duas propoſitiones primò illatas, ſed negatur tertia conſequentia abſolute. Ad probationem dic: delectationem non extraneam fletui compati cum illo, ipſumque complere. Similiterque concede, tempus flendi non eſſe diverſum à tempore ridendi: ſi per ly *ridendi* intelligatur riſus, ſeu delectatio propria fletus convenientis ſuſpiranti. Si autem intelligatur delectatio, ſeu riſus extraneus fletui, tunc tempus flendi diverſum eſt à tempore ridendi, cum ipſoque incompatibile. Et hoc modo ſumitur in illo textu, vt apud omnes notum eſt, affatimque nomen *ridendi* manifeſtat.

Ad ſecundam antecedentis principalis probationem, poterat reſponderi, Pſalmum illum factum fuiſſe à Davide, qui captivitatem tribuum annis pluribus anteceſsit; vel à Ieremia, qui in Babilone non fuit. Verùm quia negari non debet, ipſum huius Pſalmi compoſitorem, quiſquis ille fuerit triſtiſsimum fuiſſe, cùm illum compoſuit. Inſimulque eſſe compoſitionem proprijſsimam cuiuſcumque exilium à patria deplorantis, ſicut ea frequenter vſum eſſe noſtrum Myſticum Doct. conſtat ex datis eius carminibus. Ideò ex dictis

Reſpond. Muſicam lugubrem, quæ idem eſt ac lamẽtatio, non eſſe lugenti intempeſtivam: hæc quippè muſica non eſt extranea, ſed propria, vt triſtes conceptus exprimat, quos mæſtus concipit. Muſica verò extranea à melancholico ſtatu lachrymantis, qualis eſt muſica Sympoſij, ſeu convivij vini, hæc eſt in luctu importuna, & quæ magis audientem exaſperet, quàm demulceat. De hacque loquitur Oraculum ſacrum ex cap. 22. Eccleſiaſt. Vnde ad vltimum, quod in illa probatione affertur, dicito: planctum illum fore illis exulibus delectabilem; non quia ipſe in ſe non ſit mœſtiſsimus, & anguſtiati animi propria expreſsio; ſed quia cum ſit actus conveniens luctui, ideò eſt lugenti delectabilis.

67. Si verò contemplatio ſumatur ſub expreſsione contemplationis religioſæ, vt num. 64. obſervavimus: tunc eodem modo reſpondendum eſt ad factam obiectionem, quatenus

contra

contra hanc primam rationem Div. Thom facta est: quandoquidem contemplatio, prout sic, est operatio contemplativi exilium à patria cœlesti deplorantis: (de hoc enim procedit difficultas) vnde illa contemplatio, qua malum hoc defletur, est operatio conveniens illi contemplativo; consequenterque est ipsi delectabilis. Nec in hoc aliquid particulare occurrit, in quo liceat immorari. Sed ea, quæ ex natura sua habet operatio conveniens operanti, applicantur huic operationi lachrymanti cõtemplativo convenienti. Per quod patet responsio ad ea, quæ obiecta sunt, quin ad singula respondere debeamus.

68. Dices: Dolor, & lamentum proprijssima sunt status damnatorum: & tamen illis delectabilia non sunt, sed potiùs tristabilia; nihil enim est, quod ipsis delectabile sit: ergo quòd deploratio exilij sit actio propria, & conveniens contemplativo lugenti, non arguit, illam esse delectabilem.

Respond. ex D. Thom. d. q. 32. art. 8. ad 2. *Quod delectatio duo habet, videlicet, quietē in bono, & huiusmodi quietis perceptionem.* Damnati autem nullā quietē habēt, nec habere possũt, nec sibi possibilis est, quã impossibilitatem ipsi clarè agnoscunt. Vnde nulla illorum operatio ipsis potest esse delectabilis. Nec illorum operationes sunt illis convenientes: conveniens enim operatio ea dicitur, qua operans proprium centrum apprehendit, vel illi approximatur. Damnati in termino suæ infœlicitatis positi sunt: vnde nec proprium centrum, nempe Deum, possunt obtinere, nec illi approximari. Hæc diximus circa delectationem per ordinem ad Deum, & quæ secundùm rationem sit. Delectationes autem pravæ, quales fuere illæ, quæ ipsos ad tartara duxerunt, ibi locum non habent. Non enim erit ipsis delectabilis memoria præteritarum delectationum; sed tormentum, & afflictio maxima. Nec ibi est possibile illas, vel similes de præsenti habere; quia non est vnde haberi possint. Vel ipsa sui desiderij adimpletio, quæ ex se est maximoperè delectabilis, ipsos cruciabit. Vt autem plenè hæc percipias, factam que obiectionem solvas, vide, quæ diximus in 1. prædicab. disp. 6. q. 4. ferè per totam, & præsertim in solutionibus ad argumentum, & confirmationes à num. 116. vsque ad num. 119.

§. II. *Proponitur alia ratio D. Thom. in comprobationem conclusionis.*

69. SEcunda autem ratio, quam adducit Div. Thom. num. 60. relatus, optimè nostram assertionem probat, illamque proponimus sub hac forma. Id, quo minuitur tristabile, ex parte, qua minuit, habet rationem delectabilis: sed vehemens dolor, quem habet contemplativus propter absentiam sponsi, minuit illud, quod illum torquet: ergo talis vehemens dolor habet rationem delectabilis. Consequentia patet, & maior nota est, tum ex se: tum etiam, à contrario: quia id, quo minuitur delectabile, ex qua parte illud minuit, habet rationem disconvenientis, & mali: ergo id, quod minuitur tristabile, habet rationem convenientis, & boni. Deinde probatur minor: Ipsa vehemens tristitia cõtemplativi lachrymas extrahit, quibus intimus dolor penè suffocans, evaporatur, ad extra diffusus: ergo lachrymæ illæ minuunt illum intimum dolorem, quo maximè contemplativus torquetur. Anteced. est certum, & consequentia patet ex data authoritate Div. Thom. suadeturque facilè: quia virtus dispersa est debilior se ipsa, vt vnita: ergo virtus illius doloris intimi adextra diffusa minor est, quàm antequàm adextra medijs lachrymis diffunderetur: ergo lachrymæ, quibus medijs diffunditur, sunt contemplativo delectabiles; siquidem sunt medium, vt tormentum penę extinguens minus fiat.

Dictis rationibus Ang. Præceptoris vsi fuimus, quibus certè conclusio nostra probata manet ex principiq

cipio illo generali, tum operationis convenientis; tum etiam lachrymarum vehementem dolorem minuentium: ſub illiſque contemplatio noſtra, vt quædam ſpecialis operatio comprehenditur, ſicut albedo ſub generali ratione coloris, vtî hactenus oſtendere conati ſumus. In ſecunda autem ratione numero hoc expenſa, alias duas aſsignat. Div. Thom. prima deſumpta ex eo, quòd lachrymæ reficiunt, ſicut panis, lachrymantem: ſecunda ex eo, quòd ſicut panis ſuſtentat comedentem, ſic etiam lachrymæ ſuſtentant in bono deplorantem. De prima iam locuti ſumus, modò autem ſecundam expendemus. Verba Div. Thom. hæc ſunt. *Vel ſicut panis; quia ſicut per panem ſuſtentatur, ita ipſe ſuſtentatur in bono per lachrymas.*

70. Prob. iterum concluſ. hac ratione Div. Thom. ad hanc formam relacta: Id, quod contemplativus ſuſtentatur in bono, eſt ipſi delectabile: ſed per contemplationem, vt triſtitiam, doloremque cauſantem, ſuſtentatur in bono: ergo contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat, eſt contemplativo delectabilis. Conſequentia eſt omnino formalis. Maior autem innegabilis eſt: ſi namque illud, quo ſuſtentamur in bono corporis, eſt nobis ſuave, & appetibile; id quo ſuſtentamur in bono animæ, multò magis debet eſſe appetibile, ac delectabile. Minor autem expreſſa eſt in data Div. Thom. authoritate.

71. Illuſtratur ratio facta, detegendo fundamẽtum authoritatis propoſitæ: vnde probatur minor: nulla contemplatio æquè amara, ac terribilis eſt, ſicut contemplatio illa, quæ cauſat purgationem partis intellectivæ: atqui hæc contemplatio adeò horribilis ſuſtentat contemplativum in bono: ergo per contemplationem, vt cauſativam triſtitiæ ſuſtentatur contemplativus in bono. Conſequentia bona eſt: ſi namque contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat non firmaret hominem in bono; dum maiorem triſtitiam cauſat, minùs illum in bono firmaret, vt de ſe evidens eſt, nec indiget probatione. Iam verò præmiſſas nemo, qui Theologos Myſticos legerit, negare poterit. In primis enim maior eſt certa, conſtatque ex ijs, quæ diximus in Iſagoge lib. 5. à num. 26. amplìùſque conſtabit ex dicendis in quarto prædicabili.

72. Minor autem probatur multipliciter 1. ſic: Media hac purgatrice contemplatione ſubijcitur pars ſuperior hominis Deo: ergo hæc contemplatio terribiliſsima firmat hominem in bono. Antecedens patet ex ijs, quæ loco allegato diximus ex communi doctrina Myſticorum. Et conſequentia probatur: quia ex quo pars ſuperior Deo ſubiecta ſit, ſubiecta eſt pars inferior parti ſuperiori, nec ab illa, quantùm ſtatus iuſtitiæ originalis amiſſæ patitur, diſcedit: ſed per hoc, quòd divinus ordo harum ſubordinationum ſervetur, contemplativus in bono ſuſtentatur: ergo contemplatio omnium terribilior ſuſtentat contemplativum in bono.

73. Probat. 2. illa min. Id, quo anima tendit ad vnionem cum Deo, quin cognoſcatur à mundo, dæmone, & carne ſuis infenſiſsimis adverſarijs, tale iter ſemper impedire conantibus, ſuſtentat animam in bono: Contemplatio hæc amariſsima eſt id, quo anima tendit ad vnionem cum Deo, incognita illis adverſarijs: ergo. Cætera nota ſunt, & minor, in qua adeſt difficultas, probatur ex cant. 1. quam lib. 1. noct. cap. 1. ponit Myſtic. noſter Doct. eſtque huiuſmodi:

En vna noche obſcura
Con anſias en amores inflamada,
O dichoſa ventura!
Sali ſin ſer notada,
Eſtando ya mi caſa ſoſſegada.

In cuius generali explicatione, ſic ait expertiſsimus hic Doct. *Hoc iter potuit anima carpere vi, & calore ad hoc à Sponſo ſuo ſibi datis in dicta contemplatione obſcura.* (Quæ vel ob hoc ſolùm foret appetibilis, quamquàm adeò terribilis ſit) *In quo oſtendit fælicitatem, quam habuit in dirigendo ſe*

ad

ad Deum, adeò proſperè, vt nullus ex tribus adverſarijs, nempe mundus, dæmon, & caro (qui ſemper hoc iter impediunt) illi obeſſe potuiſſet; eo quòd dicta nox contemplationis purificativæ ſopivit omnes ſuas paſsiones, & appetitus ſecundùm ſuos motus contrarios in domo propriæ ſenſualitatis. Conſtat ergo veritas illius minoris ex hac præclara doctrina egregij huius Doctoris.

74. Prob. 3. eadem min. Media hac horribili contemplatione cognoſcit anima perfectè, ac facillimè quicquid cognoſcibile eſt tam in ſolo, quàm in cœlo: ergo hæc acerba contemplatio ſuſtentat animam in bono. Patet iſta ex antecedenti, quod edocetur ab illuminato noſtro Doct. lib. 2. noct. cap. 8. in fine. Vbi concludens dicit. *Hæc eſt proprietas ſpiritus purgati, & ad nihilum redacti ab omni particulari affectione, & intelligentia: quòd in hoc nihil guſtare, nihilque in particulari intelligere, manens in vacuitate, obſcuritate, ac tenebris, omnia magna diſpoſitione complectitur: vt ſic myſticè verificetur in illo illud Div. Pauli 2. Corint. cap. 6. Nihil habentes, & omnia poſsidentes. Talis quippe beatitudo tali ſpiritus paupertati debebatur.*

75. Prob. denique minor principalis: Hæc afflictiva contemplatio conſtituit animam adeò proximam Deo, vt ab ipſo protegatur, & liberetur ab omni, quod non eſt Deus: ergo ſuſtentat animam in bono. Patet iſta: nam à protectione divina omnis noſtra ſecuritas, & permanentia in bono dependet. Antecedens autem eſt doctrina noſtri Seraph. Parentis loco citato cap. 16. vbi §. *Pero aqui ay*, illud clariſsimè tradit; quin opus ſit verba ipſius exſcribere, continent enim id ipſum, quod antecedens refert. Non tamen omittam, quæ addit, illaque proprio idiomate dabo, vt meliùs ſententiæ energia dignoſcatur. Ait enim dictorum rationem reddens: *Por que como eſtà aqui pueſta en cura el alma, para que conſiga ſu ſalud, que es el miſmo Dios: Tiene la ſu Mageſtad en dieta, y abſtinencia de todas las coſas, eſtragado el apetito para todas ellas: bien aſſi como para que ſane el enfermo, que en ſu caſa eſtà eſtimado, le tienen tan adentro guardado, que no le dexan tocar del aire, ni gozar de la luz, ni que ſienta las piſadas, ni aun el rumor de los de caſa, y la comida muy delicada, y muy por taſſa, de ſubſtancia, mas que de ſabor.*

Hæc illuminatus iſte Doct. cuius doctrinam prorſùs eandem eſſe cum doctrina Angelica, deprehendimus. Vterque enim profundiſsimè nobis aperit motiva, ob quæ divina contemplatio, etiam acerbiſsima, & horroroſiſsima, vel ex illa parte, qua crudeliter cruciat, ſit appetibilis, & delectabilis. Quandoquidèm ex ipſo, quod in bono ſuſtentet, eſt, licèt amariſsima, delectabilis animæ ſuſtentationem in bono deſideranti. Nec adeò magna bona affert animæ contemplatio, niſi terribilis, & amara ſit, vt eſt conſtans doctrina Myſticorum, inter quos eminet N. Illuminatus Doct. qui in illis mirabilib. lib. noct. obſcuræ hanc veritatem paſsim docet. Vnde ſi divina contemplatio acquiſita delectabilis eſt, qua parte dicit ſuavitatem, propter bona, quæ ex illa animæ accreſcunt: multò magis delectabilis eſt contemplatio illa acerbiſsima, quia illa ſua amaritudine multo maiora, & perfectiora bona anima, crucem purgationis ſuſtinens, ſibi comparat. De quo nihil amplius: quia de illo in 4. prædicabili acturi ſumus.

§. III. *Divina contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat etiam eſt delectabilis, ſi conſideretur, vt eſt opus quoddam virtuoſum.*

QVia huius quæſtionis argumentum forſam aliquibus cenſebitur paradoxum ab ipſius tituli lectione; dum in ipſo triſtativo appetibilitatem quærimus: propterea contemplationem divinam non ſub vnico tantùm munere, ſed ſub omnibus, quibus conſiderari valet, inſpicimus, vt

ſie nulla parte implicantia inquirere, ſed, quæ omni ex parte rationi ſunt conſona explorare, videamur. Divina igitur contemplatio poteſt ſumi, vt eſt operatio quædam conveniens cuidam ſpeciali operanti : & hoc modo eſſe delectabilem, vidimus iam toto §. primo, & initio ſecundi. Poteſt etiam conſiderari ſecundùm ſuum eſſentiale diſtinctivum, & non ſecundùm ea, in quibus cum alijs operationibus convenit, & hoc ſub illa ratione, qua triſtitiam cauſat. Et etiam ſub hac formalitate vidimus §. præcedenti, vel ipſam contemplationem omnibus amariorem, & quæ anguſtias veluti infernales infert, eſſe delectabilem. Modò ſuadere conamur, ipſam, vt intra ſphæram operis meritorij eſt, eſſe etiam appetibilem, ſecundùm illam formalitatem, ſub qua amaritudinem dicit. Sicque quacumque ex parte conſideretur divina contemplatio, etiam amariſsima, corda omnium ſua delectabilitate alliciens, inveniet-tur.

76. Prob. vltimò concluſ. noſtra ſequenti diſcurſu: Contemplatio divina, qua parte triſtitiam cauſat, ſivè illam cauſet ob conſiderationem proprij peccati, ſivè alieni; ſivè ob huius vitæ pericula, ſivè ob exilium à cœleſti patria, ſivè ob abſentiam ſponſi, eſt opus Deo acceptum, æternaque remuneratione dignum : ergo prout triſtitiam cauſat, eſt delectabilis. Conſequentia non indiget probatione: quandoquidem opus, quod Deo acceptum ita eſt, vt illud æterna remuneratione præmiet, non poteſt non eſſe nobis delectabile, vel quia præmium illud æternum exoptamus, vel quia Deo conformari cupimus. Probatur antecedens ex Sacra Script. nam apud Matth. cap. 5. ait Chriſtus Dominus: *Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, in quo omnis virtuoſus luctus intelligitur, vt iam videbimus, atque adeò intelligitur contemplatio luctuoſa: ſed illa conſolatio, qua Chriſtus pollicetur remunerandam iri conte mplationem luctuoſam, ſuam perfectionem habebit in patria, vt docet Div. Thom. 2. 2. q. 9. art. 4. ad primum : ergo divina contemplatio, qua parte triſtitiam cauſat, eſt Deo accepta, æternoque præmio remuneratur.

Vis huius rationis cõſiſtit in eo, quòd lugentibus, vel propter propria peccata, vt tenent D. Hilarius, & D. Hierony. vel propter propria, & aliorum peccata, vt explicãt D. Chryſoſt. *in Imperf.* homil. 9. D. Paſchaſ. lib. 3. in Matth. & alij: vel propter infirmitates, & adverſitates, quibus à Deo premuntur, vt docent D. Gregor. Nyſ. lib. de beatitud. conc 3. & D. Ambroſ. lib. 2. de offic. Vel deniquè propter tædium huius vitæ, periculis plenæ, & propter exilium à patria cœleſti, quam totis viribus exoptant, vt in illa ſuo dilectiſsimo Sponſo, cuius modò abſentiam plorant, æterno amplexu fruantur, vt dicunt Div. Thom. & Alb. Mag. Lugentibus, inquam, propter omnia dicta, vel propter earum aliqua, promititur æterna conſolatio : ergo amor huius conſolationis æternæ reddit appetibile, ac delectabile medium, quo ipſa obtinetur; ſicut deſiderium ſalutis corporeæ habendæ medium ad ipſam comparandam, quamquàm acerbiſsimum ſit, appetibile facit: ergo contemplatio, qua dicta omnia, vel ſimul, vel diviſivè lugentur, eſt lugenti delectabilis propter conſolationem æternam inde ſibi comparandam.

77. Confirm. Actus donorum Spiritus Sancti ſunt delectabiles : contemplatio luctuoſa eſt actus doni Spiritu Sancti: ergo eſt delectabilis. Conſequentia infertur, Maior patet; tum ex perfectione, principio, fine, & præmio illorum actuum : Tum etiam ex eo, quòd procedunt ex connaturalitate, & affectione ad res divinas, vt cum Angel. Præcept. multoties in ſuperioribus diximus. Min. verò probatur. Quia doctrina eſt Div. Thom. 1. 2. q. 69. art. 1. quòd beatitudines ſunt actus donorum : ſed contemplatio luctuoſa eſt beatitudo, vt patet ex dictis:

ergo

ergo est actus Spiritus Sancti.

78. Si autem quæras, ad quod ex septem Spiritus Sancti donis spectet contemplatio luctuosa? Respondetur cum D. Thoma 2. 2. q. 9. art. 4. Tertiam beatitudinem spectare ad donum scientiæ. Quæ sententia est etiam D. August. lib. 1. de Serm. Dom. in monte, cap. 9. vbi ait: *Scientia convenit lugentibus, qui didicerunt, quibus malis vincta sunt, quæ quasi bona appetierunt.* Huiusque rationem assignat D. Thom. citatus in corp. dicens: *Ad scientiam propriè pertinet rectum iudicium creaturarum.* Quiaque creaturæ sunt occasionaliter causa, qua homo à Deo avertitur, in ipsis finem suum vltimum constituens: quæ inversio præstat abundantissimam materiam fletus viris spiritualibus, qui hoc damnum per donum scientiæ cognoscunt: propterea *beatitudo luctus ponitur respondere dono scientiæ.* Videatur idem Ang. Mag. qui aliqua, quæ hanc resolutionem impugnant, solvit.

79. Dices: Luctus non est actus pertinens ad intellectum, sed ad voluntatem, vt videre est apud nostros Salmant. *in arbore virtutum* num. 16. sed donum scientiæ est habitus intellectualis: ergo luctus non est actus doni scientiæ.

Respond. cum eijdem Salmant. quòd luctus *beatitudo tribuitur scientiæ, non quasi ipse luctus sit actus ab ea elicitus; sed tamquam quidam affectus existens in voluntate, designansque proprium actum scientiæ existentem in intellectu.* Huiusque ratio assignata iam est à D. Thom. consistitque in eo, quòd luctus iste sanctus occasionatur ex damno, quod homo incurrit propter perversum commercium creaturarum; quod damnum homini innotescit per iudicium rectum, quod de creaturarum æstimatione efformat: vnde cùm hoc iudicium, vt dictum est, propriè pertineat ad donum scientiæ: ideò actus scientiæ existens in intellectu causat luctum existentem in voluntate: & luctus existens in voluntate designat ortum habere ab actu scientiæ, existente in intellectu.

Nec nos diximus, beatitudinem luctus esse actum doni scientiæ; sed ipsi dono scientiæ respondere, vel ad ipsum spectare, quod ipsum tradit D. Thom. Quòd autem hoc sufficiat, vt ipse luctus delectabilis sit, negabit nemo, qui prædicta consideret. Esse enim actum elicitum à dono scientiæ, vel non esse elicitum, nihil conducit, vt sit appetibilis; dummodò actus ipsius scientiæ illum inferat, cæteraque alia, quæ diximus, habeat.

§. IV. *Argumenta contra conclusionem, & solutio eorum.*

80. CONtra nostram concluſ. arg. 1. Præsentia rei contristantis causat tristitiam, nullo modo delectabilem: sed contemplatio luctuosa est præsentia rei contristantis: ergo causat tristitiam nullatenus delectabilem. Ergo contemplatio, qua parte tristitiam causat, delectabilis non est. Patet ista: vt enim illa, prout tristitiam causat, foret delectabilis, pariter deberet esse delectabilis tristitia ab ea causata. Prima consequentia constat expræmissis, quarum maior probatur 1. Absentia rei contristantis causat delectationem omnimode appetibilem: ergo præsentia ipsius causat tristitiam nullo modo delectabilem. Patet consequentia ex antecedenti, quod innegabile est; quia recessus, & absentia nocivi omni ex parte delectabilis est: ergo à contrario, accessus, & præsentia ipsius nocivi omnimode tristis est. *Probat.* 2. ipsa maior: Præsentia rei delectantis causat lætitiam nullo modo recusandam. Ergo præsentia rei contristantis causat tristitiam nullo modo prosequendam. Antecedens est certum, & consequentia constat à paritate.

81. Confirm. ratio facta: Contemplatio gaudiosa non est delectabilis per aliquod triste, sed per aliquod lætum: sed contemplatio luctuosa non

non poteſt eſſe delectabilis niſi per aliquod triſte: ergo cùm hoc repugnet, ſequitur, quòd non ſit delectabilis. Minor conſtat: quia in illa nihil datur, quod triſte non ſit. Et conſequentia probatur: quia idem effectus nequit præſtari à rebus inter ſe contrarijs: ſed res læta, & triſtis oppoſitæ ſunt: ergo non poſſunt cauſare eamdem divinæ contemplationis delectationem.

82. Reſpond. argumento, & confirmationi iuxta dicta §.§. præcedentibus. Ex qua doctrina facile eſt obiecta diſolvere. Ad argumentum quidem negetur maior; quia, vt dictum eſt, iuxta primum modum, quo probavimus concluſionem, licèt præſentia rei triſtis de ſe cauſet triſtitiam recuſatu dignam; nihilominus tamen quia illa operatio eſt conveniens illi melancholico, ideò delectabilis eſt, & tunc temporis contraria operatio delectabilis non eſſet. De quo §. 1. egimus, & præcipue num. 62. ſed ibi dictis addimus egregium Ang. Præcept. teſtimonium, quod habetur 1.2. quæſt. 38. art. 2. vbi inquirit: *Vtrùm triſtitia mitigetur per fletum?* Reſolutio eſt affirmativa, contra quam ponit tertium argumentum, ſimile argumento facto, ad quod reſpondet: *Ad 3. dicendum, quòd imaginatio rei contriſtantis, quantùm eſt de ſe, nata eſt augere triſtitiam: ſed ex hoc ipſo, quòd homo imaginatur, quòd facit illud, quod convenit ſibi ſecundùm talem ſtatum, conſurgit inde quædam delectatio: & eadem ratione, ſi alicui ſubrepat riſus in ſtatu, in quo videtur ſibi eſſe lugendum, ex hoc ipſo dolet, tamquàm faciat id, quod non convenit, vt Tullius dicit in 3. de Tuſcul. quæſtionibus.*

Nihil clarius, elegantiuſve dici potuit in noſtrum favorem. Itaque, vt contemplatio dicatur delectabilis, non attenditur, an res contemplata læta, vel triſtis ſit? Sed an ſit actio conveniens contemplanti, vel non? Si eſt conveniens, quamquàm res contemplata triſtiſsima ſit, ipſa contemplatio delectabilis eſt; quia ex hoc, *quòd homo imaginatur, quòd facit illud, quod convenit ſibi ſecundùm talem ſtatum, conſurgit inde quædam delectatio.* Si autem conveniens non eſt; licèt obiectum ſit lætiſsimum, non erit delectabilis; quia tunc faceret contemplativus *id, quod non convenit.*

83. Vt autem hanc generalem doctrinam, qua ſola ingluviem argumentorum hinc inde noſtram aſſertionem impugnantium, retundes, penitiùs calleas: obſerva pulcherrimam doctrinam eiuſdem Ang. Præcept. ibidem dicentis: *Ad 1. ergo dicendum, quòd ipſa habitudo cauſæ ad effectum contrariatur habitudini contriſtantis ad contriſtatum: nam omnis effectus eſt conveniens ſuæ cauſæ, & per conſequens eſt ei delectabilis: contriſtans autem contrariatur contriſtato: & ideò effectus triſtitiæ habet contrariam habitudinem magis ad contriſtatum, quam contriſtans ad ipſum; & propter hoc mitigatur triſtitia ratione contrarietatis prædictæ.* Hanc eamdem doctrinam proſequitur in ſolutione ſecundi argumenti, vbi ait: *Ad 2. dicendum, quòd habitudo effectus ad cauſam eſt ſimilis habitudini delectantis ad delectatum; quia vtrobique convenientia invenitur.*

Ex quibus notiſsimum tibi eſt, quod vis agens, v.g. contemplativum, duplicem habitudinem terminare. Prima eſt rei contriſtantis, vel delectantis ad ipſum, à qua denominatur contriſtatus, vel delectatus. Secunda eſt, habitudo operationis, v. g. contemplationis ad ipſum, vt ad cauſam. Inter quas duas habitudines hoc intereſt: quòd habitudo contemplationis, vt effectus, ad contemplativum, vt ad cauſam, ſæpe exprimit delectabilitatem: *Nam omnis effectus eſt conveniens ſuæ cauſæ, & per conſequens eſt ei delectabilis*: eò quòd *habitudo effectus ad cauſam eſt ſimilis habitudini delectantis ad delectatum; quia vtrobique convenientia invenitur.* Cæterùm habitudo contriſtantis ad contriſtatum non poteſt non eſſe diſconveniens ipſi contriſtato: vnde delectabilis non eſt:

foret

foret tamen, ſi conveniens eſſet, vtî eſt habitudo effectus ad cauſam, & habitudo delectantis ad delectatum.

Ex data doctrina vides, quàm bene negavimus maiorem argumenti facti, quam, claritatis gratia, potes diſtinguere. *Nullo modo delectabilem*, ſi attendatur habitudo contriſtantis ad contriſtatum, conceditur: ſi attendatur habitudo effectus ad cauſam, negatur maior: immo & ſuppoſitum; quippe ſub iſta habitudine effectus ad cauſam, nullatenus cauſat triſtitiam, ſed delectationem contemplatio luctuoſa: eſt enim operatio tunc tēporis conveniens.

84. Ad primam probationem mai. Similiter reſpondetur: quòd abſentia rei contriſtantis cauſat quidem delectationem ſub vtraque habitudine: præſentia verò ipſius cauſat illam, attenta habitudine effectus ad cauſam, licèt non illam cauſet conſiderata habitudine contriſtantis ad contriſtatum. *Ad 2. probationem* maioris dicas: Præſentiam rei delectantis ſub vtraque dicta habitudine cauſare delectationem: & præſentiam rei contriſtantis cauſare illam ſub habitudine effectus ad cauſam.

Ad confirm. reſp. negando minorem. Contemplatio enim luctuoſa eſt delectabilis per aliquod lætum contemplanti, videlicet per hoc, quòd illa operatio eſt tunc ei conveniens ſecundùm habitudinem effectus ad cauſam: Vnde ſervatur paritas inter vtramque contemplationem: licèt gaudioſa addat illam aliam delectationem ſecundùm habitudinem delectantis ad delectatum. Sic ergo iuxta primum modum, quo concluſionem probavimus, ſolvitur argumentum eiuſque confirmatio; & ſolutione data, poſſunt alia innumera haud difficiliter ſolvi.

85. Dices tamen: licèt quando obiectum eſt contriſtans, & non contemplatio, verificetur duplex illa habitudo, earumque diverſitas percipiatur; aſt quando ipſa contemplatio eſt, quæ affligit, impoſsibilis eſt talis habitudinum differentia: ergo tunc contemplatio ex ea parte, qua affligit, non eſt delectabilis.

Reſp. negando ſuppoſitum antecedentis: Contemplatio numquam eſt afflictiva; eſt enim cognitio veritatis: & in cognitione veritatis nullum nocumentum habet intellectus. Vnde contemplatio ſecundùm ſe ſumpta ſemper eſt delectabilis: cum quo tamen ſtat, quòd per accidens poſsit ipſa contemplatio habere rationem mali contriſtantis. Quod omne docetur a D. Thom. q. 35. art. 5. vbi ait: *Ad 3 dicendum, quòd contemplatio ſecundùm ſe numquam habet rationem mali; cùm contemplatio nihil aliud ſit, quàm conſideratio veri, quod eſt bonum intellectus: ſed per accidens tantùm, in quantum ſcilicet, contemplatio vilioris impedit contemplationem melioris; vel ex parte rei contemplatæ, ad quam inordinatè appetitus afficitur.*

86. Replicab. contemplatio illa, qua anima purgatur, eſtque adeò horroroſa, vtî diximus à num. 71. eſt ſecundùm ſe afflictiva animæ: ergo ſolutio data ruit. Probatur antecedens: Cauſa formalis, qua anima purgatur, eſt ſecundùm ſe afflictiva animæ: contemplatio dicta eſt cauſa formalis illius purgationis: ergo.

Reſpond. negand. anteced. Conſideratio enim veri, in quo ſita eſt eſſentia contemplationis, ſemper eſt delectabilis, ſi ſecundum ſe ſumatur. Quod abs dubio verificatur de illa contemplatione, quæ ſanè rigoroſiſsima eſt; ſed hoc non eſt, quia ſecundùm ſe aliquid rigoris habeat; ſed quia infunditur ſubiecto non purificato: cùm autem illa ipſa contemplatio infunditur ſubiecto plenè purgato puriſsima, & benigniſſima eſt, vt ex doctrina noſtri Illuminati Parentis, iam ſupra dictum à nobis eſt. Vbi hoc ipſum comprobavimus exemplo ipſius contemplationis, quæ cùm lucidiſsima ſecundùm ſe ſit; immo & obiectum eius ſit ipſa lux, animæ autem, præcipuèque non purgatæ, eſt tenebroſiſsima nox.

Adeſt & aliud motivum, vt illa contemplatio contriſtationem cauſet: videlicet, quia ex vna parte repræſentat vel minimas imperfectiones animæ:

ex alia verò proponit divinam bonitatem offensam, ipsum Deum vt severissimè castigantem, ipsam denique animam vt in æternum à Domino derelictam. Hæc omnia animam rigidissimè cruciant; & ideò dicitur amarissima contemplatio illa. Verùm hoc, vt dictum est, est per accidens.

87. Instas: ea, quæ sunt propria contemplationis, & ex natura sua illi conveniunt, vbicumque contemplatio detur, debent verificari, nec per aliquod accidentaliter contingens, possunt ab illa auferri: sed contemplatio hæc amara, non solùm ex parte obiecti, vt modò vidimus, sed etiam ex parte sua est horribilis subiecto non purgato: ergo illa ex natura sua non est delectabilis.

Respond. nos non dixisse, quòd hæc contemplatio, quæ est causa formalis purgationis animæ, ita sit, ob indispositionem subiecti, afflictiva, vt delectabilis non sit. Est vtique delectabilis, & horribilis: immo (quod præsentis dubij scopus est) ipsa vt horribilis, est pariter delectabilis. Est horribilis per accidens, & ob indispositionem contemplantis: est etiam delectabilis ex natura sua; quia illa ipsa contemplatio, quæ ob imperfectionem contemplantis est horribilis, est operatio conveniens tunc illi subiecto, & hac parte delectabilis est, vt sepè diximus. Vnde illa semper habet id, quod ex natura sua sibi convenit; & in casu præsenti addit rigorem illum, qui potest adesse, & abesse absque illius corruptione.

88. Non quiescis: quia num. 35. diximus, quòd ea, quæ contemplatio habet ab obiecto, sunt ei essentialia, conveniuntque ei ex natura sua: ergo amaritudo, quam habet contemplatio ab obiecto contristante, ex natura sua illi convenit, consequenterque non potest esse ex natura sua delectabilis.

Respond. obiectum, à quo speciem capit contemplatio, est bonum intellectus: quòd autem hoc sit contristans, vel delectans non est proprium obiecti contemplationis secundum se sumptæ, sed illius vt luctuosæ, vel non luctuosæ, quæ sunt reduplicationes accidentales relatè ad naturam contemplationis. Vnde hæc, per hoc quòd sit conveniens operatio subiecti est ei delectabilis, à quo non excludimus, sed comprehendimus, id, quod hæc operatio habet ab obiecto, non sumpto sub reduplicatione aliqua accidentali, sed prout est bonum intellectus, qualitèr de illo loco adducto loquebamur.

89. Persistis: quia secundùm Div. Thom. tristitia habetur propter præsentiam contristantis; vel propter absentiam delectantis; sicut delectatio est de præsentia delectantis, vel de absentia contristantis. Qua veritate suppositа, sic in datam doctrinam proceditur: In dicta contemplatione vel adest contristans, vel abest: si abest: erit delectatio sine admixtione tristitiæ. Si adest: erit tristitia sine delectatione. Ergo numquam potest verificari, quòd contemplatio amara sit delectabilis.

Resp. quòd *contristans*, & *delectans* absolutè prolata significant obiecta tristia, vel læta, non autem operationem attingentem obiecta illa. Vnde quando D. Thom. inquit, quòd tristitia provenit ex præsentia contristantis, & ex eius absentia delectatio, non loquitur de delectatione proveniente ab operatione ipsa, ex ratione conventientis; sed de delectatione, quæ habetur ex obiecto delectante. Et quòd non loquatur de delectatione, quam ipsa operatio causat; vel ex eo evidens est: quod docet, præsentiam contristantis tristare; absentiam verò delectare. Numquam enim potest contemplatio absens esse à contemplante, nec ab operante operatio. Vnde convincitur, Sanctum Doct. non loqui ibi de delectatione contemplationis: tum quia hæc non venit nomine *delectantis* absolutè sumpti: tum quia ipsa est à contemplante inseparabilis. Atque adeò ad factam obiectionem respondetur: in dicta contemplatione adesse quidem cõtristans, quòd maximè contemplativum vexat, sed non abesse delectationem contemplationis, quæ est operatio tunc temporis conveniens.

Se-

90. Secundò arguitur, & ſimùl replicatur contra dicta: ſupra dicta coniunctio triſtitiæ, ac delectationis non poteſt verificari, quin vna aliam minuat: ſed neutra aliam minuere poteſt: ergo non datur illa coniunctio. Ergo contemplatio illa ita amara eſt, vt ſecum nullam dulcedinem patiatur. Mai. videtur certa, quia triſtitia, & delectatio contrariantur: vnde non poſſunt non ſe vel penitùs auferre, vel minuere. Minor autem probatur: quia ex vna parte triſtitia illius contemplationis non poteſt minuere eius delectationem; tum quia ratio formalis, quare illa contemplatio ſit delectabilis; eſt quia eſt operatio conveniens; & hoc eſt indiviſibile, à quo non poteſt aliquid auferri, quin totum auferatur. Tum etiam: quia illud, quod auferretur, eſſet vtique conveniens: vnde non eſſet ratio, vt illud auferretur, & non aliud. Etiamque ſi triſtitia auferret aliquid illius delectationis, maior triſtitia magis auferret: ſicque poſſet augeri triſtitia, ita vt omnis delectatio tolleretur.

Quòd autem delectatio illius contemplationis non poſsit minuere triſtitiam, probatur: quia contrarium minuens contrarium illud ſuperat; vnde eſt illo fortius: ſed delectatio cõtemplationis talis eſt inferior, quàm eius amaritudo: ergo illam minuere, ac ſuperare non poteſt. Probat. min. 1. quia triſtitia illius rigoroſæ contemplationis eſt vehementiſsima, ita vt in deſperationem inclinet, & inferni doloribus conferatur; eius autem delectatio valde remiſa eſt, & quæ ex ſolo generaliſsimo conceptu operationis convenit: ergo. *Probat.* 2. eadem min. Quia illud eſt ſuperius, & fortius, quod magis movet appetitum: ſed appetitus fortiùs movetur ad fugam illius triſtitiæ, quàm ad proſecutionem illius delectationis, dicente Aug. lib. 83. q. 36. *Nemo eſt, qui non magis dolorem fugiat, quàm appetat voluptatem*: ergo.

91. Confirm. ſi in illa contemplatione datur talis coniunctio triſtitiæ, ac delectationis, potiùs diceretur contemplatio illa delectabilis, & dulcis, quàm horribilis, & amara; ſiquidem res potiùs denominanda eſt ab eo, quod eſt ſibi intraneum, & ſecundùm ſuam naturam conveniens, quàm ab eo, quod eſt ſibi adventitium: atqui non dicitur dulcis, ſed amara: ergo hoc ideò eſt, quia illius amaritudo expers eſt totius delectationis.

92. Reſpondet. argumento: Conceſſa maiori, negando minorem, non quantùm ad hoc, quòd triſtititia talis contemplationis, quamtumvis maxima, poſsit minuere delectationem illius: quoad hoc enim vera eſt illa minor, illamque eius probationes affatim perſuadent: ſed quantùm ad hoc, quòd illa delectatio non minuat illam triſtitiam; quoad hoc falſa quippè eſt illa minor. Quandoquidem, vt ex Div. Thom. vidimus ſupra, ex hoc quòd anguſtiatus contemplativus elicit illam operationem, adeò ſibi convenientem, minuitur eius dolor, delectatione illa, quam percipit, ex operatione ſibi convenienti. Et hoc non procedit ex falſa illa imaginatione, quam inſtantia admittit, nempe quia illa triſtitia, & delectatio contrariæ ſint; hæc enim eſt falſa ſuppoſitio ſeu rudis imaginatio. Quod vt noſcas, ſcire debes ex Div. Thom. q. 35. art. 5. *Quòd delectatio contemplationis poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, ita quòd contemplatio ſit delectationis cauſa, & non obiectum, & tunc delectatio non eſt de ipſa contemplatione, ſed de re contemplata. Contingit autem contemplari aliquid nocivum, & contriſtans, ſicut & aliquid conveniens, & delectans: vnde ſi ſic delectatio contemplationis accipiatur, nihil prohibet delectationi contemplationis eſſe triſtitiam contrariam. Alio modo poteſt dici delectatio contemplationis, quia contemplatio eſt eius obiectum, & cauſa, puta cùm aliquis delectatur de hoc ipſo, quod contemplatur; & ſic, vt dicit Gregor. Nyſſen. ei delectationi, quæ eſt ſecundùm contemplationem, non opponitur triſtitia aliqua.*

In quibus verbis habes, cui delectationi contemplationis contrarietur triſtitia, & cui non contrarietur.

Contrariatur quidem delectationi, quæ non eſt de ipſo actu contemplationis; *Sicut*, & eſt exemplum D. Thom. ibidem, *delectationi, quæ eſt de calore, contrariatur triſtitia, quæ eſt de frigore. Non autem contrariatur delectationi, quæ eſt de ipſo actu contemplationis; quia huic delectationi non opponitur aliqua triſtitia.* Vnde compatiuntur ſumma illa triſtitia, quæ eſt ex obiecto contemplationis, & delectatio ipſius contemplationis. Quare minor ſecundùm illam partem eſt falſa, & nititur fundamento ruinoſo.

Ad probationem huius min. & ad primam ipſius probationem dicas: Ibi nullam adeſſe contrarietatem: nec vehemens illa triſtitia poteſt facere, quòd illa contemplatio non ſit delectabilis, ſicut non poteſt facere, quòd non ſit conveniens contemplanti: quia *ex hoc ipſo, quòd homo imaginatur, quòd facit illud, quod ſibi convenit ſecundùm talem ſtatum, conſurgit inde quædam delectatio*, ait D. Thom. num. 82. adductus. Summa illa triſtitia poteſt quidem vehementiſsimè torquere contemplantem, & facere, quòd contemplatio elicita triſtiſsima ſit, vt potè expreſsio animi intenſiſsimè patientis; verùm eo ipſo, quòd triſtis eſt contemplatio, eſt conveniens expreſsio animi contribulati; ac per conſequens *conſurgit inde quædam delectatio.*

Ad 2. probationem reſpondetur eam falſa illa imaginatione claudicare. Auguſtinus enim loquitur de dolore, ac voluptate ab obiectis doloroſo, & voluptuoſo provenientibus: non autem loquitur de voluptate cauſata ab actu, quo attingitur obiectum ipſum doloroſum. Et adhuc in illo ſenſu, in quo loquitur. Auguſtinus, debes ita intelligere eius verba, vt non per ſe, ſed per accidens fugiatur magis dolor, quàm appetatur voluptas. Videatur D. Thom. q. 35. art. 6. ad 1.

93. Ad confirm. reſpondetur: quòd denominatio *dulcis*, & *amaræ* abſolutè ſumpta in contemplatione ſignificat dulcedinem, & amaritudinem habitas ab obiecto delectanti, vel triſtanti. Vnde cùm contemplatio, de qua loquimur, habeat obiectum valde triſtans; ideò triſtis dicitur. Sicut contemplatio delectabilis dicitur illa, quæ habet obiectum delectans. *Accedit*, quòd hæc contemplatio ſumitur modò, ſecundùm quod ab illa alia contemplatione diſcriminatur. In hoc ergo quòd eſt, eſſe delectabilem, delectatione propria operationis operanti convenientis, vtraque contemplatio convenit. Vnde debent nominari ſecundùm id, quod ob obiecto habent: & ſecundùm hoc triſtiſsima eſt hæc contemplatio, quamvis ipſa ſua triſtitia delectabilitatem exprimat, vt conati ſumus explicare.

§. V. *Reſpondetur aliis ſolutionibus.*

94. DIximus §. 2. contemplationem eſſe, ex ea parte, qua triſtititiam dicit, delectabilem, quia ipſa ſua triſtitia facit contemplativum in ſingultus prorumpere, in querelas, ac fletus ſpatiari: quo vehemens triſtitiæ ardor mitigatur. Ex qua doctrina ad primum argumentum reſpondetur: quòd præſentia rei contriſtantis cauſat quidem triſtitiam: ſed negatur, quòd hæc triſtitia non ſit aliquo modo delectabilis: videlicet quia illa triſtitia diffunditur ad ſingultus, ac per hoc mitigatur: & illa mitigatio habet rationem boni, & delectabilis; ſicut qui nimio calore interno aduritur, ſi ad extra calor ille diffunditur, temperatur. Quæ temperatio calorem pacienti delectabilis eſt.

Ad primam probationem maioris conceſſo antecedenti, negetur conſequentia, propter modò dicta. Paritas illa abſentiæ, ac præſentiæ læſivi ad cauſandum delectationem, & triſtitiam, tenet vtique quoad hoc, quod eſt illam cauſare ſimpliciter: diſcriminantur tamen in modo, quia abſentia mali cauſat gaudium, nullatenus reſpuendum: præſentia verò ipſius cauſat dolorem alicuius delectationis non expertem. Ratio diſcriminis conſiſtit

in hoc, quòd abſentia læſivi eſt bonum, eòque naturæ conſonum; vnde ex parte ipſius non eſt principium in oppoſitum inclinans; aliter naturaliter inclinaremur in malum. Præſentia verò læſivi eſt malum; atque adeò diſſonum naturæ, cuius propenſio eſt ad bonum. Vnde etiam cùm læſivum adeſt, habemus, quo malum illud conemur reſpuere, vel, vt minùs, temperare. Ad quod vividiùs conſequendum ipſa adeò vexans triſtitia conducit. Non mihi credas, ſed Angelico Præcept. qui 1. 2. q. 39. art. 3. ait: *Ad 2. dicendum, quòd ſicut quodlibet eligibile fit minus eligibile propter triſtitiam: ita quodlibet fugiendum redditur magis fugiendum propter triſtitiam, & quantùm ad hoc triſtitia eſt vtilis.* Vnde vel ipſa triſtitia, ſua ipſa oneroſitate, impellente, læſivum fugere conamur. Et hic conatus non poteſt non eſſe delectabilis.

Ad 2. probationem maioris patet ex modò dictis, negandam eſſe conſequentiam. Et ratio cur negetur, etiam conſtat. Ad confirmationem reſpondetur negando minorem; quia ille fletus, illa afflicti contemplativi ſuſpiria temperant triſtitiæ impedimentum. Quod ſanè triſte non eſt, ſed delectabile, vt docet Auguſtinus lib. 4. Confeſſ. dicens, *quòd quando dolebat de morte amici, in ſolis gemitibus, & lachrymis erat ei aliquantula requies*, quod refert Div. Thom. q. 38. art. 2. in argumento *ſed contra*. Videatur ibi Ang. Doct. qui hæc egregiè elucidat ſtatuens hoc aſſertum: *Reſpondeo dicendum, quòd lachrymæ, & gemitus naturaliter mitigant triſtitiam. Et hoc duplici ratione.* Quas ibi videre poteris; iam enim à nobis tactæ, & expenſæ ſunt.

95. Solvimus facta argumenta offerentes duplicem modum, vtrumque naturalem, quo ipſa triſtitia delectabilis reperitur. Modò autem iuxta dicta §. 3. ſolvenda ſunt. Ibi enim ſtatuimus modum ſupernaturalem, quo anima in ipſo luctu, & amaritudine dulcedinem ſuaviſsimam inveniat. Ex ibi ergo dictis, reſpondetur tertiò ad argumentum primum (ex quo, quid ad ſecundum dici debeat, conſtabit) negando maiorem; triſtitia enim, quam cauſat præſentia rei contriſtantis delectabilis eſt; eò quòd eſt medium, quo præmium vitæ æternæ obtinetur. Vnde cùm ad obtinendum hoc præmium maximoperè conducat, ideò delectabilis eſt eius ipſa amaritudo. Propterea quoque in lib. Eccleſiaſtes cap. 7. dicitur: *Cor ſapientum vbi triſtitia, & cor ſtultorum vbi lætitia.* Et etiam: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivij.* Et apud Eccleſiaſticum cap. 7. dicitur: *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.* Quæ omnia, hiſque innumera ſimilia nullatenus dicerentur; ſi ipſe melancholicus luctus, vnde delectabilis foret, non haberet.

Ad vtramque probationem maioris ſimul reſpondetur, negando conſequentiam, quippè præſentia rei contriſtantis habet vndè delectabilis myſticè ſit, videlicet, quia conducit ad conſequendam æternam conſolationem, quæ lugentibus promittitur, ipſos illicò Beatos denominans: *Beati qui lugent.* Quamobrem ait Iſaias cap. 61. num. 3. *Date his, qui lugent Sion gloriam pro cinere, vnctionem lætitiæ lugentibus pro ſpiritu mœſtitiæ amictum gloriæ.*

Ad confirm. ſimiliter reſpondetur negando minorem. Id enim per quod contemplatio luctuoſa eſt delectabilis non eſt aliquod triſte: hoc enim nullatenus poſſet ad delectationem deſervire; ſed ad lamentum. Eſt tamen contemplatio illa delectabilis, quia conducit ad æternam beatitudinem, quod planè lætiſsimum eſt.

96. Dices: Triſtitia eſt ſecundùm ſe mala: ergo non poteſt aſſumi vt medium ad conſequendum præmium vitæ æternæ. Conſequentia eſt evidens, & antecedens edocetur evidenter à D. Thom. dicta 1. 2. q. 39. art. 1. vbi ait: *Dicendum, quòd aliquid eſſe bonum, vel malum poteſt dici dupliciter. Vno modo ſimpliciter, & ſecundùm ſe. Et ſic omnis triſtitia eſt quoddam malum; hoc enim*

ipſum quod eſt appetitum hominis anxiari de malo præſenti, rationem mali habet: impeditur enim per hoc quies appetitus in bono. Quid clarius?

97. Si dicas: D. Thom. loqui de malitia naturali; non autem de malitia myſtica, ſeu morali. Contra eſt totus ille articulus D. Thom. in quo loquitur clariſsimè de triſtitia, ſecundùm quod ad quemcumque ordinem ſpectat, & præſertim oſtendit ſe vel comprehendere, vel loqui de malitia morali, concludens in fine corporis: *Sed quia ſermones morales ſunt in ſingularibus, quorum ſunt operationes, &c.* Vbi perſpicuè de malitia in ordine moris ſe loqui oſtendit.

Reſpond. ex eodem D. Thom. ibidem, diſtinguendo antecedens: *Triſtia* ſi abſolutè conſideretur, vel vt explicat ibi Caiet. ſolitariè ſumpta, *eſt ſecundùm ſe mala*, concedo antecedens: ex ſuppoſitione mali contriſtantis, vel non ſolitariè accepta, nego antecedens. Sicque explicatur authoritas D. Thom. Itaque triſtitia abſolutè, ſeu ſolitariè ſumpta, non habet vnde appetibilis ſit; eſt enim ſimpliciter mala. Aſt triſtitia ex ſuppoſitione mali contriſtantis eſt bona, eſt appetibilis, & delectabilis. *Sic igitur*, inquit Sanct. Thom. *ſuppoſito aliquo contriſtabili, vel doloroſo, ad bonitatem pertinet, quòd aliquis de malo præſenti triſtetur, vel doleat.*

98. Adeſt v. g. vir contemplativus, qui videns tot hominum myriades, qui ſæculi vanitates inſequuntur, aſſumit voluntarium lamentum, vt hoc malum deploret. Hic luctus, qui abſolutè, & ſolitariè conſideratus, non habet bonitatem: ex ſuppoſitione illius mali tantam bonitatem habet, vt ſit æterna conſolatione dignus, & inter ſupernaturales beatitudines collocetur. Qua propter aiebat Chryſoſt. homil. 15. ſuper illa verba Matth. adducta, vbi Chriſtus Domin. lugentibus æternam conſolationem promittit: *Vbi verò, dic mihi, conſolabuntur? Et hic profectò, &, quod eſt amplius, in futuro. Quia enim præceptum ipſum valde videbatur oneroſum, hoc ſe promittit datu-*

rum, quo illud quàm maximè leve poſſit efficere. Itaque ſi velis conſolari, luge. Neque putes ænigma eſſe, quod dixi.

Vide quantùm diſtet luctus abſolutè ſumptus, à ſe ipſo *ex ſuppoſitione* conſideratus. Sic enim delectabilis eſt, quia eſt medium ad præmium æternum obtinendum. Vt expreſsiſsimè traditur emphaticis illis verbis: *Itaque ſi velis conſolari, luge.* Quod idem eadem elegantia docuit Sanctus Doct. hom. 14. in ad Philip. vbi conſiderans verba illa Apoſtoli, cap. 4. v. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico gaudete:* docet hoc Pauli monitum neutiquam verbis Chriſti Domini, lugentibus æternam conſolationem promittentis, contrariari. Ait enim: *Non eſt autem hoc gaudium luctui illi contrarium, etenim ex illo luctu naſcitur quoquè gaudium.* Similiter Euthim. ad caput. 5. Matth. addubitat: Si Chriſtus ait, *Beati, qui lugent: quomodò ergo alio loco dicit Paulus: gaudete in Domino ſemper? Quia & ille gaudium dicit, quod è luctu oritur; habet namque luctus repenſum ſibi gaudium.*

Et ob hoc forſam cœleſtis ſponſus ſuam dilectam *columbam* vocat; quia vt obſervavit Raban. ad cap. 3. Matth. *Columba gemitum pro cantu habet: ita & ſancti, ſicut alij delectantur in cantu, ipſi in gemitu pro peccatis.* Habet ergo triſtitia, non abſolutè, ſeu ſolitariè ſumpta, ſed facta aliqua ſuppoſitione, rationem delectabilis, ſecundùm Doct. Ang. contra nos adductum. Et Angelica hæc diviſio triſtitiæ deſumpta videtur ex Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 7. vbi ait: *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* Ac ſi diceret: non gaudeo de veſtra triſtitia abſolutè, ſive ſolitariè accepta; ſic enim triſtitia veſtra nihil habet, quod gaudio pabulum eſſe poſsit. Gaudeo tamen de veſtra triſtitia ex ſuppoſitione finis, ob quem illam habetis; videlicet, quia vos triſtes pœnitet peccatorum, quæ feciſtis. Et ex hac ſuppoſitione triſtitia redditur delectabilis. Vnde addit ipſe Apoſt. *Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum,*

vt

vt in illo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, patientiam in salutem stabilem operatur.

99. Contra dicta omnia videtur esse divinum oraculum apud Ecclesiast. cap. 30. dicens: *Tristitiam non des animæ tuæ.* Et rationem huius præcepti assignans, addit: *Multos enim occidit tristitia, & non est vtilitas in illa.* Quæ sanè omnem rationem bonitatis, atque adeò & delectabilitatis à tristitia longè esse asserere videntur.

Ad hoc respondet D. Thom. d. 1. 2. q. 39. art. 3. *Ad 1 ergo dicendum, quod authoritas illa intelligitur de immoderata tristitia, quæ animum absorbet: huiusmodi enim tristitia immobilitat animum, & impedit fugam mali.* Videatur idem Ang. Doct. q. 59 art. 3. ex quibus omnibus patet, solutionem illam inter obijciendum positam num. 97. nullatenùs admittendam esse.

QUÆSTIO QUINTA.

Vtrùm Contemplatio Divina sit bonum vtile?

ILlius celebris divisionis *boni*, cuius supra meminimus, duo prima dividentia percurrimus. Rationi consentaneum est, vt de vltimo differamus. Videntes, an, sicut in contemplatione rationem boni honesti, & delectabilis invenimus, etiam rationem boni vtilis inveniamus. Vtile idem est ac necessarium *ad melius esse*. Vnde, inquirere, an divina contemplatio sit vtilis? Idem prorsus est ac explorare, an sit necessaria, vt meliùs christianæ vitæ finis habeatur? Hic finis vitæ christianæ est charitas, quæ nos dirigit in nostrum finem vltimum supernaturalem, qui est D. O. M. ad quem diligendum, & obsequendum in hac vita nati sumus, vt postmodum ipsum intueamur, eoque fruamur, in futura. Possunt etiam hîc nomine *finis* non incongruè intelligi alia plura, quæ meliùs habentur media contemplatione, quàm sine illa, licèt propriè loquendo finis illius non sint: vnde nec ipsa est propriè medium. Licèt possit dici vtilis ad eorum habitionem propter rationem attactam.

§. I. *Proponitur, & probatur pars affirmativa.*

100. SIt nostra Conclus. *Divina Contemplatio est bonum vtile.* Sic omnes sentiunt. Et probatur breviter ratione eruta ex Div. Thom. 1. p. q. 62. art. 9. ad 2. Contemplatio Divina est medium ad consequendum Deum: ergo habet rationem boni vtilis. Consequentia patet, quia nihil aliud intelligitur per bonum vtile nisi medium, quo vtimur ad obtinendum aliquem finem. Anteced. autem probatur authoritate laudati Div. Thom. dicentis: *Aliquid dicitur vtile dupliciter. Vno modo sicut quod est in via ad finem, & sic vtile est meritum beatitudinis.* & 1. 2. q. 16. art. 3. in corp. inquit: *Ea, quæ sunt ad finem accommodata, vtilia dicuntur.* Ex quibus sequens ratio formatur: id, quod est idoneum ad consequendum finem vltimum, ipsiusque fruitionem meretur, est vtile, seu medium, vt talis finis vltimus habeatur: sed divina contemplatio est idonea, meritumque ad consequendum Deum vltimum finem: ergo habet rationem medij in consecutione illius finis.

101. Confirm. finis actionis meritoriæ est præmium ei correspondens, ad quod obtinendum ipsa actio meritoria vtilis est: sed Deus clarè visus est præmium divinæ contemplationis: ergo Hæc medium est, rationemque boni vtilis habet, vt tale præmium habeatur: Consequentia bona est, & min. non indiget probatione. Maiorque expressa est in prima authoritate Div. Th. ijs verbis: *& sic vtile est meritum beatitudinis.*

Dices:

102. Dices: vtile, & præmij meritorium non ſunt idem: ergo ex quo contemplatio ſit præmij meritoria, eius vtilitas non probatur. Probatur antecedens ex Div. Auguſt. lib. 1. de doct. Chriſt. cap. 32. vbi ait, qnòd Deus vtitur hominibus, & Angelorum miniſterijs erga homines, ad noſtram, & Angelorum vtilitatem, & ad ipſius Dei bonitatem: ergo Angelorum erga homines miniſteria vtilia ſunt ipſis Angelis. Modò ſic; ſed illa miniſteria non ſunt Angelis meritoria, quia iam Angeli ſunt in termino: ergo vtile, & meritorium non ſunt idem.

Reſpond. ex citato Div. Thom. quòd vtile dicitur dupliciter: primò, vt via ad terminum, meritum ad præmium, & medium ad finem habendum. Secundò, *ſicut pars eſt vtilis ad totum, vt paries ad domum. Et hoc modo miniſteria Angelorum ſunt vtilia Angelis beatis, in quantùm ſunt quædam pars beatitudinis ipſorum. Diffundere enim perfectionem habitam in alia, hoc eſt de ratione perfecti, in quantùm eſt perfectum.* Vnde patet, quòd vtile latiùs patet, quàm meritorium, quare non omne vtile meritorium eſt. Cæterùm omne meritorium eſt vtile: atque adeò ex quo contemplatio divina ſit poſſeſſionis vltimi noſtri finis meritoria, relinquitur, quòd ſit vtilis ad conſequendum illum finem.

§. II. *Reſpondetur argumentis.*

103. CONtra concluſ. arg. 1. Contemplatio divina eſt appetibilis propter ſe: ergo non habet rationem boni vtilis. Anteced. conſtat ex q. q. præcedentibus. Et conſequentia probatur ex D. Thom. lib. 1. Ethicor. lect. 9. dicente: *Eſt aliquid, quod appetitur non propter aliquam formalem bonitatem in ipſo exiſtentem, ſed ſolùm in quantum eſt vtile ad aliquid, ſicut medicina amara.* Et 1. p. q. 5. art. 6. ad 2. ait: *Vtilia dicuntur, quæ non habent in ſe, vnde deſiderentur, ſed deſiderantur ſolùm, vt ſunt ducentia in alterum, ſicut ſumptio medicinæ amaræ.* Et quæſt. 24. de verit. art. 6. inquit: *Tota ratio appetibilitatis eius, quod eſt ad finem, in quantum huiuſmodi, eſt finis.* Ergo cùm divina contemplatio habeat in ſe, vnde deſideretur, & ſit maximopere appetibilis, non habet rationem medij, aut vtilis; ſiquidem hoc ſolummodò, vt conducens ad alterum deſideratur, & *non propter aliquam bonitatem in ipſo exiſtentem.*

104. Confirm. Quia bonitas rei, quæ eſt vtilis, convenit ipſi, ſicut ſanitas convenit medicinæ, & ſalivæ, ſed appetibilitas contemplationis non ſic ei convenit, ſed intrinſecè, & ex natura ſua: ergo contemplatio divina non habet rationem vtilis. Minor conſtat ex dictis, & maior edocetur à D. Thom. quæſt. 21. de verit. art. 1. his verbis: *Sic ergo primò, & principaliter dicitur bonum ens perfectivum alterius per modum finis, ſed ſecundariò dicitur aliquod bonum, quod eſt ductivum in finem prout vtile dicitur bonum: ſicut & ſanum dicitur non ſolùm habens ſanitatem, ſed perficiens, & conſervans, & ſignificans.* Quibus verbis perſpicuè traditur, medium ita eſſe bonum, & appetibile, ſicut ſaliva, quæ ſanitatem ſignificat, eſt ſana: atqui ſaliva ſolùm extrinſecè eſt ſana: ergo medium, ſeu vtile ſolùm extrinſecè eſt bonum.

Mirum eſt, quantum pulverem in theatro litterario concitarint hæc Angelica teſtimonia. Alijs propter ipſa aſſerentibus, bonitatem non reperiri intrinſicè niſi in fine, in medijs verò ſolùm extrinſicè: Alijs verò ex ijs, qui bonitatem intrinſecam in medijs recognoſcunt, in diverſiſsima placita, vt data teſtimonia explicent, abeuntibus. Nobis autem non ita arduum videtur illas authoritates conciliare cum noſtra reſolutione de bonitate intrinſeca contemplationis, quam rationem boni vtilis habere, aſſeruimus. Sed breviter nonnulla prælibanda ſunt.

105. Obſerva ergo 1. id, quod iam num. 20. tradidimus, videlicet, qòud diviſio boni per honeſtum, vtile, & delectabile *non eſt per oppoſitas res,* ſed *per oppoſitas rationes,* vt ibi docuit

D.

D. Thom. Quod ita intelligendum eſt, vt illæ rationes, ſeu formalitates eodem modo ſe reciprocè excludant, ſicut ſe excludunt entitates oppoſitæ. Vnde formalitas *honeſti* in bono non eſt formalitas *delectabilis*, nec formalitas *vtilis*. Quippe formalitas honeſti dicit bonum, vt finem propter ſe amatum: formalitas *delectabilis* dicit idem bonum, vt id, in quo appetitus quieſcit: formalitas verò *vtilis* dicit eandem rem, quæ re ipſa eſt honeſta, ac delectabilis; at ſub expreſsione *vtilis* non dicit bonitatem propter ſe appetibilem, ſed bonitatem appetibilem, quia conducit ad conſecutionem alterius, quod propter ſe appetibile eſt. Vnde licèt illa res quatenus *vtilis* ſit amabilis ex ſe: non tamen eſt amabilis propter ſe, ſed propter aliud. In quo certè videntur æquivocationem pati aliqui magnæ notæ Theologi. Quam æquivocationem, vt vitare valeas

106. Obſerva 2. particulam *propter* in operatione voluntatis eſſe ita propriam finis, in quem vel tendit, vel iam quieſcit voluntas, vt nullatenus poſsit alteri cõvenire. Vnde tametſi in aliquo detur intrinſeca bonitas; ſi tamen illud aliquod non eſt finis, erit quidem ex ſe, & per ſe amabile: *propter ſe* autem neutiquam erit appetibile. Hoc enim eſt privativè proprium finis ſivè proximi, ſivè vltimi. In hocque medium diſcriminatur à fine, quod licèt in vtroque detur intrinſeca bonitas, bonitas finis diligitur *propter ſe*: medium autem non diligitur propter ſuam, quam habet, bonitatem, ſed *propter* bonitatem finis. Ex quo oritur.

107. Obſerva 3. quòd *propter* eandem bonitatem diligitur, finis, & eligitur medium: quia ipſa bonitas finis & alicit *propter* ſe ipſam voluntatem, & facit, quod *propter* ſe ipſam terminet medium actum voluntatis. Vnde in eodem medio duplex bonitas conſideranda eſt: prima eſt ſibi intrinſeca, ſecunda verò extrinſeca: hæc eſt propria finis; illa autem ipſius medij propria eſt. Bonitas ſibi propria facit illud vtique intrinſecè appetibile; ſed non appetibile *propter* ſe, ſed *propter* bonitatem aliam ſibi extrinſecam, quæ eſt bonitas finis. Quæ doctrina eſt D. Thom. loco citato ex q. 7. 1. 2. vbi ait: *In his autem, quæ ad aliquid dicuntur, denominatur aliquid non ſolùm ab eo, quod ineſt, ſed etiam ab eo, quod extrinſecùs adiacet, vt patet in dextro, & ſiniſtro, æquali, & inæquali, & ſimilibus: & ideò cùm bonitas actuum ſit in quantum ſunt vtiles ad finem, nihil prohibet eos bonos, vel malos dici ſecundùm proportionem ad aliqua, quæ exteriùs adiacent.*

Quo teſtimonio vtuntur, qui intrinſecam bonitatem in medijs non agnoſcunt: ſine fundamento tamen, quia Sanctus Doct. clariſsimè loquens de *vtili*, quod abs dubio reſpectivum eſt, docet denominari *non ſolùm ab eo, quod ineſt, ſed etiam ab eo, quod extrinſecùs adiacet*. Ac ſi diceret: In medio eſt duplex bonitas. Vna, quæ ipſi *ineſt*, eſtque ei intrinſeca: alia, quæ, quia extrinſeca eſt, *extrinſecùs adiacet*. Quam bonitatem extrinſecam, quæ principalis eſt, vt potè finis, explicat exemplo illo *dextri*, ac *ſiniſtri*. De alia autem, vt potè indubitata, & minùs principali non loquitur. Vel dicant adverſarij, quibuscum convenimus, fatentes extrinſecam illam mediorum bonitatem, quæ bonitas eſt illa, quam D. Thom. docet medijs in eſſe? Non poteſt eſſe extrinſeca. Tum quia bonitas extrinſeca non *ineſt* ei, cui extrinſeca eſt. Tum etiam quia bonitas extrinſeca comprehenditur ſub illa clauſula *ſed etiam ab eo, quod extrinſecùs adiacet*. Vnde ſicut nos cum illis bonitatem extrinſecam mediorum, vi ſecundæ clauſulæ fatemur: debent & ipſi nobiſcum, virtute primæ, bonitatem intrinſecam confiteri. Sin minùs, ſenſus D. Thom. erit: Medium denominatur non ſolùm à bonitate extrinſeca, ſed etiam ab extrinſeca bonitate.

Nec inſolens tibi appareat, quod eadem res illa duplici denominatione gaudeat. Siquidem dicitur intrinſicè ens ab entitate ſibi intrinſeca, & etiam dicitur extrinſicè ens ab entitate primi

entis. Quo circa analogatur cum Deo, non ſolum analogia proportionalitatis propriæ; ſed etiam analogia attributionis. Vt docent noſtri Complut. tract. *de analogia*. Hoc ergo idem, quod in ordine rerum evenit, verificatur etiam in ordine appetibilium. Vnde idem medium dictam duplicem bonitatem habet.

108. Vltimò obſerva, ſeu potiùs contemplare, authoritatem illam, quam num. 103. adduximus ex quæſt. 24. de verit. quam reproducere placet: *Tota ratio appetibilitatis eius, quod eſt ad finem, in quantum huiuſmodi, eſt finis.* Hoc teſtimonio Adverſarij triũphum contra nos ſe conſecutos, gloriantur. Ipſo & nos ferè omnia eorum tela protelare ſperamus. Ex quibus

109. Reſpond. argumento conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad primam eius probationem dicas: medium non appeti propter bonitatem ſibi intrinſecam, quia *ly propter* deſignat bonitatem finis, vt conſtat ex ſecunda obſervatione. Vnde licèt contemplatio, vt vtilis, ſit intrinſicè appetibilis; non tamen eſt appetibilis *propter* bonitatem ſibi intrinſecam: hoc enim ſolius finis proprium eſt. Quocircà vtilitas contemplationis, *in quantum huiuſmodi*, hoc eſt; in quantum medium, denominatur appetibilis *propter* bonitatem finis. Et etiam eſt appetibilis intrinſecè, & ex ſe; à bonitate, quæ ipſi ineſt; ſed non *propter* ſe.

Exemplum illud medicinæ amaræ, quo vtitur D. Thom. rem benè explicat; quia licèt medium, vt dictum eſt, dicat illam duplicem bonitatem, & vtraque medium in eſſe talis, conſtituat: nihilominùs tamen prima bonitas, intrinſeca medio, non eſt, quæ illùd conſtituit formaliſsimè in eſſe medij. Tum, quia illa bonitas non eſt ex ſe ad alterum: bonitas autem, medium formaliſsimè conſtituens, eſt reſpectiva. Tum, quia ſublata bonitate finis, vel ceſſante appetitu huius hominis illum finem deſiderantis, manent quidem media vtilia, ſed non in actu ſecundo, & relatè ad illum finem, cuius bonitas ſublata ſupponitur; nec reſpectu illius appetentis, quem illum finem iam non appetere, ſupponimus: ſed in actu primo, & relatè ad alium finem, aliumque appetitum, vti egregiè docent P. P. Salmant. tract. 8. diſp. 1. dub. 1. num. 18. Ex quo evidenter deducitur, quòd *vtile* dicitur tale in actu ſecundo per aliquid diſtinctum à ſua intrinſeca bonitate. Quod non eſt aliud, quàm bonitas finis: vnde per hanc bonitatem ſibi extrinſecam conſtituitur formaliſsimè *vtile* in eſſe talis in actu ſecundo. Et hoc eſt *vtile*, quo vtitur in finem tendens; &, vt vnico verbo dicam: hoc eſt *vtile, in quantum huiuſmodi*, vt pulcherrimè loquitur Div. Thom.

Vt autem ad exemplum medicinæ amaræ redeamus: Medicina hæc bonitatem intrinſecam habet, ex natura ſua conducentem ad ſanitatem: nec contrarium imaginabile ſuſpicamur. Quomodo ergo poteſt intrinſicè conducere ad bonitatem ſalutis, quod in ſe nihil intrinſecum habet, conducens ad recuperandam ſalutem? Hanc autem intrinſecam bonitatem ſemper in ſe habet medicina amara. Verùm vt in actu ſecundo medium ſit, requiritur, quòd ſpes obtinendi finem ſubſiſtat: ſi namque non ſubſiſtit finis, vel quia ſalus deſperata eſt, vel quia iam eſt conſecuta, tunc ipſa medicina *vtilis* in ſe, deſinit eſſe *vtilis* in actu ſecundo. Immò & nociva incipit eſſe: quippè quod infirmo prodeſt, obeſt ſano. Vnde medicina amara eſt in actu ſecundo *vtilis*, per hoc, quod hic infirmus illam eligat propter bonitatem ſalutis, quam, ea media, conſequi deſiderat.

Vnde conſtat quàm verum ſit dictum Div. Thom. videlicet, quòd medium ſolùm appetitur *in quantum eſt vtile ad aliquid, ſicut medicina amara.* Primò, quia loquitur de eo, quod appetitur tamquam finis, vt denotat illa particula *propter*. Secundò, quia etſi de bonitate medij intelligatur: per ly *ſolum* non excludit bonitatem intrinſecam medij, ſed loquitur de bonitate, quæ medium formaliſsimè, ſeu

in actu ſecundo conſtituit, quam fatemur eſſe extrinſecam medio, vt conſtat ex dictis.

110. Ad 2. authoritatem ex prima parte deſſumptam ſimiliter reſpondetur; quòd *vtilia* non habent in ſe bonitatem, per quam in actu ſecundo conſtituantur: vndè *in quantum huiuſmodi*, hoc eſt, vt in actu ſecundo conſtituta, *deſiderantur ſolùm, vt ſunt ducentia in alterum.* Ad 3 authoritatem ex quæſt. 24. de verit. iam diximus, eſſe pro nobis. Et ſanè illa reduplicatio *in quantum huiuſmodi* non eſt ſuperflua: otioſam dicere nefas foret. Rogo nunc quid intendit Div. Thom. ſignificare illa reduplicatione? Non aliud facile invenies, niſi quod medium, licèt habeat ſuam intrinſecam bonitatem: tamen *in quantum huiuſmodi*, hoc eſt, vt in actu ſecundo conſtitutum *tota ratio appetibilitatis eius, eſt finis.*

111. Ad confirm. reſpondetur diſtinguendo antecedens: *bonitas*, quæ in actu ſecundo eſt conſtitutiva *rei, quæ eſt vtilis, convenit ipſi*, &c. concedo. *bonitas*, qua in actu primo conſtituitur, nego antecedens. Termini ex dictis noti ſunt. Vnde formalitas illa contemplationis, quæ habet rationem *vtilis*, duplici bonitate conſtat. Vna eſt ei intrinſeca, & illa conſtituitur *vtilis* in actu primo. Alia eſt ei extrinſeca, & hac conſtituitur *vtilis* in actu ſecundo. Bonitas intrinſeca non convenit ei, ſicut ſanitas convenit ſalivæ: bonitas verò extrinſeca convenit, ſicut ſalivæ ſanitas. Vnde ſicut ſaliva dicitur ſana à ſanitate intrinſeca hominis, cum quo analogatur, analogia attributionis, eadem ſanitate vtrumque illud analogatum denominante: ſic etiam eadem bonitas finis conſtituit intrinſecè ipſum finem, & denominat contemplationem *vtilem* in actu ſecundo: & contemplatio, prout ſic, analogatur cum fine in ratione illa bonitatis, analogia proportionis. Cum quo fine analogatur etiam analogia proportionalitatis propriæ, ſecundùm illam aliam bonitatem ſibi intrinſecam, quæ illam conſtituit medium in actu primo, eo ipſo modo, quo creaturæ analogantur in ratione entis cum primo ente, vt diximus num. 107. Qua doctrina explicata manet authoritas illa Div. Thom. in eadem confirmatione adducta in comprobationem minoris, quæ eadem diſtinctione, quæ maiori applicata eſt, reſolvi debet. Immò hac ipſa diſtinctione duplicis analogiæ explicari poſſunt omnes authoritates præcedentes, quin ſit neceſſarium aliquid aliud addere, vt quiſque noſcere poteſt.

112. Arg. 2. Si contemplatio divina eſſet vtilis, vel eſſet reſpectu ſui ipſius; vel reſpectu alterius: Neutrum poteſt dici: ergo non eſt vtilis. Maior certa eſt; quia quod eſt vtile, relatè ad aliquem finem obtinendum vtile eſt. Quo circa non ſtat, quòd ipſa contemplatio ſit vtilis; quin eius vtilitas deſerviat, vel vt ipſam contemplationem lucremur, vel vt alium finem habeamus. Minor autem pro prima parte probatur: Quia non poteſt contemplatio ſub formalitate vtilis haberi; quin ipſa entitativè habeatur, vt de ſe conſtat: ergo non poteſt ipſa ſub formalitate vtilis de ſervire ad ſe ipſam, vt finem obtinendam. *Probatur* eadem minor pro ſecunda parte: Quia divina contemplatio, qualitercumque conſideretur, eſt finis intermedius, quo vltimus finis obtinetur; ſed finis intermedius non habet rationem vtilis: ergo.

Reſpond. negando minorem pro vtraque parte; quia divina contemplatio eſt nobis vtilis, vt illam perfectiùs habeamus: & etiam vtilis eſt, vt alia conſequamur. Primum patet, quia exercitium contemplationis habilitat nos, vt ipſam perfectiùs exerceamus: Vnde licet formalitas *vtilis* non deſerviat ad obtinendam contemplationis entitatem, cuius eſt formalitas; prodeſt tamen ad alium actum contemplationis perfectiùs eliciendum. Secundùm etiam conſtat: quia licet divina contemplatio ſub formalitate boni honeſti ſit finis intermedius; ipſa tamen ſub formalitate *vtilis* non eſt finis, ſed medium.

113. Argum. 3. Si contemplatio

eſſet vtilis, omnes poſſent animum elevare ad contemplandum: at hoc eſt falſum: ergo contemplatio non habet rationem vtilis. Probatur min. Quia eſt contra humilitatem animum ad contemplationem elevare, vſque dum Deus animam in contemplatione conſtituat: ergo vera eſt illa minor.

Hoc argumentum plura, eaque graviſsima continet, vndè ſolvi non poteſt, vſque ad diſputationem 11. quæſt. 2.

DISPUTATIO DECIMA.

De Divina Contemplatione prout eſt vita.

DIv. Thom. in 3. d. 35. q. 2. & 1. Ethic. lect. 5. & 2. 2. q. 179. 180. 181. & 182. per plures articulos, & alijs in locis agit de vita activa, & contemplativa, quarum prima actione conſtituitur: ſecunda autem contemplatione: quamquàm apud Sanctum Doctorem idem omnino ſit vita activa, & actio; ſicut & vita contemplativa, & contemplatio. Quod P. Suarez videtur admittere noluiſſe, quandoquidem diſtinctionem adeſſe inter cõtemplationem, & vitam contemplativam ſeriò tradit, de quo poſtmodum. Modò verò illam diſtinctionem non negamus, nec illam Doctor Angelicus negat: ſed quia loquitur de vita contemplativa, iuxta ea, quæ à contemplatione, illam conſtituente, habet: propterea vnam pro altera vſurpat, pro eodem contemplationem, ac vitam contemplativam habens. Hoc ipſum & nos in hac diſputatione faciemus, niſi occaſio aliqua occurrat, quæ aliter procedere compellat.

Igitur quæſt. 179. citata agit Sanctus Thomas de vita activa, & contemplativa duos articulos ſcribens, in quorum primo agit de convenientia vitæ in contemplativam, & activam: in ſecundo decernit ſufficientem eſſe talem diviſionem, quia vita adæquatè in illa duo dividentia ſecatur. In q. 180. agit de vita contemplativa octo articulos excitans, in quorum primo quærit: *Virùm vita contemplativa nihil habeat in affectu, ſed totum in intellectu?* Reſolutio eſt negativa, quod in ſuperioribus multoties ſtatum à nobis eſt. In ſecundo articulo inquirit: *Vtrùm virtutes morales pertineant ad vitam contemplativam?* De quo etiam non pauca diximus, dicemuſque. In tertio explorat: *Vtrùm ad vitam contemplativam pertineant diverſi actus?* Et quod circa hoc punctum docet, pluries iam in diſcurſu huius operis dedimus. In quarto articulo tractat de obiecto contemplationis: de quo plena manu ſcripſimus tomo primo diſput. 1. per plures quæſtiones. In quinto articulo negat, contemplationem huius vitæ poſſe pertingere ad claram Dei viſionem. Et hoc alibi à nobis examinandum eſt. In ſexto articulo agit de illo triplici contemplationis motu, recto, obliquo, & circulari, de quo ſermo nobis fuit in Iſagoge. In ſeptimo contemplationem delectationem habere docet. Quod fuſè diſputatione præcedenti tradidimus. In octavo contemplationis diuturnitatem ſtatuit: ac de hoc in hac diſputatione nobis agendum eſt.

In quæſtione 181. quatuor articulos excitat circa vitam activam. In quæſtione 182. comparat vtramque vitam inquirens primò: quæ earum ſit dignior? Secundò, quæ ſit maioris meriti? Tertiò: an activa impediat contemplativam? Quartò denique, quæ ſit prior? Hæc Doctor Sanctus de vtraque hac vita diſputat, & nos cum ipſo de ijs, quæ ad præſens ſpectant, diſputabimus.

QVÆS.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm Contemplatio Divina ſit vita animæ?

DE Contemplatione Divina tum acquiſita, tum infuſa ſermo eſt; quia ſi Contemplatio Divina rationem vitæ habet, convenit ei ratio hæc non expeculiaribus differentijs, ſecundùm quas vtraque illa contemplatio diſcriminatur; ſed ex conceptu communi, vel ipſam contemplationem Philoſophicam comprehendenti. Vnde indiſcriminatim de vtraque illa contemplatione loquemur.

§. I. *Contemplatio Divina eſt vita animæ.*

1. Aſſertio hæc certiſsima eſt apud omnes: illam tenet Divus Thomas 1. part. quæſt. 12. art. 4. & 6. & 1. 2. quæſt. 3. art. 4. & 3. cont. gent. cap. 61. & alibi. Probat. ergo concluſio hac ratione fundata in Sacra Scriptura. Cognitio Dei eſt vita animæ: ergo & contemplatio. Patet iſta: quia contemplatio divina nihil aliud eſt niſi Dei ſublimis, perfectiſsimaque cognitio. Antecedens autem prob. ex verbis Chriſti Domini apud Ioannem, cap. 17. v. 3. dicentis: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te.* Quibus verbis probat Divus Thomas citatus æternam beatitudinem conſiſtere in actu intellectus. Et cum detur duplex beatitudo, inchoata videlicet, & perfecta: hæc, quæ in patria habetur, eſt propria Beatorum; illa autem viatoris propria eſt, & vtraque eſt cognitio, qua cognocens vivit. Quo circa, vtî obſervavere Caietanus, Titelman. & Janſon. non dixit Chriſtus, *hæc eſt vita æterna*, vt videant te, quod ſanè ad ſolos comprehenſores ſpectat. Sed *vt cognoſcant te*, quod commune eſt & Beatis Deum facialiter intuentibus, & viatoribus Numen ipſum fervidè contemplantibus. Omnes illi Deum cognoſcunt, & ipſa cognitio eſt omnibus illis vita æterna, in qua tantùm proficimus, quantùm de illa perfecta contemplatione habemus. Egregiè D. Auguſtinus tract. 105. *Si cognitio Dei eſt vita æterna, tantò magis in vita æterna quantò magis in hac cognitione proficimus.*

Eandem veritatem alia ſcriptura ſuadet. Etenim apud Eccleſiaſt. cap. 15. v. 3. dicitur: *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum.* Sermo eſt de divina ſapientia, ſeu, vt ſuprà ex noſtro Extatico Doctore dicebamus, de cœleſti contemplatione, & ait: *Cibabit illum &c.* Hoc eſt, exponit ibi Cornelius: *Sapientia mentes ſuorum cibat, & potat, id eſt, paſcit pane, & potu ſpiritali, putà intelligentia, & ſapientia, hoc eſt, ſe ipſa, ſuiſque dogmatibus, inſtitutis, & præceptis, quæ ſalutem, & vitam gratiæ, & gloriæ ei conferunt.*

2. Probatur adhuc ſecundò ſequenti ratione in alia ſcriptura fundata: Contemplatio eſt mors viro contemplativo; ergo etiam eſt ei vita. Antecedens eſt verum juxta vnanimem ſenſum Myſticorum, contemplationem *mortem* appellantium; quia animam à mundo ſe iungit, faciens eam omnibus viſibilibus valedicere, vt ſic expeditiùs valeat propriæ vtilitati inſudare. Conſequentia autem probatur multipliciter. Primò ſic: Quia ſi ex vna parte contemplatio eſt mors animæ, & ex alia non eſſet ei vita, foret animæ prorſùs inutilis contemplatio: hoc eſt abſurdum: ergo contemplatio eſt vita animæ. Bona eſt conſequentia, & minor certiſsima. Maior autem non indiget probatione, ſed expenſione. Etenim ſi contemplatio eſt mundialium mors; cœleſtium tamen non eſt vita, in quo eſt vtilitas contemplationis? Immò ſi contemplatio non ſolùm eſt mors rerum mundanarum; verùm etiam diſcur-

curſuum, ac operationis diſtinctæ vtî cum ſana Myſtarum doctrina multoties in ſuperioribus dictum eſt: manifeſtè deducitur, quòd ſi contemplatio non foret animæ vita, nedum inutilis, verùm etiam nociva foret: quandoquidem ex vna parte nullam vitam conferret, & ex alia inferret mortem diſtinctæ operationis, & diſcurſuum, quibus poſſet anima ſuam ſalutem operari. Modò verò eò vtilis, & proficua eſt; quia ſi mortem infert diſcurſuum, confert vitam indiſtinctæ, ac pacificæ operationis, cum qua faciliùs, fœliciùſque negotiatur, quàm omnibus illis operationibus inquietis, quas in animæ vtilitatem interimit, hincque

Probatur ſecundò conſequentia. Idcircò contemplatio dicitur mors, quia à rebus viſibilibus animam ſeparat, ac veluti mortuam relatè ad illas conſtituit: ergo pariformitèr, quia facit an mam adhærere Deo, cœleſtibuſque deitijs potiri, eſt vita animæ.

13. Probatur demum principaliter conſequentia vulgariſsimo, pariterque divino illo oraculo Sanctiſsimi illius contemplativi Divi Pauli, cui vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, ex quo converſatio eius in Cœlis fuit, hic enim in ad Galatas cap. 2. ait: *Chriſto confixus ſum Cruci. Vivo autem iam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* Mortuum ſe fatetur Paulus, inſimulque viventem. *Vivo*, verùm *non ego*, ſed *Chriſtus*. Duplex vita erat Paulo, ſicut & cuilibet alio: non tamen ſimul habenda. Prima erat vita animalis, ſecunda vita ſpiritualis. Vtraque hæc vita in eodem ſimul reperiri non poteſt: eſt quippè vita ſpiritualis mors vitæ animalis, & hæc eſt interitus vitæ ſpiritualis. Duplici hac vita, diverſis licèt temporibus, vixit Paulus. Prima viuebat, cùm æmulator paternarum traditionum Eccleſiam Dei perſequebatur. Huius vitæ mors fuit ſublimis illa contemplatio, vi cuius raptus eſt Paulus vſque ad tertium cœlum, vbi audivit arcana verba cœleſtis vitæ iam ſtrenuus candidatus. Ex tuncque Reparatoris noſtri Crucifixi myſteria profundè ſciens, cum eo confixus eſt Cruci in teſtimonium novæ illius vitæ, qua fulgebat. Quo circa protulit: *Vivo autem iam non ego.* Hoc eſt, non vivo ego vita illa terreſtri, qua priùs vixi; ſed vivo ego vita illa cœleſtis contemplationis, quæ me ad Cœlos vſque efferens fecit, quòd vivat *in me Chriſtus.* Immò quod *mihi vivere Chriſtus* ſit, *& mori lucrum.*

Angelicè Divus Thomas mentem Apoſtoli aperit, inſimulque fundamentalem rationem, qua poſtmodum noſtram aſſertionem probemus, edocet. Sic enim ait ad locum citatum Pauli: *Homo quantùm ad illud dicitur vivere, in quo principaliter firmat ſuum affectũ, & in quo maximè delectatur. Vnde & homines, qui in ſtudio, ſeu in venationibus maximè delectantur, dicunt, hoc eorum vitam eſſe: quilibet autem homo habet quendam privatum affectum, quo quærit, quod ſuum eſt: dum ergo aliquis vivit quærens tantùm quod ſuum eſt, ſoli ſibi vivit: Cum verò quærit bona aliorum, dicitur etiam illis vivere. Quia ergo Apoſtolus proprium affectum depoſuerat per Crucem Chriſti, &c.* Ac poſteà introducit eundem Apoſtolum dicentem: *Vivo autem, id eſt, iam non vivo ego quaſi in affectu habens proprium bonum: ſed vivit in me Chriſtus, id eſt, tantùm Chriſtum habeo in affectu, & ipſe Chriſtus eſt vita mea.*

4. Apoſtoli ſpiritum æmulata eſt Sanctiſsima Mater noſtra Thereſia vtî de ſe ipſa teſtatur epiſtolarum tom. 4. Epiſtola 12. num. 17. vbi ait: *Vienen dias en que me acuerdo infinitas vezes lo que dize San Pablo (aunque á buen ſeguro que no ſea aſſi en mi) que ni me parece vivo yo, ni hablo, ni tengo querer; ſino que eſtà en mi quien me govierna, y dà fuerça, y ando como caſi fuera de mi.* Hoc eſt; ſunt dies, in quibus infinities memoriam facio dicti Divi Pauli (eſt illud, quod ex ad Galatas, præmanibus habemus, quod conſtat, tum ex ſe, tum ex nota marginali) in his ergo diebus, proſequitur alma Doctrix, videtur mihi, quòd nec ego vivo, nec loquor,

nec

nec velle habeo; sed quod est in me, qui me dirigit, & vires confert, & sum veluti extra me. Vides sanctissimam istam animam viventem, & non viventem: loquentem, & non loquentem: volentem, & non volentem. Hæc omnia signa sunt mortis, & vitæ, quæ simul, beneficio eminentissimæ contemplationis, in illa mysticè inveniebantur. *Vivebat, & non vivebat*: quia veluti extra se posita non vivebat ipsa, sed Christus ab ipsa contemplatus erat eius vita: ipse etiam in illa loquebatur, & vivebat. Quibus planus est Theresianus sensus, & ex eo suadetur, contemplationem fore vitam animæ contemplatricis.

Eandem veritatem ostendit illud ipsius Sanctissimæ Matris cœleste poema, quod igne sublimissimæ contemplationis fervida eructavit hisce verbis:

Vivo sin vivir en mi,
Y tan alta vida espero,
Que muero porque no muero.

Fatetur se viuere sine vita: non tamen sine vita absolutè; sed sine vita in se: *Vivo sine eo, quod in me vivam*: quia contemplatio illa, qua tunc temporis fruebatur, vitam propriam veluti eliminabat, & superiorem aliam vitam conferebat. Videatur Glossa, qua eadem Sanctissima Doctrix data carmina explicat: eandem enim veritatem suadent.

Clarissimè hoc, quod dictis verbis de se Apostolus affirmavit, de omni anima perfectè contemplativa verificari, docet Extaticus Noster Doctor pluribus in locis. In flamma cant. 2. sic profundissime fatur:

O cauterio suave!
O regalada llaga!
O mano blanda, ò toque delicado!
Que à vida eterna sabe,
Y toda deuda paga,
Matando, muerte en vida la has trocado.

Novæ cœlestis vitæ, qua anima exul adhuc fulget ob fervidam contemplationem, qua gaudet, memoriam facit. Et inter alia, quibus traditam cantionem explicat, inquit versu vltimo: *Y como quiera que cada viviente viva por su operacion, como dizen los Philosophos, teniendo sus operaciones en Dios por la vnion que tienen con Dios, el alma vive vida de Dios, y se ha trocado su muerte en vida. Por que el entendimiento, que antes de esta vnion cortamente entendia, ya es movido, è informado de otro principio, y lumbre mas superior de Dios, y la voluntad, que antes amaba tibiamente, aora ya se ha trocado en vida de amor divino; por que ama altamente con afecto de amor divino movida de el Espiritu Santo, en que ya vive.* Et subdit: *Y finalmente todos los movimientos, y operaciones que antes tenia el alma del principio de su vida natural, è imperfecta: ya en esta vnion son trocadas en movimientos de Dios.* Et concludit: *Lo qual acaece en este estado perfecto de vida espiritual, aunque no tan perfectamente como en la otra. Y de esta manera dize bien: Matando, muerte en vida la has trocado. De donde puede dezir aqui el alma con mucha razon con San Pablo: Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Quæ omnia idiomate latino sic se habent.

Cum vnumquodque vivens vivat sua operatione, vtî Philosophi tradunt, habens suas operationes in Deo ob vnionem, quam tales operationes habent cum Deo, anima vivit vita Dei, eiusque mors in vitam versa est. Quia intellectus, qui ante hanc vnionem parùm intelligebat, iam movetur, informaturque alio Dei principio, ac lumine eminentiori. Voluntas, quæ tepidè priùs amabat, modò mutata iam est in vitam divini amoris; quia eminenter amat affectu divini amoris, mota ab Spiritu Sancto, in quo iam vivit. Ac demum omnes motus, operationes omnes, quas anteà habebat anima à principio suæ vitæ naturalis, & imperfectæ, iam in hac vnione in motus Dei mutatæ sunt. Quod evenit in hoc perfecto statu vitæ spiritualis, quamquàm non adeò perfectè, sicut in patria. Sicque benè dicit anima, cùm dicit: *Matando, muerte en vida la has trocado.*

Hoc

Hoc eſt: vitam auferens, ſeu mortem inferens, ipſam mortem, quam intuliſti, in vitam mirabiliter commutaſti. Vnde poteſt hîc anima ſeriò cum Divo Paulo dicere: *Vivo autem iam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* Hæc illuminatus hic Doctor, quibus affatim noſtras aſſertiones ſuadet. Quam ob rem plures alias eiuſdem probationes ſubtrice mus.

5. Ex quibus omnibus probatur ſic vltimò noſtra aſſertio: *Vnumquodque vivens oſtenditur vivere ex operatione ſibi maximè propria, ad quam maximè inclinatur*, ait Divus Thomas 2. 2. q. 179. art. 1. in corp. Sed contemplatio eſt operatio maximè propria contemplativi, & ad illam maximè inclinatur: ergo contemplatio habet rationem vitæ. Conſequentia eſt bona, & maior eſt authoritas Divi Thomæ, qui eamdem doctrinam tradidit num. 3 iis verbis: *Homo quantùm ad illud dicitur vivere, in quo principaliter firmat ſuum affectum, & in quo maximè delectatur.* Idem docuit nos Seraphicus Noſter Pater numero præcedenti adductus, vbi ex communi Philoſophorum dicto, videlicet, *vnumquodque vivens vivit ſua operatione*, adſtruit, contemplationem divinam eſſe vitam contemplativi. Iam verò minorem dati Syllogiſmi quis negabit? Duas partes habet: prima, quæ aſſerit: contemplationem eſſe operationem maximè propriam contemplativi. Quod adeò verum eſt, vt à nemine dubitari valeat. Secunda autem pars, ſcilicet, quòd contemplativus ad contemplationem maximè inclinetur, eſt etiam certiſsima: conſtatque ex ſuſpirijs, quæ contemplativi emittunt, dum ab otio contemplationis amoventur, & ex tædio, quo in tale otium impedientia invehuntur. Hinc Apoſtolus clamabat: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Et, *infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Ex quo enim in hoc exilio: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum*, ad Galat. cap. 5 quo bello & continuatio contemplationis impeditur, & aſſecutio æternæ felicitatis periclinatur; oritur, quòd contemplativi diſſolvi cupiant, & eſſe cum Chriſto, vbi nec timor non aſſequendi beatitudinem adeſt, nec continuatio contemplationis diſrumpitur. Et idcircò clamant, vt Deum ſine obicibus contemplentur, dicentes cum eodem Apoſtolo: *Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus: domum non manufactam, æternam in cœlis.* 2. ad Corinth. cap. 5. Quo ſpiritu ductus Noſter Seraphicus Doctor inflam. Cant. 1. cecinit.

O llama de amor viva!
Que tiernamente hieres (tro:
De mi alma en el mas profundo cen-
Pues ya no eres eſquiva,
Acaba ya ſi quieres,
Rõpe la tela de eſte dulce encuẽtro.

In idem centrum collineabant ſingultus almæ Matris Noſtræ Thereſiæ iam citatæ, dum dicebat:

Ay! que larga es eſta vida:
Que duros eſtos deſtierros!
Eſta carcel, y eſtos hierros,
En que eſtà el alma metida!
Solo eſperar la ſalida
Me cauſa vn dolor tan fiero,
Que muero por que no muero.

Acaba ya de dexarme
Vida, no me ſeas moleſta:
Porque muriendo, què reſta,
Sino vivir, y gozarme?
No dexes de conſolarme
Muerte, que à ſi te requiero,
Que muero porque no muero.

Verùm in re adeò per via immorandum non eſt. Conſtat ergo ex dictis minorem propoſiti Syllogiſmi veram eſſe.

6. Confirmatur ratio facta: etenim actio eſt vita activi, ſeu vitam activam exercentis: ergo ſic contemplatio eſt vita contemplativi. Antecedens eſt certum, conſtatque ex laudato Divo Thoma: & conſequentia patet ex paritate ipſa: quia eodem modo ſe habet contemplatio ad contemplativum, ſicut ſe habet actio ad exercentem vitam activam. Vnde ſi actio eſt vita huius, pariter contemplatio erit vita contem-

pla-

plativi. Vtramque facti enthymematis propositionem docuit citatus Divus Thomas, vbi postquam pro maiori propositione posuit id, quod iam ex ipso retulimus, videlicet, quòd *vnumquodque vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maximè propria, ad quam maximè inclinatur.* Sub hac vniversali posuit, *sed quidam homines præcipuè intendunt contemplationi veritatis, quidam intendunt principaliter exterioribus actionibus*: Ergo seu, *inde est, quòd vita hominis convenienter dividitur per activam, & contemplativam.* Quibus verbis vtramque nostram propositionem veram esse, docet.

§. II. *Solvuntur obiecta.*

7. COntra nostram conclusionem arguitur primò. *Vivere viventibus est esse* ex Arist. 2. de anima, text. 37. Sed contemplatio non est *esse* contemplativo: ergo, nec vivere. Cætera nota sunt, & minor inde patet. Quia *esse* præsupponitur ad operationem; non enim posset contemplativus actum contemplationis elicere, nisi supponeretur *esse* ipsius; quod quidem omni causæ efficienti commune est.

Resp. ex Divo Thoma citato, qui ad primum sic ait: *Vivere dicitur esse viventium ex eò, quòd viventia per hoc, quod habent esse per suam formam, tali modo operantur.* Et dicere: quòd *vivere* viventium causatur ab eorum *esse*. Vnde *esse* est, non formaliter, sed causaliter, vivere viventibus. Quo circa cùm contemplatio causetur â formâ constituente, ac tribuente *esse* contemplativo; propterea verificatur de illa dictum illud Philosophi.

Adde primò, quòd si dictum Philosophi accipiatur de *esse* non substantiali, sed de accidentali, & loquamur de nostra contemplatione: ipsa planè est *esse* existentiale; quia est intellectio, quæ in ordine intelligibili existentia est. Vt docent Salmanticenses tract. 3. disp. 2. num. 105. & tract. 4. disp. 1. num. 21. Adde secundò nos non loqui de contemplativo, vt ens est, sed de ipso, vt homo operans est, qui prout sic sua operatione vivit, & est. Vnde tametsi in esse entis præsupponatur cum suo esse; in esse tamen operantis constituitur per operationem.

8. Dices: Contemplativus nullatenus constituitur in esse talis per contemplationem: ergo data solutio non tenet. Probatur antecedens 1. quia contemplativus constituitur per id, quo ablato perit contemplativus, & quo posito, ponitur: sed posita contemplatione, non ideò ponitur contemplativus; nec ablata aufertur: ergo, &c. Probatur minor pro prima parte: quia, vt multoties diximus, non rarò meditativi, seu incipientes habent contemplationem: sed licèt isti exerceant contemplationem, non sunt contemplativi; cùm eorum exercitium meditatio sit: ergo. Probatur pro secunda parte ipsa minor: quia contemplativus dicit statum firmum, seu permanentem; contemplatio autem est actus fluidus, qui citò evanescit: ergo pereunte contemplatione, non perit contemplativus. Ex his, *Probatur* secundò antecedens: quia inter constitutivum, & constitutum debet dari proportio: sed inter contemplativum, & contemplationem nulla proportio datur; siquidem hæc res labilis, citòque fluens est; ille verò est permanens, ac stabilis: ergo. *Probatur* tertiò: contemplans dicitur à contemplatione: ergo ab ea non dicitur contemplativus. Certum est antecedens, & consequentia probatur: quia ab eodem nequeunt res differentes constitui: ergo cùm contemplans diversum quid sit à contemplativo; si contemplans dicitur à contemplatione, nequit ab eadem dici contemplativus.

Vt hæc, aliaque plura, quæ contra dicta vrgeri possùnt, solvas, scire debes primò, contemplationem posse sumi vel signatè, vel exercitè. Contemplatio exercitè dicit ipsum actum contemplationis à contemplante elicitum, qui sanè non est actus quoad speciem præcisè sumptum; sic enim à parte rei poni non potest; sed est hic numero actus in individuo. Contempla-

tio ſignatè ſumpta dicit contemplationem præſcindentem ab individuationibus ipſius: qualiter eſt terminus habitudinis, quam contemplativus ad ipſam dicit, ſicut generaliter operativum reſpicit operationem. ¶ Scias ſecundò, ex dictis alibi: contemplationem poſſe ſumi vel materialiter, vel formaliter: formaliter accepta dicit ſe ipſam, vt conſtitutivam ſtatus: materialiter dicit ſe ipſam, non vt conſtitutivam ſtatus; ſed aliàs, hoc eſt, vt præciſè dicit, quòd ſit ſimplex intuitus divinæ veritatis. Quibus præmiſsis

Reſp. ad objectionem: diſtinguendo antecedens: *Per contemplationem* exercitam, concedo: ſignatam, nego antecedens. Termini patent ex dictis. Ad primam probationem diſtinguatur minor. Quæ ſi loquatur de contemplatione exercita, & non conſtitutiva ſtatus, concedimus, quòd poſita contemplatione hac, non ideò ponitur contemplativus; nec aufertur, ablata exercita contemplatione. Aſt, ſi loquatur de contemplatione ſignata, & ſtatus conſtitutiva, negamus, quòd ea poſita, vel ablata, non pariter ponatur, & auferatur contemplativus. Per quod patet ad probationem minoris pro vtraque parte: ſiquidem ex vna parte contemplatio illa, quam incipientes habere ſolent, non eſt ſtatus conſtitutiva: & ex alia contemplatio ſignatè ſumpta ſemper permanet terminans habitudinem contemplativi: quamvis ipſa contemplatio exercita fluat.

Per quæ patet ad ſecundam probationem antecedentis. Siquidem contemplatio ſignatè accepta non eſt res fluida, ſed adeò ſtabilis, vt poſsit contemplativi habitudinem terminare, & proportionem cum illo dicere. *Ad vltimam* probationem dicas: contemplantem dici à contemplatione exercita: contemplativus verò à contemplatione ſignata. Vnde adeſt ſufficiens fundamentum, vt eadem contemplatio diverſis illis modis conſiderata, poſsit conſtituere illa, eo modo differentia, conſtituta.

9. Inſtas: ſi dicta vera ſunt, eſt quia ſunt propria cuiuſcumque operationis, etiam ſi contemplatio divina non ſit; immò nec intellectio: commune eſt enim cuicũque operativo reſpicere modo dicto operationem: ſed modò loquimur de contemplatione divina, & ſi ea, quæ ex noſtro Extatico Doctore diximus, conſideremur, non conveniunt cuivis divinæ contemplationi, ſed perfectiſsimæ; vt verba intuens agnoſcet. Ergo data doctrina non eſt pro re præſenti idonea.

Reſpondetur: verum eſſe, quòd contemplatio ex communi conceptu operationis ſe moventis habet rationem vitæ: quippè huius officium eſt moveri à ſe. Et hoc à principio huius controverſiæ faſsi ſumus, dum ante ipſius reſolutionem diximus, conceptum vitæ convenire contemplationi divinæ *ex conceptu ipſam contemplationem philoſophicam comprehendenti.* Vnde doctrinæ omni operationi vitali communes, propriæ ſunt ad firmandum ea, quæ ex illo generali conceptu conveniunt divinæ contemplationi. Præ oculis autem habere debes ex ijs, quæ infra dicemus: quòd vita, de qua modò nobis ſermo eſt, eſt *vita humana ordinata, quia de inordinata non intendimus*, ait Divus Thomas in 3. d. 35. q. 1. art. 1. Hæc autem *vita humana ordinata* adæquatè dividitur in contemplativam, & activam, vt iam videbimus. Quo circà in præſenti affirmamus, conceptum vitæ humanæ ordinatæ inveniri in contemplatione divina, quod aliquis dubitare poſſet propter dicta, dicendaque. Aſt hæc *vita humana ordinata* dividitur in naturalem, & ſupernaturalem: naturalis convenit contemplationi naturali, ſive Philoſophica ſit, ſive Evangelica; ſupernaturalis convenit contemplationi ſupernaturali: & quo hæc contemplatio ſupernaturalis perfectior eſt, eo perfectiùs vitæ rationem habet. Extaticus Noſter Doctor à nobis adductus loquitur de perfectiſsima illa contemplatione, quæ animam cum Deo perfectiſsimè vnit: Vnde perfectiſsimam vitam eſſe docet.

Hoc

Hoc tamen non eſt aſſerere, ſolam illam perfectiſsimam contemplationem eſſe vitam; ſed quòd ratio vitæ, quæ communis eſt omni contemplationi, ibi perfectiùs, felitiùſque reperitur. Per quod & noſtræ doctrinæ ratio redditur, & objectio facta diſsipatur.

10. Arg. ſecundò: vita importat motum: ſed contemplatio motum excludit; ergo contemplatio non eſt vita. Conſequentia bona eſt, & maior eſt Divi Dionyſij cap. 4. de div. nomin. minor autem probatur ex illo ſapientiæ 8. vbi dicitur: *Intrans in domum meam conquieſcam cum illa*, ſcilicet divina ſapientia ſeu contemplatione: in ſuper probatur ex illo Pſal. *Vacate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Quapropter Sancti, & Myſtæ *otium* appellant contemplationem, vt in ſuperioribus dictum eſt; Immò & Ariſt. lib. 10. Ethicor. cap. 8. Contemplationem dicit vacationem: ergo contemplatio excludit motum.

Reſp. Contemplationem eſſe quietiſsimum ſuaviſsimumque intuitum: quod datis authoritatibus, alijsque, quas paſsim Myſtici offerunt, comprobatur: ſed etiam habet rationem motus; æquivocè tamen, prout motus eſt actus perfecti, vt ait Philoſophus in 3. de anima, de quo agunt noſtri Complutenſes lib. Phyſicor. Vnde contemplatio etiam iuxta phyſicam facultatem motus eſt, quin per hoc quies ſua perturbetur. Quieti enim opponitur motus exterior; eoque repugnat, quòd quis quieſcat, & ſimul hoc genere motus moveatur. Aſt motus, qui eſt actus perfecti cum quiete divinæ contemplationis, adhuc phyſicè loquendo non pugnat. Quamobrem in noſtra Iſagoge contemplationem diviſimus cum Divo Dionyſio cap. 4. de divin. nomin. per tres illos motus rectum, obliquum, & circularem. Quòd ſi de ipſa contemplatione myſticè loquamur, eſt motus activiſsimus, quo exul anima ad vnionem abſolutè, & ſimpliciter; vel ad perfectiorem vnionem cum Deo tendit. In quo motu omnem ſuam quietem, quoad exilium durat, reperit. Tam longè abeſt, vt quies hæc, motuſque inter ſe pugnent; quod potiùs ab eadem radice pullulantes fraternali vinculo fœderentur.

Egregiè rem iſtam aperit inſignis contemplator regius Pſaltes dicens Pſal. 54. v. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Quaſi dicat, ait graviſsimus Leblanc, alas columbæ habeam, volabo, & in ipſo volatu delectationem meam, ac requiem collocabo. Ad Deum ferar, donec vivam, & ad eum volans gaudebo: diſtabit quidem ſemper à me, cùm ſit infinitæ perfectionis: itaque ſemper reſtabit volare. Sed nè deſperem, aut langueſcam, ipſum volare erit in Deo quieſcere. Hactenus doctus iſte. Vides, quomodò in ipſo volatu, ſeu motu contemplationis omnem ſuam quietem collocet contemplativus? De illo videtur dictum illud Deuteronomij cap. 33. v. 12. videlicet: *Amantiſsimus Domini habitabit confidenter in eo*: (in Deo ſcilicet) *quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Vnde dum audis motum contemplationis, quietem maximam ab ea non excludas; ac dum audis contemplationis quietem, non intelligas otioſitatem inertem; ſed quietam activitatem, qualem Dionyſius Carthuſianus in epiſt. 2. ad Corinth. cap. 5. v. 4. deſcribit hiſce verbis: *Mens æſtuantiſſimo charitatis ardore ſuccenſa Deo coniungitur per contemplationem theoricam, & vnitivam. Innititur enim Deo tanquam incomprehenſibili: & incarnatæ veritati infigitur, ſuper eſſentiali Deitati, & ſuper beatiſſimæ Trinitati tam radioſè, amoroſè, & proximè copulatur, quòd nihil aliud advertit, nec proprium actum attendit, ſed defluit à ſe ipſa, atque in proprium refluit fontem, amoris immenſi igne comburitur, in Deitatis abyſſum profunditur, vt videatur quodammodo eſſe creatum exuere, & increatum, idealeque eſſe induere.*

11. Nec dicas: traditam doctrinam eſſe contra id, quod Pſalm. 61. contemplativus ait: *Non nè Deo ſubiecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalu-*

tare meum; nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus non movebor amplius. Vbi ſe motum non admiſſurum, pollicetur. *Verùm* ibi ſermo eſt, non de motu, de quo loquimur, ſed de motu contra Deum, vt explicat Seraphicus Noſter Doctor in ſua Egloga Cant. 19. in fine.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrùm vita contemplativa ex æquo diverſa ſit ab activa?

AD plenam notitiam contemplationis, ſeu vitæ contemplativæ habendam conducens affatim iudicamus, cire quomodò ab activa diſtinguatur. Diſtinctionem inter illas dari certiſsimum eſt: quo circa ſupervacaneum eſt, hoc ad examen vocare. Vnde inquirimus, an ſimpliciter, & ex æquo diſtinguantur: ita vt vita contemplativa ſit ſimpliciter alia ab activa?

§. 1. *Poſt non nullas obſervationes dirimitur controverſia.*

12. OBſervandum eſt primò, præ oculiſque habendum id, quod docet Divus Thomas 2. 2. quæſt. 181. art. 1. in corp. hiſce verbis: *Vita activa, & contemplativa diſtinguuntur ſecundùm diverſa ſtudia hominum intendentium ad diverſos fines, quorum unum eſt conſideratio veritatis, quæ eſt finis vitæ contemplativæ: aliud autem eſt exterior operatio, ad quam ordinatur vita activa.* Ex quibus duo habes: primum eſt, quòd idem actus poteſt eſſe vita activa, ſeu contemplativa, ſecundùm quod per ſtudium hominis in diverſos fines referri poteſt. Quandoquidem ſi homo referat illum actum ad conſiderationem veritatis, erit vtique vita contemplativa, ſeu ad illam pertinebit: aſt ſi illum referat ad operationem exteriorem, ad vitam activam ſpectabit. Secundum, quòd ex dictis habes, eſt, quòd hic, aut alius actus in individuo vitam non conſtituit; ſed ſtudium ad ipſos actus, vnde poteſt quis, ac de facto ſine aliqua operatione ſpectat ad vnam ex duplici vita dicta. Immò quis exercens opus vitæ activæ pertinet ad vitam contemplativam, & è contra. Ratioque ea eſt, quòd vita non per actum, ſed per ſtudiũ conſtituitur, de quo multoties locuturi ſumus.

13. Obſerva ſecundò diverſitatem inter vitam activam, & contemplativam penſandam eſſe ex fine. Finis humanæ vitæ eſt duplex, ſicut & duplex eſt intellectus, nempè ſpeculativus, & practicus. Differentia autem, quæ adeſt inter intellectum practicum, & ſpeculativum aſsignatur à noſtris Complutenſ. abbrev. 3. de anima, diſp. 18. quæſt. 2. ex Divo Thoma 1. p. q. 79. art. 11. in corp. dicente: *Intellectus ſpeculativus eſt, qui, quod apprehendit, non ordinat ad opus; ſed ad ſolam veritatis conſiderationem: practicus verò intellectus dicitur, qui hoc, quod apprehendit, ordinat ad opus.* Quia que docente eodem Angelico Magiſtro, 2. 2. q. 179. art. 1. ad 2. *eadem eſt diviſio intellectus, & vitæ humanæ;* propterea ſicut idem intellectus per illam ordinationem, vel non ordinationem ad opus eſt ſpeculativus, vel practicus: ſic eadem operatio eſt practica, vel ſpeculativa ſecundùm finem, in quem dirigitur. Vnde operatio intellectus ſpeculativi pertinet ad vitam contemplativam: operatio verò intellectus practici attinet ad vitam activam. Et hoc intelligitur ex natura ſua, & non ex libito operantis: nam aliud eſt, quòd operans poſsit hanc operationem in hunc, vel in alium finem ordinare; aliud verò quòd poſsit facere, quod operatio inſiſtens contemplatio-

ni

ni veritatis, non ſit contemplatio. Primum quidem eſt verum, vt mòx ampliùs declarabimus: ſecundum verò eſt falſum, quia ſpeculatio veritatis ex natura ſua pertinet ad vitam contemplativam, ſicut & actio exterior ad activam: quamquàm non negemus, poſſe ipſam veritatis ſpeculationem referri ad vitam activam, vt ſiquis facultati logicali inſudet, vt ita expeditiùs valeat ignorantes erudire: ac ſimiliter fatemur, poſſe actionem in vitam contemplativam ordinari, vt cùm quis in ſuis paſsionibus morigerandis vigilat, nè otium contemplationis perturbent. Hic tamen eſt finis operantis, non operis. Quæ diximus propter illam ſingularem Philoſophiam, quam in P. Vaſq. P. P. Complutenſes improbavere in ſua Logica diſput. 1. q. 6. num. 67. volente Logicam eſſe ſimpliciter practicam, quia ab illam habente in finem practicum poteſt dirigi.

14. Obſerva tertiò doctrinam D. Thomæ loco citato ex 2. 2. q. 180. art. 4. in fine corporis dicentis: *Sic ergo expræmiſſis patet, quòd ordine quodam quatuor ad vitam contemplativam pertinent. Primò quidem virtutes morales: ſecundò autem alij actus præter contemplationem. Tertiò verò contemplatio divinorum effectuum: quartum verò contemplativum eſt ipſa contemplatio divinæ veritatis.* In quibus verbis quidquid ad vitam contemplativam pertinet (eſtque hæc notitia pro re præſenti, alijſque, ſummè neceſſaria) continetur. Igitur ad vitam contemplativam alia pertinent diſpoſitivè, & prævie; alia verò formaliter conſtitutivè. Conſtitutivè, & formaliter pertinet ipſe actus contemplationis veritatis divinæ, & nullus alius, cuius rationem tradidit Angelicus ipſe Doctor articulo præcedenti in argum. *ſed contra.* ſic diſputans: *Sed contra eſt, quòd vita hic dicitur operatio, cui homo principaliter intendit: ergo ſi plures ſunt operationes vitæ contemplativæ, non erit vna vita contemplativa, ſed plures.* Rem totam angelicè confecit efficax hæc argumentatio, ex qua habemus, in vnico ſolummodò actu, ſcilicet, in contemplatione veritatis divinæ vitæ contemplativæ quidditatem ſitam eſſe.

Quia verò contemplatio hæc eſt actus intellectus hominis rebelles impetus carnis, anhelantis contra ſpiritum, ſuſtinentis: propterea requiruntur plura, vt diſpoſitiones ad talem contemplationis actum, quæ, vt de ſe patet, etiam ad vitam contemplativam ſpectant, diſpoſitivè tamen. Ad ſedandum iurgium illud partis inferioris contra ſpiritum, vt poteſt in hoc exilio ſedari, prærequiruntur ad contemplationem virtutes morales, quarum eſt animi paſsiones frænare, nè quietem contemplationis exturbent: & ob eandem rationem quietant exteriorum occupationum tumultus à quibus etiam contemplatio impeditur. Ita Divus Thomas, q. citata, art. 2. in corp. vbi ait: *Diſpoſitivè autem ad vitam contemplativam virtutes morales pertinent: impeditur enim actus contemplationis, in quo eſſentialiter conſiſtit vita contemplativa, & per vehementiam paſſionum, per quam abſtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad ſenſibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam paſſionum, & ſedant exteriorum occupationum tumultus, & ideò virtutes morales diſpoſitivè ad vitam contemplativam pertinent.* Vbi obitèr notare debes in confirmationem eorum, quæ numero præcedenti diximus, quòd virtutes morales, quæ ex natura ſua pertinent formaliter ad vitam activam ex Ariſtotele lib. 10. Ethic. cap. 7. & 8. vbi ait, illas pertinere ad felicitatem activam, non autem ad contemplativam: hæ ipſæ virtutes per modum removentis ſpectant ad felicitatem contemplativam.

Et ipſe Doctor Angelicus, qui modò, vt vidimus, dixit, virtutes morales pertinere ad vitam contemplativam; poſteà quæſtione ſequenti art. 1. docet, quòd *virtutes morales pertinent eſſentialiter ad vitam activam.* Vbi per ly *eſſentialiter* huius authoritatis, & per ly *diſpoſitivè* præcedentis auſer-

tur contradictio, quam minùs prespicax posset imaginari, quam etiam ipse Doctor Sanctus clariùs disipat ad tertium argumentum respondens, vbi Caietanus hæc habet: *In responsione ad tertium eiusdem articuli sufficit, quòd memor sis distinguere inter finem virtutum moralium secundùm se, vel ex parte operantis, & subsumere, quod ex parte operantes finis virtutis moralis quandoque est vita activa, quandoque contemplativa. Secundùm se autem ita vita activa est finis virtutis moralis, quòd relinquit ipsam moralem virtutem esse dispositionem respectu vitæ contemplativæ. Non enim incongruit idem esse substantiale in vno, & dispositionem respectu alterius: sicut dicimus, quòd bonitas moralis est ita perfectio hominis, quòd est dispositio ad bonitatem meritorum, & hanc responsionem tangit author in calce tertij argumenti.*

15. Vidimus quid dispositivè pertineat ad contemplationem, quatenus hæc habet impedientia, vel retardantia; superest, vt videamus secundum, quod ad ipsam disponit; atque adeò dispositivè tantùm pertinet ad vitam contemplativam. Hoc iuxta Divum Thomam initio numeri præcedentis, sunt alij actus, vt plurimum, intellectuales: Hi actus sunt oratio, lectio, meditatio, cogitatio, speculatio, consideratio, auditio, huiusceemodique alij, quorum nullus contemplatio est; omnes tamen illi disponunt ad contemplationem. Quod vt probè calleas, memento illius magnæ differentiæ, quæ quantàm ad prælens adest inter hominem, & Angelum, quam docet Divus Dionysius cap. 7. de Divin. nominib. & ex eo Divus Thomas art. 3. quæst. citatæ 180. quæ differentia consistit in eo, quòd *Angelus simplici apprehẽsione veritatem intuetur.* Vnde sicut non prærequirit contemplatio Angelica virtutes morales sedantes passiones, exterioresque tumultus; quia talia in Angelo non dantur: ita non prærequirit, quòd præcedant alij actus disponentes, seu manuducentes in cognitionem veritatis contemplandæ; simplici enim apprehensione illam cognoscit. Homo autem non potest sic veritatem intueri; sed multo labore, & sudore plurimo veritatem, quam contemplatur, explorat. Et omnes illi actus, qui ad sic inveniendam veritatem necessarij sunt, disponunt ad ipsam contemplationem.

Isti autem actus sunt in multiplici differentia: nam alij pertinent ad acceptionem principiorum: si namque in homine non præcedat hæc principiorum acceptio, nullatenus potest veritatem in illis principijs contentam, intueri. Alij verò actus deserviunt ad deducendam veritatem, quæ inquiritur, ex ipsis principijs, quorum acceptio præsupponitur: est enim adeò limitata mentis humanæ acies, vt etiam si principia habeat, & in ipsis principijs adsit veritas; est tamen adhuc illi prorsus abscondita: vnde opus illi est inquirere id ipsum, quod in se reapsè habet. Et ad hoc vtitur discursibus, quibus veritas illa è vulua talium principiorum educitur, & illam iam sic eductam contemplatur. Ac per hoc patet, quòd isti actus, tametsi actus intellectus sint, non sunt contemplatio, sed ad contemplationem dispositio: quandoquidem eorum nullus est simplex intuitus veritatis, vt patet in discursu, qui sanè non est veritatis intuitio, sed inquisitio. Vt autem ad aliquos actus, qui ad contemplationem disponunt, recta methodo descendamus, advertere vltra dicta debes: hominem dupliciter pervenire in veritatis cognitionem, primò ex ijs, quæ habet ab alio, qui *alius* potest esse vel Deus, vel homo. Secundò proprio studio ac labore. Ex his ergo iam quare dicti actus ad contemplationem disponant, dicere non est arduum.

Etenim si inspiciatur indigentia, quam homo habet, vt ab alio accipiat, quod optat, videlicet veritatis inventionem: si ille alius est Deus, à quo *est omne datum optimum, & omne donum perfectum*, prærequiritur oratio secundùm illud Sapient. 7. *Invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ.* Si autem ille alius sit homo, tunc vel tradit veri-

veritatem verbo, vel ſcripto. Si primum, requiritur auditio, ſi ſecundum, requiritur lectio. Quòd ſi veritatem inquirens vtitur proprio ſtudio, ac labore, tunc datur meditatio, quæ in inquirenda veritate diſcurrit: quarè ait Richardus libro de contemplatione, cap. 3. quòd meditatio eſt *intuitus animi in veritatis inquiſitione occupatus.* Ad idem proprium ſtudium ſpectat cogitatio, quæ iuxta datum Richardi, *eſt animi reſpectus ad evagationem pronus.* Vnde cogitatio non parum moleſta eſt contemplativis, vt teſtatur expertiſsima Mater Noſtra Diva Thereſia; diſponit tamen ad contemplationem, quatenus, teſte eodem Richardo cap. 4. pertinere videtur ad multorum inſpectionem, ex quibus aliquis colligere intendit vnam ſimplicem veritatem. *Vnde*, infert Sanctus Thomas art. 3. *ſub cogitatione comprehendi poſſunt & perceptiones ſenſuum ad cognoſcendum aliquos effectus, & imaginationes, & diſcurſus rationis circa diverſa ſigna; vel quæcumque perducentia in cognitionem veritatis intentæ.* Et ad idem deſervit ille alius actus, qui dicitur conſideratio, vt inibi docet idem Angelicus Doctor, qui eodem articulo ad 2. docet, ſpeculationem ad meditationem pertinere. Vnde habes, omnes actus aſsignatos diſponere ad contemplationem, & modum, quo vnuſquiſque diſponit. Et etiam habes vitam contemplativam, quantùm ad præſentem materiam deſervire poteſt, explicatam.

16. Reſtat, vt idem de vita activa faciamus; breviter tamen, tum quia non eſt inſtituti noſtri, niſi quatenus deſervit ad vitam contemplativam perfectiùs cognoſcendam. Tum etiam, quia non tam multa requirit, vt eius cognitio habeatur. Igitur ex D. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. *Activa vita conſiſtit in omnibus agibilibus, ſivè ſint ad ſeipſum, ſivè ad alium, ſed principaliter conſiſtit in his, quæ ad alium ſunt: quia bonum multorum ſecundùm Philoſophum in 5. Ethicor. dicitur eſſe pulcherrimum virtutum.* Vnde ad vitam activam pertinent omnes illi actus, quorum finis non eſt veritatis cognitio, ſed opus. Quo circa ſpectant ad ipſam eſſentialiter omnes actus omnium virtutum moralium, non ſolùm exteriores; ſed etiam interiores, quibus homo ſtudet ipſis virtutibus. Pariter pertinet ad hanc vitam mortificatio paſsionum, & ſenſuum, tum externorum, tum internorum. Circa quod videre poteris D. Thomam locis citatis, & ſcholam Orationis, tract. 8. & communiter Doctores Myſticos. Nos ergo ex præmiſsis gradum facimus ad reſolutionem dubij propoſiti.

17. Sit noſtra concluſio: *Vita contemplativa eſt ſimpliciter, & ex æquo diverſa à vita activa.* Sic Divus Thomas locis citatis, & aſſertum hoc eſt apud omnes certiſsimum: probatur ergo ſic: Vita contemplativa habet finem ſimpliciter diverſum à fine vitæ activæ: ergo eſt ſimpliciter ab illa diverſa. Antecedens conſtat ex dictis num. 13. vbi obſervavimus, finem vitæ contemplativæ eſſe veritatis cognitionem; finem verò vitæ activæ eſſe operationem: qui fines omnino diverſi ſunt. Deinde probatur conſequentia. Vitæ habentes fines ſimpliciter diverſos ſunt diverſæ ſimpliciter: ergo ſi vita contemplativa, & activa habent fines ſimpliciter diverſos, diverſæ ſimpliciter ſunt. Antecedens probatur paritate ſcientiæ ſpeculativæ, & practicæ, quæ diverſæ abs dubio ſunt ob fines diverſos, quos reſpiciunt: quia, videlicet, ſcientia ſpeculativa reſpicit veritatem, vt illam cognoſcat; practica verò opus tamquàm finem reſpicit.

18. Probatur ſecundò concluſio: Vita contemplativa, & activa realiter ſeparantur: ergo adinvicem, & ex æquo diſtinguuntur. Cõſequentia conſtat; quia ſeparatio realis eſt ſignum evidens diſtinctionis realis. Antecedens autem probatur primò: Quia in patria durabit quidem vita contemplativa; ſed activa neutiquam permanebit. Sic docet Divus Thomas loco citato ex 2. 2. quæſt. 181. art. 4. vbi in

argum. *Sed contra* ait ex D. Gregorio: *Sed contra eſt, quod dicit Gregorius ſuper Ezechielem cum præſenti ſæculo vita aufertur activa: contemplativa autem hic incipitur, vt in cæleſti patria perficiatur.* Cuius rationem tradit ipſe Doctor Angelicus in corpore, ſimulque tacitam obiectionem ſolvit, dicens: *Reſp. dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, vita activa habet finem in exterioribus actibus, qui ſi referantur ad quietem contemplationis, iam pertinent ad vitam contemplativam. In futura autem vita Beatorum ceſſabit occupatio exteriorum actuum: & ſi qui actus exteriores ſint, referentur ad finem contemplationis.* Ergo vita contemplativa, & activa realiter, ac in æternum ſeparantur.

Probatur ſecundò illud antecedens: Quia adhuc in hac vita, vbi certè datur vita activa, invenitur realiter à contemplativa ſeparata: ergo tenet antecedens principale. Probatur hoc: Quia adhuc in hac vita, vita activa ſignificatur per Martham, & contemplativa per Mariam, quæ Dominum hoſpitio exceperunt, vtî docent Divus Auguſtinus, Divus Gregorius, & Divus Thomas, quia Martha, ita Domino famulabatur, vt tota occupata eſſet circa frequens miniſterium, nihil de quiete contemplationis habens: Maria verò ita Dominum in ſua domo excipiebat, vt ſedens ſecus pedes eius nihil aliud faceret niſi audire verbum illius: ergo inter has duas ſorores ita diviſa, ac ſeparata erat vita contemplativa ab activa, quòd in Maria hæc non inveniebatur, nec illa in Martha.

Probavimus antecedens principale, iam à diverſitate ſtatuum exilij, & patriæ, iam à diverſitate ſubiectorum, in quibus, adhuc in hac vita, vtraque illa diviſa reperitur. Modò verò abſolutè, & à priori probatur antecedens, animadvertendo priùs, quòd loquimur de eo, quod frequenter evenit; non autem de eo, quod in animabus perfectiſsimis evenire ſolet, de quo eſt ſua difficultas, & quidem non levis, poſt modum diſcutienda: an, ſcilicet, in ijs, qui ſummè perfecti ſunt, dentur ſimul vita activa, & contemplativa? Modò autem loquimur abſolutè, & ſub hac conſideratione probatur ſic antecedens: Quia contemplativus ille eſt, qui principaliter occupatur in contemplatione veritatis; & activus, qui principaliter intendit exterioribus actionibus: ſed non poteſt idem principaliter exterioribus actionibus ſtudere, & in veritatis contemplatione principaliter occupari: ergo, non poteſt idem eſſe ſimul activus, & contemplativus. Ergo vita activa, & contemplativa ſeparatæ realiter ſunt. Secunda conſequentia conſtat ex prima, quam præmiſſæ inferunt. Maior eſt Divi Thomæ verbis, quæ dedimus num. 6. ſuntque iſta: *Quia ergo quidam homines præcipuè intendunt contemplationi veritatis, quidam intendunt principaliter exterioribus actionibus; inde eſt, quòd vita hominis convenienter dividitur per activam, & contemplativam.* Minor autem probatur; nam occupari principaliter in contemplatione veritatis, eſt, vel nullatenus, vel minùs principaliter, occupari in actionibus exterioribus: ergo non poteſt idem ſimul in vtroque occupari principaliter. Conſequentia eſt innegabilis, & antecedens notum eſt de ſe: quia quævis ex illis partibus trahit ſecum negationem alterius. Vnde licet poſsit quis occupari in vno, & non in alio; vel in vno principalitèr, & minùs in alio: Cæterum, quòd ſimul occupetur principalitèr in vtroque, res eſt contradictionem involuens, vt minùs de ijs, quæ communiter accidunt, loquentes: ſicut implicat, quòd Petrus currat ſimul velocitèr, & non velociter. Hæc eſt doctrina Divi Thomæ in 3. d. 35. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. vbi ait: *Ad primum igitur dicendum, quòd ad diverſa poteſt homo principaliter intendere diverſis temporibus, quamvis non ſimul.*

19. Confirmatur ratio facta: etenim, vt conſtat ex data authoritate Div. Thomæ, & ex hactenus dictis, vita humana dividitur in activam, & contemplativam: eæ iſtæ diſtinguuntur, ac ſeparan-

parantur. Probatur consequentia: nam in omni bona divisione membra dividentia debent se ad invicem excludere: ergo vita contemplativa excludit activam, & è contra. Omnia asserta, quæ in hac disputatione proponemus, sunt huius veritatis probationes, quamobrem nihil super hoc addentes, ad argumentorum solutionem properamus.

§. II. *Respondetur argumentis.*

20. CONtra conclusionem arguitur primò: Quia docere alios est ex se simul actus vitæ activæ, & contemplativæ: ergo vita activa, & contemplativa sunt idem. Patet ista; quia si sic non esset, non posset idem actus vtrique vitæ ex se correspondere. Antecedens autem pro prima parte probatur ex Divo Gregorio homil. 14. in Ezech. vbi ait: *Activa vita est panem esurienti tribuere, verba sapientiæ nescienti docere.* Vbi eodem modo loquitur de distributione doctrinæ, ac de distributione panis: sed hoc ex se pertinet ad vitam activam: ergo, & illud. *Accedit*, quòd nescientem docere est opus misericordiæ: & quòd omnia opera misericordiæ attineant ex se ad vitam activam, certum est, & constat ex dictis. Probatur idem antecedens pro secunda parte, in qua dicitur, quòd *docere* pertinet ad vitam contemplativam: quia ad eandem vitam pertinet actus, & habitus talem actum eliciens: sed sapientia, & scientia, quæ sunt habitus, quorum actus est *docere*, pertinent ad vitam contemplativam: ergo, & ipsum *docere* ad vitam contemplativam spectat.

21. Confirmatur: Consideratio peccatorum, quæ quis commisit, pertinet ad vitam activam, vt non obscurè colligitur ex supra dictis: sed hæc consideratio est propria vitæ contemplativæ: ergo hæ vitæ non differunt. Minor, in qua poterat esse diffidium, probatur ex Divo Bernardo, qui lib. 5. de consideratione ait, esse secundam speciem contemplationis, cùm quis iudicia Dei, & peccata sua recogitat: ergo vera est illa minor.

Respondetur argumento negando antecedēs pro secūda parte: *docere* enim est opus misericordiæ, vt dictum est, atque adeò spectat ad vitam activam. Ad probationem dicas: actum sapientis, & scientis esse *sapere, & scire*, qui actus, si dirigatur ad contemplationem veritatis, & ad percipiendum delectationem inde resultantem, est actus vitæ contemplativæ: si autem referatur ad docendum, erit actus vitæ activæ. Vnde sapientia, quæ sapientem constituit, eodem modo pertinet ad vitam activam, vel contemplativam. Videatur D. Thom. in 3. d. 31. q. 1. art. 3. q. 1. ad 3. quòd si vim facias in eo, quòd in dicta solutione non tam attenditur finis operis, quàm operantis iuxta superiùs dicta. Ideò

Respondetur secundò cum eodem Angelico Doctore ibidem dicente: *Ad tertium dicendum, quòd doctrina est duplex, quædam, quæ ad cognitionem veritatis tantùm ordinatur, (hæc est doctrina ex se speculativa) & hæc, quamvis ad alterum sit, limites tamen vitæ contemplativæ non exit. Est autem quædam doctrina, quæ (ex se) ordinatur ad persuadendum bonos mores, quæ prædicatio dicitur: & hæc ad vitam activam pertinet. Vnde Gregorius ait: qui ad laborem prædicationis se dirigit, minùs videt, & ampliùs parit: & sic significatur per Liam, quæ erat fœcunda, & lippis oculis.*

Ad confirmationem, respondet ipse Sanctus quæstiunc. 2. *Ad 3. dicendum, quòd præteritum iam transit in necessarium: vnde consideratio præteritorum peccatorum, magis ad contemplationem, quàm ad practicam pertinet.* Est dicere: quòd quia consideratio est actus ex se disponens ad contemplationem, prout vidimus num. 15. si hic actus respiciat obiectum necessarium, quale est peccatum præteritum, quod iam in necessarium transivit: Iam tunc ex omni parte spectat consideratio hæc ad vitam contemplativam. Pertinet ex se; quia hæc est natura ipsius, vt dictum

ctum eſt. Pertinet ex obiecto conſiderato; quia ex ipſius conſideratione conſiderans dolet, conteritur, & in contemplationem Domini miſerantis conſurgit. Per quod non negamus, quòd mortificatio appetitus, quæ ex illa conſideratione reſultat, nè accumulentur peccata, ad vitam activam aliquo modo pertinere illam ipſam conſiderationem, ſuadet. Quod emphaticè innuit Sanct. Thom. data authoritate, dum dixit, quòd *magis* pertinet dicta conſideratio *ad contemplationem, quàm ad practicam.*

22. Argu. 2. Ipſa divina contemplatio ſpectat ad vitam activam: ergo hæc non eſt ex æquo diſtincta à vita contemplativa. Patet iſta: Quia ſi diverſæ forent, non poſſet contemplatio, quæ eſt vitæ contemplativæ conſtitutiva, ad vitam activam ſpectare. Antecedens autem probatur: Contemplatio eſt actus intellectus practici: ergo attinet ad vitam activam. Conſeq. ex dictis nota eſt. Probatur antecedens. Intellectus dum elicit divinam contemplationem extenditur ad voluntatem, quam inflammat, & à qua ipſa contemplatio ortum ducit, vt multoties dixit nobis Div. Thom. aſſerens, quòd contemplationis principium, & terminus eſt voluntas: atqui intellectus extenſione fit practicus, vt nemo ignorat: ergo, contemplatio eſt actus intellectus practici.

23. Confirm. cognitio, quæ eſt actus intellectus, pertinet formaliter ad vitam contemplativam, & activam: ergo iſtæ diverſæ non ſunt. Ant. pro prima parte certum eſt, & pro ſecunda probatur: Quia actus donorum ſcientiæ, & conſilij cognitionem importat: Sed iſta dona pertinent ad vitam activam: ergo.

Reſpond. argumento, quòd actus intellectus practici reſpicit agibilia; eòque ad vitam activam ſpectat, cuius eſt ad agibilia terminari. Contemplatio, quamvis à voluntate oriatur, in ipſamque terminetur, non reſpicit agibile: ſed fruibile: Vnde ad vitam activam pertinere non poteſt. Nec ob hoc conceptum practicæ à divina contemplatione prorſùs excludimus: eſt ſanè cognitio practica: non quæ agenda reſpiciat, quod erat neceſſarium, vt ad activam vitam ſpectaret; ſed quæ fatuitatem contemplationis purè Philoſophicæ excludat, & id ipſum, quod cognoſcit, ad augendum amorem Dei dirigat. Et hoc eſt, quod habet divina contemplatio, nec aliter divina foret, nec actus habitus Theologici, aut alterius ſuperioris, in quibus practicum, & ſpeculativum adunantur. *Per quod* patet ad confirmationem: quia cognitio, quæ reſpicit intelligibilia, eſt vitæ contemplativæ; illa verò, quæ reſpicit agibilia, pertinet ad vitam activam.

24. Dices: Quia habitus eliciens contemplationem divinam eſt ſimul ſpeculativus, & practicus, propterea & ipſa divina contemplatio eſt ſimul practica, & ſpeculativa: ſed potentia eliciens cognitionem intellectivam, ſcilicet intellectus, eſt ſimul ſpeculativa, & practica: ergo omnis cognitio intellectiva vtramque rationem adunat. Præmiſſæ conſtant, & conſequentiam ſuadere videtur paritas.

Reſpondetur: potentiam intellectivam actuari, determinarique per habitum in ipſa receptum; atque adeò elicit actum ſapientem conditionem habitus determinantis: quo circa, ſi habitus eſt ſpeculativus, vt eſt habitus Philoſophiæ, actus ſpeculativus eſt: ſi autem habitus ſit practicus, vt eſt habitus medicinæ, pariter & actus eſt practicus. Cæterum ſi habitus eſt ſimul practicus, & ſpeculativus; eodem modo actus eſt ſpeculativus, & practicus. Sed taliter practicus eſt huiuſcemodi actus, quòd agibilia non reſpicit: hæc enim ratio adunari in eodem actu cum ratione ſpeculativi prorſus implicat. Immò & in eodem habitu: adeò enim diſsitæ ſunt rationes iſtæ, ſicut & ordo eſſendi, & operandi: Vnde ſicut implicat, quòd idem ſit formaliter in ordine eſſendi, & ſit immediatè operativum: ita implicat, quòd idem habitus reſpiciat ex natura ſua intelligibi-

lia,

lia, & agibilia. Quòd verò sit practicus praxi non extrahente illum ab ordine contemplativo, nullam repugnantiam involuit: eoque possunt inveniri hæ rationes adunatæ in habitu, & actu superioribus. Cuius ratio insinuata iam est, videlicet, quòd hæc praxis non extrahit actum ab ordine contemplandi veritatem: quinimmò mutuò se se fovent, adiuvantque hæ rationes: quia vt alibi ex nostro Seraph. Doct. observamus, estque doctrina D Thom. qua vsi multoties fuimus, maior illa cognitio, quæ habetur de Deo in contemplatione, stimulat, vt magis ametur Numen illud, quod contemplatur: & similiter perfectior illa dilectio invitat ad perfectiorem ipsius contemplati Numinis cognitionem. Et quia, quòd intellectus veluti ingrediatur limites voluntatis, extendaturque, sat est, vt dicatur practicus: propterea contemplatio, quæ ab intellectu sic, vt ita dicam, extenso oritur, practica, & speculativa est. Vnico verbo: si praxis sit illa, quæ respicit agenda, non potest adunari in eodem habitu, quamtumvis superiori, cum speculatione. Si verò praxis sit talis conditionis, quòd solùm fruibilia respiciat; tunc in habitu, & actu superioribus adunantur.

§. III. *Consectaria aliqua colliguntur digna scitu.*

25. EX hactenus dictis colliges 1. vitam humanam adæquatè dividi in activam, & contẽplativam: ita quòd non detur aliud membrum hanc communem rationem dividens. Hoc corollarium ex dictis notum est. Etenim *eadem est divisio intellectus, & vitæ humanæ*, docet Div. Thom. num. 13. adductus: sed intellectus adæquatè dividitur in activum, & contemplativum, vt concors est Doctor. sensus: ergo vita humana adæquatè dividitur in contemplativam, & activam. Hoc ipsum, quòd probavimus ex principio vitæ humanæ, roboratur, si finis ipsius vitæ consideretur. Quandoquidem finis vitæ humanæ est duplex, nempè, veritatis cognitio, & opus exterius; nec assignabilis est alius finis talis vitæ: sed veritatis cognitio constituit vitam contemplativam, & opus exterius vitam activam constituit: ergo vita humana adæquatè dividitur in activam, & contemplativam.

Insuper: Vita humana significatur, vt suprà diximus, in duabus illis sororibus Martha, & Maria, per hanc vita contẽplativa; per illam verò activa. Similiter iuxta D. Gregor. & D. Thom. adumbratur etiam in illis alijs sororibus Rachele, & Lia: in Rachele vita contemplativa, & in Lia activa. Itidem secundùm eundem D. Thom. in 3. dist. 31. q. 2. art. 3. quæstiunc. 3. Vita contemplativa, quæ Deum magis familiarem habet, significatur per dilectum discipulum Div. Joannem: Vita autem activa, quæ est laboriosior, per Div. Petrum. Ac denique idem Doct. Angel. serm. 3. Domin. infraoct. Epiphan. super illa verba: *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te*, inquit: *Quærentes erant Maria, & Joseph, per quos duo genera hominum designantur, à quibus quæritur Dominus, à contemplativis in contemplatione, & ab activis ab actione. Maria interpretatur illuminata, & significat contemplativos, qui in contemplatione suscipiunt divinas illuminationes. Ioseph interpretatur augmentum, & significat activos, qui debent habere augmentum operum misericordiæ.* Modò sic: sed si vita contemplativa, & activa non adæquarent divisum, scilicet rationem communem vitæ humanæ, non esset congrua dicta significatio; siquidem daretur alia vita particularis, quæ non adumbraretur in Martha, & Maria; in Lia, & Rachele, & sic de alijs: ergo cum hoc sine iniuria tantorum Patrum dici nequeat, dicendum est, vitam humanam adæquatè dividi in vitam activam, & contemplativam.

26. Contra statutam veritatem oppones 1. Augustinum lib. 19. de Civit. Dei assignantem tria membra vitæ particularis, quæ dividunt rationem communem vitæ; dividit enim vitam

in otiosam, actuosam, & compositam ex vtraque; vitam otiosam nominat contemplativam propter quietem, qua fruitur: actuosam vocat activam propter solicitudinem, qua fulget, vltra quas aliam ex vtraque compositam dari docet, quæ etiam est doctrina Div. Thom. & nostrorum Salmant. tract. 20. disp. 2. dub. 3. Ergo vita activa, & contemplativa non dividunt adæquatè rationem vitæ humanæ.

27. Confirm. Datur status diversus ab activo, & contemplativo: ergo datur vita diversa ab activa, & contemplativa. Consequentia constat: quia vita est constitutiva illorum statuum: ergo si datur status diversus ab illis duobus, necessum est, quòd detur vita diversa à duabus illis. Antecedens autem probatur: Quia dantur Religiones purè activæ, & aliæ purè contemplativæ, vltra quas dantur Religiones mixtæ, illæ, videlicet, quarum vita continet eminentèr rationes vitæ purè activæ, & purè contemplativæ, vti docent dicti Salmant. num. 28. sed Religiones hanc vitam mixtam profitentes sunt distinctæ essentialiter ab alijs Religionibus purè activis, & purè contemplativis: ergo datur status diversus ab activo, & contemplativo.

28. Ad obiectionem respondet Div. Thom. loco citato ex sententiarijs art. 1. *Ad 5. dicendum, quòd illud tertium membrum apponitur ab August. non quantùm ad diversitatem vitæ, sed magis quantùm ad diversitatem viventium. Quidam enim sunt, qui exercitijs activæ insistunt principalitèr, quamvis etiam quandòque contemplationis actus exequantur. Quidam verò sunt, qui postpositis curis activæ, principalitèr contemplationi student. Alij verò, qui circa vtrumque insistunt. Sunt nihilominus, & quædam operationes, quæ vtrumque requirunt, sicut prædicatio, & doctrina, quæ à contemplatione inchoatæ in actionem terminant, sicut à causa in effectum procedentes, & hoc medium in extremis includitur.* Vnde habes, quòd illud tertium membrum ab Augustino assignatum, verè datur; non tamen est ibi distincta vita, sed distinctum genus viventium: quia nempè aliqui viventes assumunt, vt observent, quæ sunt propria vtriusque vitæ, media habentes, quibus finis ille ex vtraque vita mixtus, assequantur. Ex quo fatemur, dari diversum illum statum; ast diversam vitam ab illis duabus non fatemur. Vt enim daretur hæc tertia vita, deberent illi viventes vivere per actum, qui simul, & semel foret essentialiter activus, & contemplativus. Quod non evenit, nec talis actus datur propter superiùs dicta, quod hanc repugnantiam probat à priori. Modò verò illam à posteriori probamus ex eo, quòd si talis vita daretur, tunc status per illam constitutus foret simul simpliciter contemplativus, & simpliciter activus. Quod non dari, nec dabile esse, luculenter probant citati Salmant. num. 29. statuentes illam religionem esse, ac dici mixtam, *quæ primariò, & principaliter respicit contemplationem, non quidem sistendo ibi (quod est munus vitæ contemplativæ) sed ex ipsa contemplatione descendendo ad opera spiritualia vitæ activæ circa proximum, cuiusmodi sunt prædicare, sancta consilia præbere, confessiones audire, morientes in illo agone adiuvare, ministrare Sacramenta, & alia huiusmodi.* Quam verissimam doctrinam mirè complexus est Div. Thom. relatus illis paucissimis verbis: *& hoc medium in extremis includitur.*

Per quod patet ad confirmat. Concedimus enim dari illas religiones, esseque diversas à purè activis, & contemplativis; immò illis simpliciter perfectiores. Cæterùm ex hoc non sequitur, quòd detur vita diversa ab activa, & contemplativa; sed quòd illæ religiones vtramque vitam activam, & contemplativam profiteantur.

29. Dices: non potest religio esse simul activa, & contemplativa, quin constituatur per formam diversam à pura contemplatione, & pura actione: ergo ruit doctrina data. Probat. antec. Religio constituta est vna simpliciter: ergo ab aliqua vna forma simpliciter

tali

tali. Tunc sic: sed sic est, quòd pura contemplatio, & pura actio non sunt vna forma simpliciter, sed plures: ergo non ab illis, sed ab alia entitate indivisibili, illas includente, constituitur.

30. Vrgetur hæc ratio: si religio mixta constitueretur per contemplationem, & actionem; vel esset per vtramque ex æquo, & simpliciter; vel per vnam principaliter, & minùs principaliter per aliam: neutrum est verum: ergo, nec quòd per illas constituatur. Maior certa est, & min. pro prima part. constat ex dictis num. 28. vbi probavimus, implicare, quòd vita activa, & contemplativa respiciantur ex æquo ab aliqua religione, aut persona. Quoad secundam partem probatur ipsa min. 1. quia si talis religio est simul contemplativa, & activa: si in esse contemplativæ, v. g. constituitur per contemplationem in recto, illamque principaliter respicit: Cur non eodem modo respiciet sub munere activæ actionem? *Probatur* secundò illa min. Quia si sat est, vt religio sit simul contemplativa, & activa, quòd respiciat principialiter contemplationem, & minùs principaliter actionem, nulla erit religio, quæ purè contemplativa sit. Probatur hoc: etenim quævis religio purè contemplativa actionem secundariò respicit, iam opera misericordiæ exercẽdo, iam doctrinã sanissimã omnibus offerendo, iam per alia opera, quæ vitæ activæ propria sunt. Sacra Carthusianorum familia purè contemplativa est, & nullam familiam sacram propensiorem ad sublevandam egenorum inopiam continuis, ijsque largissimis eleemosinis, reperies. Ergo quòd actio minùs principaliter respiciatur, non sufficit, vt religio activa sit.

31. Respondetur prænotando, quòd Divina contemplatio potest bifariam, quoad præsens attinet, considerari: 1. quoad entitatem ipsius. 2. quoad ipsius statum perfectum. Primo modo dicit se ipsam, vt soli subiecto, in quo est, sufficientem. Secundò autem modo dicit se ipsam, vt non solùm subiecto, in quo est, sufficientem, sed etiam vt alijs ex redundantia proficuam. Similis est hæc contemplationis divisio ei, quam disp. sequenti num. 56. ex D. Thom. dabimus circa donum sapientiæ, quod est divinæ contemplationis principium. ¶ *Secundò* prænotare debes: religionem mixtam ex contemplatione, & actione, non esse talem, quia respiciat simpliciter vtramque, vt dictum est. Nec quia respicit principaliter actionem, & minùs principaliter contemplationem. Vtrumque nervosè probant laudati Salmanticenses, quod quia in præsenti supponi debet, à nobis non probatur. Dicitur ergo religio mixta illa, quæ ita respicit simpliciter, & principaliter contemplationem, vt respiciat illam non solùm, vt sibi sufficientem: sic enim respicitur contemplatio à religione purè contemplativa; sed taliter contemplationem inspicit, vt sit etiam proficua alijs, & ad hoc habet media idonea, quibus hunc duplicem finem consequatur. Vt cernere est in quatuor Ordinibus mendicantibus: hi enim Ordines sacri habent media conducentia, vt sui professores contemplationem nanciscantur; talia sunt paupertas, vitæ austeritas, ieiunia, oratio, â sæcularibus seiunctio, & huiusmodi alia. Ast quia ita principaliter inspiciunt contemplationem, quòd de absconditis suis proximis opem ferre velint: propterea habent etiam media, quibus hoc faciant. Hæc sunt prædicatio, Sacramentorum administratio, & alia.

32. Vnde benè nota: quòd prædicatio, v. g. potest sumi dupliciter: primò absolutè. Secundò vt effectus contẽplationis. Prædicatio absolutè sumpta nullatenus pertinet ad vitam contemplativam: Quo circa status ille, qui prædicationi vacare profiteretur, minimè contemplativus foret, sed purè activus: ille verò status, qui insistit prædicationi, vt ortæ ex redundantia divinæ contemplationis, est simul contemplativus, & activus. Est contemplativus, quia respicit principaliter contemplationem; est & activus, quia talitèr contemplationem inspicit, quòd

in

in ea non ſiſtat, ſed ex acceptis in contemplatione aquæ ipſius foras derivantur, & in populi vtilitatem deriguntur. Hocque modo quatuor Religiones mendicantes proximorum vtilitati ſtudent, actione non abſolutè ſumpta, ſed vt ex cõtemplatione dirivata. Quo circa harum ſacrarum familiarum alumnus, qui toto nixu in aliorum vtilitatem feratur actione, quæ ortum à contemplatione non trahat; ſciat ſe ſuo muneri neutiquam ſatisfacere, nec illa opera eſſe ſui ſtatus propria; eoque ſubeſt terribili, vnàque veriſimæ commination Angel. Præcept. qui loco citato ex ſentent. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. in fine corp. ait: *Et quia Prælatorum eſt in vtraque vita perfectos eſſe, vt potè qui medij ſunt inter Deum, & plebem, à Deo recipientes per contemplationem, & populo tradentes per actionem: ideò oportet eos in moralibus virtutibus perfectos eſſe: & ſimiliter Prædicatores, aliàs indignè quis Prælationis, vel prædicationis officium aſſumit.*

33. Vltimò debes prænotare: quòd, vt aliqua religio dicatur mixta, debet, vt dictum eſt, media propria habere, quibus ſeriò, & per ſe incumbat, vt ſic poſsit vtramque illam vitam adunare. De medijs conducentibus ad conſecutionem eius, quod principaliter reſpicit, non eſt dubium. De ijs verò medijs, quæ tendunt ad conſecutionem eius, quod minùs principaliter conſiderat, præcipuè loquimur. Vnde non ſufficiunt quæcumque actiones, vt religio dicatur mixta: aliàs nulla daretur religio, quæ mixta non foret: quandoquidem religio purè activa habet plura, quæ vitæ contemplativæ ſunt propria, vt ſunt aliqua meditatio, conſcientiæ examen, huiuſmodique alia. Et ſimilitèr religio purè contemplativa habet aliqua opera vitæ activæ. Igitur vltra hoc, quòd eſt illa opera habere, requiritur, quòd ſeriò, & per ſe præſcribantur, exequanturque, vt media ad talem finem conſequendum opportuna. Vnde eodem proportionali modo, quo præſcribuntur, & exequuntur media, quæ ſunt propria finis principaliter intenti: ſic etiam dicendum eſt de medijs circa finem minùs principalem. Per quæ facilè iam ſolvuntur obiecta.

34. Ad inſtantiam diſtinguat. anteced. *per formam diverſam* diverſitate modali, ſeu formalitatis, conc. diverſitate entitatis, negetur anteced. Termini patent ex dictis num. 31. Religio enim purè activa reſpicit actionem, non vt provenientem à contemplatione, vt dictum eſt num. 32. ſed abſolutè. Religio purè contemplativa reſpicit contemplationem, non vt alijs proficuam; ſed vt ſibi ſufficientem. Aſt religio mixta reſpicit contemplationem, vt ex ipſius redundantia alijs vberes fructus parantur. Et licèt contemplatio primo, & ſecundo modo ſumpta ſit eadem entitativè; eſt tamen modaliter diverſa, quæ diverſitas modalis ſat eſt, vt diverſum ſtatum conſtituere poſsit. Ad probationem anteced. concedant. omnes propoſitiones obiectæ; nulla enim earum datam doctrinam impugnat. Nec nos dicimus, quòd religio mixta ſit principaliter contemplativa, & activa etiam principaliter: quin potius hoc impoſsibile eſſe diximus num. 31. ſed dicimus, quòd reſpicit principaliter contemplationem, & actionem minùs principaliter, ad quod ſat eſt, quòd reſpiciat contemplationem, vt ſe ad actionem extendentem: ſic enim eſt à religione purè contemplativa ſecernitur, & in eſſe activæ modo tradito conſtituitur.

Ad vrgentiam negetur minor pro ſecunda parte: ad 1. probationem dicas illam religionem non eſſe æquè principaliter activam, & contemplativam: ſed contemplativam principaliter, & minùs pirncipaliter activam. Vnde non debet æquè principaliter contemplationem, actionemque reſpicere, vt dictu meſt. Ad 2. probationem reſpond. ex dictis num. 33. Vnde ſi illa religio talitèr actioni incumbat, vt media ſeriò, & per ſe exequenda tradat, reſpiciet per ſe actionem, quamquam minùs principaliter: vnde non erit pure contemplativa. Sin minùs

quam-

quamvis aliquomodo actioni videatur incumbere, mixta non est. Per quæ solvuntur plura, quæ circa hoc dici possent: quin opus sit ad particularia descendere: qui descensus non infrequenter odiosus esse solet. Doctrina tradita est vera: ex illa sumere vnusquisque valet, quod sibi placuerit; & valeat.

35. Contra idem consectarium oppones 2. & est replica contra omnia hucusque dicta: Quia fratres nostri laici, ac donati sunt simpliciter contemplativi, ac simpliciter activi: ergo vivent per formam diversam à contemplatione, & actione: ergo hæ non dividunt adæquatè conceptum vitæ humanæ. Secunda consequentia constat ex 1. quæ, suppositis modò traditis, deducitur ex antecedenti, quod pro prima parte certum est: quia dicti fratres eandem regulam ac Sacerdotes profitentur, eademque media, vt illam adimpleant, habent: Vnde simpliciter contemplativi sunt. Pro 2. parte probat. idem antecedens, 1. Quia dicti fratres appellantur *vitæ activæ*: Ergo illam principaliter respiciunt; aliàs denominarentur ab eo, quod minus principaliter respiciunt, quod est contra vsum communem. *Probat.* 2. Quia magis respiciunt vitam activam, quam Sacerdotes: Isti respiciunt illam minus principaliter: ergo illi illam principaliter respiciunt. *Probat.* 3. Quia omnia exercitia, quibus dicti fratres incumbunt, activa sunt: quod suadet, ipsos actionem respicere principaliter.

Resp. neg. ant. pro secunda parte: dicti enim fratres ad eundem statum spectant, ac choro deputati: vnde contemplationem respiciunt principaliter, & minus principaliter actionem. Ad 1. probationem dic: tales fratres non dici *vitæ activæ* absolutè; sed relatè ad choro deputatos: quiaque isti, licèt actionem respiciant, est minus quàm illi: propterea relatè ad eos *vitæ activæ* dicuntur. Nec obest, quòd denominatio debeat provenire à principali: quia hoc verùm est in denominationibus absolutis, non autem in illis, quæ dantur relatè ad aliud extremum eadem vita fruens. Præterquamquòd etiam hæc denominatio non incongruè potest dici, quòd provenit à principali, non quòd ita sit absolutè; sed quia cum, vt dictum est, dicti fratres magis, quàm choro deputati respiciant actionem; ideò ab eo, quòd magis actionem respiciant, nomen habent.

Vel dic: quod inter opera vitæ activæ, quibus nostri instituti proffessores insudant, sunt alia nobilissima, vt prædicatio, Sacramentorum administratio, & his similia: quæ spectant ad choro destinatos. Sunt & alia mechanica, & hæc illis fratribus committuntur. Quiaque nomen commune solet applicari speciei minus perfectæ; ideò denominatio vitæ activæ, quæ ex statu est omnibus nobis communis, attribuitur fratribus mechanicis illis actionibus deditis. Per quod patet ad 2. probationem: non enim illi fratres respiciunt magis, quàm alij vitam activam, sed respiciunt opera, quibus ob sui imperfectionem nomen commune vitæ activæ tribuitur. Præterquamquòd intra hoc, quòd est minus principaliter respicere operationem, datur sua latitudo: Vnde licèt omnes minus principaliter operationem respiciant, potest dari aliquis excessus inter ipsos respicientes.

Ad 3. probat. dicendum: omnia exercitia, quæ spectant ad illos fratres, provt ab alijs secernuntur, activa esse. Exercitia verò quæ illis, & alijs sunt communia, non esse activa, sed contemplativa. Vnde etsi illis actionibus, sibi proprijs, dediti sint, non debent omittere, quod & faciunt, quæ sunt contemplationis. Nec illi magis addicti sunt suis mechanicis actionibus, quàm prædicatores verbi divini prædicationi, Confessores suo ministerio, Lectores suorum discipulorum instructioni: & tamen isti non exonerantur à vita contemplativa: Cum illas ipsas actiones, vt à contemplatione ortas, exerceant. Quod idem in illis fratribus verum esse debet, si volunt irreprehensibiles in die Domini apparere.

Oppo-

36. Oppones 3. Philoſoph. lib. 1. Ethic. cap. 5. dividit vitam in voluptuoſam, activam, & contemplativam, & has tres vitas dicit eſſe maximè excellentes: ergo vltra vitam activam, & contemplativam datur alia vita.

Reſp. nos in præſenti loqui de vita humana ordinata, vt ſupra ex D. Thom. diximus. Vita humana ordinata, ſi per regulatas actiones conſulit neceſsitatibus vitæ præſentis, eſt vita activa: ſi autem dirigatur ad conſiderationem veritatis, pertinet ad vitam contemplativam. Illa verò vita, quæ deſervit concupiſcentijs, ſub nulla iſtarum comprehenditur, ſed eſt vita voluptuoſa, quæ ab eodem Philoſopho inibi dicitur vita beſtialis.

37. Secundò colliges ex dictis: Omnem actionem ſpectare ad vitam activam; ſed non omnem cognitionem ad vitam contemplativam attinere. Prima pars huius corollarij inde patet; quòd omnis humana actio eſt eſſentialiter vita: ergo vel activa, vel contemplativa. Non ſecundum: ergo primum. Prima propoſitio eſt omninò vera, vt patet ex ſupradictis. Secunda conſtat ex primo corollario, in quo non dari vitam aliam præter activam, & contemplativam fuſè oſtenſum eſt. Tertia propoſitio patet; quia omnis actio terminatur ad opus: ergo ſpectare non poteſt ad vitam contemplativam, quæ occupatur ſolummodò in contemplatione veritatis. Ex quibus conſtat veritas vltimæ propoſitionis, nempè quod pertineat ad vitam activam. Secunda autem huius corollarij pars conſtat ex dictis num. 23.

38. Dices: Sicùt ſe habet vita activa ad actionem, ſic vita contemplativa ad contemplationem: ſed omnis actio eſt ita propria vitæ activæ, vt non ſpectet ad contemplativam: ergo pariformiter nulla cognitio pertinet ad vitam activam.

Reſpondetur eſſe duplex diſcrimen inter actionem, & cognitionem. Primum eſt, quòd nulla datur actio, quæ non ſit practica: cum detur cognitio, quæ non ſit ſpeculativa. Vnde poteſt cognitio practica ad vitam activam attinere: non autem datur actio, quæ ad contemplationem ſpectet. *Secundum* diſcrimen eſt: quòd actio non dirigit contemplationem, & cognitio dirigit, regulatque actionem: quam obrem non eſt actio, quæ vitæ contemplativæ propria ſit; cùm detur cognitio, quæ vitæ activæ ſit propria. Nec hoc argumentum, quod modo propoſito ab aliquibus confectum video, benè formatum eſſe, deprehendet, qui conſideret, illud à cõtemplatione, quæ eſt quædam particularis cognitio, ad cognitionem omnem in conſequentia procedere. Tunc autem rectè diſpoſitum eſſet, quandò propoſitio diceret: *Sicut ſe habet vita activa ad actionem, ſic vita contemplativa ad cognitionem*: Tuncque maior eſt falſa, non ſolùm, quia datur cognitio practica, quæ directiva eſt operationis exterioris, vti iam diximus: ſed etiam, quia non omnis cognitio ſpeculativa eſt eſſentialitèr contemplatio, vt modò dicemus.

39. Vltimò habes ex iam dictis: non omnem cognitionem ſpeculativam eſſe eſſentialiter contemplationem. Quod patet: quia conſideratio, ſpeculatio, meditatio, pluresque actus alij intellectus ſunt cognitiones ſpeculativæ; & tamen non ſunt eſſentialiter contemplatio: quia earum nulla eſt ſimplex veritatis intuitus. Vnde licèt diſpoſitivè ſpectent ad vitam contemplativam; non tamen pertinent conſtitutivè, & eſſentialitèr. Qua propter plures Myſtici meditationem ad vitam activam ſpectare dicunt, quorum ratio eſt: quòd meditantes in vita activa occupantur, videlicet in extirpatione vitiorum, & peccatorum conſideratione, quæ ad vitam activam aliqualitèr ſpectare vidimus ex Div. Thom. num. 21. Et alibi hoc ipſum aſſeruimus de ipſa meditatione loquentes cum dictis Myſticis, qui propriè abs dubio loquuntur, quia meditantes ſoliciti ſunt, & turbantur erga plurima. Aſt quia ipſa ſua ſolicitudine *vnum, quod eſt neceſſarium* inquiunt, nempè contemplationem,

nem, vt ſupra dictavi; ideò eſt diſpoſitio ad contemplationem. Vt ſit, ſemper noſtrum corollarium verum eſt.

40. Dices: ſicut ſe habet vita activa ad agibilia, ſic vita contemplativa ad contemplabilia: ſed non eſt actus circa agibilia, qui ad vitam activam non pertineat: ergo non eſt actus intellectus circa intelligibilia, qui ad vitam contemplativam non ſpectet.

Reſpondet Div. Thom. citatus art. 2. quæſtiunc. 3. *Ad 1. ergo dicendum, quòd actus vitæ activæ non habent ex ſe ipſis ordinem, ſicut actus vitæ contemplativæ: vnde non poteſt dici, ſimpliciter loquendo, quòd conſiſtat in aliquo illorum principaliter, ſed quoad aliquem conſiſtit principaliter in hoc, in quo ille magis exercitatur: ſicut quidam magis inſiſtunt operibus iuſtitiæ: quidam verò operibus temperantiæ, & ſic de alijs.* Vbi, vt vides, ideo aſſeritur, quòd omnis actus circa agibilia pertinet ad vitam activam, quia tales actus *non habent ex ſe ipſis ordinem*: Vnde debet vnuſquiſque ex ſe, & ex natura ſua pertinere ad vitam activam; aliàs nullo modo pertinebit. Actus autem intellectus, ſeu vitæ contemplativæ habent inter ſe ordinem: quo circa alij pertinent ad vitam contemplativam eſſentialiter, vt contemplatio: alij verò per ordinem, quem ad ipſam contemplationem dicunt, ſpectant ad ipſam vitam contemplativam: & hoc eſt, diſpoſitivè pertinere. Sicque pertinent meditatio, quæ diſcurſus eſt, iudicium compoſitivum, ſimplexque apprehenſio, & alij.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrùm vita contemplativa dignior ſit quàm vita activa?

PLura circa perfectionem divinæ contemplationis abſolutè ſumptæ in ſuperioribus dicta ſunt, plurimaque in ſubſequentibus aperiemus. Sed quia conferre perfectionem ipſius cum perfectione vitæ activæ multùm conducit ad ipſius contemplationis perfectionem dignoſcendam: propterea præſens controverſia excitatur.

§. I. *Declaratur quis titulus, & quid tenendum ſit aperitur.*

41. DVm contemplationem actioni comparatam audis, non intelligas contemplationem illam perfectam, de qua num. 31. locuti ſumus, quæque præcontinet perfectionem vitæ contemplativæ, & activæ: quandoquidem ex redundanti perfectione ipſius, illa decorus in proximorum vtilitatem ſpatiatur. Sed nec intelligas actionem illam, quæ ab hac perfectiſſima contemplatione oritur; ſiquidem hæc actio, vt minus ex parte eius, quod in ipſam influit, perfectior eſt, quàm contemplatio ſolitariè ſumpta, ſeu non ita perfecta, ac illa, de qua modò loquebamur. Vnde, vt ſcopus, in quem noſtra diſputatio dirigitur, detegatur; loquimur de contemplatione, provt conſtituit vitam purè contemplativam: & ſimilitèr de actione, provt vitam activam conſtituit: ſicque exploramus, quæ earum perfectior ſit?

42. Perfectio ergo eſt duplex alia ſimpliciter talis, & alia ſecundùm quid. Prima eſt perfectio ex genere; ſecunda verò ex ijs, quæ naturam ſupponunt. Paſsim exempla occurrunt huius notiſsimæ veritatis. Vnde videmus ſubſtantiam ipſam, quæ ſimpliciter perfectior eſt, quàm accidens, excedi ſecundùm quid ab accidenti. Homo etiam perfectior ſimpliciter, & ex ge-

nere ſuo eſt, quàm corpora cœleſtia: hæc autem in ratione corporis homine perfectiora ſunt. Eodem modo philoſophandum eſt de perfectione abſolutè ſumpta, ac relatè ad aliquod ſubiectum conſiderata: ſiquidem poteſt aliquid eſſe perfectius in ſe, & abſolutè; atque adeò ſimpliciter: non tamen reſpectu huius ſubiecti, & in caſu: quare Philoſoph. lib. 3. Topic. cap. 2. ait, quòd philoſophari eſt melius, quàm ditari, ſed ditari melius eſt neceſsitatem patienti. Modò ergo non exploramus perfectionem adventitiam, & in caſu; ſed perfectionem ſimplicitèr, & ex ſuo genere, ſeu natura, rei perfectæ convenientem. Sic ergo quæſtionis titulo declarato, iam ad propoſitionem aſſerti properamus.

43. Sit noſtra concluſ. *Vita contemplativa eſt ſimpliciter perfectior, quàm activa; licèt ſecundùm quid, & in caſu perfectior ſit vita activa, quàm contemplativa.* Duas partes habet concluſ. quarum ſecunda ex dicendis conſtabit: prima autem eſt Div. Thom. locis citatis, illamque probat octo rationibus ex Philoſoph. lib. 10. Ethicor. cap. 7. & 8. deſumptis. Earum prima eſt; quòd vita contemplativa convenit homini ſecundùm id, quòd in eo eſt optimum, ſcilicèt, ſecundùm intellectum, & reſpectu propriorum obiectorum, nempè intelligibilium: quod non habet vita activa, quia circa exteriora occupatur. Secunda ratio eſt: quia vita contemplativa poteſt eſſe magis continua, licèt non quantum ad ſummum gradum contemplationis. Tertia: quia maior eſt delectatio vitæ contemplativæ, quàm activæ. Quarta: quia in vita contemplativa eſt homo magis ſibi ſufficiens, quia ad eam indiget paucioribus. Quinta: quia vita contemplativa magis propter ſe ipſam diligitur, & activa propter aliud. Sexta: quia vita contemplativa conſiſtit in quadam vacatione, & quiete; activa, autem erga plurima occupatur. Septima: quia vita contemplativa eſt ſecundùm divina; & activa ſecundùm humana. Octava demùm: quia vita contemplativa eſt ſecundùm id, quod eſt proprium homini, nempe ſecundùm intellectum: vita autem activa ſecundùm inferiores vires, quæ ſunt nobis, & brutis communes.

44. Ecce octo ſolidiſsimæ rationes, quibus ex Ariſtot. probat Angel. Doct. perfectiorem eſſe vitam contemplativam. Sed nec illis ſolummodò aſſertum probat alias addens: nec illas reliquit præciſe in authoritate Ariſtotelis, ſed vnamquamque ex Sacra Scriptura veram eſſe oſtendit, præter tertiam, quam firmat authoritate Auguſtini. Hic tamen ſtudioſiſsimus labor non placuit Henrico de Gandavo, qui quodlib. 12. Div. Thom. concluſionem impugnat, ipſum paritèr ſugillans, quia authoritate Ariſtotelis vſus fuit in re, quam Philoſoph. ignoravit, videlicet, futuram vitam, relatè ad quam melior nunc ſimpliciter eſt vita activa. Et ideò velut dogma firmiſsimè inconcuſſum ſtatuit, quod *rationes Ariſtotelis modicum valent apud catholicum.*

45. Circa primum nihil modò dicimus, quia poſtmodum viſuri ſumus, quam aereis fundamentis; Immò & improprijſsimis, contra ſtatutam veritatem vtatur Gandavenſis: nunc autem pretium ſtultitiæ feret, quòd carpat Div. Thom. authoritate Ariſtotelica vtentem. Contra ſic ergo carpentem diſputo 1. ita: ſit, quòd authoritas Ariſtot. nihil ſecundùm ſe ſumpta valeat in præſenti materia, illam tamen, ſi inveniatur Sacræ Scripturæ conformis, Sanctorumque doctrinæ conſona, quis apud Catholicum valere, neget? Immò dicet Ariſtot. quod Samaritanæ ſui concives dixere: Joan. cap. 4. verſ. 42. *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus* à Sacra Scriptura, Patribuſque vera eſſe, quæ dicimus: atqui, quæ hic tradit ex Ariſtotele Div. Thom. ſunt Sacræ Scripturæ conformia, conſonaque Patrum doctrinæ: ergo apud Catholicos valere non eſt negandum. Cætera conſtant, & minus patet ex ſola lectione textus D. Thom. quippè

quippè poſt vnamquamque rationem Sacram Scripturam, vel Auguſtinum adducit, vt magis, quod ex Ariſtotele dixit, firmet.

46. Diſputo 2. quòd contemplatio ſit, vel non ſit perfectior, quàm vita activa, eſt res conveniens contemplationi, & actioni, non ex differentia conſtituente ipſas intra lineam ſupernaturalem gratiæ, quæ Philoſophum latuit; ſed ex prædicatis metaphyſicis ipſarum: ſed quod convenit contemplationi, & actioni ex ſuis prædicatis metaphyſicis egregiè novit Ariſtoteles, eiuſque authoritas circa hoc plurimum vbicũque valet: ergo idem, quod prius. Conſeq. eſt bona, min. certa. Maior autem ſi ab Henrico negetur, extra Chorum aget. Modò enim licèt loquamur de contemplatione divina, illamque prout ſic perfectiorem actione adſtruamus: non tamen dicimus, quòd hæc maior perfectio conveniat divinæ contemplationi ſolùm ex prædicato illam in eſſe divinæ conſtituente, ſed ex ratione communi contemplationis. Hocque probant rationes allatæ, vt quòd conveniat ſecundùm intellectum: quòd ſit delectabilior: quòd conſiſtat in quadam vacatione: quòd ſit propter ſe appetibilis. Hæ, & aliæ rationes conveniunt contemplationi ex conceptu communi contemplationis, & non ſolùm ex differentia illam conſtituente intra ordinem gratiæ. Quæ quia non deſtruit, ſed perficit naturam, propterea ſi contemplatio ex natura contemplationis eſt perfectior, & ad hoc ſuadendum valent Ariſtotelis diſcurſus; pariter & ipſa intra ordinem gratiæ collocata perfectior erit, & ad hoc ſuadendum non ſunt inutiles Philoſophi diſcurſus.

47. Vltimò, plura prætermitens, diſputo: quia ipſe Gandavenſis ſe ipſum de Div. Thom. malè intellecto arguit: ait enim: quòd *in ordine ad futuram vitam, quam Philoſophus ignoravit, melior ſimpliciter eſt vita activa.* Sit; quòd vita activa melior ſit in ordine ad futuram vitam: quid inde? Erit ne ob hoc falſa Div. Thom. reſolutio, vt falſo aſſeris? Neutiquam: quia quòd ſit perfectior *in ordine ad futuram vitam*, non eſt, quòd ſit ſimpliciter, & ex natura ſua perfectior; ſed ſolùm *in ordine ad futuram vitam*, quæ eſt maioritas ſecundùm quid: ſicut ditari melius eſt, quàm philoſophari, relatè ad ſubiectum indigens, vtî ex eodem Philoſopho vidimus num. 42. Infeliciter ergo proceſsit in hac parte Gandavenſis: tum quia falſiſsimum eſt, quòd relatè *ad futuram vitam* melior ſit vita activa. Tum quia hoc permiſſo, non inde probatur perfectio ſimpliciter maior. Quo circa, qui aſſerit, vitam activam eſſe ſimpliciter meliorem in ordine ad futuram vitam, vel terminos maioritatis ſimpliciter talis ignorare videtur. Maneat ergo Div. Thom. angelicè proceſiſſe, diſcurſibuſque, qui apud catholicos valent, ſuam poſitionem probaſſe. Illiſque nos eandem aſſertionem probatam relinquimus: quamquàm vnam, vel alteram ex illis rationibus fuſius diſcuſſam poſtmodũ afferemus. Nunc verò

48. Probat. 2. concluſ. ratione Sacræ Scripturæ innixa, & vnanimi Sanctorum Patrum conſenſu: illa vtitur Div. Thom. in argumento, *ſed contra*, reduciturque ad hanc formam: Vita contemplativa eſt illa, quam Maria Magdalena elegit ſedens ſecus pedes Domini, & audiens verbum illius; & vita activa eſt, in qua ſoror ipſius Martha occupabatur: ſed vita, quam Maria elegit, fuit ſimpliciter melior, quàm vita, in qua Martha occupabatur: ergo vita contemplativa ſimpliciter melior eſt, quàm activa. Conſeq. eſt innegabilis: Maior autem continet ſenſum Sanctorum Patrũ, & Myſtarum omnium illam docentium. Minor autem eſt expreſſa authoritas Chriſti Domini Luc. 10. dicentis: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Vbi & maiorem perfectionem vitæ contemplativæ docet: & rationem huius exceſſus tradit, dum perpetuitatem vitæ contemplativæ ſupra activam commendat, dicens:

Quæ non auferetur ab ea. Verùm de hoc eſt ſpecialis controverſia infra à nobis diſcutienda. Modò verò ſat nobis eſt, noſtram reſolutionem eſſe oraculo Chriſti Domini traditam.

49. Probat. 3. concluſ. ratione, quæ comprehendit plures rationes ex octo aſſignatis, maximè primam, ſeptimam, & octavam: eaque vtitur Div. Thom. loco citato ex ſentent. art. 2. quæſtiunc. 3. reduciturque ad hanc formam. Contemplatio eſt actus potentiæ ſimplicitèr perfectioris, quàm potentia, à qua elicitur actio: ergo contemplatio eſt ſimplicitèr perfectior actione. Patet conſeq. Quia actus potentiæ ſimplicitèr perfectioris non poteſt non eſſe perfectior: tum quia actus habet efficienter ſuum eſſe à potentia: tum, quia hæc ſpeciem ſortitur ab actu. Vnde cum perfectius ſpecificatum requirat ſpecificativum perfectius; manifeſtè contradictionem involvit, quòd potentia ſit perfectior, & non actus. Anteced. autem probat. quia contemplatio eſt actus intellectus, qui perfectior eſt inter omnes animæ potentias, vt modò ſupponi debet: ergo eſt actus potentiæ perfectioris.

50. Confirm. 1. Quia contemplatio eſt actus habitus ſimpliciter inter omnes nobiliſsimi: ergo eſt actus ſimplicitèr dignior actione. Conſequent. conſtat ex dictis num. præced. & anteced. probat. Contemplatio elicitur ab habitu ſapientiæ: ſed iſte eſt inter omnes habitus nobiliſsimus: ergo tenet antecedens. Vnde ſivè contemplatio ſit mere gentilica, ſivè chriſtiana acquiſita, ſivè infuſa, ſemper eſt actus habitus ſapientiæ, vel quæ eſt virtus intellectualis, vel quæ eſt Sacra Theologia, aut donum Spiritus Sancti.

51. Confirm. 2. Contemplatio eſt actus circa obiectum ſimplicitèr dignius: ergo eſt actus ſimplicitèr perfectior. Conſtat conſeq. ex eo, quòd actus ſuam perfectionem ab obiecto habet; eòque actus obiectum ſimplicitèr perfectius attingens, debet eſſe ſimpliciter perfectior. Ant. probat. Quia obiectum contemplationis eſt Deus. *Vnde*, ait laudatus Div. Thom. *Etiam Philoſophi vltimum tempus vitæ ſuæ reſervabant, vt dicitur, ad contemplandum divina, præcedens tempus in alijs ſcientijs expendentes, vt ex illis habiliores fierent ad conſiderandum divina.* Quo reſpexit Div. Gregor. dicens lib. 6. moral. cap. 28. Quòd *in contemplatione principium, quod eſt Deus, quæritur*

52. Contra omnia dicta, & 1. Contra rationem factam, objicies: Quòd eſt probabiliſsima opinio, adhuc in ſententia Div. Thom. quòd voluntas eſt potentia ſimpliciter perfectior, quàm intellectus: ergo non eſt adeò certum, contemplationem eſſe ſimpliciter perfectiorem actione; vel vt minùs ex ratione facta hoc non habetur: nec debuit res adeò certa incertæ rei alligari. Anteced. in quo poterat eſſe difficultas, probatur: tum quia ferè omnes Scotiſtæ, & plures alij Doctores ab illa ſententia ſunt. Tum quia Sanct. Thom. q. 22 de ver. art. 11. Perſpicuè docet, quòd intellectus, relatè ad res ſenſibiles eſt voluntate perfectior; ſicut intelligere lapidem perfectius eſt, quàm velle lapidem. Relatè verò ad res divinas, quæ ſunt anima ſuperiores, perfectior eſt voluntas, quàm intellectus: quia perfectius eſſe habent in ſe ipſis, quo modo à voluntate amantur, quàm in intellectu, quo modo ab illo cognoſcuntur. Modò ſic: ſed contemplationis obiectum eſt Deus, vt dicitur in ſecunda confirmatione: ergo vel contemplatio non eſt actus intellectus; vel facta ratio non tenet.

Contra 1. confirmat. objicies: quòd charitas eſt habitus perfectior omnibus habitibus, qui in hac vita poſſunt in intellectu ſubiectari: ergo ſi cõtemplatio non elicitur à charitate, non eſt actus habitus nobiliſsimi. *Contra* 2. confirmationem facit, quòd Deus ipſe, & perfectiori modo attactum, vt dictum eſt, eſt obiectum voluntatis: ergo contemplatio non eſt actus circa obiectum ſimpliciter dignius.

Dictorum veritate ſuppoſita, ſur-

ſurgit immediatior obiectio: etenim actio eſt à voluntate, vt à potentia, & â charitate, vt ab habitu, ex quibus habet, quòd habeat obiectum perfectius, quàm quilibet actus intellectus: ſed voluntas, & charitas ſunt perfectiores ſimpliciter, quàm intellectus, & omnes eius habitus, etiam ſi ſit donum Spiritus Sancti: ergo actio perfectior eſt contemplatione. Cætera conſtant, & maior probatur: Quia opera vitæ activæ ſunt opera charitatis; ſicque abſolutè dicuntur; quod eſſe non poteſt, niſi quia procedunt à charitate: atque adeò à voluntate: ergo tenet maior.

Multum pulverem concitarent factæ obiectiones, ſi omnia, quæ hîc inde dici poſſent proferremus; quod minimè neceſſarium iudicamus. Vnde ad omnia obiecta ſimul reſpondetur cum Div. Thom. citato ſic dicente: *Ad 11. dicendum, quòd à contemplatione voluntas non excluditur: vnde Gregor. dicit ſuper Exod. quòd vita contemplativa eſt Deum, & proximum diligere: vnde eminentia vitæ contemplativæ ad activam non præiudicat.* Quibus adde, quæ ipſe Doct. Sanct. docet citata 2. 2. q. 182. art. 2. in corpor. vbi ait, quòd vita *contemplativa directè, & immediatè pertinet ad dilectionem Dei. Dicit enim Auguſt. 19. de Civit. Dei, quòd otium ſanctum, ſcilicet contemplativæ vitæ, quærit charitas veritatis, ſcilicèt divinæ, cui potiſſimè vita contemplativa inſiſtit, ſicut dictum eſt. Vita autem activa directiùs ordinatur ad dilectionem proximi, quia ſatagit circa frequens miniſterium.* Rogo nunc: quando charitas eſt perfectior, cùm directè, & immediatè tendit in Deum; aut cùm directiùs ad proximum ordinatur? Cæcus es, ſi aſſeras hoc ſecundum. Igitur charitas invenitur in vita contemplativa, & activa: ſed in activa vt reſpicit proximum; in contemplativa autem, vt reſpicit Deum: quo circa perfectior eſt charitas, prout invenitur in vita contemplativa, quàm prout in activa reperitur.

Hinc ergo ad 1. obiectionem reſpondetur: quòd ſivè voluntas ſit perfectior intellectu, ſivè intellectus voluntate, ſemper contemplatio eſt actus potentiæ nobiliſsimæ; quia voluntatis, & intellectus actus eſt. Tum quia *à contemplatione voluntas non excluditur.* Tum quia *otium ſanctum, ſcilicet, contemplativæ vitæ, quærit charitas veritatis.* Nec verum eſt, quòd res certa probetur per incertum; quia in omnium ſententia intellectus, & voluntas ſunt potentiæ omnes alias ſuperantes. Per quod patet ad ea, quæ contra vtramque confirmationem obijciebantur. *Ad vltimam* dicas, quòd in vita contemplativa, & activa invenitur charitas; ſed charitas vitæ activæ *directiùs ordinatur ad dilectionem proximi*: Charitas autem vitæ contemplativæ *directè, & immediatè pertinet ad dilectionem Dei.* Vnde perfectior eſt charitas vitæ contemplativæ: atque adeò & ipſa vita contemplativa perfectior eſt.

Hæc diximus, vt factas obiectiones ſolveremus, nos præſcindentes à controverſia illa acerrimè diſputata circa maiorem perfectionem intellectus ſupra voluntatem; aut voluntatis ſupra intellectum: in qua ſemper cum Thomiſtica Schola ſentimus. Nec eius Princeps Div. Thom. contrarium docuit loco citato: quin potius ibi aſſerit, quòd ſi intellectus comparetur voluntati ſine reſpectu ad hoc, vel illud obiectum, ſed abſolutè, & in vniverſali; tunc intellectus perfectior eſt. Et hæc conſideratio potior eſt inter omnes alias; ſiquidem conſiderat has potentias ſecundùm ea, quæ ipſis iuxta ſuam naturam conveniunt: hincque exceſſus ſimpliciter earum venandus eſt. Non autem ex eo, quod in ordine ad hoc, vel illud obiectum evenire poteſt. Accedit id, quod ipſe Doct. Sanct. docet 1. part. q. 82. art. 3. ad 2. *Intellectus eſt prior voluntate ſicut motivum mobili, & activum paſſivo; bonum enim intellectum movet voluntatem.* Quibus immediatè præmiſerat: *Illud, quod eſt priùs ſimpliciter, & ſecundùm naturæ ordinem, eſt perfectius: ſic enim actus eſt prior potentia. Et hoc modo intellectus*

lectus eſt prior, &c. Hæc etiam conſideratio attendit ipſam harum potentiarum naturam, & iuxta illam voluntas cedit in perfectione intellectui, ad quod eſt ſanè efficaciſsima ratio propoſita à Div. Thom. ſic illam reproducimus: *Illud, quod eſt priùs ſimpliciter, & ſecundùm naturæ ordinem eſt perfectius*: Sed *hoc modo intellectus eſt prior voluntate ſicut motivum mobili, & activum paſſivo; bonum enim intellectum movet voluntatem*: ergo intellectus eſt ſimpliciter perfectior.

53. Nec obeſt, quòd loco citato de verit. dicat ſanct. quòd per ordinem ad divina voluntas perfectior ſit. Nam præterquamquòd illa ratio procedere non poteſt de intellectu comprehenſoris: vnius entis non eſt, niſi vnica natura: vnde ſi, illa attenta, eſt perfectius ſimpliciter, non poterit eſſe ſimpliciter imperfectius ſecundùm eandem conſiderationem: aliàs foret, & non foret relatè ad idem, & ſecundùm idem perfectius, quod involuit contradictionem. Vnde illa maior perfectio, quam voluntati concedit, non eſt attenta harum potentiarum natura, penès quam perfectio ſimpliciter attenditur; ſed ſub alia conſideratione, ſecundū quam non attenditur exceſſus ſimpliciter talis. Et adhuc ſub illa conſideratione debet eſſe verum, propter dicta, quòd actus intellectus, ſub conſideratione actus intellectivi, dignior eſt actu voluntatis, ſub eadem præciſione ſumpto. Videantur noſtri Complut. tomo de anima, quæſt. vltima ad vltimum argum. Quæ addere placuit, vt tacita quædam obiectio, quæ circa dicta fieri poterat, ſolveretur. Videlicèt, quòd licèt dicta vera eſſent de contemplatione divina: non tamen applicari poſſunt contemplationi mere philoſophicæ, quæ nullum commercium cum voluntate, nec cum charitate habet. Vnde contra illam reproduci poterant omnia obiecta. Sed ex dictis obiectio hæc diſsipatur, manet que ſemper verum, quòd contemplatio, quæcumque illa ſit, eſt actus potentiæ inter omnes animæ potentias ſimpliciter perfectioris, quod philoſophicæ illius contemplationis inſignis profeſſor docuit, vt teſtatur D. Thom. loco citato ex 1. p. in arg. *ſed contra* vbi ait: *ſed contra eſt, quòd Philoſoph. in* 10. *Ethicor. ponit altiſſimam potentiam animæ eſſe intellectum.*

54. Vltimò probat. Concluſio alia ratione ex Div. Thom. deprompta; finis eſt ſimpliciter perfectior, quàm ea, quæ ſunt ad finem: ſed vita contemplativa eſt finis vitæ activæ: ergo vita contemplativa perfectior ſimpliciter eſt. Min. eſt Div. Thom. loco citato ex ſentent. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. vbi ait: *Aliquid enim dicitur bonum, quod propter ſe ipſum eſt deſiderandum, & ſic vita contemplativa ſimpliciter melior eſt activa, in quantum magis aſſimilatur illi vitæ, ad quam per activam, & contemplativam nitimur pervenire: vnde & contemplativa eſt finis activæ, & fini vltimo vicinior.* Et D. Gregor. homil. 3. in Ezech. idem docet his verbis: *Activa vita prior eſt tempore, quàm contemplativa: quia ex bono opere tenditur ad contemplationem.* Mai. autem eſt omnino certa; eaque vſus eſt Sanct. Thom. 2. 2. q. 124. art. 3. vt probaret, fortitudinem eſſe minùs perfectam fide, & charitate; *Quia*, inquit, *tolerare mortem non eſt laudabile ſecundùm ſe, ſed ſolùm ſecundùm quod ordinatur ad aliquod bonum, quod conſiſtit in actu virtutis, puta ad fidem; vel ad dilectionem Dei. Vnde ille actus virtutis, cum ſit finis, melior eſt.* Vnde cùm vita contemplativa ſit finis activæ vitæ, eſt ſimpliciter illa perfectior.

55. Hæc ratio, quæ ſe ſola intentum noſtrum ſuadet, habet contra ſe plura, quibus labefactari videtur. Omnia diſsimulare non poſſum. Igitur ad diruendum fundamentum, cui innititur ratio facta, obijcies 1. Actus intellectus practici eſt ſimpliciter perfectior, quàm operatio voluntatis ad quā movet: ſed hæc operatio voluntatis eſt finis illius actus intellectus: ergo non eſt verum, quòd finis ſit ſimpliciter perfectior, quàm ea, quæ ſunt ad finem. Ergo ex quo vita contemplativa ſit

illius

finis vitæ activæ, non infertur excessus illius supra istam. Secunda consequentia constat ex prima, quam præmissæ inferunt, quarum min. est certa: quia sicut finis intellectus speculativi est veritas; ita finis intellectus practici est opus ex 2. metaph. cap. 2. maior autem constat ex dictis num. 52. & 53. vbi de excessu intellectus, & eius actibus supra voluntatem, & actus suos disputavimus.

56. Confirm. 1. Nam gratia sanctificans ordinatur, tanquam ad finem ad visionem beatificam: sed visio beatifica est minus perfecta quàm gratia sanctificans: ergo idem quod priùs. Visionem beatificam esse minus perfectam, quàm gratia sanctificans est adeò certum, vt probari non debeat: sicut nec quòd gratia sanctificans ordinetur ad beatificam visionem. Confirm. 2. Prudentia est simpliciter perfectior, quàm virtutes morales, vt docet Div. Thom. 1. 2. q. 66. art. 1. & 3. & tamen prudentia ordinatur, tanquam ad finem ad dirigendum actus moralium virtutum: ergo.

57. Confirm. tandem: quia potentia operativa ordinatur ad suam operationem: sed potentia operativa est perfectior, quàm operatio: ergo perfectius ordinatur ad minus perfectum. Cætera constant, & min. patet in potentia intellectiva, quæ adæquatè sumpta est perfectior, quàm quælibet particularis intellectio, ad quam ipsa potentia, vt dictum est, ordinatur.

58. Ad obiectionem, vt respond. scias 1. rationem practici non convenire intellectui secundùm se considerato: eò quòd praxis non est per se primò actus intellectus, sed *actus alterius potentiæ ab intellectu*: Vnde intellectus, non secundùm se, sed *extensione fit practicus*, vt tenet paræmia communis ex Aristot. 3 de anim. cap. 10. desumpta. Intellectus ergo fit practicus per coniuntionem ad voluntatem, à qua habet, quòd practicus sit. Quod, vt penetres, memento, &

59. Scias 2. ex Div. Thom. 1. 2. q. 31. art. 1. & alibi. Intellectum, & voluntatem, & vtriusque actus, se invicem causare. Ex quo habetur, quòd virtus, & perfectio vnius in alio remaneat. Vnde in actibus voluntatis relinquit intellectus ordinem, & directionem, & similiter voluntas ponit in actibus intellectus efficaciam, & motionem, vt videre est in actu imperij. Quare harum potentiarum actus habent aliquid sibi ab illis participatum; atque adeò in actibus intellectus invenitur id, quod est de linea voluntatis, & contra.

60. Scias 3. quòd quia intellectus secundùm se sumptus est perfectior voluntate; propterea illud, quod in actu voluntatis relinquitur ab intellectu, nempè rationis ordo, est simpliciter perfectius ipso actu voluntatis considerato secundùm ea, quæ habet ex se. Similitèrque, ea, quæ voluntas relinquit in actu intellectus, sunt minus perfecta, quàm intellectus ipse, eò quòd voluntas, quæ est causa, à qua intellectus illa participat, non æquat perfectionem intellectus, si hic sumatur secundùm se & ex proprijs. His ergo prælibatis ad obiectionem, quam affert Caietan. 1. 2. q. 3. art. 5. ex ipso Caietano

61. Respond. distinguendo mai. *Simpliciter perfectior* si sumatur, vt est actus intellectus, hoc est, secundùm ea, quæ intellectus ex proprijs dicit, conc. Si sumatur, quatenus practicus est, neg. mai. Deindè disting. minor: *illius actus intellectus*, vt practici, conced. vt actus intellectus, neg. min. & sic resolvatur tota obiectio. Etenim intellectus, eiusque actus, possunt considerari, vel secundùm ea, quæ ex se habent vel secundùm quod subsunt voluntati. Primo modo est simpliciter perfectior intellectus voluntate; vnde ad illam prout sic non ordinatur. Secundo modo practicus est, & sic ad voluntatem ordinatur, & consequenter perfectior illa non est. Quod nec communi Thomistarum sententiæ de maiori perfectione intellectus præiudicat, nec discursui à nobis facto contradicit. Vnde vtrumque inconcussum remanet, si præ oculis habeatur hæc distinctio, cuius fun-

fundamentũ cõſtat ex num. 58. Subeſt autẽ intellectus, prout practicus, volũtati; quia prout ſic exprimit intellectus, non ea, quæ ipſi ſunt propria; ſed id, quod à voluntate participatum habet, quod quia eſt de linea voluntatis, vt conſtat ex num. 59. propterea non eſt intellectus, prout hoc exprimit, ipſa voluntate perfectior. Immò minus perfectus eſt non ipſa voluntate abſolutè accepta, ſed ipſa prout eſt finis ipſius practici intellectus. Ratioque ea eſt, quam dedimus num. 60. Videlicet, quòd ſicut intellectus, vt practicus, dicit id, quod in eo relinquit voluntas, quod quidem, quia de linea voluntatis, eſt minus perfectum, quàm intellectus ſecundùm ſe: Ita ſimiliter voluntas, vt eſt finis practici intellectus, dicit id, quod in voluntate relinquit intellectus: & hoc, quia de linea intellectiva perfectius eſt, quàm ipſa voluntas. Vnde intellectus, vt depreſſus per id, quod habet à voluntate, ordinatur ad voluntatem, vt elevatam per id, quod habet ab intellectu. Quãobrem nunquam ſequitur, aut quod intellectus ſit inferior voluntate; aut quod magis, vel æquè perfectum reſpiciat vt finem minus, vel æquè perfectum.

62. Per quod patet ad 2. confirmationem, quia prudentia pertinet ad intellectum practicum: nec aliter niſi vt reduplicativè practica reſpicit morales virtutes, ad quas ordinatur, quæque ſunt fines relatè ad prudentiam, non abſolutè, ac ſecundùm ſe ſumptæ, ſed vt participant rationis ordinem, qui ordo perfectior eſt, quàm praxis, quæ in prudentiâ reperitur, vt conſtat ex modò dictis. Ad 1. confirm. negamus, quòd gratia ſanctificans ordinetur per ſe ipſam ad viſionem beatificam. Gratia enim ſanctificans eſt natanatura in ordine ſupernaturali; atque adeò non ordinatur ad operationem, ſicut nec ſubſtantia creata. Et ratio eſt; quia ordinari ad operationem eſt proprium rei, quæ eſt immediatè operativa: quod nec ſubſtantiæ in ordine naturali, nec in ſupernaturali gratiæ ſanctificanti convenire poteſt, vt modò ſupponendum eſt. Vnde ſicut ſubſtantia creata non reſpicit per ſe ipſam operationem; ſed medijs ſuis potentijs proximis: ſic etiam gratia ſanctificans reſpicit viſionem beatam medijs ſuis habitibus infuſis, qui ſunt eius facultates proximè operativæ.

63. Ad vltimam confirmationem dicas: intellectionem perfectiorem eſſe intellectu; quia licèt intellectus excedat intellectionem in extenſione, & permanentia; ſuperatur tamen ab illa in actualitate. Inter quos exceſſus primus maioris extenſionis, & permanentiæ, eſt ſecundùm quid; ſecundus autem eſt ſimpliciter talis. Quæ doctrina deſumitur ex Div. Thom. 1. 2. q. 71. art. 3. ad 1. vbi ait: *Nihil prohibet aliquid eſſe ſimpliciter altero potius, quod tamen ſecundùm quid ab eo deficit. Simpliciter autem potius iudicatur, quod præeminet, quantum ad id, quod per ſe conſideratur in vtroque: ſecundùm quid autem, quod præeminet ſecundùm id, quod per accidens ſe habet ad vtrumque. Oſtenſum eſt autem ex ipſa ratione actus, & habitus, quòd actus eſt potior in bonitate, & malitia, quam habitus: quòd autem habitus ſit diuturnior, quàm actus, accidit eo, quod vtrumque invenitur in tali natura, quæ non poteſt ſemper agere, & cuius actio eſt in motu tranſeunte. Vnde ſimpliciter actus eſt potior tam in bonitate, quàm in malitia: ſed habitus eſt potior ſecundùm quid.* Quod ergo hîc docet Angel. Doct. de actu relatè ad habitum, intelligitur etiam de actu reſpectu potentiæ. Tum quia ratio id ſuadet: tum quia idem Doct. Sanct. ſic docet 1. p. q. 25. art. 1. ad 2. dicens: *Quandocumque actus eſt aliud à potentia, oportet, quòd actus ſit nobilior potentia.* Et q. 5. de potent. art. 5. ait: *Operatio manens* in operante eſt finis operantis, & per conſequens excellentior quàm forma operantis.

§. II. *Solvuntur argumenta.*

64. CONtra noſtram concluſionem ſentit Henricus de Gandavo ſupra adductus, qui conatur oſtendere, vitam activam eſſe ſimpliciter perfectiorem, quàm contemplativa, quod vt aſtruat, arguit ſic primò. Illud eſt ſimpliciter melius, quòd eſt magis meritorium: vita activa eſt magis meritoria homini virtutibus prædito, ad regendum apto, & coacto ad hoc: ergo vita activa eſt ſimpliciter melior. Minor patet, quia ille tenetur præferre actionem vt quid, etiam ſibi, melius, contemplationi. Mai. autem probatur: ea vita eſt ſimpliciter perfectior, in qua principaliter invenitur id, quod eſt principale in vtraque: ſed meritum, quod eſt in vtraque vita principale principaliter invenitur in vita activa, quàm in contemplativa: ergo hac illa perfectior ſimpliciter eſt.

65. Confirmatur: Vita activa eſt melior hominibus benè diſpoſitis: ergo eſt ſimpliciter melior. Patet iſta; quia illud eſt ſimpliciter melius, quod eſt melius hominibus benè diſpoſitis, iuxta Philoſoph. in 1. polit. Probatur antecedens: quia vita activa eſt melior hominibus virtutibus præditis, aptis ad agendum, ad hocque coactis: ergo eſt melior hominibus benè diſpoſitis.

66. Confirm. 2. Opera vitæ activæ ſunt propria ſtatus excedentis in perfectione vitam contemplativam: ergo vita activa perfectior eſt. Conſequentia infertur: quia opera perfectiora arguunt ſtatum, cuius propria ſunt, perfectiorem eſſe. Anteced. autem probatur: Opera vitæ activæ ſunt propria ſtatus Prælatorum: ſed hic Prælatorum ſtatus eſt perfectior ſimpliciter, quàm vita contemplativa: ergo.

67. Hæc, & non alia Henricus, quæ certè ſubticere debuit vt potè inania, contra aſſertum, quod impugnat. Ad 1. ergo reſpond. Quòd hìc non comparamus vitam contemplativam activæ ſecundùm ea, quæ ipſis accidentalia ſunt; ſed ſecundùm bonitatem ſubſtantialem, ac propriam vtriuſque. Ratio meriti prorſùs accidentalis eſt: quia hæc pendet à charitate: vnde id, quod maiori charitate factum fuerit, erit vtique magis meritorium: hinc tamen non habetur, quæ ex dictis vitis perfectior ſit propter dicta: cuius ſignum eſt, quòd opus absdubio perfectius eſt minus meritorium, ſi cum minori charitate fiat, quàm opus ex ſuo genere minus perfectum, ſi fiat cum maiori charitate. Iuſtitia perfectior eſt temperantia, & tamen actus temperantiæ cum maiori charitate magis meritorium eſt, quàm actus iuſtitiæ factus cum charitate minori. Vnde ſicut in his duobus actibus alia eſt ratio meriti, quæ provenit à charitate, & alia bonitas ſubſtantialis vtriuſque: ſimiliter alia eſt ratio meriti inventa ex charitate in vita activa, & contemplativa, & alia bonitas ſubſtantialis earum. Modò diſputamus de hac ſubſtantiali bonitate: poſteà agemus de ratione meriti; quia priùs agendum eſt de proprijs, & ſubſtantialibus, quàm de extraneis, & accidentalibus. Quod & fecit Div. Thom. in præſenti. Vnde arguere ex bonitate ſubſtantiali ad accidentalem vitium intolerabile eſt. Habet & aliud vitium intolerabilius ipſum argumentum: ex eo enim quod vita activa ſit melior huic, infert, quòd abſolutè ſit melior; quod eſt idem ac ſi ex hoc, quòd manere in ſæculo ſit melius huic, inferatur, quòd manere in ſæculo ſit abſolutè melius, quàm religioſum eſſe. Quare in forma reſpondetur facto argumento diſting. mai. Et ſi cætera ſint paria, hoc eſt, ſi adſit eadem charitas, concedatur: ſi cætera non ſunt paria, hoc eſt, ſi charitas eſt maior in vno extremo, quàm in alio, negetur mai. quia tunc ex maiori merito ſolùm arguitur exceſſus accidentalis, non ſubſtantialis, de quo diſputamus modò. Deinde omiſſa minor. negetur abſolutè conſeq. Quia ex quo vita activa ſit melior huic, male infertur, quòd abſolutè, & omnibus melior ſit. Ad probat. mai. conſtat ex dictis, meriti rationem non attendi in comparatione,

quam modò facimus: ſed ſolùm ratio bonitatis ſubſtantialis vtriuſque vitæ.

Prima confirmatio eodem vitio laborat: quare omiſſo antecedenti, negetur conſequentia; nec authoritas Philoſophi favet arguenti, quia Ariſtotel. vt Caietanus docet, non loquitur de benè diſpoſitis ad hoc, vel illud particulare, vt eſt aliorum regimen; ſed de benè diſpoſitis *ſecundùm conditiones naturales, quæ ad ſpeciem corporis, vel animæ ſpectant ſimpliciter.* Vnde volens illa authoritate ſuadere, quòd conveniens benè diſpoſitis ad aliquod particulare, & in particulari caſu coactionis, perfectius abſolutè ſit violentiam infert textui, & malè arguit: quandoquidem, vt hic docet citatus Caietanus, proceſſus iſte *implicat in adiecto: quoniam aſſumit ſubiectum ſecundùm quid conditionatum, & prædicatum ponit ſimpliciter.*

Secunda confirmatio expers ab illo, vel ab alio vitio eſt: ſed quam etiam debuit arguens prætermittere, quia eſt primum argumentum, quod in hoc articulo facit in ſuam aſſertionem Div. Thom. illudque evidenter ſolvit in hunc modum. *Ad 1. ergo dicendum, quòd ad Prælatos non ſolùm pertinet vita activa, ſed etiam debent eſſe excellentes in vita contemplativa. Vnde Gregor. dicit in paſtorali: Sit Rector in actione præcipuus, præ cunctis in contemplatione ſuſpenſus.* Si hoc Henriq. videt, vt quid nobis hoc argumentum, veluti à ſe inventum, ab alijſque indiſſolubile, opponit? Verùm ex dictis num. 31. quorum meminimus nu. 41. ſic in forma reſpondetur. diſting. anteced. *Vitæ activæ* vt contrapoſitæ vitæ contemplativæ, neget. anteced. *Vitæ activæ* provenientis ex redundantia contemplationis, ſubdiſtinguo: *Sunt propria, &c. Vitam contemplativam,* purè ſumptam, conced. *Vitam contemplativam,* ex cuius redundantia habentur opera vitæ activæ, neg. anteced. Ad cuius probationem dicas: ſtatum Prælatorum vtramque vitam comprehendere: vnde illius ſtatus propria ſunt & opera vitæ activæ, & opera vitæ contemplativæ: atque adeò ex hoc argumento nihil habetur contra nos.

68. Arg. 2. Vita activa imperat vitæ contemplativæ: ergo perfectior eſt illa. Patet iſta, quia in omnibus artibus, & potentijs imperans eſt nobilius imperato. Antec. autem probatur 1. Quia politica, quæ ad vitam activam ſpectat, imperat omnibus diſciplinis, & diſponit de pertinentibus ad vitam contemplativam, ex Philoſoph. in 1. Ethicor. cap. 2. Ergo tenet antecedens. Quod *probat.* 2. ex illo Exodi cap. 19. Vbi dictum eſt Moyſi: *Deſcende, & conſtetare populum, ne fortè velit trãſcendere propoſitos terminos ad videndum Deum*: Ergo idem, quod priùs.

69. Confirm. 1. Quia Tullius lib. 1. de Officijs probat præeminentiam iuſtitiæ relatè ad alias virtutes, quia propter exercitium iuſtitiæ actus aliarum virtutum interimuntur: ſed multi revocantur à contemplatione, vt exerceant opera vitæ activæ: ergo hæc eſt illa perfectior. Cætera conſtant, & minor probat. tum ex dictis num. præcedenti de Moyſe, qui revocatus fuit ab otio altiſsimæ contemplationis, vt intenderet vitæ activæ. Tum etiam quia frequenter videmus viros ſpirituales contemplationem deſerentes, vt miſericordiæ operibus applicentur. Tum denique: quia videmus, viros ſpirituales à quiete contemplationis avulſos, & curam, directionemque ovium ſuſcipientes: in quo munere vitam activam exercere non eſt dubium: ergo multi à contemplatione revocantur, vt opera vitæ activæ exerceant.

70. Confirm. 2. Bonum multitudinis divinius eſt, quàm bonum vnius: Sed vita contemplativa eſt bonum vnius hominis, & vita activa eſt bonum multorum, qui ab vno vitæ activæ operibus dedito, paſcuntur: ergo vita activa perfectior eſt.

71. Reſp. arg. neg. ant. ad 1. probation. dicas ipſum Philoſoph. in 6. Ethicor. cap. 18. Enodaſſe nodum ab ipſo

ipso factum, dicens: quòd politica non præcipit sapientiæ, nec alijs, quæ ad vitam contemplativam attinent, *sed imperat quædam propter ipsam, sicut etiam imperat quædam, propter Deum, cui præcipit sic, vel sic cultum exhiberi*, ait Div. Thom. loco citato ex sentent. ad 3. Vnde sicut ex Philosophi authoritate non infertur, quòd politica exerceat sua præcepta erga Deum; sic nec erga vitam contemplativam. Disponit tamen ad vitam contemplativam, quatenus præcipit quædam opera vitæ activæ ad vitam contemplativam spectantia, in quo vitæ contemplativæ potiùs famulatur, quàm dominetur. Et hoc est, quod Aristot. intendit loco citato ex 1. Ethicorum. Per quod patet ad secundam probationem antecedentis, ampliùsque constabit ex dicendis.

72. Ad 1. confirm. respondet. Quòd vita activa aliquando deseritur ob maiorem vtilitatem; non autem propter maiorem dignitatem: nec ex hoc, quòd vita activa vtilior sit, inferri debet, quòd sit dignior, nisi ad summum secundùm quid, vt dictum est. Præterquam, quòd si de operibus vitæ activæ, quæ ex ipsa contemplatione ortum habent, sermo sit; tunc non deseritur vita contemplativa per exercitium vitæ activæ: quandoquidem in ipsis operibus vitæ activæ contemplativa resplendet. Sed his haud egemus, vt nostrum assertum defendamus. Vnde dicimus, quòd facta collatione inter vitam activam purè sumptam, & vitam contemplativam eodem modo consideratam: ex hoc, quòd contemplativa deseratur propter activam, habetur quidem huius maior vtilitas, non tamen dignitas maior. Hincque patet ad probationem illius min. ad 1. quidem & 2. dicimus: quòd ex maiori vtilitate vitæ activæ provenit, quòd propter illam contemplativa aliquando deseratur.

Ad 3. probation. dicendum: quòd illi qui ad pascendas animas supra candelabrum, vt luceant omnibus, qui in domo sunt, constituuntur, à vita contemplativa neutiquam revocantur: sed assumuntur ad statum, cuius vtraque illa vita propria est. Vnde illorum vita, vt iam diximus, perfectior est, quàm vita contemplativa solitariè sumpta. Quam doctrinam subtiliter invenit Caietanus in verbis illis, quibus Christus Dominus dilectam Magdalenam à Marthæ sororis suæ querela defendit dicens Luc. 10. *Optimam partem elegit* sibi Maria. Quorum verborum sensum aperit Caietan. 2.2. quæst. 182. art. 1. hisce verbis: *Opus mixtum, quod est proprium Prælatis, scilicèt, contemplari, & agere, perfectius est, quàm opus contemplativum, & quàm opus activum. Vnde & Dominus non dixit de Maria, quòd optimum sibi elegit, sed quòd elegit sibi optimam partem. Melior est enim pars contemplativa, quàm activa: vtraque parte tamen melius est ipsum totum, quod proprium est statui Prælatorum.*

73. Ad 2. confirm. resp. quòd vita contemplativa non solùm est bonum vnius; sed etiam est bonum multitudinis, quatenus multitudo ad vacandum contemplationi dirigitur. Verum quidem est, quòd multitudo non dirigitur ad contemplationem nisi per exercitium vitæ activæ: hinc tamen ad summum haberi potest maior vtilitas vitæ activæ: non autem maior perfectio, vt dictum est.

74. Arg. vltim. Religio militaris, quæ vtique activa est, est perfectior, quàm Religio contemplativa: ergo vita contemplativa minùs perfecta est, quàm activa. Patet ista: quia vita propria status magis perfecti perfectior esse debet; est enim illius status, cuius propria est, constitutiva: vnde implicat, quòd status sit perfectior, & vita minùs perfecta sit. Anteced. autem probatur: Illa Religio perfectior est, quæ perfectiùs ordinatur ad charitatem, quæ omnium religionum finis est; sed militaris perfectiùs ordinatur ad charitatem: ergo. Probat. min. Religio militaris ita ordinatur ad charitatem, vt eius professores martyrium subeant proprium sanguinem effundentes in fidei defensionem: sed hoc est

perfectiùs ordinari ad charitatem; quippè *maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et ad Hæbr. cap. 12. dicitur: *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis.* Vbi Gloſ. Auguſt. ſerm. 27. de verbis Apoſt. ait: *Perfectior in hac vita dilectio nulla eſt ea, ad quam Sancti Martyres pervenerunt, qui contra peccatum vſque ad ſanguinem certarunt.* Ergo Religio militaris perfectiùs ordinatur ad charitatem, quàm religio contemplativa.

75. Confirm. Religio purè activa poteſt eſſe arctior, quàm contẽplativa: ergo, & perfectior. Ergo vita cõtẽplativa non eſt ſimpliciter perfectior, quàm activa. Secũda cõſequentia cõſtat; quia id, quod eſt ex genere perfectius alio, numquam poteſt eſſe ſimpliciter minus perfectum. Antecedens autem de ſe patet; & conſequentia prima probatur: Quia auſteritas vitæ eſt de perfectione religionis: ergo maior auſteritas erit de maiori perfectione; quia *ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita, &c.* Ergo religio auſterior perfectior eſt.

76. Reſpondetur argumento neg. anteced. ad probationem negetur min. ad cuius probationem dicas: quòd Ordinis militaris profeſſor non prælia-tur cum inimicis fidei intendens directè effuſionem proprij ſanguinis; ſed quod directè ſolicitat, eſt fundere, vel vt minùs fugare ſanguinem infidelium: vnde Martyres haud ſunt. Martyres enim proprij ſanguinis effuſionem quærunt in fidei defenſionem. Vnde adeſt diſcrimen inter profeſſores ordinis militaris, Martyreſque: de hiſque, & non de illis loquuntur textus contra nos adducti.

Dices: Div. Thom. 2. 2. quæſt. 188. art. 6. ad 2. appellat Martyres religioſos ordinis militaris, qui contra inimicos fidei dimicantes ſanguinem fundunt: ergo vel intendunt directè proprij ſanguinis effuſionem, vel non requiritur talis directa intentio, vt Martyres ſint.

Reſpond. Div. Thom. non dicere tales religioſos Martyres eſſe: ſed quòd in aliquo caſu martyrij meritum conſequuntur. Verba Div. Thom. ſubijcio: *Nihil tamen prohibet huiuſmodi religioſos in aliquo caſu meritum martyrij conſequi, & ſecundùm hoc præferri alijs religioſis: ſicut & opera activa interdum in aliquo caſu præferuntur contemplationi.* Itaque aliud eſt Martyres eſſe; & aliud martyrij meritum obtinere. Martyr ille eſt, qui occumbit in bello, quod agreditur ea intentione, vt proprium ſanguinem fundat. Meritum martyrij habet, qui proprium ſanguinem fundit in bello, cùm Eccleſia vrgentiſsimè à fidei inimicis premitur. Et huiuſcemodi occiſi vtique contemplativis præferuntur. Verùm nec hoc eſt proprium profeſſorum ordinis militaris, cùm cuivis ſic decertanti, decumbentique conveniat: nec ex illo habetur, quod religio militaris perfectior ſit, quàm contemplativa; niſi ſolùm in aliquo caſu, *ſicut opera activa interdum in aliquo caſu præferuntur contemplationi.* Quod non eſt eſſe perfectiorã ex genere, vt dictum eſt.

Omnia dicta lucem accipiunt ex Caietano loco citato dicente: *In articulo neceſſitatis, putà, ſi Eccleſia periclitaretur, non ſolùm quoad perſonarum oppreſionem, ſed quoad fidei libertatem, maioris meriti eſſet pro Eccleſiæ defenſione vſque ad mortem bellando ſe exponere, quàm contemplari, & prædicare. Et tunc merito martyrij non carerent, qui in tali bello occiderentur. Præferrentur enim in huiuſmodi caſibus milites iſti omnibus religioſis, vt potè Martyribus æquales in merito.*

78. Ad confirm. reſpond. 1. cum noſtris Salmant. tract. 20. diſp. 2. dub. 3. num. 26. labores, quos contemplativi perpetiuntur, inferiores non eſſe mortificationibus vitæ activæ. Immò multò ſuperiores eſſe deprehendet, quiſquis activitatem ignis purgativi, in quo animæ, quæ ad contemplationem diſponuntur, examinantur, conſideret. Pœnas inferni ſuſtinet, qui ad contemplationem accedit, nedum ab alijs, verùm & à ſe ipſo ſegregatus, ad nihilumque redactus iuxta David, Oraculum

lum Psalm. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* De quo videri potest Extaticus noster Doct in omnibus suis scriptis, sed præsertim in tota nocte obscura.

Respond. 2. cum ijsdem Salmant. perfectionem simpliciter talem religionis non provenire ab ipsius austeritate : vnde maior austeritas non arguit maiorem perfectionem. Desumitur autem perfectio religionis ex fine ipsius : quiaque finis religionis contemplativæ perfectior est fine religionis activæ, propterea hæc est minus perfecta, quàm illa. Ex maiori arctitudine desumitur etiam religionis perfectio non illa, quæ est ex genere, & simpliciter talis, sed alia inferior. Vnde ex eo, quòd aliqua religio activa arctior contemplativa foret, nil contra nos haberetur: inde enim solummodò excessus secundùm quid colligi posset.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm vita contemplativa sit magis meritoria quàm activa?

SErmo est de vita contemplativa, & activa secundùm se sumptis, seu attenta ipsarum natura, vt patet ex dictis. Et quia radix meriti est charitas, propterea loquimur de duplici illa vita, supposita æqualitate charitatis ex parte vtriusque. Si namque æqualitas hæc non detur, non adest controversia : quandoquidem quod opus vitæ activæ cum maiori charitate factum sit magis meritorium, quàm actus vitæ contemplativæ, negabit nullus. Ratioque ex modò dictis patet, quia videlicet charitas simpliciter talis est radix meriti : ergo maior charitas maiori præmio digna est. Loquimur ergo stante hac æqualitate, & non loquimur in casu particulari, sed attenta natura huius vtriusque vitæ, supposita æqualitate præiacta: quia etiam est citra controversiam, quòd in aliquo casu particulari est magis meritoria vita activa; quæ, quia in progressu huius quæstionis aperienda sunt, modò indigitasse sufficiat. Quamobrem, re benè considerata, eodem modo loquimur in præsenti de merito huius vtriusque vitæ, ac in præcedenti locuti fuimus de illarum dignitate, & perfectione : hoc est de merito ipsarum sumptarum secundùm genus suum, adiuncta tamen radice indispensabili meriti.

§. I. *Proponitur vera sententia.*

79. SIt nostra concluſ. *Vita contemplativa est magis meritoria, quàm activa.* Sic Div. Thom. 2. 2. q. 182. art. 2. & alijs pluribus locis. Sic etiam Seraph. Noster Pater, quos sequuntur communiter D. D. tum Scholastici, tum Mystici. Probatur ergo 1. concluſ. textu illo sæpiùs adducto ex Luc. cap. 10. vbi Christus Dominus dixit Marthæ : *Maria optimam partem elegit.* Vbi per ly *optimam* non solùm dignitatem vitæ contemplativæ ostendit: sed etiam magis meritoriam adstruit: siquidem Redemptor noster profectum spiritualem illarum sororum solicitabat ; vnde loqui censendus est, non de eo, quod solum metaphysicè est dignius ; sed etiam, & maximè de eo, quod animam magis cum ipso vnit, in qua vnione totus profectus animæ consistit, in qua que maioris meriti ratio reperitur.

80. Probat. 2. concluſ. alia Scriptura adiuncto insigni glossemate Extatic. nostri Doct. Igitur Canticor. cap. 3. v. 5. inquit Deus : *Adiuro vos filiæ Hierusalem::: Ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Hic iuxta D.D. communem sensum introducitur anima sublimi con-

contemplationi dedita, & omnibus creaturis interdicitur, ne hanc contemplationem impediant. Immò ipsi animæ contemplanti notum fit, ne quietem illius contemplationis in solicitam turbationem activæ vitæ commutet: quia nullibi vberiores fructus sibi, totique Ecclesiæ reperiet, quàm in illa fœlici contemplatione. Nec hoc verùm esse censeas solummodò facta comparatione inter actionem, & actionem; verùm etiam si hæc contemplatio ex vna parte cum omnibus operibus vitæ activæ ex alia conferatur, plus apud Deum valere, vtilioremque Ecclesiæ hanc contemplationem esse, deprehendes: Quamquàm minùs perspicacibus contrarium verùm esse appareat. Tota hæc doctrina est nostri sublimis Doctoris pluribus in locis. Sed vbi eam clarissimè docet est in Cant. 29. quæ sic habet.

Pues ya si en el exido,
De oy mas no fuere vista, ni hallada,
Direis, que me he perdido:
Que andando enamorada,
Me hize perdidiza, y fui ganada.

In cuius explicatione traditam doctrinam docet; sed clarius in annotatione, quam datæ cantioni præmittit. Iniurius meo muneri forem, si tanti Doctoris verba non adducerem. Sic loquitur egregius hic Mysta:

Donde es de notar, que en tanto, que el alma no llega à este estado de vnion de amor, le conviene exercitar el amor assi en la vida activa, como en la contemplativa; pero quando ya llegasse à èl, no le es conveniente ocuparse en otras obras, y exercicios exteriores, no siendo de obligacion, que le pueden impedir vn punto de aquella existencia de amor en Dios, aunque sean de gran servicio suyo: porque es mas precioso delante de èl, y de el alma vn poquito de este puro amor, y mas provecho haze à la Iglesia, aunque parece que no haze nada, que todas essotras obras juntas. Que por esso Maria Magdalena, aunque con su predicacion hazia gran provecho, y le hiziera muy grande despues: por el gran deseo que tenia de agradar à su esposo, y aprovechar à la Iglesia, se escondiò en el desierto treinta años, para entregarse de veras à este amor, pareciendole, que en todas maneras ganaria mucho mas de esta manera, por lo mucho que aprovecha, è importa à la Iglesia vn poquito de este amor. De donde quando vn alma tuviesse algo de este graõ de solitario amor, grande agravio se le haria à ella, y à la Iglesia, si, aunque fuesse por poco espacio, la quisiessen ocupar en cosas exteriores, ò activas, aunque fuessen de mucho caudal; porque pues Dios conjura que no la recuerden de este amor, quien se atreverà, y quedarà sin reprehension? Al fin, para este fin de amor fuimos criados. Y adviertan aqui los que son muy activos, que piensan ceñir al mundo con sus predicaciones, y obras exteriores, que mucho mas provecho harian à la Iglesia, y mucho mas agradarian à Dios (dexando á parte el buen exemplo, que se daria) y gastassen, siquiera la mitad de este tiempo en estarse con Dios en oracion, aunque no huviessen llegado à tan alta como esta.

Mirisima subijcit Doct. Sanct. omnino videndus, post quæ concludit: *Esto he dicho para dàr à entender esta Cancion: porque en ella el alma responde por si à los que impugnan este santo ocio de ella, y quieren que todo sea obrar que luzca, y hincha el ojo por de fuera; no entendiendo ellos la vena, y raiz oculta de donde nace el agua, y se haze todo fruto*: est dicere:

Vbi notari debet (videlicet in verbis allati textus) quòd dum anima non pervenit ad hanc vnionem amoris, debet amorem ipsum exercere: tum operibus vitæ activæ; tum otio contemplativæ. Ast cùm iam in illa vnione est, non est animæ conveniens occupari in alijs operibus, & exercitijs exterioribus, si obligatio non adsit, quæ obesse valeant permanentiam illam amoris in Deo, quamvis ex ijs sint, quæ cedunt in magnum eius obsequium: quia pretiosius ante Deum, & animam est vel tantillum huius puri amoris, magisque prodest Ecclesiæ (quamquàm nihil facere videatur) quàm omnia alia opera simul

simul sūpta. Quo circa Maria Magdalena, licèt sua prædicatione vtilis multū erat, vtilissimaque postmodū foret: tamen ob magnum desiderium, quo flagrabat suo sponso placendi, Ecclesiæ que opem ferendi, abscondita est in eremo per triginta annos, vt se verè tradere huic amori, iudicans se sic omnibus modis ditiorem evasuram ob multum, quod Ecclesiæ prodest pauxilum huius amoris. Vnde cùm anima nacta fuerit aliquid huius gradus amoris solitarij, magnam iniuriam ipsa, Ecclesiaque reciperent; si extraheretur ad exercitium rerum exteriorum, seu activarum; quamvis maximæ entitatis sint, & per paucum tempus: quia si Deus imperat, quòd ab hoc amore non suscitetur, quis animam suscitare audebit, & irreprehensus abibit? Denique ad hunc finem amoris creati sumus. Et notent hîc, qui multum activi sunt, renturque totum mundum convertere suis prædicationibus, operibusque exterioribus, quòd vtiliores Ecclesiæ forent, & magis Deo placerent (præter bonum exemplum inde resultans) si vel medietatem huius temporis consumerent cum Deo in oratione, quamvis ad orationem vnionis non pervenerint. Hæc dixerim, vt sensum huius cautionis aperirem: quia in illa anima respondet pro se impugnantibus hoc sanctum ipsius otium, & volunt, quòd tota anima occupetur in operando, quæ exteriùs lucent: qui non percipiunt scaturiginem, arcanamque radicem, à qua aqua oritur, *omnisque fructus provenit.*

Vide in his huius præclarissimi Mytæ verbis maximum meritum vitæ contemplativæ, quantumque in hoc, sicut in dignitate, vitam activam superet. Nec intelligas, hoc solùm verùm esse de illa perfectissima contemplatione vnionis, de qua loquitur Sanctus Doctor, non autem de contemplatione minùs perfecta, quod suadere conaberis ex eo, quod doceat, quod non habens adeò sublimem contemplationem exercere debet vitam contemplativam, & activam.

Hoc tamen nullius momenti est. Quia etiam si de sola illa eminenti contemplatione sermo sit; sat est, quòd illa sit omni actione magis meritoria, vt hoc etiam verificetur de vita contemplativa: tum quia huius meritum pensandum est ex actu perfectissimo ipsius, qui si asseritur magis meritorium, quàm omnes actus vitæ activæ, pariter & vita contemplativa magis meritoria erit. Tum deindè, quia quòd sublimis illa contemplatio sit magis meritoria, non potest provenire ab ipsius intensione, seu perfectione graduali: quia quantumcumque intensa supponatur ipsa, vel charitas, à qua meritoria est, potest abs dubio dari opus activæ vitæ ab intensiori charitate procedens: Ergo intensio, seu maior perfectio gradualis charitatis deservire haud potest, vt contemplatio illa perfectissima magis meritoria sit. Vnde relinquitur, quòd hoc ex suo genere habeat: indidemque, quòd conveniat cuicumque ad tale genus spectanti, ad quod certè pertinent contemplationes, quæ non sunt adeò sublimes. Cuius doctrinæ radicem iam insinuavimus: videlicet, quòd hoc quod est esse magis meritoriam illam sublimem contemplationem, non potest non provenire à charitate, prout iam supposuimus: verùm non provenit à charitate, quia magis perfecta gradualiter: tum quia hoc esset contra id ipsum, quod supposuimus dicentes, nos in præsenti comparare vitam contemplativam cum activa, stante æqualitate ex parte charitatis, vt videlicet, si contemplatio procedit à charitate *vt duo*, ab ipsa charitate *vt duo*, & actio pariter procedat. Tum etiam, quia hoc esset nulla certa lege teneri posse, rationem meriti huius vtriusque vitæ dum venamur: quandoquidem maior perfectio gradualis charitatis non est propria contemplationis; cùm etiam in exterioribus actionibus reperiatur. Provenit ergo hæc præeminentia à charitate, secundùm quod ex se, & independenter ab intensione est magis meritoria se ipsa sub alia consideratione. Quæ sint istæ considerationes, secundùm

dùm quas ipsa charitas est magis, & minus meritoria num. 83. dicemus: modò autem hæc adducimus, vt dicamus; quòd quia sublimis illa contemplatio, de qua loquitur Sanct. Doct. est effectus charitatis secundùm illam considerationem, penes quam est magis meritoria; propterea magis meritoria asseritur: vnde cùm procedere à charitate secundùm illam sublimem considerationem non sit proprium illius contemplationis perfectissimæ, sed conveniat cuicumque divinæ contemplationi, vtî citato numero dicemus, propterea omnis divina contemplatio magis meritoria est, quàm actio.

82. Nec obest, quòd Sanct. Doct. doceat, non habentem contemplationem adeò perfectam debere occupari etiam in vita activa. Tum quia prope finẽ preiactæ authoritatis etiam docet, quòd vel non habentes orationem vnionis, non debeant totum tempus impendere in prædicatione, & alijs operibus vitæ activæ. Vnde si exprimo colligis maius meritum vitæ activæ, ex secundo colligam vitæ contemplativæ maius meritum. Quæ cùm vera esse non possint, nec Sanctus debeat de inconsequentia appellari: relinquitur, quòd discursus à te factus prorsus aereus sit. Tum deindè, & à priori, per quod modò dicta explicantur: quia ad vitam contemplativam prærequiruntur virtutes morales, vt in hac ipsa disputatione dictum à nobis est, cum D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 2. Quod quidem non est ita intelligendum, vt debeat habere omnes virtutes morales in statu perfecto quicumque contemplatur: sed intelligendum est ita, vt vita contemplativa perfecta non sit sine dictis virtutibus in statu perfecto: vita autem contemplativa nondum perfecta dicit virtutes morales in statu imperfecto. Hæ ergo virtutes disponunt ad vitam contemplativam. Vnde qui habet vitam contemplativam nondum perfectam, contemplatur quidem, aliàs vitam contemplativam non haberet: ast quia illam non perfectè habet, propterea cõtemplatur imperfectè, debetque præiactas virtutes exercere, quia sunt dispositiones ad vitam contemplativam perfectè habendam. Vnde perspicuum est, quòd ille, qui perfectè vitam cõtemplativam nondum nactus est, debet contemplari; quia hoc est proprium sui status, debet etiam vitam activam exercere, hoc est, in actibus virtutum moralium occupari, vt vitam illam contemplativam, ad quam tendit valeat obtinere. Et hæc est ratio, ob quam Extat. Doct. dixit, quòd vitam activam etiam exercere debet, qui contemplativam in gradu perfecto non adhuc consequutus est: ac si diceret: Contempletur quidem, qui vitam contemplativam imperfectè habet: contempletur, inquam; sed taliter contempletur, quòd etiam per virtutum moralium exercitium ad ipsam vitam contemplativam perfectè possidendam disponatur. Et hoc prudentissimè edocetur à Sanct. Doct. quia aliter in via hac procedere, est procedere sine methodo debita; ex quo perfectionem vitæ contemplativæ non speret sic procedens, sed caveat præcipitium: Quod monuit Caietanus iam alibi datus, sed qui multoties audiri debeat: sic enim dicta 2. 2. q. 182. art. 2. fatur: *Notent tamen qui alios in via Dei instruunt ad profectum spiritualem, & diligenter efficiant, vt prius in vita activa exerceri faciant, quos edocent, seu instruunt, quam ad contemplationis fastigium suadeant. Oportet siquidem prius passiones domare habitibus mansuetudinis, patientiæ, liberalitatis, humilitatis, &c. Et sedare, quàm ad contemplativam vitam ascendere. Et ob defectum huius multi non ambulantes, sed saltantes in via Dei, postquam multùm temporis vitæ suæ contemplationi dederunt, vacui virtutibus, inveniuntur impatientes, iracundi, superbi, si in huiusmodi tanguntur. Et propterea tales nec activam, nec contemplativam, nec ex vtraque compositam habuerunt, sed super arenam fabricaverunt. Et vtinam non sit frequens defectus iste.*

83. Probatur vltimò conclusio nostra ratione fundamentali, quam

docet

docet Div. Thom. initio quæstionis adductus, per quam dicta duobus numeris præcedentibus lucem habent, reduciturque ad hanc formam: Charitas, vt est principium vitæ contemplativæ est magis meritoria se ipsa, vt est principium vitæ activæ: ergo vita contemplativa est magis meritoria quàm activa. Consequentia est certa. Quia cùm forma simpliciter meritoria sit charitas, à qua quidquid meritorium est, habet quòd sit meritorium, & sine qua nihil meritorium datur, vt supra diximus, modòque debet supponi: ita opus charitatis, vt magis meritoriæ, magis meritorium erit: quia si charitas simpliciter meritoria facit opus simpliciter meritorium: consequens est, quòd ipsa charitas, vt magis meritoria, faciat opus magis meritoriũ, secundùm illud *sicut se habet simpliciter, &c.* Anteced. autẽ probatur. Vita contẽplativa est à charitate, vt est dilectio Dei; vita autem activa est à charitate, vt est dilectio proximi: sed charitas, vt dilectio Dei, est magis meritoria se ipsa, vt est dilectio proximi: ergo charitas, vt est principiũ vitæ contemplativæ, est magis meritoria se ipsa, vt est principium vitæ activæ. Consequentia est innegabilis. Vtraque præmissa est laudati Div. Thom. sic in corp. art. dicentis: *Deum diligere secundùm se est magis meritorium, quàm diligere proximum, vt ex supra dictis patet: & ideò illud, quòd directiùs pertinet ad dilectionem Dei, magis est meritorium ex suo genere, quàm id, quòd directè pertinet ad dilectionem proximi propter Deum. Vita autem contemplativa directè, & immediatè pertinet ad dilectionem Dei: dicit enim Augustinus 19. de Civit. Dei, quòd otium sanctum, scilicet contemplativæ vitæ, quærit charitas veritatis, scilicet divinæ, cui potissimè vita contemplativa insistit, sicut dictum est. Vita autem activa directiùs ordinatur ad dilectionem proximi, quia satagit circa frequens ministerium, vt dicitur Luc. 10. Et ideò ex suo genere contemplativa vita est maioris meriti, quàm activa. Et hoc est, quod Gregorius in 3. homil. super Ezechiel. dicit: Contemplativa vita est maior merito, quàm activa, quia hæc in vsu præsentis operis laborat, in quo necesse est proximis subvenire: illa verò sapore intimo venturam iam requiem degustat, scilicet in contemplatione Dei.*

84. Contra hanc rationem Div. Thom. plura obijci possunt; sed quæ alia concernunt, quæ hîc supponi debeant; vnde deobligamur ab ipsorum disputatione. Videri tamen potest Caietan. 2. 2. q. 27. art. 7. contra Durandum scribentem. Sed nè omnia prætereamus, contra illud, scilicet, dilectio Dei est magis meritoria, quàm dilectio proximi, obijcies 1. Quia Apostolus præposuit dilectionem proximi dilectioni Dei: ergo dilectione Dei magis meritoria est dilectio proximi. Ergo ex quo vita activa ordinetur ad dilectionem proximi, non habetur, quòd sit minùs, sed potiùs, quòd sit magis meritoria, quàm vita contemplativa. Hæc 2. consequent. constat ex 1. quæ ex antecedenti legitimè infertur. Anteced. autem probatur. Quia Apostol. ad Rom. 9. inquit: *Optabam anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Quibus verbis clarè ostendit, se præeligere proximi dilectionem.

Respond. 1. cum Glos. ordin. ibidem: Apostolum in hoc non esse audiendum: dixit enim hæc cùm adhuc spirans minarum, & sedis in discipulos Domini Ecclesiam Dei æmulator paternarum traditionum persequebatur. Respondet. 2. cum D. Chrysost. lib. 1. de Compunctione, quòd ex verbis datis Apostoli non habetur, ipsum magis diligere proximum, quàm Deũ: sed solùm, quòd magis diligeret Deũ, quàm se ipsum: quia volebat ad tempus divina fruitione privari, quod ad dilectionem sui spectat, vt toto illo tempore honorem Dei in cordibus proximorum imprimeret, quod pertinet ad Dei dilectionem. Siquidem id ipsum, quod ipsi suavissimum erat, nempè esse cum Christo, ad tempus relinquebat, quia ita Christo placere iudicabat.

85. Obijcies 2. Facilius est diligere

gere Deum, quàm proximum : ergo magis meritorium est diligere proximum, quàm Deum. Vtraque propositio probanda est. Et 1. prob. anteced. Quia facilius amatur id, quod naturaliter omnia diligunt : Deum naturaliter omnia diligunt : ergo. Probat. 2. idem anteced. Quia in Deo nihil est, nèc esse potest, quòd diligendum non sit, quod quidem non verificatur de proximo : ergo. Deindè probatur consequentia : Quia virtus est circa difficile, & bonum ex 2. Ethicor. cap. 3. ergo minùs difficile est minùs virtuosum ; consequenterque minùs meritorium.

Huic obiectioni respondet Div. Thom. citata q. 27. art. 8. ad 3. dicens: Quòd plus facit ad rationem meriti, & virtutis, bonum, quàm difficile. Vnde non oportet, quòd difficilius sit magis meritorium ; sed quod sic est difficilius, vt etiam sit melius. Sic Div. Thom. de cuius solutione Caietanus dicit: *In art. 8. responsio ad 3. commendanda est memoriæ : quia pluriès oportet ea vti.* Vnde ad obiectionem omisso antecedenti, negetur consequentia ; ad cuius probationem dicas : virtutem esse quidèm circa difficile, & etiam circa bonum. Vnde id, quod ita fuerit difficile, vt non sit bonum, nullatenùs erit virtuosum ; indidemque nec meritorium. Vtrumque requiritur ; sed *plus facit ad rationem meriti, & virtutis, bonum, quàm difficile* : Adque adeò tunc difficilius est magis meritorium, quandò simul est melius. Quæ doctrina nostram assertionem mirisimè fulcit : siquidèm vita contemplativa difficilior est, quàm vita activa, vt convincit paucitas eorum, qui vitam hanc vsque ad finem sequuntur : cùm infiniti sint, qui vitam activam insectantur. Est etiam melior, vt patet ex dictis quæstione præcedenti : relinquitur ergo quòd sit magis meritoria. Sed nè à doctrina data Angel. Præcep. vel latum vnguem recedamus: permittimus quidem, quòd vita contemplativa est minùs difficilis, quàm activa ; sed ista est minùs bona, quàm illa, vt præcedenti quæstione dicebamus : & quia *plus facit ad rationem meriti, & virtutis, bonum, quàm difficile* ; propterèa vita contemplativa, quæ præeminet in eo, quòd *plus facit ad rationem meriti*, est magis meritoria.

§. II. *Solvuntur argumenta.*

86. COntra nostram conclus. sentiunt Henric. Gand. num. 44. & non nulli Foreri, qui suos labores vt extollant, vitam activam contemplativæ præferre non dubitant. Hi sunt Hostiensis, Albericus, Jason, Lucas de Pen. & alij, vt testantur nostri Salmant. tract. 20. disp. 2. num. 26. Horum argumenta plumbea prorsùs sunt, quorum aliqua iam in ipsa hac disputatione enervavimus, aliorum nec meminisse opus est. Vnde alia argumenta, quæ aliquam difficultatem præ se ferunt, adducemus. Arguit. ergo sic 1. Quia 1. ad Corinth. cap. 3. ait Paulus: *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm proprium laborem* ; Loquitur de præmio vitæ æternæ, & adstruit, quòd tale præmium obtinetur per proprium laborem obtinentis, & taliter obtinetur, quòd *per proprium laborem* obtineatur : quia merces vitæ æternæ proportionatur labori, quo meretur. Vnde vbi adest maior labor, datur maius præmium. Et in hoc consistit Beatorũ diversitas ; quia licèt omnes eundem Deum videant, alij minùs, alij magis vidẽt *secundùm propriũ laborem*, quo illam visionem Dei nacti sunt. Ex quibus hoc argumentum conficitur: Maiori labori correspondet maius præmium : in vita activa datur maior labor, quàm in contemplativa : ergo vitæ activæ correspondet maius præmium ; atque adeò est magis meritoria. Consequentia negari non potest. Maior patet ex inducta authoritate, & minor est expressa Div. Thom. locis citatis, Div. Augustini dicentis de vita contemplativa, & activa: *Laborabat ista, vacabat illa.* Et etiam Div. Gregor. cuius verba nobis dedit D. Thom. num. 83.

87. Confirm. quia hoc ipsum sua-

suadent innumeræ scripturæ. Vnam, vel alteram solummodò adducimus. In primis enim David Psalm. 127. ait: *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Vbi beatitudo promittitur, non quieti vitæ contemplativæ, sed solicitudini laboriosæ vitæ activæ. Insuper Canticor. cap. 4. anima coronanda vocatur, non à quiete contemplationis, sed à laboribus activæ vitæ per hæc verba: *Veni de libano, sponsa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Amanà, de vertice Sanir, & Hermon de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Denique in illo mirabili sermone, quem Christus Dominus habuit, refertur que à Div. Matth cap. 5. Ponitur præmium nostrorum operum salutarium, & merita, quibus illud cœleste præmium obtinetur: & tamen in nulla ex illis octo beatitudinibus ponitur vita contemplativa, vt meritum æterni illius præmij; sed solùm vita activa ponitur, vt considerans illas beatitudines facilè cognoscet. Ergo signum est, quòd licèt vita contemplativa meritoria sit; tamen quia vita activa est magis meritoria; propterea dum de præmio futuræ beatitudinis agitur, solius vitæ activæ mentio fit.

Hoc argumentum cum sua confirmatione qualitercumque condiatur, negare nequaquam potest, illorum esse, quæ multum probant; atque adeò nihil concludunt. Si namque vita æterna promittitur laboranti, & in vita contemplativa nullus labor adest; sed solùm in vita activa reperitur, sola vita activa erit meritoria, & vita contemplativa nullatenus meritoria erit. Vnde vel ipse status præsentis quæstionis destruitur. Ex quo principio etiam convincitur, quòd tres Evangelistæ, videlicet Div. Matth. Div. Marcus, & Div. Luc. informent nos omninò de ijs, quibus vita æterna obtinetur; Div. verò Joannes minimè; dicente ex Augustin. Div. Thom. in prologo dicti Evangelij: *Cæteri Evangelistæ informant nos in eorum Evangelijs quantum ad vitam activam: sed Joannes in suo Evangelio informat nos etiam quantùm ad vitam contemplativam.* Vnde infertur, quòd, qua parte nos informat *quantùm ad vitam contemplativam*, de re non conducente ad merendum præmium æternum nos informet. Et hæc est prima facti argumenti solutio.

88. Vt secundam solutionem, quæ directa est, tradamus, notare debes ex Div. Thom. in cap. 5. Canticor. quòd Deus vocat animam non solùm, quando morte præeunte illam in gloria coronat; *sed etiam cùm per internam inspirationem, vt in virtutibus proficiat, hortatur.* Et denique in die generalis resurrectionis eam vocabit simul cum corpore redimendam. Vnde in dicto textu tèr dicitur *veni*, quia ait Sanct. Doct. *Vocat eam primò, vt ad se veniat per fidem. Vocat secundò, vt dignam cœlestium præmiorum retributionem iam liberata à corpore accipiat. Vocat tertiò, vt in die generalis resurrectionis iam assumpto corpore duplici stola ornata perpetuò gaudeat.*

89. Scias 2. ex eodem Angel. Doct. 2. 2. q. 180. art. 7. ad 3. quòd licèt contemplatio divina, habita in via, eiusque delectatio perfectissimæ sint, si absolutè considerentur; vel si cum alijs rebus ad exilium pertinentibus conferantur: cæterùm si comparatio fiat cum contemplatione patriæ, aliter res se habet, quia *contemplatio Dei in hac vita imperfecta est respectu contemplationis patriæ, & similiter delectatio contemplationis viæ est imperfecta respectu delectationis contemplationis patriæ.* Et hoc ideò est, quia *si consideremus quæ, & quanta nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ fœlicitati comparata pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita*, ait Div. Gregor. humil. 37. in Evangel. Vnde licèt contemplatio viæ vita sit, vt diximus q. 1. relatè tamen ad contemplationem patriæ *mors est potius dicenda, quàm vita.* Similiterque licèt dulcissima sit; respectu tamen contem-

plationis patriæ *pondus est, non subsidium.* Hinc querulæ illæ voces, ac suspiria exulis animæ cum Seraph. Theresia *exclamat.* 1. dicentis : *O vita vita quomodo vivere potest à tua vita absens cùm sis? In tanta solitudine, in quo occuparis? Quid facis? Siquidem omnia opera tua imperfecta, ac defectus sunt.* Hinc etiam cum Extat. nostro Doct. clamat à Cant. 6. vsque ad 12. exhibens desiderium, quo amburitur imperfectionem huius vitæ deserendi, exercendique illam, quæ solummodò perfectissima est, fœlicissimam patriæ contemplationem. In cantione 11. sic ait:

Descubre tu presencia,
Y mateme tu vista, y hermosura:
Mira que la dolencia
De amor no bien se cura,
Sino con la presencia, y la figura.

90. Scias 3. ex eodem Angel. Doct. 2. 2. q. 8. art. 7. & 1. 2. q. 69. art. 2. & in 3. disp. 34 q. 1. art 4. Quòd in illis octo beatitudinibus, de quibus confirmatio loquitur, duo inveniuntur: vnum, quod se habet vt meritum; aliud verò, quod habet rationem finis, seu præmij. v. g. cùm dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Invenitur meritũ, seu mediũ, videlicet, paupertas spiritus, qua finis, seu præmiũ, quod est regnũ cœlorum, obtinetur. Hoc autem medium, seu meritum, in quacũque beatitudine est distinctum: quandoquidem in vna est paupertas spiritus, in alia mititas, in alia planctus, & sic de alijs. In præmio autem aliter res se habet: hoc enim vnum est, scilicet æterna beatitudo. Sic Div. Thom. loco citato ex 1. 2. vbi ait: *Ad 1. ergo dicendum, quòd sicut Chrisost. dicit, omnia præmia ista vnum sunt in re, scilicet, beatitudo æterna, quam intellectus humanus non capit: & ideò oportuit, quòd per diversa bona in nobis nota, describeretur observata convenientia ad merita, quibus præmia attribuuntur.*

Quæ cùm ita sint, posteà ad 3. solidissimam rationem dedit, cur eadem cœlestis beatitudo totiès sine defectu iteretur. Sic enim ait: *Ad 3. dicendum, quòd etiam præmia secundùm additionem se habent ad invicem: nam plus est possidere terram regni cælorum, quàm simpliciter habere: multa enim habemus, quæ non firmitèr, & pacificè possidemus. Plus est etiam consolari in regno, quàm habere, & possidere: multa enim cum dolore possidemus. Plus est etiam saturari, quàm simpliciter consolari, nam saturitas abundantiam consolationis importat. Misericordia verò excedit saturitatem, vt plus, scilicet homo accipiat, quàm meruerit, vel desiderare potuerit. Adhuc autem maius est Deum videre: sicut maior est, qui in curia Regis non solùm prandet, sed etiam faciem Regis videt. Summam autem dignitatem in domo regia filius Regis habet.*

91. Nec per hoc, quod D. Thom. astruat præmium octo beatitudinum esse eandem æternam beatitudinem, intelligas ipsum contrariari opinionibus eorum, qui docent, alij, quòd harum beatitudinum præmia pertinent ad vitam præsentem, alij ad futuram. Has opiniones refert art. 2. dicens: *Circa ista præmia Expositores Sacræ Scripturæ diversimodè sunt locuti. Quidam enim omnia ista præmia ad futuram beatitudinem pertinere dicunt, sicut Ambros. sup. Luc. Augustin. verò dicit ea ad præsentem vitam pertinere.* Ex his duabus opinionibus suam sternit D. Thom. vtriusque confiliatricem, quæ nec est eadem cum illis, nec diversa. Sic enim prosequitur. *Considerandum est, quòd spes futuræ beatitudinis potest esse in nobis propter duo. Primò quidem propter aliquam præparationem, vel dispositionem ad futuram beatitudinem, quod est per modum meriti: alio modo, per quandam inchoationem imperfectam futuræ beatitudinis in viris sanctis etiam in hac vita. Aliter enim habetur spes fructificationis arboris cum virescit frondibus, & aliter cùm iam primordia fructuum incipiunt apparere. Sic igitur ea, quæ in beatitudinibus tanguntur tamquàm merita, sunt quædam præparationes, vel dispositiones ad beatitudinem, vel perfectam, vel inchoatam: ea verò, quæ ponuntur tam-*

quàm

quàm præmia, possunt esse, vel ipsa beatitudo perfecta, & sic pertinet ad futuram vitam: vel aliqua inchoatio beatitudinis, sicut est in viris perfectis, & sic præmia pertinent ad præsentem vitam.

Vnde habes, & est vltimum, quod scire debes: quòd beatitudo æterna dupliciter haberi potest. Primò in sui dispositione: Secundò in sui habitatione. In sui dispositione habetur, cùm elicitur actus, quo æterna beatitudo meretur. Et hi actus sunt, qui tamquàm merita ponuntur in octo beatitudinibus, iuxta dicta num. 90. Rursus quòd æterna beatitudo habeatur in se, stat dupliciter: nam vel habetur in se perfectè: & sic pertinet ad futuram vitam. Quo circa præmium correspondens octo beatitudinibus, si consideretur, vt perfectè habitum, non pertinet ad exilium, sed est proprium patriæ. Insuper ipsa æterna beatitudo potest haberi in se imperfectè, & prout sic pertinet ad præsentem vitam, habetque rationem præmij, quo remunerantur actus octo beatitudinum secundùm illam rationem, penes quam, vt dictum est, habent rationem meriti.

92. Sed quid est, rogabis, æterna beatitudo inchoata, seu imperfectè habita? Huic interrogationi respondet Div. Thom. citato art. 2. quòd beatitudo *contemplativa, si sit perfecta, est essentialiter ipsa futura beatitudo: si autem est imperfecta, est quædam inchoatio eius.* Vnde cùm futura beatitudo consistat in visione Dei, quæ est perfectissima contemplatio: indè sequitur, quòd beatitudo contemplativa imperfecta sit contemplatio ipsius Dei, quæ habetur in præsenti vita. Hoc ipsum docuit Sanct. Doct. articulo sequenti per hæc verba. *Ea verò, quæ ad contemplativam vitam pertinent, vel sunt ipsa beatitudo finalis, vel aliqua inchoatio eius, & ideò non ponuntur in beatitudinibus tamquàm merita, sed tamquàm præmia: ponuntur autem tamquàm merita effectus activæ vitæ, quibus homo disponitur ad contemplativam vitam.* Ex his ergo habes, quòd activa vita ponitur in beatitudinibus tamquàm meritum, quo acquiritur contemplatio, vel perfecta, si sit futura: vel imperfecta, si sit, quæ habetur in hac vita.

93. Ex quibus necessariò, quantum capimus, præmissis, facilis est ad obiecta solutio: ad argumentum quidem respondetur, quòd merces illa, de qua loquitur Paulus, vel est merces inchoata, vel perfecta, iuxta dicta num. 91. Si est merces inchoata, est contemplatio huius vitæ, vt diximus num. præcedenti, quam contemplationem meretur vita activa, vt ibidem vidimus, & num. 90. Si autem est merces perfecta, tunc hæc est contemplatio perfectissima patriæ, quam meretur quidem vita activa, sed potius vita contemplativa: quæ licèt perfectissima, & dulcissima sit, tum in se, tum relatè ad vitam activam: comparata tamen cum contemplatione patriæ labor, & quidem maximus est, & etiam est imperfecta, iuxta dicta num. 89. Ad discursum in hoc ipso argumento efformatum respondetur iuxta dicta, adiunctis ijs, quæ diximus num. 85. & 87.

Ad confirmationem similiter respondetur ad primam authoritatem, quòd si David intelligitur de manducatione, de qua aliàs dixit: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; Psalm. 16. v. 15. Tunc hæc satietas non solùm habetur per vitam activam; sed etiam, & meliùs per contemplativam, quæ relatè ad illam satietatem labor est. Si autem intelligatur de manducatione imperfecta, quæ est contemplatio huius vitæ iuxta illud: *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus.* Eccles. cap. 15. v. 3. Tunc dicimus, quòd ad hanc contemplationem disponit vita activa, quæ sanè laboriosa absolutè est. Ad illud ex canticis dicas: quòd iuxta dicta num. 88. Si anima illa vocatur ad beatitudinem inchoatam, vocatur quidem ab eo, quod ad illam disponit, scilicet à vita activa, & in transitu truces impetus crudelium inimicorum perpetitur. Si autem vocatur ad beatitudinem perfectam; tunc à vita activa, & cum maiori

iori proportione à contemplativa, vocatur, vt à suo dilectissimo Sponso labores ipsius in vtraque illa vita perpessi coronentur.

Ad vltimum patet ex omnibus ferè prælibatis, beatitudinem esse finem: Vnde non potest beatitudo consistere in vita activa, quæ finis rationem non habet. Consistit tamen in Dei contemplatione, iuxta dicta num. 92. Et sive hæc Dei contemplatio sit perfecta, vel imperfecta, ponitur in omnibus beatitudinibus tamquam præmium, iuxta dicta num. 90. & 91. Sicut enim beatitudo consummata est præmium vitæ activæ, & magis vitæ contemplativæ: ita eadem vita contemplativa, seu beatitudo inchoata præmium est activæ vitæ. Vnde patet, quòd vita activa est meritoria; sed magis meritoria est vita contempl[illegible]va.

94. Arg. 2. Quod magis accedit ad id, quod non est meritorium, minùs meritorium est, quàm id, quod minùs accedit: Sed vita contemplativa magis accedit ad futuram fœlicitatem, quæ nullo modo meritoria est: ergo vita contemplativa minùs meritoria est, quàm activa. Consequentia bona est, & min. patet ex dictis, quia vita contemplativa est fœlicitas inchoata; consequenterque minùs distat à fœlicitate consummata, quàm id, quod nullo modo est fœlicitas. Mai. autem probatur: quia id, in quo consistit maior accessus rei meritoriæ ad non meritoriam non potest conducere ad meritum, aliàs quamtumcumque crescceret accessus, non amitteretur ratio meritorij; atque adeò ipsa fœlicitas consummata meritoria foret: ergo quod magis accedit ad non meritorium, minus meritorium est.

Resp. mai. esse falsam in proposito: quia quòd fœlicitas æterna, seu contemplatio consummata non sit meritoria, non provenit aliundè nisi, quia est in termino. Si namque in termino non esset, vtique meritoria foret: vnde contemplatio quamtumvis perfecta consideretur; si tamen in termino non est, est meritoria, & magis meritoria, quo magis perfecta. Alias idem diceretur de gratia, & charitate, scilicet, quòd minùs meritoriæ essent, dum magis gratiæ, & charitati consummatis propinquæ sunt.

95. Arg. 3. Quia zelus animarum spectat ad vitam activam: sed zelus animarum est magis meritorius, quàm vita contemplativa: ergo hæc minùs meritoria est, quàm activa. Cætera constant, & min. probatur. Id est magis meritorium, quod Deo est magis acceptum: sed iuxta Div. Gregor. humil. 12. in Ezech. nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum: ergo.

Respondetur distinguendo min. illamque concedendo de zelo animarum, prout est effectus perfectissimæ contemplationis, iuxta superius dicta; non autem de zelo animarum, qui ex redundantia contemplationis non oriatur. Præterquam quòd mens Div. Gregor. non est, quam arguens intendit, sed quam Div. Thom. 2. 2. q. 182. art. 2. ad 3. aperit his verbis: *Per hoc ergo, quod dicitur, quòd nullum sacrificium est Deo magis acceptum, quàm zelus animarum, non præfertur meritum vitæ activæ merito vitæ contemplativæ: sed ostenditur magis esse meritorium, si quis offerat Deo animam suam, & aliorum, quàm quæcumque alia exteriora dona.*

QUÆSTIO QUINTA.

Vtrùm vita contemplativa sit prior, quàm activa?

NVllibi vividiùs exprimi potest qualiter vita contemplativa se habeat relatè ad vitam activam, & econversò, quàm in discussione præsentis difficultatis. Quo circa placuit illam modò excitare, vt ex

ex dicendis natura vitæ contemplativæ penitiùs percipiatur.

§. I. *Brevis tituli explicatio, ac difficultatis resolutio.*

96. DVpliciter potest aliquid esse prius alio. Primò in executione, & quoad nos. Secundò in intentione, & quoad se. Illud est prius in executione, & quoad nos, quod nos debemus priùs executioni mandare, vt ex tali rei executione habeamus id, quod obtinere nittimur. Illud verò est priùs in intentione, & quoad se, quod prius intenditur, & ob cuius desiderium alia executioni mandantur. Primo modo sunt media priora fine, dispositionesque ad aliquid, vel faciendum, vel habendum, vel vitandum, sunt priores ipso aliquo. Secundo modo finis est prior, quàm media, & forma, sivè omne id, ad quod dispositiones præmittũtur, sunt priùs, quàm ipsæ dispositiones. Vnde cùm de prioritate vitæ contemplativæ respectu activæ sermo est, de vtraque prioritate loquimur.

97. Sit nostra conclus. *Vita contemplativa est prior in intentione quàm vita activa, sed vita activa est prior in executione.* Assertio hæc est. D. Thom. dict. quæst. 182. art. 4. Quem sequuntur communiter quotquot præsentem controversiam attingunt. Probatur ergo quoad vtramque partem sic brevitèr. Inter finem, & media servatur hic ordo, videlicet, quòd finis sit prior in intentione, quàm media; hæc verò sint fine priora in executione: Sed vita contemplativa est finis vitæ activæ: ergo vita contemplativa est prior in intentione, quàm vita activa; hæc autem est in executione prior illa. Mai. constat ex ijs, quæ numero præcedenti diximus ex communi Metaphysic. doctrina. Veritas autem minoris patet ex dictis quæstione præcedenti, vbi multoties ex Div. Thom. diximus, vitam contemplativam esse finem vitæ activæ.

98. Confirm. ratio facta: forma est prior in intentione, & posterior in executione, quàm dispositio prærequisita ad ipsius introductionem: sed vita contemplativa se habet vt forma, ad quam vita activa disponit: ergo. Probatur minor; quia exercitium virtutum moralium est vita activa: sed virtutes morales, earumque exercitium disponunt ad vitam contemplativam: ergo. Cætera nota sunt, & minor est Div. Thom. 2. 2. q. 180. art. 2. vbi ait: *Virtutes morales dispositivè ad vitam contemplativam pertinent.*

§. II. *Respondetur argumentis.*

99. CONtra positam assertionem sunt argumenta, quæ iam ipsam, iam rationem probativam impugnant. Arg. ergo sic 1. Vita activa non est medium, nec dispositio ad vitam contemplativam: ergo hæc non est prior illa in intentione, & posterior in executione. Consequentia constat ex ratione, & confirmatione à nobis factis, & antecedens probatur: Obtento fine superfluunt media, quibus obtentus est; & habita forma evanescunt dispositiones, quæ ad eius introductionem præcesserunt: sed consecuta vita contemplativa non evanescit, nec superfluit vita activa: ergo hæc non est medium, nec dispositio ad illam. Probatur min. quia consecuta vita contemplativa adhuc activa exercetur, vt patet in Proficientibus, qui etiam si contemplentur, in acquisitione virtutum occupantur.

Respondetur: Vitam activam verè esse medium, dispositionemque vt vita contemplativa obtineatur. *Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, & per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus: & ideò virtutes morales dispositivè ad vitam contemplativam pertinent,* ait Div. Thom. art. 2. citato, iam alibi in hac ipsa disputatio-

ne

ne adductus, & expensus. Debet tamen considerari, quòd vita contemplativa non consistit in indivisibili, sicut adeptio gloriæ, consecutio termini nostri motus localis, & introductio formæ in materia: vnde introducta forma, disparent dispositiones, consecuto termino, cessat motus, & adepta gloria, extemplò quicquid rationem medij, seu dispositionis ad eius adeptionem habebat, evanescit, vt minùs, sub illa ratione, sub qua ad gloriam obtinendam disponebat: quamobrèm evacuatur fides, cessat spes, & vel ipsa charitas sub ratione meritoriæ cessat. Vita autem cõtemplativa habet suam latitudinem: vnde licèt habeatur entitativè; & ad illam prout sic habendam non requiratur dispositio vitæ activæ; requiritur tamen, vt perfectiùs habeatur. Ad eum modum, quo charitas viæ, & si quoad entitatem habeatur, conducunt tamen virtutes morales, atque ideò vitæ activæ exercitium, vt magis, ac magis radicetur, donec consummata sit. Sic ergo vita contemplativa, vsque dum perfecta sit, crescit per exercitium vitæ activæ. Et hæc est doctrina Div. Gregor. lib. 6. moral. cap. 27. vt ait: *Qui contemplationis arcem tenere desiderant, priùs se in campo per exercitium operis probent.* Et homil. 3. super Ezech. inquit: *Activa vita prior est tempore, quàm contemplativa: quia ex bono opere tenditur ad contemplationem.* Sicut enim *ex bono opere tenditur ad contemplationem* simpliciter: sic etiam postquam habetur contemplatio simpliciter: *ex bono opere* prosecuto *tenditur ad contemplationem* perfectiorem, donec ista consummetur.

100. Dices: si ita res se habet, & paritas adducta charitatis aliquid probat, probat quidem quod toto tempore vitæ debeat contemplativus exercere vitam activam: consequens est omnino absurdum, vt potè pugnans cum omnium Theologorum S. S. que P. P. doctrina, cum experientia, & cum veritate ipsa: ergo ruit data doctrina. Maior, seu sequela probatur 1. quia contemplatio non consummatur vsque ad patriam: ergo si donec consummetur, disponit ad illam vita activa, durabit hæc toto vitæ tempore. *Probatur* 2. quia toto tempore vitæ augetur charitas, quin habeat terminum suæ intensionis, iuxta illud ad Philip. cap. 1. *Oro, vt charitas magis, ac magis, abundet*, de quo videri possunt nostri Salmant. tract. 19. disp. 5. dub. 1. Ergo si virtutes morales disponunt ad perfectiorem charitatem, toto tempore vitæ durabit exercitium virtutum moralium.

Resp. neg. mai. seu sequelam, ad cuius primam probationem dicas: consummationem contẽplationis per evacuationem fidei, & adventum luminis gloriæ non haberi vsque ad patriam; nec de hac consummatione modò loquimur, sed de consummatione, quæ idem est, ac perfectio ipsius contemplationis. Et hoc adhuc dupliciter capi potest. Primò de perfectione graduali, & hæc est eadem ac præcedens, si loquamur de perfectione contemplationis in hoc, quia quilibet habet terminum à Deo præfixum, vltra quem eius contemplatio sicut & charitas, non progrediatur. Si autem loquamur de perfectione graduali contemplationis, secundùm se inspectæ; dicimus, quòd prout sic nunquam consummatur; ita vt non possit, etiam in patria, saltem de posse extraordinario Dei, plùs intendi, vt optimè probant citati Salmant. Quo circa in præsenti loquimur de alia consummatione, quæ consistit in contemplatione, adeo sublimi, & charitate adòe fervida, & robusta, vt sint constitutivæ status Perfectorum. Advenientibus ergo hac contemplatione, & ista charitate, cessat exercitium vitæ activæ: nec hæc iam necessaria est, vt charitas ipsa intendatur: quia cùm contemplatio magis meritoria sit, quàm actio, prout vidimus quæstione præcedenti, potiùs per contemplationem augetur, quàm per actionem. Et de hac præsertim contemplatione perfecta intelligendam iri nostram assertionem, ex Div. Thom. art. 4. citato disco, qui ad primum novam rationem conclu-

sionis

sionis probativam offerens, concludit: *Ex quo etiam patet, quòd vita activa præcedit contemplativam, sicut quod est commune omnium præcedit in via generationis id, quod est proprium Perfectorum.*

Pluribus in locis hanc ipsam doctrinam tradit Extat. Nost. Pat. audiendus cant. 26. sui epithal. vbi ait:

En la interior bodega
De mi amado bebì, y quando salìa,
Por toda aquesta vega
Ya cosa no sabìa,
Y el ganado perdì, que antes seguìa.

101. In cuius carmine 4. profundissimè spatiatur, ostendens perfectionem, qua in hac cella vinaria anima decoratur, scientiam eminentissimam, qua fulget, & quomodò omnium ad vitam activam spectantium oblita in cœlesti contemplatione penitùs occupatur.

Sed contra, & arg. quia quicumque, etiam si Perfectus sit, exercet opera vitæ activæ, vt notum cuicumque est: sed illa opera non sunt tunc dispositio ad contemplationem: ergo numquam. Consequentia videtur nota: quia eodem modo habentur huiusce-modi opera nunc, ac priùs: vnde si in iam Perfectis non habent rationem dispositionis relatè ad contemplationem perfectam; pariter nec in alijs. Minor autem probatur: Quia contemplatio perfecta iam habetur: ergo non possunt habere rationem dispositionis opera illa; quia adveniente re, pro qua dispositiones dantur, cessant istæ.

Respond. ex Div. Thom. dicta q. 182. art. 4. in corp. vbi ait: *Vita activa habet finem in exterioribus actibus, qui si referantur ad quietem contemplationis, iam pertinent ad vitam contemplativam.* Vnde id omne, quod in Perfectis est activum ad vitam contemplativam pertinent, quod iam ampliùs declaratur.

102. Dices: Incipientes dirigunt ad quietem cõtemplationis actus suos: at Incipientes spectant ad vitam activam: ergo quòd actus referatur ad finem contemplationis, non facit ipsum pertinere ad vitam contemplativam. Consequentia videtur nota, & antecedens probatur: Quia Incipientes tendunt ad contemplationis quietem, illam quærunt, & pro ipsius habitione sudant.

Resp. desting. anteced. *dirigunt* ex desiderio contemplationis, concedo; ex habitu contemplationis, nego antecedens; ac deinde negetur absolutè consequentia. Itaque quòd actus dirigatur in quietem contemplationis, potest provenire non ex habitu contemplationis iam habito, sed ex desiderio ipsius contemplationis, quod facit desiderantem illam inquirere, ac respicere tamquàm finem sui motus: vel potest provenire ex desiderio contemplationis, & habitu ipsius iam præsuppositi. Inter quæ duo hoc interest: quòd actus inquirens contemplationem ex solo desiderio ipsius prorsùs spectat ad vitam activam; occupatur enim iste actus vel in extirpatione vitiorum, vel in acquisitione virtutum, quod vitæ activæ proprium est. Actus autem tendens in quietem contemplationis ex habitu ipsius contemplationis, licèt aliàs sit activus, pertinet tamen ad vitam contemplativam, vtî data authoritate asserit Sanct. Thom. Cuius ratio ea esse potest: quòd pertinens ad vitam contemplativam, qui nomine incomplexo dicitur contemplativus, non dicitur ille, qui solummodò contemplationi studet: sicut nec activus dicitur, qui tantumodò vitæ activæ destinatur, ita vt numquam contempletur. *Vita vniuscuiusque hominis videtur esse id, in quo maximè delectatur, & cui maximè intendit, & in hoc præcipuè vult quilibet convivere amico, vt dicitur in 9. Ethicor.* ait Div. Thom. dicta 2. 2. q. 179. art. 1. Vnde contemplativus ille dicitur, qui contemplationi *maximè intendit*, sicut & activus, qui actioni maximè intendit: licèt iste aliquandò contempletur, & ille aliqua vitæ activæ opera habeat. Vnde cùm opus activum elicit, qui in illo opere non maximè delectatur, nec illi maximè intendit, nec in eo præcipuè vult convivere amico, sed in con-

templatione: tunc iſte non eſt vitæ activæ, ſed contemplativæ: nec tale opus pertinet ad vitam activam, ſed ad contemplativam; quia ex habitu contemplationis *refertur ad quietem contemplationis.*

103. Inſtabis: vt opera vitæ activæ *referantur ad quietem contemplationis* ex habitu contemplationis, non requiritur contemplatio perfecta; quia antequam aliquis ſit Perfectus habet contemplationis habitum, habetque opera activa, quæ in quietem contemplationis refert ex habitu ipſius contemplationis: ergo vel Perfecti exercent vitam activam, vel illam Imperfecti contemplativi non exercent.

Reſp. ex Div. Thom. dict. 2. 2. q. 181. art. 4. ad 1. & 1. 2. q. 67. art. 1. quòd virtutes morales, in quarum exercitio vita activa conſiſtit, vt dictum eſt, habent duplex genus actuum: nam alij ſunt circa media; alij verò circa finem. Actus, qui ſunt circa media occupantur in ſedatione exteriorum tumultuum, & in cohibitione paſsionum: & hi actus ſunt proprij vitæ activæ exercenturque à non habente contemplationem perfectam. Vnde licèt ad quietem contemplationis referri poſſint, & habitum contemplationis ſupponant: tamen relatio illa non eſt immediata, nec habitus iſte perfectus eſt, & vtrumque requiritur, vt ad vitam contemplativam valeat opus ſpectare. Actus verò, qui ſunt circa finem, ſupponunt paſsiones cohibitas, ſedatoſque tumultus exteriores: quo circà ad vitam contemplativam attinent. Et prout ſic habentur à Perfectis, dicente citato Div. Thom. *Huiuſmodi enim actus*, videlicet, qui ſunt circa finem, *ſunt, ſecundùm quod conſtituunt quietem contemplationis, quam Auguſtin. in præmiſſis verbis ſignificat per vacationem, quæ eſt intelligenda non ſolùm ab exterioribus tumultibus, ſed etiam ab interiore perturbatione paſſionum.*

Ex quibus patet, quòd vita activa manet, & non manet cum vita contemplativa perfecta. Manet quidem, quia licèt prout ſic ſit diſpoſitio, & iam hoc munus exercere non valeat; nihil tamen prohibet, quòd diſpoſitio, quæ denudabilis eſt ab imperfectionibus, qualis eſt vita activa ſecundùm actus, qui ſunt ad finem, maneat ſimùl cum eo, ad quod diſpoſuit. Cæterum non manet ſecundùm actus, qui ſunt circa ea, quæ ſunt ad finem; quia hoc modo habet imperfectionem indenudabilem; indidemque incompoſsibilem cum ipſa vita contemplativa perfecta. Quæ eſt doctrina Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. qua doctrina poſteà iterum vſuri ſumus. Ait ergo Angel. Doct. *Ad 3. dicendum, quòd diſpoſitiones, quæ eſſentialiter habent imperfectionem annexam, non manent cum eo, ad quod diſponunt, ſicut fides non manet cum viſione. Sed aliæ diſpoſitiones poſſunt ſimùl manere, vt dictum, eſt; & ſic eſt vita activa.*

104. Arg. 3. contra concluſionem abſolutè conſideratam: vita contemplativa pertinet ad dilectionem Dei, & activa vita ad proximi dilectionem, vt conſtat ex dictis num. 83. ſed inter dilectionem Dei, & proximi non datur ille ordo prioris, & poſterioris: ergo neque inter vitam contemplativam, & activam. Probatur min. quia dilectio proximi nullo modo eſt prior dilectione Dei; ſi namque proximus diligitur propter Deũ, iam præſupponitur dilectio Dei: ergo tenet minor.

Reſp. 1. Omiſsis præmiſsis, ſeu conceſsis, negando conſequentiam, quæ ex ijs non infertur. Poſſe enim dari dictum ordinem inter vitam contemplativam, & activam, licèt non detur talis ordo inter illas dilectiones, ad quas pertinent, quis non videat? Deinde, ſeu 2. reſpondetur negando minorem, cum Div. Thom. dicente art. 4. citato ex 2. 2. *Quòd vita contemplativa non ordinatur ad qualemcumque dilectionem Dei, ſed ad perfectam.* Quiaque dilectio perfecta Dei eſt prior in intentione, & in executione poſterior, quàm dilectio proximi, & quàm dilectio imperfecta ipſius Dei; propterea inter vitam contemplativam, & activam datur ille ordo, quem pro concluſione ſta-

ſtatuimus. Videatur citatus D. Thom.

105. Arg. 4. eatenus vita contemplativa foret modo dicto prior, & poſterior, quàm activa, quatenùs per activam tendimus ad contemplativam: ſed etiam ex contemplativa tendimus ad activam: ergo vita contemplativa non eſt modo dicto prior quàm activa. Conſequentia bona eſt, quia ſi propter illam rationem foret vita contemplativa modo dicto prior, & poſterior activa; ſimiliter propter eandem rationem eſſet vita activa prior in intentione, & poſterior in executione, quàm contemplativa, quod involuit manifeſtam repugnantiam. Min. autem probatur ex Div. Gregor. humil. 14. in Ezech. dicente: *Sciendum eſt, quòd ſicut bonus ordo vivendi eſt, vt ab activa in contemplativa tendatur; ita plerumquè vtiliter à contemplativa animus ad activam reflectitur*: ergo à vita contemplativa tendimus ad activam.

Ad hoc argumentum reſpondet Div. Thom. art. 4. citato hiſce verbis: *Ad 2. dicendum, quòd à vita activa proceditur ad vitam contemplativam ſecundùm ordinem generationis: á vita autem contemplativa reditur ad vitam activam per viam directionis, vt, ſcilicet, vita activa per contemplationem dirigatur: ſicut etiam per operationes acquiritur habitus, & per habitum acquiſitum perfectiùs aliquis operatur, vt dicitur in 2. Ethicor.*

106. Arg. vltimò: Vita activa, & contemplativa non conveniunt eidem ſubiecto: ergo non ſervant illum ordinem à nobis aſsignatum. Patet iſta: quia ſi talem ordinem ſervarent, eſſet quia eidem ſubiecto convenirent: tunc enim locum haberet, quòd vna priùs alia foret. Et antecedens probatur: quia ſicut diximus cum 1. tomo de ſignis ſcriberemus, alij ſunt apti ad vitam activam; alij verò ad contemplativam: ita vt, ſi illi contemplationi ſtuderent, oleum, & operam perderent: ſicut & iſti, ſi in activa occuparentur: Ergo hæ vitæ diverſis ſubiectis conveniunt.

Reſp. quòd in illis, qui ad vitam contemplativam ſunt idonei verificatur noſtrum aſſertum. Quandoquidèm iſti ad arcem contemplationis tendunt per exercitium vitæ activæ. Vnde in illis verum eſt, quòd vita contemplativa eſt modo dicto prior, & poſterior. Adde tamen, quòd noſtra reſolutio reſpicit vitam activam, & contemplativam ſecundùm ſe; atque adeò independenter à ſubiecto. Vita enim contemplativa ex ſe eſt finis activæ: & hæc ex ſe eſt via ad contemplativam: quod autem in hoc ſubiecto hoc non habeat, non eſt ex defectu vitæ activæ, ſed quia ſubiectum, in quo eſt, vel non vult, vel non poteſt vti illa vt via ad contemplationem; vel quia ineptus eſt ad contemplationem; vel quia contemplationi vacare renuit.

QUÆSTIO SEXTA.

Quæ vita diuturnior ſit contemplativa nè, an activa?

IMplexam affatim eſſe præſentem controverſiam neminem, qui illam ſeriò conſideret, aut authores pauciſsimos, qui illam verſarunt, videat, ſuſpicor negaturum. Nec illam adeò implexam fecit intrinſeca ipſius difficultas, quam maximam eſſe fateor: Sed authores de illa agentes, penſatis ijs, quæ in ea expendenda tradunt, ni fallor; obſcuriorem reddidere. Si poſſem, ſic de illa tractare, vt conceptus poſitivus illius, dicendorumque, efformari poſſet, nihil in hac parte à me deſiderandum relinqueretur.

§. I. *Brevis obſervatio, & dubij prima reſolutio.*

107. VT finis inſinuatus obtineri valeat, obſervandum eſt:

vitam contemplativam, & activamque posse dupliciter sumi, primò secundùm se, & penes ea, quæ habent ex propria natura. Secundò iuxta ea, quæ ipsis competit, quatenus concernunt statum prælentem. Esseque hos duos modos valdè diversos, certiùs est, quàm quòd aperiri debeat. Nec per ly *statum præsentem* illam, vel earum aliquam, in alio statu reperiri posse asserimus modò: ex dicendis quippè hoc constabit. Sed in vita contemplativa, (idem de activa intellige) quæ abs dubio est in statu præsenti, distinguimus id, quod habet talis vita ex sua natura, & quidditate, ab eo, quod ei advenit propter subiectum, in quo est, vel aliundè. Sicque perspicuitati consulitur: quatenus non promiscuè ea, quæ ipsi ex omni capite conveniunt, proponimus, sed tradita præscisione. Quod si alij de hoc scribentes, feciſsent: vt minùs, quæ in hac parte eorum mens esset, sciremus. His hac brevitate dictis,

108. Sit nostra 1. Concluſ. *Si vita contemplativa, & activa considerentur secundùm se, vita contemplativa est durabilior.* Assertio hæc est Div. Thom. 1. p. q. 20. art. 4. ad 3. & 2. 2. q. 180. art. 8. & q. 181. art. 4. & in 3. d. 35. q. 1. art. 4. quæstiunc. 3. & 3. contra gent. cap. 63. in fine, & q. 11. de ver. art. 4. ad 2. Sanctum Doct. sequuntur Caiet. ad locum citatum ex 2. 2. Bergemenſ. nullumque tam ex proprijs, quàm ex extraneis vidimus ab illo dissentientem. Probatur ergo primò concluſio nostra ex verbis Christi Domini ad Martham apud Luc. cap. 10. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quæ verba sic ad rem nostram luculentiſsimè expendit Auguſtin. Serm. 27. de Verb. Dom. vbi ait: *Non tu malam, ſed illa meliorem. Audi vnde meliorem: quia non auferetur ab ea. Ate autem auferetur aliquandò onus neceſſitatis: æterna est dulcedo veritatis.* In his duabus sororibus inveniebatur exercitium vitæ activæ, & contemplativæ. Vitam activam exercebat Martha, quæ *satagebat circa frequens miniſterium*, & ſolicita erga plurima turbabatur. Maria autem, quæ *ſedens ſecùs pedes Domini audiebat verbum illius*, altiſsimæ contemplationi dedita erat. Et contemplatio Mariæ, non autem activitas Marthæ, dicitur perpetuò duratura. Quæ licèt clariſsimè nostram assertionem ſuadeant; placet tamen, vt nihil Scholaſtici rigoris prætereamus, ſequentem diſcurſum proponere datæ authoritati innixum.

109. Vita contemplativa est ex natura ſua æterna, quod naturæ vitæ activæ repugnat: ergo hac illa durabilior est. Conſequentia est innegabilis, & antecedens probatur. Vita contemplativa non auferetur ab illam exercente, & vita activa auferetur: ergo vita contemplativa, non autem activa æterna est. Conſeq. patet: quia id, quod numquam auferetur, vel est, quia ex natura ſua est perpetuum, vel, ad minùs, quia ex natura ſua habet capacitatem, vt, perpetuitate aliundè emendicata, ſemper duret. Id autem, quod auferendum præciſè est ab illud poſsidente, nec ex ſe est æternum, nec habet ex ſe capacitatem, vt in æternum portendatur. Antecedens autem quoad vtramque partem probatur datis verbis Chriſti Domini. Et quidem quòd illa authoritate conſtet veritas primæ partis, videlicet, quòd vita contemplativa numquam auferetur, qui ſolùm legere ſciat, non negabit. Quoad ſecundam autem partem probatur idem antecedens: quia Chriſtus Dominus non ſolùm prætulit vitam contemplativam activæ; ſed huius præferentiæ rationem reddidit, conſiſtêtem in hoc, quòd vita contemplativa non auferenda est: ergo ijſdem verbis asſeritur, vitam activam auferendam iri. Probatur conſequentia: Quia ſi vita activa non eſſet ex natura ſua auferenda, iam cauſalitas illa non teneret, nec benè probaretur eminentia vitæ contemplativæ ſupra activam ex inauferibilitate illius, vt de ſe conſtat: ergo cùm hoc dici non debeat, tenendum est, ijſdem verbis datis, & inauferibilitatem vitæ contemplativæ commendari, & vitæ activæ auferibilitatem enoceri.

Poſt-

110. Postquam ratione non contemnenda probavimus, Christum Dominum illa duo datis verbis tradidisse, accedunt Divini Verbi Interpretes fidissimi S. S. P. P. qui hoc ipsum tradidere. Iam Augustinum audivimus: rationi consentaneum est, vt alios quoque auscultemus. Div. Gregor. homil. 14. super Ezech. inquit: *Cùm præsenti sæculo vita auferatur activa: contemplativa autem hic incipitur, vt in cœlesti patria perficiatur: quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cùm ipsum, quem amat, viderit, in amore ipsius amplius igneſcit.* Angelic. noster Doct. locis citatis idem docet. Audiatur tamen in contra gent. vbi ait: *Propter hoc etiam inter alias vitas in Scriptura Divina magis contemplativa commendatur, dicente Domino Luc. 10. Maria optimam partem eligit, scilicet contemplationem veritatis, quæ non auferetur ab ea. Incipit enim contemplatio veritatis in hac vita, sed in futura consummatur; activa verò, & civilis vita huius vitæ terminos non transcendunt.* Eandem veritatem docet Extat. Nost. Parens num. 80. datus, videndusque, præcipuè in annotatione ad cant. ibi positam.

111. Probat. insuper concluſ. ratione desumpta ex Div. Thom. loco citato ex 2. 2. Quæ potest sic efformari: Quod non habet contrarium est durabilius eo, quod contrarium habet: Vita contemplativa ex natura sua non habet contrarium; quod tamen habet ex natura sua vita activa: Ergo vita contemplativa activa durabilior est. Consequentia formalis est, & mai. inde patet, quia contraria mutuò se interimunt, vnde contrario carens durabilius est, quàm illud, quod habet contrarium. Min. autem pro 2. parte etiam certissima est, quia vita activa plures adversarios, & multa sibi contraria habet, à quibus libera graditur contemplatio. Vtrumque docet magnus Mysta Seraphic. N. Parens in illis suis mirabilibus cantic. in quarum explanatione libros *ascensus, & noctis obscuræ* insumit. In harum secunda ait:

A obscuras, y segura
Por la secreta escala disfrazada;
O dichosa ventura!
A obscuras, y en zelada,
Estando ya mi casa sossegada.

Profundissimè in huius, aliarumquè cant. declaratione spatiatur, contraria vitæ activæ ostendens, & contemplativæ immunitatem. Ast quia minor illa propositio, in qua dicimus, vitam activam habere contrarium, probatione non indiget: ideò

Probatur quoad primam partem ipsa min. Quia in lib. Sapient. cap. 8. dicitur: *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus eius, sed lætitiam, & gaudium*, quod de cõtemplatione intelligi docet Sanct. Thom. 1. 2. q. 35. art. 5. ex quo textu infert Sanctus Doct. illationem, quam pro conclusione statuit, scilicèt: *Ergo nulla tristitia est, quæ sit contraria delectationi contemplationis.* Et lib. 1. Topic. cap. 13. ait Aristot. quòd delectationi, quæ est in considerando nihil est contrarium. Et hæc est illius minoris probatio vrgens, quam sub hac forma offerimus. Delectationi contemplationis nihil est contrarium: ergo nec ipsi contemplationi. Patet ista: tum, quia Div. Thom. citata 2. 2. ex eo quòd delectatio contemplationis caret contrario, infert, & ipsam contemplationem contrarium non habere. Tum etiam, quia quod est contrarium perfectivo, contrariatur etiam perfecto per illud: constat autem ex 10. Ethicor. cap. 4. & ex Div. Thom. 1. 2. q. 33. art. 4. delectationem cõtemplationis esse ipsius perfectivam: vnde si haberet contrarium delectatio contemplationis; pariter & contemplatio illud haberet. Antecedens autem constat ex textu allato: si namque delectationi contemplationis aliqua tristitia contrariaretur, iam haberet amaritudinem conversatio illius, & tædium convictus eius: non autem lætitiam, & gaudium: ipsa enim tristitia tædium, amaritudinemque causaret.

§. II. *Obiectiones in probationes adductas.*

112. CONtra dicta non nulla obijci possunt, ex quorum enodatione clariùs constabit statuta veritas. Itaque probationis primæ tota machina duplici cardine devolvitur. Eorum primus est, quòd vita contemplativa manet in patria; secundus verò, quòd non manet in patria vita activa. Contra primum illorum obijcies primò: Quia 1. ad Corinth. cap. 13. dicitur: *Sivè prophetiæ evacuabuntur, sivè linguæ cessabunt, sivè scientia destruetur*: quibus verbis ostenditur, omnes intellectivas perfectiones viæ evacuandas esse: sed vita contemplativa huius viæ est perfectio intellectiva: ergo non manet in patria.

Circa intelligentiam huius textus fusè loquuti sumus tom. 1. disput. 1. quæst. 9. agentes de permanentia Theologiæ mysticæ in Cœlo. Vide, si placet, ibi dicta, & nodum prorsus disolves. Pro re tamen præsenti non omittam respõdere cum D. Thom. art. 8. citato, vbi ait: *Ad 1. ergo dicendum, quòd modus contemplandi non est idem hîc, & in patria. Sed vita contemplativa dicitur manêre ratione charitatis, in qua habet, & principium, & finem.* Vnde patet: vitam contemplativam viæ manêre, & non manêre in patria. Manêre quidem, vt in hac quæstione, & in 9. illa citata ostensum est. Non manêre: quia *modus contemplandi non est idem.* Quare cum veritate textus adducti non pugnat nostrum assertum. Plura, quæ hinc inde obijci possunt, vide citata quæstione.

113. Dices tamen: *Vita contemplativa dicitur manêre ratione charitatis in qua habet principium, & finem.* Ergo (1.) etiam manet vita activa. Ergo (2.) vita contemplativa non in se, seu ratione sui; sed tantùm ratione charitatis manet in patria. Probatur 1. conseq. Charitas etiam est principium, & finis vitæ activæ, vt ex dictis patet vbi diximus, dilectionem Dei, & proximi propter Deum, fundare vitam contemplativam, activamque. Secunda autem consequentia probatur: Quia manêre ratione charitatis, est manêre ratione suæ causæ, vel in causa: sed manêre in causa, seu ratione suæ causæ, non est manêre in se, nec *esse* habere extra causam: ergo.

Resp. negando primam consequentiam; ad probationem dicas: quòd vita contemplativa est opus, vt sic dicam perfectissimæ dilectionis Dei, quæ non stat sine proximi dilectione: sed priùs, & directiùs respicit Deum, deinde proximum. Vita activa respicit dilectionẽ proximi propter Deũ: vnde directè terminatur ad proximũ, propter Deũ tamen diligendum. Hæc iam non semel quæstione præcedenti diximus. Addendum modò: quisnam sit iste proximus, quem respicit vita activa? Est nè proximus propter Deum vtcumque diligendus? Neutiquam. Sed est proximus à miserijs per misericordiæ opera sublevandus. Quiaque in patria licèt detur Deus, qui ferventissimè diligatur; non autem datur proximus, qui à miserijs sublevetur; quoniam ibi habitantes *non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus,* vtî dicitur Apocalyps. cap. 7. propterea datur ibi vita contemplativa, non autem activa.

Similiter negatur 2. consequentia: ad cuius probationem possumus dicere, quod aliàs prudentissimè monuit Caietan. 1. 2. q. 4. art. 1. dicens: *Ad hoc dicitur, quòd cùm constat de certa conclusione, verba, quæ apparent quandoque dissona, piè interpretanda sunt. Et sic est sensus litteræ huius.* Clarissimè, & sæpissimè docet Div. Thom. vitam contemplativam manêre in patria, vt videre est locis citatis. Quòd autem nunc dicat *manêre ratione charitatis*, piè interpretari debet. Eo vel maximè, quod aliud est, aliquid habere *esse* ratione alterius; aliud verò, quòd habeat esse in causa. Hoc secundum negat propriam existentiam effectus: illud primum illam astruit. Sed dependen-

denter ab illo alio, tamquàm à cauſa. Vnde cum Div. Thom. ait, quòd vita contemplativa manet in patria *ratione charitatis*, propriam exiſtentiam vitæ contemplativæ docet, & cauſam efficientem, finalemque talis exiſtentis oſtendit. Quod de vita activa dici non poteſt; quia licèt maneat charitas, non tamen manet proximus cui ſubvenire poſsit per opera miſericordiæ, vt dictum eſt.

114. Secundùm fundamentum primæ probationis eſt, quòd vita activa non manet in patria, contra quod objicies 1. Actus virtutum moralium pertinent ad vitam activam: ſed hi actus dantur in patria: ergo in patria datur vita activa. Mai. conſtat ex ſæpiſsimè dictis, & minor probatur: In patria dantur virtutes morales: ſed iſtæ habent proprios actus; aliàs vel ſuperfluæ ibi forent, vel ſolùm ad ornatum deſervirent: ergo tenet min. Idemque argumentum poteſt fieri circa dona, & beatitudines, quæ ſpectant ad vitam activam; quandoquidem conſervantur in patria, ibique ſuos actus habent.

Reſp. cum Div. Thom. 1. 2. q. 67. art. 1. quòd in virtutibus, idem eſt de donis, & beatitudinibus, invenitur aliquid, quòd eſt in ipſis materiale, & hoc eſt in virtutibus *inclinatio quædam partis appetitivæ ad paſſiones, vel operationes ſecundùm modum aliquem.* Et ſecundùm hoc virtutes morales in patria non manent, eſt enim illa imperfectio propria præſentis ſtatus. Datur etiam aliquid, quod eſt formale in ipſis virtutibus, quod nihil aliud eſt, quàm ordo rationis, quo modus ille determinatur. Et virtutes quantum ad hoc, quòd formale eſt, manent in patria. Hæc ad longum inibi Div. Thom explanat. Quod verò noſtra propriùs intereſt, eſt videre, an vita activa ſpectet ad id, quòd in virtutibus eſt materiale, an autem ad formale? Ad quod breviter reſpondet Div. Thom. *Similiter dicendum eſt ad ſecundum; ea enim, quæ ſunt activæ vitæ, materialiter ſe habent ad virtutes.* Simile argumentum ſolvens circa Dona quæſt. ſequenti, art. 6. ait: *Ad 3. dicendum, quòd ratio illa procedit de donis quantum ad materiam. Opera enim activæ vitæ non erunt materia donorum, ſed omnia habebunt actus ſuos circa ea, quæ pertinent ad vitam contemplativam, quæ eſt vita beata.* Per quæ conſtat, quòd licèt in patria dentur virtutes, & dona, habeâtque ibi proprios actus; non tamen ibi datur vita activa. Quæ omnia clariùs adhuc conſtant ex ijs, quæ Angel. ipſe Doct. tradit 2. 2. q. 181. art. 4. ad 1. prout num. 103. ponderabamus. Hæc ſunt eius verba: *Ad 1. ergo dicendum, quòd ſicut ſupra dictum eſt, virtutes morales manebunt non ſecundùm actus, quos habent circa ea, quæ ſunt ad finem, ſed ſecundùm actus, quos habent circa finem. Huiuſmodi enim actus ſunt, ſecundùm quod conſtituunt quietem contemplationis.* Habes ergo quòd virtutes, & dona conſervantur cum ſuis actibus in patria; ſed non cum illis, qui ad vitam activam pertinent, ſed cum ſpectantibus ad vitam contemplativam.

115. Dices: dicta omnia affatim tot, tamque clariſsimis textibus Sanct. Thom. Suffulta eſſe. Verùm adeſt eiuſdem Angel. Præcept. textus dictis omnibus contradicens. Etenim in 3. diſt. 35. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 3. in corp. ait: *Vita activa, quantùm ad illos actus, quos modò habet, quibus turbatur de proximorum neceſſitatibus, & de proprijs paſſionibus, non remanebit: quia tunc panem eſurienti non porriget, vt in gloſ. inducta ſubiungitur. Manebit tamen quantùm ad alios actus, qui erunt virtutum, & donorum in patria. Vita autem contemplativa nihilominus eſt diuturnior, quàm activa; quia manet etiam quoad illos actus, quos in via habet, qui quidem in ſtatu viæ ſunt imperfecti; ſed in patria perficientur.* Ex quibus duo ponderari debent, vnum contra datam doctrinam: alterum contra ipſum Div. Thom. Primum eſt, quòd vita activa datur in patria, licèt non *quantùm ad illos actus, quos modò habet*, quod ſanè nihil obeſt, vt dicatur

in

in patria dari ſimpliciter, & abſolutè: ſicut abſolutè, & ſimpliciter dicuntur eſſe in patria virtutes, & dona, licèt non ſint *quantum ad illos actus, quos modò habent.* Immò ipſa charitas manet in patria non *quantùm ad illos actus, quos modò habet.* Modò ſiquidem liberè, atque adeò imperfectè Deum amat. In patria autem neceſſariò, & perfectè.

Secundum, quod ponderari debet, eſtque contra Div. Thom. conſiſtit in eo, quòd ex vna parte concedit vitam activam manere in cœlo, & ex alia negat æqualem eſſe in duratione cum vita contemplativa. Quæ quomodò cohæreant, non facilè dignoſcitur, propter hoc argumentum: Vita activa, ſivè ſit ſecundùm hos, ſivè ſecundùm alios actus, manet per te in patria: ergo eſt æqualis in duratione cum vita contemplativa. Quis hanc conſequentiam negabit? Indidemque infertur, quòd falſum aſſumat Div. Thom. dum probat, vitam contemplativam excedere activam in duratione, ex eo quòd illa, & non hæc manet in patria. Quandoquidem ex littera iſta conſtat, vtramque vitam in patria conſervari.

Non aſſuetus difficilia diſſimulare, nolui hunc ſcopulum præterire. Vt vel ſic occaſionem offeram viris doctis dicendi, docendique, quæ vltroneus addiſcam. Sicque etiam D. Thom. doctrina ab incurſibus minùs perſpicacium liberetur. Interim quantùm per proprij captus tenuitatem licet, reſpondetur: doctrinam Div. Thom. ex ſententiarijs capiendam eſſe iuxta ipſius vltimam voluntatem, quæ continetur in ſumma, in qua innumeris locis, quorum aliqua dedimus, alia, ſi expediret, dedituri, docet vitam activam in patria non dari. Vnde, ſalva ſemper hac veritate, gloſſandum eſt, quod modò audivimus ex ſententiarijs. Nec admodùm arduum erit ex verbis ipſis mentem Div. Thom. venari. Ait enim, quòd vita activa manet in patria non *quantùm ad illos actus, quos modò habet*, ſed *quantùm ad alios actus, qui erunt virtutum, & donorum in patria.* Inſpice: quòd non dicit, vitam activam manſuram quantùm ad actus ſibi proprios, ſivè ſint ipſi, ſivè alij, ab illis, quos habet in via; ſed quantùm ad actus *virtutum, & donorum.* Actus virtutum, & donorum, etiam ad vitam activam ſpectantium, ſunt, & non ſunt vitæ activæ: ſunt quidem, ſi materia adſit. Non ſunt, ſi materia deſit. In patria deeſt materia, vt tales actus ſint vitæ activæ, vt patet ex dictis num. 114. quia actus virtutum, vt pertinent ad vitam activam, ſunt actus *circa ea, quæ ſunt ad finem*: & hos actus non habent virtutes in patria; ſed ſolùm eos, qui *ſunt ad finem*, vt nobis dixit Div. Thom. & huiuſmodi actus, addit eodem num. 114. *Sunt ſecundùm quod conſtituunt quietem contemplationis.* Nec dona alios actus in patria habebunt, quia vt eodem num. ex ipſo D. Thom. Vidimus, dona *omnia habebunt actus ſuos circa ea, quæ pertinent ad vitam contemplativam, quæ eſt vita beata.* Vnde vita activa, quæ dicitur manere in patria ſecundùm actus, *qui erunt virtutum, & donorum*, non manet in ſe, ſed in actibus virtutum, & donorum, qui actus, ſi materia adeſſet, eſſent actus vitæ activæ; ſed quia materia deeſt, pertinent *ad vitam contemplativam*, quæ eſt vita beata.

116. Et notandum velim, quod Div. Thom. in quit, vitam activam conſervandam iri *quantùm ad alios actus, qui erunt virtutum, & donorum in patria.* Vbi ly *in patria*, quantùm ex contextu capio, non refertur ad ly *conſervandam*, ſeu *manebit*: ſed ad ly *virtutum, & donorum.* Ac ſi diceret: manebit vita activa, ſed non aliter, quã ſecundùm *actus qui erunt virtutum, & donorum in patria*; ſeu prout in patria. Rogo nunc: qui ſunt *actus virtutum, & donorum in patria*? Non alij certè, niſi illi, *qui conſtituunt quietem contemplationis*; ſeu qui *pertinent ad vitam contemplativam*, vt dictum eſt. Etenim virtutes, idem eſt de donis, poſſunt ſumi vel prout in via, vel prout in patria, vel ſecundùm ſe. Secundùm ſe permittunt, quòd ſint vitæ activæ, vel con-

contemplativæ. In via habent actus, qui determinatè sunt vitæ activæ. In patria verò sunt vitæ contemplativæ determinatè. Vnde vita activa dum dicitur cõservari in actibus virtutum, & donorum prout *in patria*, nullatenus asseritur, conservari in se, sed solùm in ijs actibus, quibus ex statu repugnat, quod sint vitæ activæ. Ast si secundùm se considerentur, sunt actus, quibus in via activa vita exercetur. Et hoc sat esse credimus ad illam locutionem, quæ iuxta alia asserta eiusdem Sanctissimi Præceptor. accipienda est.

117. Quibus addendum est, quòd illi *actus, quierunt virtutum, & donorum in patria*, prout sic sunt novi actus: siquidem in via tales actus erant circa ea, quæ sunt ad finem, in patria autem sunt circa finem. Et qualitercumque hoc sit, ij actus in patria sunt *alij* ab actibus illarum virtutum in via: quod vltra dicta, ostendit hîc Div. Thom. dicens, quòd vita activa manebit, *quantùm ad alios actus*. Quod certè non facit, cùm immediatè loquitur de actibus vitæ contemplativæ, hæc enim *manet etiam* (ait) *quoad illos actus, quos in via habet, qui quidem in statu viæ sunt imperfecti, sed in patria perficientur*. Vnde actus vitæ contemplativæ sunt semper ijdem, quamquàm cum illa diversitate maioris, vel minoris perfectionis. Actus autem vitæ activæ, quæ dicitur esse in patria, sunt *alij* ab actibus, quos in via habuit. Ex quibus duo licet inferre. Primum est: quòd vita contemplativa viæ conservatur in patria, licèt cum maiori perfectione: Vita autem activa non conservatur in patria, nisi illa vita activa, quæ impropriè, & æquivocè talis dici valeat: quia ibi non dantur actus huius vitæ, sed *alij*, etiam in ijs habitibus, qui in via ad vitam activam spectabant.

Secundum, quod inferre licet, & est præcipuum, est, quòd illi actus, qui dicuntur vitæ activæ *in patria*, sunt actus de novo habiti, & incipientes cum ingressu in patriam: aliter nec essent *alij* ab habitis in via, nec essent *actus virtutum, & donorum in patria*. Vnde durabilitas vitæ activæ divisa est: nam si concipiatur, quoad actus viæ, finitur morte: si consideretur quoad actus patriæ, non incipit, nisi post mortem. Est enim mors terminus, & principium huius vitæ. Est terminus, quoad actus viæ. Est principium, quoad actus patriæ. Quamobrem vita contemplativa semper manet diuturnior, cùm semper, & in quocumque statu ijsdem actibus explicetur. Est diuturnior vita activa viæ, quia non finitur morte, sed continuatur in patria. Est & diuturnior vita illa activa patriæ, quia non incipit post mortem, sed in vita. Quare prima durabilior est à parte post: secunda autem à parte ante. Et hoc suspicor, fuisse fundamentum, quod Div. Thom. habuit, vt, etiam concedens vitam activam in patria conservari, maioris diuturnitatis esse vitam cõtemplativam, assereret. Quod de diuturnitate à parte post intelligi non potest; cùm prout sic sint in æternum duraturæ.

118. Ex dictis constat solutio ad obiecta. Ad primum quidem, quia in patria non conservatur vita activa, quæ talis propriè sit, nec conservatur in se, sed in actibus habituum, quorum actus erant in via proprijssimè vitæ activæ. Vnde non conservatur simpliciter, & absolutè, sed solùm secundùm quid, & cum præiactis modificationibus. Nec est simile de virtutibus, & donis: actus enim, quos in patria habent, sunt proprijssimè ipsorum. Vnde ibi simpliciter sunt. Et charitas ipsa simpliciter, & verè conservatur vbi vel liberè, vel necessariò Deum amat; hæc enim solummodò est diversitas maioris, vel minoris perfectionis, vt de vita contemplativa dictum est.

Ad 2. etiam constat, quòd etiam si Div. Thom. concedat vitam activam in Cœlo modo dicto conservari, potuit asserere vitam contemplativam adhuc esse diutorniorem. Tum quia illa vita activa est impropriè talis, vt dictum est. Tum quia diuturnitate à parte ante glossari potest. Vnde ad argumentum ibi factum, destinguatur conse-

quens, *æqualis* à parte poſt, concedatur, à parte ante, negetur. Termini ex dictis conſtant. Nec Div. Thom. falſum aſſumit, dum maiorem durabilitatem vitæ contemplativæ, ex eius permanentia in patria probat. Quia ſi loquamur de vita activa propriè tali, conſtat aſſumpti veritas. Si verò loquamur de illa, de qua in illo loco ſententiarum ſermo eſt: etiam conſtat, quòd illa vita activa à parte ante minùs durabilis eſt.

119. Obijcies 2. Homines Beati poſſunt alios edocere: ergo in ipſis conſervatur vita activa. Patet iſta, quia alios docere eſt opus vitæ activæ, vt ſupra diximus cum Div. Thom. 2. 2. q. 182. art. 3. & cum Div. Gregor. homil. 14. in Ezech. dicente: *Vita activa eſt panem eſurienti tribuere, verbo ſapientiæ neſcientem docere.* Et ſanè cùm actus, quo viator neſcientem inſtruit, ſit opus vitæ activæ, ægrè ab hac claſſe excipietur inſtructio facta à Beato. Anteced. autem probatur primò: Quia in via homo hominem docet: ergo & in patria. Probatur ſecundò: quia homines in patria *erunt ſicut Angeli Dei*; vti dicitur apud Matth. cap. 22. v. 30. Sed Angeli Dei illuminant ſe ipſos, & homines, de quo plura diximus tomo 1. diſp. 2. ergo etiam homines Beati.

Reſpondetur ex dictis tom. 1. diſput. 2. neg. anteced. ad primam probationem, conceſſo antecedenti, negetur conſequentia: diſcrimen repete ex loco citato, vbi illud dedimus, & etiam conſtabit ex dicendis ad ſecundam antecedentis probationem, ad quam dicimus, quòd homines in patria *erunt* vtiquè *ſicut Angeli Dei*: Non quia ſicut Angeli illuminant homines, ſic & illi paritèr illuminent: hoc enim non eſt munus hominum beatorum, ſed eſt Angelis demandatum. Vnde apud Hierem. cap. 31. dicitur de Beatis: *Non docebit vltra vir proximum ſuum.* Dicuntur autem homines Beati *ſicut Angeli Dei*, in hoc quod eſt Deum facialiter videre; non autem in hoc, quod eſt alios illuminare. Sic docet Div. Thom. 2. 2. q. 182. art. 4. ad 2. vbi ait: *In his, quæ pertinèt ad diſpenſationẽ miniſteriorum Dei vnus Angelus docet alium purgando, illuminando, & perficiendo: & ſecundùm hoc habent aliquid de vita activa, quandiù mundus durat, ex hoc, quod adminiſtrationi inferioris creaturæ intendunt. Quod ſignificatur per hoc, quòd Iacob vidit Angelos in ſcala aſcendentes, quod pertinet ad contemplationem, & deſcendentes, quod pertinet ad actionem. Sed ſicut dicit Gregor. 2. moral. non ſic à divina viſione foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priventur: Et idcò in eis non diſtinguitur vita activa à contemplativa, ſicut in nobis, qui per opera vitæ activæ impedimur à contemplatione. Non autem promittitur nobis ſimilitudo Angelorum quantùm ad adminiſtrationem inferioris creaturæ, quæ nobis non competit ſecundùm ordinem naturæ noſtræ, ſicut competit Angelis; ſed viſionem Dei.* Vnde habes: quòd Angeli duo habent: primum eſt, Deum intuitivè videre. Secundum autem, homines illuminare. Beati *erunt ſicut Angeli Dei* in primo; non autem in ſecundo.

120. Quod gloſſema proprijſsimum eſſe conſtat ex eo, quod Chriſtus Dominus non confert Beatos cum Angelis abſolutè, ſed in reſurrectione, vel poſt reſurrectionem: *In reſurrectione enim, &c.* Poſt reſurrectionem autem Angelorum miniſterium non permanebit, vt loco citato diximus, & modò inſinuavit D. Thom. ijs verbis: *Quandiù mundus durat.* Vnde ſolùm remanet ſimilitudo quoad viſionem Dei, in qua Beati *erunt ſicut Angeli Dei.* Adde, quod D. Thom. ſuper dictum caput Matth. pulchrè docet. Interrogat enim, *quarè erunt ſimiles Angelis?* Et reſpondet: *Quia erunt immunes á paſſionibus: quia nunc homo habet intellectum annexum ſenſibus; & in hoc excedunt Angeli: ſed tunc depurabitur, ideò ſimiles erunt Angelis: : : Vnde qui habent animum à paſſionibus elevatum, ſimiles ſunt Angelis. Paſſiones autem, quæ magis faciunt homines beſtiales, ſunt venereorum, quæ exercentur per coniugium; ideò tunc nec nubent, nec nubentur.*

Quod

Quod si totus textus D. Matth. perpendatur, sensus Verborum Christi Domini penitùs dignoscetur. Tunc enim sermo erat cum Saducæis, qui animarum immortalitatem negantes hominum resurrectionem non credebant. Quorum proterviam vt confunderet Dominus, ac Redemptor noster dixit: *Erratis nescientes scripturam, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Quibus animæ immortalitatem, hominumque resurrectionem adstruit, insimulque matrimonium tunc superfluum ostendit propter immortalitatem resurgentium, qui *erunt sicut Angeli Dei in Cælo.* Vnde quia erunt immortales sicut Angeli, *neque nubent, neque nubentur*, sicut nec illi. Consequenterque tunc erunt immunes à passionibus sicut Angeli, nihilque erit, quòd eorum continuam contemplationem vel impediat, vel retardet. Hincque Areopagita adductus à D. Thom. in Cat. aurea ad citatum textum ait: *Tunc enim quandò incorruptibiles, & immortales erimus visibili quidem apparitione ipsius Dei in castissimis contemplationibus adimplebimur. Intelligibilis autem luminis datione participabimus in impassibili, & in immateriali mente secundùm imitationem supercælestium mentium: propter quod dicitur, quòd erimus Angelis æquales.*

121. Habes igitur ex dictis comparationem factam posse intelligi, vel de Beatis prout nunc sunt; vel de ipsis, prout in resurrectione. Si hoc secundo modo intelligatur, vt certè intelligendam esse, dicta num. præcedenti convincunt. Tunc Angelorum ministerium non erit: vnde non possunt Beati esse similes Angelis in magisterio, quod superiores erga inferiores, & omnes erga homines exercent. Si autem intelligatur primo modo, tunc non erunt similes Angelis quoad magisterium; sed quoad interruptam suavitatem divinæ contemplationis, vt vidimus num. 119.

122. Dices: his omnibus non est evacuata difficultas. Quod inde suadere intendis: quia licèt ex dictis habeatur, Beatos non illuminare Angelos sibi in gratia inferiores, nec se reciprocè illuminare; tamen negandum non est, quòd sicut Angeli illuminant homines viatores, sic etiam ipsos viatores homines illuminent Beati. Hoc, inquam, D. Thom. non negat; nec negare potest: cùm sciamus, frequenter Beatos viatoribus apparere, illos instruentes de his, quæ ad ipsorũ vtilitatẽ spectant. In quo, vt notavit Excel. ac Ven. D. Dom. Joannes de Palafox, eminet Seraph. Mat. Nost. S. Theresia, quæ postquam astra conscendit, intensiùs profectui suæ reformationis studet frequentissimis apparitionibus, quibus observantiam promovet, & abusus frænat, vel in ipso eorum ortu. Abundant in historijs tum generali, tum particularibus huius veritatis irrefragabilia testimonia. Adest tamen supremæ classis aliud nequaquam prætereundum. Refert enim Div. Matth. cap. 27. quòd postquam Redemptor Noster spiritum pro nostra libertate in ara crucis emisit, *multa corpora S. S. qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Vt illos, videlicèt, de misterio resurrectionis testes fidelissimi instruerent. Immò & de alijs iuxta mentem Div. Thom. sic illa verba exponentis: *Et venerunt in sanctam Civitatem. Non quòd modò*, ait, *esset sancta, sed quia antefuerat:::: vel secundùm Hieron. sanctam Civitatem, scilicet, cælestem, quia cum Christo venerunt in gloriam, & apparuerunt multis. Sicut enim Christus potestatem habet se manifestandi, quibus vult; sic intelligendum de corporibus glorificatis.*

His suppositis, redit tota obiectio num. 119. facta, sub hac tamen forma modò proposita. Docere est opus vitæ activæ: Beati docent homines viatores: ergo in Beatis conservatur vita activa. Consequentia est bona, & maior indubitata. Minor verò constat ex modò dictis,

123. Ad conſpectũ huius rationis tot authoritatibus ſuffultæ hæret profundiſsimus Caietanus loco citato ex 2. 2. ad ſecundum, quia ex vna parte ait, littera Div. Thom. *ducit ad partem negativam*: Ex alia verò tot authoritates ſuadent, Beatos illuminare, ſeu docere homines viatores. Et in hanc partem inclinat, licèt formidoloſus ſublimis hic Theologus dicens: *Et propterea non incongruè dici poſſe videtur, quòd ordo cœleſtis patriæ Beatorum inter ſe numquam variatur, vt author in 1. lib. docuit* (de quo nos egimus tom. 1. diſp. 2.) *eò quòd variatio illa miraculoſe fieret ::: Ordo verò ſupernorum civium ad nos diſpenſativè quandoque mutatur, eò quòd ad vtilitatem Eccleſiæ confert, dum peregrinantes hic ex his, qui nobiſcum fuerunt, regredi ad nos experimur.* Hæc Caietanus, qui nec verbum facit circa vitam activam, quæ eo ipſo conſervari in Beatis intendit vrgentiſsimè ratio facta. Nec cognoſcere poſſumus, cur hanc difficultatem intactam adeò paſſus eſt egregia illa comprehenſio.

Nec alicuius momenti erit, ſi dicas: Caietanum de hoc nihil dixiſſe propter rationem ab ipſo inibi aſsignatam hiſce verbis: *Nec fallaris ex hoc, putans homines beatos, putà, Sanctum Petrum, numquam divina diſpenſatione circa nos aliquid operari: hoc enim ab hac quæſtione alienum eſt, quoniam de Beatis inter ſe quæſtio eſt.* Hoc, inquam, nullius momenti eſt. Vnde contra illud

124. Diſputo ſic 1. Quia licèt de Beatis inter ſe quæſtio ſit, & illi inter ſe vitam activam non exerceant: ex quo tamen illam exerceant circa viatores, convincitur in illis vitam activam conſervari: atqui hanc vitæ activæ conſervationem negat D. Thom. & cum ipſo Caietanus: ergo quòd quæſtio ſit de Beatis inter ſe, impertinens omnino eſt, vel ad minùs inſufficiens, vt vita activa à cœlicolis excludatur.

125. Diſputo 2. Quia aliud eſt, quòd cœlicolæ vitam activam inter ſe exerceant; aliud verò, quòd vitam activam conſervent, exercendam circa alios: ergo ex quo vitam activam inter ſe, vel ad invicem non exerceant, malè infertur, in eis non conſervari vitam activam. Conſequentia nota eſt, & antecedens eſt certum, conſtatque eius certitudo ex eo, quòd priuſquam piiſſimus Redemptor Noſter Cœli fores reſeraſſet, in Angelorum infimo vita activa, ſicut in alijs, erat: hic certè vitam activam non exercebat erga Beatos: quia tunc non erant alij Beati niſi Angeli; & quia Angelus inferior ſuperiorem illuminare non poteſt, vt modò ſupponimus ex alibi fuſè dictis: propterea Angelus ille infimus non exercebat vitam activam erga Beatum aliquẽ. Conſervabat tamen illam, exercebatque erga homines viatores: ergo pariformiter Beati inter ſe habent vitam activam, quamvis illam non exerceant erga ſe ipſos, ſed erga viatores.

126. Diſputo deniquè, ac præcipuè: quia voluntariè quæſtio limitatur ad Beatos inter ſe, nec tale quid de mente Div. Thom. credere valemus. Videmus enim Angelic. Doct. in illo art. 4. ſic interrogantem: *Vtrùm vita activa maneat poſt hanc vitam?* Cui illimitatæ interrogationi cohæret illimitatum aſsertum, illimitatæ probationes, illimitata argumenta, ac demùm ipſorum illimitatæ ſolutiones. Quæ omnia textum legens deprehendet, nec verbum offendes, quod illi limitationi favere poſsit. Vt quid ergo limitabimus aſsertum adeò vniverſale? Quod ſi aliquam modificationem in littera Div. Thom. ſuſpicaremur, non illa eſſet, ſed contraria. Fundamentum eſt, quòd Div. Thom. inquirens: *An vita activa maneat poſt hanc vitam?* Inquirit ſanè de vita activa propria huius vitæ, quæque in hac vita exercebatur. Viator autem, qui fœliciter ſuam peregrinationem complevit, & in illa activæ vitæ deditus fuit: hanc ſuam vitam activam non exercuit erga Angelos, & homines Beatos, ſed erga homines viatores: his enim, & non illis opera miſericordiæ exhibuit. Et de hoc viatore, qui terminum ſui exilij claudit, quæſ-

tio

tio est, an in illo vita activa conservetur? Illa videlicet vita activa, quam in via habebat, quæ, vt dictum est, erga alios viatores exercebatur, non erga Angelos, quos sanè instruere non poterat. Consequenterque si resolutio D. Thom. aliqua limitatione intelligenda est, erit vtique illa, quòd vita activa, de qua loquitur, est illa, quæ erga viatores à cœlicolis exercetur. Et si limitationem istam non sustinet resolutio Angelica, potiori iure illam aliam non sustinebit. Quarè sumenda est universalitèr.

127. Vnde ad propositam difficultatem concedendum cum Caietano est, cœlicolas ex Dei dispensatione aliquandò viatores instruere. Hæc tamen instructio, cùm sit ex Dei dispensatione, & non ex statu instruentis, licèt in se sit opus vitæ activæ; non tamen supponit vitam activam in exercente illud opus. Quia vt aliquis vitam activam in se habeat, non solùm debet opera vitæ activæ habere; sed etiam debent talia opera vel constituere statum vitæ activæ; vel ab ipso iam alijs operibus constituto provenire. Exemplo res clara fiet. Etenim Incipiens aliquandò ex Dei indulgenti dispensatione contemplatur: quia, vt tenet concors Mystarum sententia, Deus, qui aliquando denegat gratiam contemplationis perfectis, illam Incipientibus concedit. Contemplatio sanè contemplativum constituit: ergo ex eo, quòd Incipiens aliquandò contempletur, sequitur, quòd contemplativus sit? Qui hanc illationem ex illo principio deduceret, insulsè procederet: implicat enim quòd Incipiens prout sic sit contemplativus; sicut & quod Incipiens non sit Incipiens. Quo circa tenendum abs dubio est, quòd ille Incipiens contemplativus non est, etsi quandoquè contempletur. Et huius rei non alia ratio est, nisi quia illa contemplatio non est propria status Incipientis, sed ex Dei dispensatione habita.

Ex alio extremo, Perfectorum est propria contemplatio; taliter tamen quòd, vt ex alibi dictis constat, multoties meditari debent. Nec per hoc, quòd multoties meditentur, inferre licet eos esse meditativos. Et ratio est, quia illa meditatio non est propria status Perfectorum: aut quia ipsi ex misera conditione corporis non possunt semper in contemplatione perseverare; propterea subrogatur meditatio vel vt contemplatio penitùs non deficiat; vel vt spiritus in meditatione occupatus non tepescat. Vnde cùm omninò accidentalis sit meditatio Perfecto, attenta sui perfectissimi status conditione; ideò non collocat illum intra sphæram meditantium. *Similiter* activus aliquandò contemplatur, & contemplativus aliquandò occupatur in operibus vitæ activæ: Quin activus contemplativus sit, aut è contra. Et vtriusque ratio est, quòd contemplatio non est actio propria vitæ activæ eius natura attenta, nec opus activum est proprium vitæ contemplativæ, huius natura considerata, sed accidentaliter se habent ad illas: Vnde nec opus activum extrahit contemplativum à statu contemplativi, nec à statu activi extrahit activum contemplatio.

His exemplis ex propria materia libatis, constat veritas eorum, quæ num. 127. dicta sunt. Quandoquidem illuminare, instruere, seu docere alios opus vitæ activæ est, nec hoc negamus: taliter tamen est opus vitæ activæ, quòd si non sit iuxta naturam, aut conditionem elicientis, non supponit in illo vitam activam; sicut non supponitur vita activa in purè contemplativo opera vitæ activæ exercenti, nec vita contemplativa in purè activo contemplante, nec status Incipientis in Perfecto meditante, nec demum status Perfectorum in Incipiente contemplante. Quorum omnium eadem ratio est, vtî ex dictis constat. Quam doctrinam, ni vehementissimè fallor, profundè indigitavit Div. Thom. loco citato num. 119. ijs verbis: *Non autem promittitur nobis similitudo Angelorum, quantum ad administrationem inferioris creaturæ, quæ nobis non competit secundùm ordinem naturæ nostræ, sicut competit Angelis.*

gelis. Ecce enim quòd adminiſtratio inferioris creaturæ non competit Beatis, *ſecundùm ordinem naturæ noſtræ, ſicut competit Angelis*; ſed competit per accidens, & ex Dei diſpenſatione: & actiones, quæ ſic competunt, non ſupponunt in eas eliciente vitam illam, ad quam ipſæ actiones ſpectant, vt exempla inducta ſuadent. Quare ad ſyllogiſmum in fine num. 122. reſpondetur diſtinguendo maiorem: *Docere eſt opus vitæ activæ, Docere* ex conditione, vel iuxta conditionem ſtatus docentis, concedo. *Docere* ex diſpenſatione, & non iuxta conditionem ſtatus docentis, ſubdiſtinguo: *Eſt opus vitæ activæ*, non ſupponens in eliciente vitam activam, concedo: illam ſupponens, nego maiorem. Et diſtinguatur minor prima data diſtinctione, ac deindè negetur abſolutè conſequentia, quæ ex illis præmiſſis haud colligitur: ex ijs enim ad ſummum infertur, in Beatis dari opera, quæ ex ſe, & ſi ex conditione ſtatus eliciantur, ſunt vitæ activæ: aſt quia in Beatis non ſic inveniuntur; ſed ex diſpenſatione, propterea, quamvis in illis dentur illa opera, non datur vita activa.

128. Non quieſcis: eliciens opus vitæ activæ vivit aliqua vita actuali: hæc vita non eſt contemplativa: ergo activa. Ergo hæc datur in Beatis, ſecunda conſequentia conſtat ex prima, quæ ex præmiſsis nota eſt: quia vita, vt diximus quæſt. 2. adæquatè dividitur in activam, & contemplativam. Iam verò maior certiſsima eſt, & minor indè patet: quòd ſicut contemplatio non conſtituit vitam activam, ſic nec actio vitam contemplativam conſtituere poteſt.

Inſtantia hæc procedit ex ſiniſtra intelligentia vitæ activæ, & contemplativæ, quam ſupra iam dedimus ex Div. Thom. & Caietano. Ait enim Angel. Doct. 2. 2. q. 181. art. 1. & q. 179. art. 1. quòd vita activa non eſt illa, quæ ſemper operi exteriori deditur, ita vt numquam contempletur: ſicut nec vita contemplativa eſt, quæ numquam in operibus exterioribus occupatur. Igitur D. Thom. citatus ſic in fine corpor. veluti deſcribit hanc vtramque vitam. *Vnde etiam in hominibus vita vniuſcuiuſque hominis videtur eſſe id, in quo maximè delectatur, & cui maximè intendit, & in hoc præcipuè vult quilibet convivere amico, vt dicitur in 9. Ethicor. Quia ergo quidam homines præcipue intendunt contemplationi veritatis, quidam intendunt principaliter exterioribus actionibus, inde eſt, quòd vita hominis convenienter dividitur per activam, & cõtemplativam.* Quam litteram ſic inibi elucidat Caietanus. *Vita contemplativa non conſiſtit in hoc, quòd ſolùm vacet contemplationi veritatis; ſed quòd ſtudium hominis ſit principaliter ad contemplationem veritatis. Et ſimiliter vita activa ſtudet actionibus exterioribus, non ſolùm, ſed principaliter.* Igitur vita activa conſiſtit in ſtudio, quo quis circa actiones externas, vt ſibi præcipuè diligibiles, maximè, ac præcipuè occupatur. Et vita contemplativa eſt ſtudium hominis circa veritatis contemplationem, in qua principaliter habens illud ſtudium delectatur. Per quod non excluditur, quòd vita activa, ſeu illam habens contemplatione delectetur, & etiam, quòd illam intendat: cæterum non intendit illam principaliter, nec in illa maximè delectatur. Et ſimiliter de vita contemplativa. Vnde purè contemplativus, dum opus exterius exercet, non vivit vita activa; quia nec illam actionem præcipuè intendit, nec in illa maximè delectatur. Vivet autem vita contemplativa, ſi illam exteriorem actionem ad finem contemplationis referat, iuxta aliam eiuſdem D. Thom. doctrinam, iam ſupra datam. Sin minus nec vivet per illam actionem vita cõtemplativa, nec activa. In quo nullum datur inconveniens, quia illa actio non conſtituit vitam activam; ſed ſtudium, & applicatio ad illius generis actiones. Rogo nunc: Beatus, qui illuminat viatorem, illuminat illum ex ſtudio ipſius actionis, quod ex conditione ſui ſtatus, vel ex munere ſibi demandato, proveniat? Minimè: ſed hoc ſolùm facit ex quadam diſpenſatione; atque adeò non eſt in ipſo vita activa. Plu-

Plurima, eaque non parum vrgentia, sunt, quæ discursum nostrum positum num. 111. quo nostram assertionem probavimus, impugnant. Sed omnia illa solves ex dictis disp. præcedenti, quæst. 3. & ex ijs, quæ Div. Thom. ibi laudatus docet 1. 2. quare nè actum inutiliter agamus, ea omittimus.

§. III. *Alia assertio pro quæstionis complemento.*

129. SIt 2. conclus. *Vita contemplativa, si sumatur secundùm omnia, quæ sivè essentialeter, sivè dispositivè dicit in hoc statu, est durabilior quàm vita activa. Si verò sumatur pro eo, quod essentialiter dicit, tunc in hoc statu est partim durabilior, & partim minùs durabilis.* Assertio hæc duas partes habet, quarum vltima etiam bimembris est. Quod ideò fecimus, vt res subiecta, sicut polliciti sumus, quantùm possibile sit, declaretur. Prima ergo conclusionis pars declaratur, simul ac probatur: etenim, sicut supra dicebamus cum Div. Thom. in 2. 2. q. 180. art. 3. & in 3. d. 35. q. 1. art. 1. vita contemplativa habet diversos actus, quorum aliqui *pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis: alij autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem eius, cuius cognitio inquiritur. Vltimus autem completivus est ipsa contemplatio veritatis.* Verba sunt D. Thom. loco citato ex 2. 2. quæ sic inibi elucidat Caietan. *Auditio, lectio, & oratio ad acceptionem spectent: meditatio verò, speculatio, consideratio, & cogitatio ad deductionem: Contemplatio demum cum subsequente admiratione ad ipsam consummationem contemplationis.*

Est dicere: quòd vt aliquis veritatem habeat, quam contempletur, debet priùs habere principia, ex quibus possit procedere ad investigandam veritatem illam. Et hæc principia habentur per auditionem, lectionem, & orationem: quia potest illa homo habere à Deo, vel ab homine. Si à Deo; habet illa principia media oratione, secundùm illud Sapient. cap. 7. *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* Si autem talia principia habet ab homine, habet illa media auditione, qua verba hominis prædicantis, vel dirigentis, percipit, & percepta conservat, conferens in corde suo. Habet etiam media lectione, qua media habet, quæ homo scribit ad animarum profectum. Postquam autem hæc principia habet, tunc ex ipsis veritatem contemplandam quærit, ad quod, vt talem veritatem ex ijs principijs deducat, vtitur meditatione, speculatione, consideratione, & cogitatione, quibus medijs veritatem invenit, in cuius contemplatione deliciatur. Et hic actus contemplationis est, in quo essentialiter consistit vita contemplativa; in alijs autem solùm dispositivè consistit; vel quatenus illis medijs invenitur veritas contemplanda, vt dictum est: vel quatenus, si contemplationis ignis, vel extinguitur, vel sopitur; dictis actibus vel revirescit, vel scintillat.

Vltra quos actus pertinent etiam ad vitam contemplativam omnium virtutum moralium actus omnes: qui licèt essentialiter spectent ad vitam activam; dispositivè tamen pertinent ad contemplativam, vt docet idem Div. Thom. laudatus art. 2. cuius rationem assignat Doct. Sanct. quæst. sequenti art. 1. ad 3. dicens: *Sicut virtus, quæ ordinatur in finem alterius virtutis transit quodammodo in speciem eius: ita etiam quandò aliquis vtitur his, quæ sunt vitæ activæ solùm prout disponunt ad contemplationem, comprehenduntur sub vita contemplativa.* Et in hoc sensu concludit, quòd *vita activa dispositio est ad vitam contemplativam.*

130. His ergo declarata manet nostra assertio, quæ loquitur de vita activa secundùm omnes actus, quos retulimus, insimulque manet probata. Sed claritatis gratia datam probationem ad hanc formam reducimus: vita activa durat, dum actus ipsius perseverant

rant, non autem dum datur contemplatio: ſed vita contemplativa, ſumpta ſecundùm omnia, quæ dicit, quomodò de ea nunc loquimur, durat dum contemplatio exercetur, & etiam dum opera vitæ activæ eliciuntur: Ergo vita contemplativa durabilior activa eſt. Conſequentia eſt bona, & maior quoad vtrãque partem indubitabilis. Minor verò pro ſecunda parte, in qua dubium eſſe poterat, probatur ex dictis: Dum durat diſpoſitio ad contemplationem, durat vita contemplativa, modo, quo nunc de ea loquimur: ſed iuxta D. Thom. modò datum, actus vitæ activæ; immò etiam ipſa *vita activa diſpoſitio eſt ad vitam contemplativam.* Ergo dum actus vitæ activæ eliciuntur, permanet vita comtemplativa.

131. Declaratur, & vrgetur hic diſcurſus: Etenim vt quis vitam activam exercens, illam dirigat in contemplationem, quo modo activa ad contemplativam ſpectat, nullum impedimentum, à labore, vel aliunde ortum, datur: Ergo qui actus vitæ activæ facit, eo animo vt in contemplationem eos refferat, exercet vitam contemplativam, conſequenterque hæc magis durat, quàm illa. Conſequentia legitima eſt, quia ratio, ob quam vita contemplativa durare diù non poteſt iuxta D. Thom. citatum, Seraph. Thereſiam, & omnes Myſticos, ac Scholaſticos, inter quos egregiè hoc ponderat Eximius Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. à num. 10. Eſt labor, qui in illo exercitio habetur, ſtabilis, fixuſque mentis intuitus, qui ad vniformitatem contemplationis requiritur, in quo pro hoc ſtatu manere non poſſumus, phantaſmatum confuſio, tædium, ſeu nauſea, quæ ex permanentia in vnico actu generatur, & alia huiuſmodi, quæ veritatem illius dicti oſtendunt: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Vnde ſi in vita contemplativa quo modo de ea nunc loquimur, hæc non premere oſtenderimus, habemus intentum. Probatur ergo antecedens: quia licèt dicta omnia vera ſint de vita contemplativa, prout dicit actum contemplationis, in quo ipſa finaliter, & eſſentialiter conſiſtit; non tamen verificantur de vita contemplativa ſecundùm omnia, quæ dicit: prout ſic enim nulla nauſea ei contraria eſt, quandoquidem non perſeverat in eodem actu, ſed vt rectè obſervavit datus Suarez, per quamdam iucundam mutationem ab vna huius vitæ actione ad aliam fit tranſitus. Nimirùm nunc legendo, nunc meditando, nunc orando, vel contemplando multum temporis ſpatium conſumi poteſt, rurſuſque ad eaſdem actiones reverti, quia & actiones iſtæ nobiliſsimæ ſunt, ac per ſe iucundæ, ipſaque earum diverſitas tædium aufert. Et alioqui in eis corporaliter non multũ laboratur. Similiterque phantaſmatum perturbatio, & alia obſtantia, ſolicitudine, ac vſu, gratia Dei ſuperari poſſunt. Hæc P. Suarez dicto num. 10. quibus ſolidè probatur noſtrum antecedens. Cæterum quia nos non ſolùm loquimur de iſtis actibus, ſed etiam de ijs, qui ſunt proprij vitæ activæ, & etiam de ipſa vita activa, ſi ſumantur, vt diſpoſitiones ad contemplationem; propterea loquendo de omnibus illis clariùs conſtat illius antecedentis veritas, dirigiturque eius probatio ad laborem, quem in exercitio vitæ activæ experimur; alia enim inconvenientia ſuperata iam ſunt ex modò dictis.

Sic igitur probatur iterùm idem antecedens. Etenim actus vitæ activæ, prout ſpectat ad vitam contemplativam, nullum laborem addit ſupra ſe ipſum eſſentialiter ſumptum: ergo vt quis vitam activam exerceat, illam referens in finem contemplationis, nullum impedimentum datur. Prob. anteced. Quia quòd actus vitæ activæ pertineat ad vitam contemplativam in nullo alio conſiſtit, niſi in ordine illo, quo refertur ad finem contemplationis: ſed in hoc, quod eſt referre illum actum ad contemplationem nullus labor adeſt, nec imaginabilis eſt: Ergo tenet antecedens.

Ad

132. Ad hæc: non ſolùm non eſt maior labor in actu vitæ activæ relato ad contemplationem, reſpectu ſui ipſius, vt manet intra vitam activam; ſed etiam eſt ſine comparatione minor defatigatio, quæ in tali actu primo illo modo reperitur. Exempli gratia. Traditur quis alia applicatione ad lectionem, quam dirigit vel ad prædicandum fidelibus, vel vt illa lectione imbutus, quæ ex illa hauſit, contempletur. Primo modo pertinet ad vitam activam lectio illa: ſecundo autem ad contemplativam. Et certè nemo non videt, lectionem primo illo modo laborioſam eſſe. Tum ex parte finis, qui eſt prædicatio, in qua multùm defatigantur, laſſanturque vires. Tum etiam ex ipſa lectione, quæ ad concionandum directa maiorem defatigationem ob memoriæ maiorem applicationem, aliaque huiuſmodi, cauſat, ſe ipſa ad contemplandum ordinata. Quod, & huius generis multa alia oſtendunt, in operibus vitæ activæ, prout contemplationi deſervientibus minorem laborem claudi, quàm in ipſis intra ſuam ſphæram vitæ activæ manentibus.

133. Contra omnia dicta obijcies 1. Sicut purè contemplativus elicit actus vitæ activæ, eoſque dirigere poteſt in contemplationem; ſic etiam purè activus elicit actus vitæ contemplativæ, illoſque poteſt ordinare in actionem: Ergo, ſicut purè contemplativus dum eò animo elicit actus vitæ activæ exercet vitam contemplativam; ſic purè activus dum contemplationem refert ad actionem, exercebit vitam activam: Ergo hæc non eſt minùs durabilis, quàm illa. Antecedens conſtat ex multoties dictis. Primam conſequentiam paritas ſuadet: cur enim contemplativus legens, vt contempletur, exercet vitam contemplativam, & activus contemplans, vt legat, vitam activan non exercet? Secunda autem conſequentia ex prima rectè deducitur. Eò enim diximus, vitam contemplativam eſſe durabiliorem, quia non ſolùm durat, dum cõtemplatio ipſa habetur, verùm etiam dum actus vitæ activæ in illam, vt in finem directi, eliciuntur: Ergo, ſi vita activa non ſolùm durat, dum ſuos actus elicit; ſed etiam dum contemplatur, æqualis ex hac parte eſt vtriuſque duratio; conſequenterque ratio facta prorſus ruit.

Reſpond. 1. rationem factam non ſolùm reſpicere id, quod obiectio aſſumit; ſed etiam alia, vt eſt maior labor vitæ activæ, quàm contemplativæ. Ex quo rectè concluditur, contemplativam eſſe durabiliorem; quia cùm loquamur de illis, prout in hoc ſtatu habentur, maior, vel minor exercentis labor conducit omnino, vt illa vita durabilior aſſeratur, in cuius exercitio inferior labor habetur. Verùm quia obiectio vrgeri poteſt contra diſcurſum prout num. 130. poſitum. Ideò

Reſp. 2. Vitam contemplativam, vt in hac diſputatione cum D. Thom. diximus, eſſe finem vitæ activæ, quæ etiam, vt eodem num. 130. vidimus, eſt diſpoſitio relatè ad contemplationem. Quòd autem medium ordinetur in finem, & diſpoſitio ad id, ad quod diſponit, eſt omnino conſonum veritati: cui abſonum prorſus eſt, quòd finis ordinetur ad medium, & quod terminus ordinetur ad viam, ſeu ad diſpoſitionem. *Adde* 1. quòd vita contemplativa eſt ſimpliciter perfectior, quàm activa, vt vidimus quæſt 3. quiaque minus perfectum poteſt ordinari ad magis perfectum, & non è contra: propterea vita activa ordinatur ad contemplativam: hæc verò ad illam ordinari non poteſt. *Adde* 2. Div. Thom. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. dicere, contemplativam vitam eſſe bonam propter ſe: activam verò propter aliud, concluditque dicens: *Vita activa, quæ non ad alium, ſed ad ſe ipſum tantùm ordinatur* (qualis eſt illa, de qua obiectio loquitur) *neque dignior, neque vtilior eſt, quàm contemplativa, imò comparatur ad contemplativam ſicut vtile ad id, ad quod eſt vtile.* Ex quibus omnibus conſtat, vitam contemplativam ordinari non poſſe ad activam.

Vnde ad obiectionem negatur antecedens pro ſecunda parte; videlicet

quo activus valeat contemplationem ordinare in vitam activam; esset enim talis ordinatio inordinata, quod compati eum actu virtuoso non valet. Cùm autem activus actu contemplatur, non ob hoc habet vitam contemplativam, sicut nec contemplativus, dum agit, habet vitam activam propter dicta num. 128. Vnde activus, dum contemplatur, nec habet vitam contemplativam, nec exercet activam; eò quòd, vt dictum est, contemplatio non est medium, nec via, nec dispositio ad vitam activam: Contemplativus verò, dum agit, exercet vitam contemplativam, sumptam in tota sua latitudine; quia actio illa est dispositio ad contemplationem. Quod intellige de actione ad contemplationem ordinata; alioqui idem dicendum erit de contemplativo agente, ac de activo contemplante.

134. Secunda eiusdem asserti pars bimembris, in qua dicebamus, quòd vita contemplativa essentialitèr, seu pro ipso actu contemplationis sumpta, si consideretur vt reduplicat hunc statum, potest dici durabilior, & etiam minùs durabilis, quàm activa, est quoad vtramque partem Div. Thom. quoad primam quidem d. q. 180. art. 8. in corp. vbi postquam statuit, quòd vita contemplativa secundùm suam naturam accepta est durabilior, vtî diximus 1. concluf. agens posteà de ipsa vita contemplativa quoad nos, seu prout à nobis in hoc statu exercetur, subiungit: *Sed quoad nos etiam vita contemplativa diuturna est; tum quia competit nobis secundùm actionem incorruptibilis partis animæ, scilicet secundùm intellectum: Vnde potest post hanc vitam durare. Alio modo, quia in operibus contemplativæ corporaliter non laboramus: Vnde magis in huiusmodi operibus continuè persistere possumus, sicut Philosoph. dicit in* 10. *Ethicor.* Vbi & vitam contemplativam ex aliqua parte activâ durabiliorem esse ostendit, & grave fundamentum ad hoc astruendum exhibuit. Fundamentum consistit in illis duabus rationibus, quibus & nos hanc partem nostri asserti probamus, primò quidem sic:

135. Actio potentiæ incorruptibilis est ex hac parte durabilior, quam actio potentiæ non incorruptibilis: vita contemplativa, sumpta pro actu contemplationis, est actio potentiæ incorruptibilis, etiam in hoc statu: ergo in hoc statu vita contemplativa est ex aliqua parte durabilior, quàm activa. Consequentia est in 3. modo primæ figuræ, & minor patet: quia vita contemplativa, etiam prout in hoc statu est actus potentiæ intellectivæ, vt hîc, & art. 1. asserit Div. Thom. quæ potentia omnino est incorruptibilis: quod quidèm non convenit vitæ activæ, vt patet: maior autem indè constat: quod totum suum esse habet actio à potentia; quæ quidem actio vtpotè effectus potentiæ debet, quoad fieri potest, sapere conditiones potentiæ producentis. Vnde actio potentiæ incorruptibilis, ex hac parte maiorem durabilitatem dicit, quàm actio potentiæ non incorruptibilis.

136. Contra hanc rationem, quæ ex vna parte fundatur in incorruptibilitate intellectus, & ex alia in eo, quòd vita activa non est actus intellectus, objicies 1. contra illud primum: Quia Philosoph. 3. de anima, cap. 5. text. 20. dividens intellectum in agentem, & passivum clarè docet, intellectum passivum esse corruptibilem: ergo ex hac parte maior durabilitas vitæ contemplativæ probari non potest.

Respondetur incorruptibilitatem intellectus fide sanctam esse: vnde licèt illam Aristot. negaret, nihil in hac parte vrgeret eius testimonium. Sed sanè Aristot. hanc veritatem non negavit: eius tamen mentem in obiecto textu aperit Sanct. Thom. ibi lect. 10. dicens: *Excludit quamdam obiectionem. Posset enim aliquis credere, quòd quia pars intellectiva animæ est incorruptibilis, remanet post mortem intellectiva scientia rerum eodem modo, quo nunc eam habet: cuius contrarium supra dixit in primo, quòd intelligere corrumpitur, quodam interiùs corrupto, & quòd corrupto corpore, non reminiscitur anima, neque amat. Et ideò hic dicit,*

quòd

quòd reminiscitur, scilicet post mortem eorum, quæ in vita scivimus; quia hoc quidem impassibile est, id est, ista pars animæ intellectivæ impassibilis est: vnde ipsa non est subiectum passionum animæ, sicut sunt amor, & odium, reminiscentia, & huiusmodi, quæ ex aliqua passione corporali contingunt. Passivus verò intellectus corruptibilis est, id est, pars animæ, quæ non est sine prædictis passionibus, est corruptibilis; pertinet enim ad partem sensitivam. Tamen hæc pars animæ dicitur intellectus, sicut & dicitur rationalis in quantum aliqualiter participat rationem, obediendo rationi, & sequendo motus eius, vt dicitur in 1. Ethicor. Vnico verbo: intellectus passivus, quem Philosoph. corruptibilem dicit, non est potentia intellectiva, quæ contemplationem elicit; sed est quædam facultas sensitiva, quæ est subiectum passionum sensitivarum, quod nobis non opponitur.

137. Obijcies 2. ex alia parte: quia vita activa etiam est actus intellectus: ergo ex hac parte non est durabilior vita contemplativa. Probatur anteced. Vita activa est opus intellectus practici; propterea quæ suprà diximus divisionem vitæ in activam, & cõtemplativam fore adæquatam; quia vita in præsenti dividitur secundùm divisionem intellectus, qui adæquatè dividitur in practicum, & speculativum: Ergo tenet antecedens.

Confirmabis: Cognitio veritatis est actus intellectus, vt de se patet: sed cognitio veritatis spectat æquè ad vitam activam, & ad contemplativam: ergo sicut hæc, ita & illa est actus intellectus. Min. in qua dubium esse poterat, probatur: quia cognitio veritatis æquè, & adæquatè dividitur in cognitionem, quæ respicit veritatem, vt illam cõtẽpletur, & in cognitionẽ respicientẽ veritatem, vt operetur, quarum prima est vita contemplativa, & activa secunda: Ergo cognitio veritatis, &c.

Resp. ad obiectionem ex dictis in hac disputatione: Vitam activam non elici, sed dirigi ab intellectu practico. Hic enim est regula operis exterioris, in quo vita activa formaliter consistit. Vnde vita activa non est actus elicitus ab ipso intellectu practico; sicut ab speculativo elicitus est contemplationis actus: quarè vita activa non est æquè durabilis. Incorruptibilitas enim potentiæ relucet, quoad potest, in solo actu à se elicito. *Adde*: quòd etiã si vita activa foret actus elicitus ab intellectu practico, adhuc in contemplatione vividiùs ostenderetur durabilitas; eò quòd est actus intellectus speculativi, qui nobilior, puriorque est, quàm practicus, & obiectũ nobilius respiciẽs, & nobiliori modo. Quamobrèm quæst. 182. art. 1. ait Div. Thom. *In vita contemplativa est homo magis sibi sufficiens, quia paucioribus ad eam indiget*: subditque: *Vita contemplativa est secundùm divina; vita autem activa est secundùm humana.* Et postea: *Vita contemplativa est secundùm id, quod est magis proprium homini, scilicet, secundùm intellectum: in operationibus autem vitæ activæ communicant etiam inferiores vires, quæ sunt nobis, & brutis communes.* Per quæ patet, quòd vita activa non est actus elicitus ab intellectu speculativo, vt priùs dicebamus. Et etiam quòd si foret, adhuc non esset æquè durabilis, quia adhuc tunc non esset homo tantùm sibi in ea sufficiens, quantùm in contemplativa, nec ad illam adeò paucis indigeret.

Per quod patet ad confirmationem: Quia cognitio veritatis, habens pro fine opus, non est formaliter ipsa vita activa, sed illam regulat. Quod si diceretur cognitio illa vita activa, adhuc nostrum assertum consisteret propter modò dicta.

138. Secundò probatur propositum assertum secunda illa ratione Div. Thom. quam dedimus num. 134. potestque ad hanc brevem formam reduci: In operibus vitæ contemplativæ non est labor corporalis, qui sanè adest in operibus vitæ activæ: ergo in vitæ contemplativæ operibus diù permanere possumus, non autem in operibus vitæ activæ. Antecedens pro vtraque parte constat ex authoritate D. Thom.

Et etiam, quia experientia ipsa testatur in vita activa summum laborem esse, quo caret contemplatio, quæ teste laudato Div. Thom. *Consistit in quadam vacatione, & quiete secundùm illud Psalm. 45. Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* De quo plura in superioribus dicta sunt, dicenturque in subsequentibus. Et loquimur de ipso actu contemplationis, seu de vita contemplativa essentialiter sumpta, non obliti eorum, quæ num. 78. dicta sunt. Deinde probatur consequentia: Quia labor, ac defatigatio corporalis impedit permanentiam in aliquo exercitio: ergo si in vita contemplativa talis labor non adest, & invenitur in vita activa, relinquitur, quòd vita activa minùs durabilis sit, quam vita contemplativa.

139. Objcis: Negari non potest, quòd in contemplatione plurimum laboretur corporaliter, vt ostendit virium corporalium iactura, caloris naturalis defectus, & alia huiusmodi, quæ contemplativi experiuntur: ergo falsò asserimus, non dari in vita contemplativa laborem corporalem.

Resp. cum Caietan. ad citatum art. 8. Quod dum Div. Thom asserit, in contemplativa vita corporaliter non laborari, sumit ly *corporaliter* non pro vt distinguitur contra spiritualiter, hoc est, immaterialiter: sic enim constat, contemplativos laborare, ex quo labore proveniunt effectus illi, quos obiectio recensct, quosque libenter concedimus. Sumit tamen Angel. Doct. ly *corporaliter*, prout distinguitur contra animaliter, sicut corpus distinguitur cõtra animã. Sic enim solùm corporaliter laborant, qui membris corporalibus operando vtuntur, vt artifices, agricolæ, & huiusmodi. Contemplatio autem fit sedendo, & quiescendo: & ideò absque corporali labore fieri dicitur. Hucusque Caietan. quibus facta obiectio soluitur, quatenùs in vita contemplativa laborem esse adstruit, quem laborem non negamus, sed modo dicto: ita vt semper laboriosior inveniatur vita activa, in qua labor corporalis est, prout *corporale*, id est *animale*. Siquidem consionando, infirmis ministrando, mortuos tumulando, aliaque opera vitæ activæ exequendo, membris ipsis corporalibus, & toto corpore laboramus, ex quo labore ingens fatigatio contrahitur, ob quam in vna illarum actione diù permanere haud possumus.

140. Redeuntes modò ad ea, quæ num. 134. dicebamus, asserimus, eundem Angel. Præcept. qui ibi docuit, contemplationem in hoc statu esse ex vna parte durabiliorem vita activa, de quo egimus numeris præcedentibus: etiam docere, talem contemplationem esse ex alio capite minùs durabilem: Sic enim ait, q. 181. art. 4. *Ad 3 dicendum, quod durabilitas vitæ activæ in statu præsenti excedens durabilitatem vitæ contemplativæ, non provenit ex proprietate vtriusque vitæ secundùm se consideratæ, sed ex defectu nostri, qui ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis. Vnde ibidem subdit Gregor. quod ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis repulsus animus in semetipso relabitur.* De quo quia de se satis constat, & iam multa multoties diximus, nihil modò addendum est.

§. IV. *Quæ asserta præcedentia impugnant, enodantur.*

141. PRæcipua argumenta, quæ datas assertiones impugnant, sunt obiectiones iuxta eas factæ, solutæque. Sed nihilominùs aliqua modò dabimus, potiùs vt modum regularem servemus, quàm quia difficultatem aliquam, non facillimè ex dictis superabilem continere, intelligamus. Igitur arguit. 1. contra prim. concluſ. Contemplatio non est homini connaturalis: ergo ex natura sua non est diuturna. Ergo nec vita activa ex se diuturnior. Secunda consequentia constat ex prima: Tum quia ex negatione positivi destruitur comparativum. Tum quia vita activa durabilis absdubio est, & homini connaturalis. Prima consequentia deducitur benè ex an-

antecedenti; quod probatur. Quod eſt melius, quàm ſecundùm hominem non eſt connaturale homini: vita contemplativa ſic eſt, ex Philoſoph. lib. 10. Ethicor. cap. 7. Ergo vita contemplativa non eſt ex ſe homini connaturalis.

Reſp. 1. hoc argumentum non tam reſpicere contemplationem ſecundùm ſe, quàm relatè ad ſubiectum. Vnde non primam aſſertionem impugnat, ſed probat ſecundam partem ſecundæ. Verùm quidquid de hoc ſit, reſpondetur ſecundò negando antecedens: ad probationem conſtat ex alibi dictis, Philoſophum dicere contemplationem eſſe ſupra hominem, quia convenit homini ſecundùm intellectum, qui, teſte eodem Philoſopho, aliquid divinum eſt. Ita Philoſophum explicat D. Thom. citato art. 8. ad 3. Adde: quòd ad contemplationem requiritur ſumma ſegregatio à creaturis, quæ proculdubio quietem contemplationis perturbant. Quod vel ipſi ſuæ gentilicæ contemplationi apprimè neceſſarium, gentiles Philoſophi cognovere: eòque à creaturarum tumultibus ſegregabantur, vt expeditè contemplationi dederentur. Videns autem Ariſtot. lib. 1. Polit. cap. 2. hominem, qui ex natura ſua eſt animal ſociale, fugere aliquandò ſocietatem, dixit: *Ille, qui alijs non communicat, eſt beſtia, aut Deus, id eſt*, ait Div. Thom. 2. 2. quæſt. 189. art. 8. ad 5. *Divinus vir*. Quod ideo Philoſoph. dixit, interprete eodem Div. Thom. quia *homo poteſt ſolitariè vivere dupliciter. Vno modo quaſi ſocietatem humanam non ferens propter animi ſævitiam, & hoc eſt beſtiale. Alio modo per hoc, quod totaliter divinis rebus inhæret*: *Et hoc eſt ſupra hominem*. Et hæc eſt ratio, qua contemplatio ſuprà hominem eſſe dicitur; hoc tamen ipſius diuturnitati non præiudicat, vt dictum eſt.

142. Arg. 2. ex Apocal. cap. 8. v. 1. vbi dicitur: *Factum eſt ſilentium in Cælo quaſi media hora*, per quod *ſilentium* intelligitur communiter quies contemplationis, & per ly *media hora* datur intelligi ſumma brevitas talis contemplationis, quæ parùm durat: ergo contemplatio non eſt ex natura ſua diuturna: ac per conſequens nec diuturnior vita activa. Prima conſequentia legitimè infertur ex antecedenti: Si namque contemplatio foret ex natura ſua diuturna, hoc planè haberet in Cœlo, vbi nihil datur, quod ipſius diuturnitatem impediat. Antecedens autem eſt omninò certum, ſicque ab omnibus intelligitur; ita vt ſilentium illud, adeò breve ſit contemplatio.

Reſpondet. 1. cum Div. Thom. ſupra citatum cap. Apocalyp. datum textum nullatenùs loqui ad litteram de contemplatione, ſed *per illud ſilentium ſignificatur pax, & tranquilitas, quæ eſt futura in Eccleſia, quæ Cælum eſt propter cæleſtem claritatem, propter fidei charitatem, & vitæ ſublimitatem, poſt mortem Antichriſti, quæ parum durabit; & ideò ſignatur per ſilentium quaſi dimidiæ horæ, quia citò poſt veniet Dominus ad iudicium*. Verba ſunt Div. Thom. loco citato, qui egregiè idem argumentum proſequitur. Videatur. Vnde duo falſa continet argumentum factum. Primum eſt, quòd Cœlum, in quo factum eſt ſilentium, ſit paradiſus Cœleſtis. Hoc enim falſum eſt; quia ly Cœlum ſignificat Eccleſiam militantem propter rationes, quas Div. Thom. dedit. Et ſanè ſi per ly *Cælum* intelligatur Eccleſia triunfans, & per ſilentium intelligatur contemplatio, infertur, quòd contemplatio in gloria non ſit durabilis, quod pluſquam falſum eſſe, eſt fide ſanctum. Vnde ſi per ſilentium intelligitur contemplatio, vt arguens vult, & per Cœlum non poteſt intelligi Eccleſia triunfans, vt demonſtravi: relinquitur, quòd per Cœlum intelligatur Eccleſia militans, vt docuit D. Thom. aut anima iuſti, vt vult D. Bernard. mox citandus: ex tota hac facta fabrica ſolùm habetur, quòd contemplatio in hoc ſtatu non ſit diuturna, quod primum noſtrum aſſertum non impugnat, ſed firmat ſecundum. Maneat ergo falſum eſſe, quòd Cœlum ibi Eccleſiam triumphantem ſignificet; ſignificat enim militantem.

Se-

Secundùm quod factum argumentum ſupponit vt indubium, eſtque falſum, eſt, quod per ſilentium intelligatur ad litteram contemplatio. Non, inquam, contemplatio intelligitur, ſed pax dicta, qua fruetur Eccleſia militans poſt Antichriſti mortem, quæ diuturna non erit; ſed ſolummodò per quadraginta dies, vti Gloſſa aſſerit, duratura. Tranſactis enim quadraginta diebus, celebrabitur iudicium vniverſale, finieturque cum ipſa militante Eccleſia pax Eccleſiæ militantis.

Reſpond. 2. cum eodem citato Div. Thom. qui ait: *Tropologicè per ſilentium ſecundùm Beatum Gregorium, intelligitur ſecretum intimæ contemplationis, in quo ſilere debet tumultus cogitationum, vt anima iuſti, quæ Cælum eſt, per elevationem à terrenis, & claritatem mentis cum ſponſo loqui, & eius vocem dulciſsimam audire poſſit. Vnde Beatus Gregor. ſuper hunc locum: Cælum quippè eſt anima iuſti: Anima itaque iuſti ad æterna ſublimia per ſublevationem contemplationis intendit, ſurgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, & intra ſe Deo quoddam ſilentium facit: Hoc autem ſilentium quaſi media hora fit, quandò non diù durat quies contemplationis, ſed vel neceſſitas corporalis, vel aliud aliquid interrumpit eam. Vnde Gregor. hoc ſilentium contemplationis, & hæc quies mentis in hac vita non poteſt eſſe perfecta.*

Similiter Div. Bernard. lib. de Amor. Dei cap. 4. ait de contemplatione: *Hoc eſt ſilentium in Cælo. Quandiù quippè in hac ſumus vita, hoc fœliciſſimæ pacis ſilentio in Cælo, id eſt, in anima iuſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aliquandò fruitur affectus, ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia; intentio verò de reliquis cogitationis diem feſtum perpetuum agit ſibi.* Per quæ ſolutum manet argumentum, ſimiliterque ſolvuntur innumera alia, quæ hic ab authoritate, & à ratione fieri poterant. Et omnia illa ſolùm probant, quòd vita contemplativa, prout in hoc ſtatu; durabilis non eſt, quod eſt noſtrum aſſertum ſecundum, quoad ſecundam partem, ſed primum, vt dictum eſt, non impugnat.

143. Arg. vltimò contra bimembrem illam partem aſſerti ſecundi: Quia paradoxum eſt, quòd contemplatio pro hoc ſtatu ſit ſimul diuturnior, & minùs diuturna, quàm vita activa: Ergo ex illis duobus membris aliquod falſum eſt. Probatur antecedens. Tum quia ex ipſis terminis apparet repugnantia. Tum quia eadem contemplatio non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: Ergo nec poteſt ſimùl eſſe diuturnior, & minùs diuturna.

144. Confirmat. Implicat eandem contemplationem eſſe ſimpliciter perfectiorem, & ſimul ſimpliciter minùs perfectam, quàm vita activa: Ergo pariformiter implicat, quòd ſit ſimùl diuturnior, & minus diuturna. Anteced. conſtat ex dictis tota quæſtione 3. vbi licèt concederemus, vitam activam eſſe ſecundùm quid perfectiorem; perfectionem verò ſimpliciter maiorem numquam conceſsimus, vt potè pugnantem cum perfectione ſimpliciter maiori vitæ contemplativæ. Conſequentia verò probatur: quia ſi vita contemplativa aſſeritur durabilior, & ſimul minùs durabilis, quàm vita activa, non eſt vnde tam maior, quàm minor durabilitas non ſint ſimpliciter tales; ergo implicat, &c.

145. Reſp. argum. diſtinguendo antecedens. *Paradoxum, &c. ſit ſimul,* & ex omni capite *diuturnior, & minus diuturna,* conceditur: *Sit ſimul,* & non ex omni capite, negetur antecedens. Numquam enim diximus, quòd contemplatio ſit ex omni capite durabilior. Diuturnitatem contemplationis aliqua poſſũt fundare, & alia perimere. Illam, etiã pro hoc ſtatu fũdat incorruptibilitas potẽtiæ, à qua elicitur: fundat etiã, quod in cõtẽplatione corporaliter non laboratur. *Et hæc negatio impedientis laboris*, ait Caietan. ad art. 8. citatum, *manifeſtè ad maiorem continuitatem confert.* Quod dupliciter intelligi poteſt. Primò ſic, vt idem numero actus contemplationis magis durare poteſt, eò, quod in ipſo labor non eſt. Secundò

dò ita, vt licèt idem actus non continuetur; potest tamen contemplatio iterum, atque iterum continuari, ex quo in ea labor corporalis non est. Et vtrumque verum est: quamquam Caietan. in secundo sensu solùm loqui videatur, vt hæc eius verba testantur: *Ex hoc contemplatio ex parte nostri est magis contigua, hoc est, magis, ac magis continuari potest, quòd corporalis labor ibi non intervenit.* Sed vtrumque, vt diximus, verum est: quia ex quo labor corporalis in contemplatione non est, potest idem actus diutius permanère, &, semel hoc extincto, potest per alium, & alios continuari: quorum neutrùm in actibus vitæ activæ eàdem expeditione dari potest, vt patet in Sermocinante. Quod autem contemplationem non diù durare sinit, est ipsa gravitas corporis animam à Cœlesti illo contemplationis otio, eà in vita, retrahens. Dicimus ergo quòd contemplatio, quæ ob illa duo est in hoc statu durabilior, quàm vita activa, est minus illa durabilis ob hoc vltimum, in quo nulla contradictio adest, nec ex ipsis terminis, nec aliundè. Per quod patet ad primam probationem antecedentis. Ad secundam dicas: *esse*, & *non esse* esse prædicata contradictoria: quòd autem contemplatio sit secundùm vnam rationem durabilior, & minus durabilis secundùm aliam, nullam contradictionem involvit.

146. Ad confirm. negetur consequentia, & paritas. Discrimen est, quòd perfectio simpliciter talis desumitur ex genere, seù natura, vt eo loco diximus: quiaque res vna non habet nisi vnam naturam, seu essentiam; propterea non potest esse simpliciter perfectior, & simùl minùs perfecta simpliciter respectu eiusdem: quandoquidem tunc foret simpliciter perfectior, & simul minùs perfecta secundùm idem: quod manifestè implicat in eadem entitate respectu eiusdem. Diuturnitas autem non est quidditas contemplationis: Vnde potest secundùm vnam rationem esse magis durabilis, quàm vita activa, & minùs durabilis secundùm aliam. *Adde*: quòd maior diuturnitas contemplationis, cùm proveniat ex capitibus numero præcedenti assignatis, quæ sunt iuxta exigentiam quidditatis ipsius contemplationis: ipsa enim ex sua natura est actus potentiæ incorruptibilis: ac similiter secundùm suam naturam ei convenit, quòd in ea corporaliter non laboremus: hæc, inquam, maior diuturnitas est ob dicta simpliciter talis. Minor autem diuturnitas, cùm conveniat ei prout reduplicat hunc statum, & vnionem cum corpore retardante, ac impediente, est talis secundùm quid: vtpotè quod nec est quidditas, nec à quidditate exactum. Immò pugnans cum exigentia quidditatis. Quo circà erit contemplatio simpliciter durabilior vita activa, & secundùm quid minùs durabilis, in quo arguens nullum inconveniens reperit, nec nos illud reperimus.

QUÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm in eodem viatore possint simul reperiri vita activa, & contemplativa?

PRæsentem difficultatem ad tertium prædicabile, in quo de natura perfecta agendum est, reservare decreveram: eò quòd, si in aliquo viatore compatiantur hæ duæ vitæ, ille sanè perfectus esse debet. In alijs enim non posse simul dari certissimum est. Verùm, quia quòd tales vitæ possint, vel non possint simùl dari, provenit ex prædicatis intrinsecis vtriusque; propterea hîc oportunior sedes est, vt hoc dubium discutiatur. In hac enim disputatione propria, & intrinseca huius duplicis vitæ tractata sunt.

§. I.

§. I. *Quæstionis sensum aperio, & veram sententiam propugno.*

147. NOn loquimur de illa vita activa, de qua multoties dictum à nobis est, speciatim in hac disputatione, fovere ipsam vitam contemplativam: quatenùs huius fervor penè extinctus per illius impulsum reproducitur. Hæc enim vita activa, seu, vt propriùs loquar, hæc vitæ activæ habitio ad rem præsentem non est: siquidem illo modo vitam activam reperiri in contemplativo, res adeò certa, tritaque est, vt subijci disputationi non debeat. Quandoquidem quilibet contemplativus suam contemplationem sanctis meditationibus fovere debet, vtî ex nostro Extact. Doct. pluries diximus. Hoc tamen non est habere vitam activam; tum quia illæ meditationes sunt actus vitæ contemplativæ, sumptæ secundùm omnes actus, quos dicit, vt supra dicebamus. Tum quia illius contemplativi principale studium, cui præcipuè vacat, non sunt illi actus, sed contemplatio veritatis.

148. Indidemque habetur, non esse in præsenti sermonem de illis operibus vitæ activæ, quæ etiam à quocumque contemplativo eliciuntur. Nemo enim ita ab alijs segregatus est, qui aliquandò opem indigenti non ferat. Hæc tamen opera vitam activam in illa operante non arguunt propter dicta: videlicet, quia non sunt principale studium facientis: quod indispensabiliter necessarium est, vt talia opera vitam activam constituant, iuxta doctrinam Div. Thom. datam num. 128. Debetque hoc præ oculis haberi, vt in præsenti vitari possit confusio. Vnde loquimur de vita activa, (idem de contemplativa intellige) quam quis seriò, ac principaliter intendit, iuxta numero dicto tradita. Quod quia non considerant aliqui de his scribẽtes, non lucem, sed tenebras materiæ non admodum perspicuæ scriptis suis cõciliant. Quod vitandum spero, vestigijs Angel. mei Præceptoris, & Seraph. Doct. Div. Theresiæ fideliter, ac indivulsè insistẽs.

149. Iuxta hæc igitur duo lucidissima oracula quæstionis titulus dupliciter intelligi potest. Primò ita vt licèt cum vita contemplativa non sit simul vita activa, eo rigore sumpta, quem modò dedimus: detur tamen contemplativus ea perfectissima contemplatione decorus; vt possit attendere ad omnia opera vitæ activæ, quãtumvis maximæ entitatis, quin otium suæ contemplationis impediatur. Satque hoc esse (si verificetur) vt possimus dicere, quòd in viatore datur simul vtraque illa vita; inde constat: quod in Angelis vsque ad iudicij vniversalis diem diximus supra quæstione præcedenti cum D. Thom. dari simùl hanc duplicẽ vitã. Et sanè vita activa, quã in Angelis cõcedimus, non est vita activa ea serietate, seù rigore sumpta: quãdoquidẽ Angeli non maximè, præcipuè vè delectantur in illis suis operibus vitæ activæ, nec illa præcipuè intẽdunt, se illi soli placere, *in quẽ desiderãt Angeli prospicere.* Ast dicuntur simul vtramque vitam habere; quia sic in ministerijs activæ vitæ occupantur, vt quies contemplationis interrupta perseveret. Sic docet Div. Thom. 2. 2. q. 181. art. 4. ad 2. dicens: Angeli *secundùm hoc habent aliquid de vita activa quandiu mundus durat ex hoc, quod administrationi inferioris creaturæ intendunt. Quod significatur per hoc, quod Jacob vidit Angelos in Scala ascendentes, quod pertinet ad contemplationem; & descendentes, quod pertinet ad actionem. Sed sicut dicit Gregorius 2. moral. non sic à Divina visione foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudijs priventur.* Sat est ergo, quòd quis possit exterioribus occupari, quin *internæ contemplationis gaudijs privetur*, vt vitam activam habere simul cum contemplativa dicatur.

Fatemur tamen, hunc non habere vitam activam omnino rigorosè, vt illam habet, qui illam principaliter intendit. Sed hoc nihil obest, vt dicatur

tur habere vitam activam simùl cum contemplativa, vtî dicebamus de Angelis, in quibus eo rigore vita activa non est; quod elegantissimè docuit D. Thom. verbis adductis dicens: *Secundùm hoc habent aliquid de vita activa.* Perspicè, quòd non dicit Angelos habere vitam activam, sed *aliquid de vita activa.* Quia videlicet, non habent vitam activam, nisi in sensu modò à nobis intento. Quod amplius ex dicendis constabit.

150. Secundò potest intelligi quæstionis titulus, ita vt in eodem viatore detur simul vita contemplativa, & activa, omnino rigorosè sumptæ. Quod adhuc duplicitèr potest intelligi. Primò ita vt ly *simul* denotet simultatem temporis, tuncque hunc sensum reddet: an nimirum possit quis simul studere principaliter vitæ activæ, & contemplativæ? Ita vt simul, hoc est, eodem tempore studium principale habeat circa vtriusque vitæ opera? Secundò, ita vt ly simul non denotet simultatem temporis, sed subiecti: sic, vt idem homo, qui nunc principaliter contemplationi vacat, alio tempore vitæ activæ studeat principaliter: taliter quòd reciproca successione modò in vita contemplativa, modò in activa occupetur: sed vtraque vita in ipso simul sit. Et quocumque ex dictis tribus modis procedit disputatio nostra. Vnde videndum nobis est: an omnibus ijs modis, vel aliquo, detur simul vita contemplativa, & activa in viatore?

151. Sit nostra 1. concluſ. *Potest viator adeò intimè Deo per contemplationem vniri, vt opera activa quantumvis multa, & maximæ entitatis, eius contemplationem non impediant: atque adeò possunt in eodem viatore dari simul vita contemplativa, & activa.* Secuncunda pars conclusionis constat ex dictis num. 149. Prima autem pars, in qua difficultas viget, est expressa D. Augustini lib. 19. de Civit. Dei, cap. 2. & 19. D. Gregor. 2. moral. cap. 3. D. Thom. loco citato ex 2. 2. & clarissimè Seraph. Mat. nostræ lib. vitæ, cap. 17. & in Itinere cap. 31. ex quorum doctrina discursus libabimus, quibus nostrum assertum suadeamus. Probatur ergo primò conclusio sic: Beatissima Virgo Maria dum viatrix fuit, habuit contemplationem, quam nulla opera vitæ activæ impediebant: ergo dabilis est in viatore contemplatio, quam non impediant opera vitæ activæ. Consequentia bona est: proceditur enim de actu ad potentiam. Et antecedens probatur: Beatissima Virgo, dum fuit viatrix, habuit simùl vitam activam, & contemplativam: sed inter modos, quibus hæc vtraque vita à viatore haberi potest, minor est ille modus habendi illas, qui constat ex dictis num. 149. Videlicet, habere contemplationem, quam opera vitæ activæ non perturbent: Ergo Beatissima Virgo illam eminentissimam contemplationem habuit. Cætera nota sunt, & maior continet discursum D. Thom. quo vtitur in 3. dist. 35. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in argument. 2. *sed contra*, estque huiusmodi: *Beata Virgo fuit in vtraque vita, & ideò secundùm Anselmum in Assumptione eius legitur Evangelium de Martha, & Maria, quæ significant vitam activam, & contemplativam: sed Beata Virgo fuit tantùm viatrix: ergo, &c.*

Quo discursu evincitur, Beatissimam Virginem habuisse illam adeò divinam contemplationem, quæ nullis vocibus exteriorum tumultuum turbaretur. Hic enim, vt dictum est, est infimus modus inter eos, quibus excogitari potest possibilis simultas huius vtriusque vitæ in viatore. In simulque hoc ipso discursu solvitur illud frequēs dubium concionatorum in die Assumptionis Dominæ nostræ. Anguntur enim minùs perspicaces, non valentes percipere, cur illud Evangelium in tali solemnitate legatur. Fundamentum vt detegant, fœtus non numquam edunt risu excipiendos, aut contemptu præmiandos. Dictæ ergo institutionis motivum est, prout vidimus, quòd in eo Evangelio fit mentio vitæ activæ figurata in Marta satagente circa frequens ministerium: fit etiam mentio vitæ con-

contemplativæ, quam repræsentat Maria sedens secus pedes Domini, & audiens verbum illius. Vt autem detur intelligi, quòd in Beatissima Virgine duplex vita simul erat, & quòd meritis eminentissimis, vtraque vtriusque vitæ manu collectis, regna cœlestia conscendebat; propterea, ait ex D. Anselmo D. Thom. legitur Evangelium illud in illa festivissima solemnitate ex veneranda Ecclesiæ ordinatione.

Ex quo colliges: nostrum assertum esse iuxta indefectibile Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicium, quandoquidem dum dictum Evangelium legi iussit, illam duplicem vitam in Beatissima mundi Regina, ac Cœli Domina fuisse censuit.

152. Confirm. 1. Non est efficacius operum exteriorum murmur ad impediendam cõtemplationem, quàm hæc dùm valdè sublimis est, ad impediendum vsum sensuum, seu vires sensitivas causando extasim, vel raptum: Beatissima Virgo habuit altissimam contemplationem sine impedimento virium sensitivarum: ergo & dedita fuit operibus vitæ activæ sine impedimento contemplationis. Consequentiam suadet paritas. Min. continet doctrinam Mysticorum, de qua nobis agendum est in quinto prædicabili, constabitque à fortiori ex dicendis num. 169. Maior autem ita certa est, vt non indigeat probatione.

153. Confirm. 2. Beatissima Virgo cum vehementissimo dolore coniunxit contemplationem: ergo & cum operibus vitæ activæ. Consequentia infertur: quia non est assignabilis ratio, cur solicitudo circa opera exteriora contemplationem impediat, & ipsam dolor vehementissimus, quo puræ creaturæ acerbior nec æquè gravis nullus, non impediat. Antecedens autem probatur: Cùm Christus Dominus pro mundi salute in Cruce patiebatur, habuit Beatissima Virgo dolorem omnes omnium creaturarum dolores superantem: sed tùnc etiam habuit ferventissimam contemplationem: ergo, &c. Præmissæ non tàm indigent probatione, quàm in Deiparæ obsequium expensione: expenditur ergo minor primò in generali: quia Beatissima Virgo numquàm à divina contemplatione cessavit, nec ante ipsius ortum, nec post, nec vigilans, nec dormiens: Ergo nec in filij passione. Consequentia est bona; tùm quia magis est contemplari ante ortum, & in somno, quàm in vigilia, licèt cum circunstantia illa doloris vehementissimi, & deniquè semper, ac incessanter contemplari, plus est, quàm contemplari in aliqua differentia temporis, & cum dicta doloris circunstantia: vnde si Beatissima Virgo semper, ac incessanter contemplata est, etiam in passionis tempore contemplationem exercuit: cùm hoc non sit maius, quàm illud. Tùm deindè, quia, vt ex ipsis terminis constat, si numquam à contemplatione cessavit: in tempore passionis contemplata vtique est: quia passio illa in aliqua differentia temporis extitit.

Anteced. autem probatur: & primò quòd ante ortum, & in somno contemplaretur: sic enim docet D. Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. his verbis: *Beata Virg. licèt in vtero Matris suæ, sicut cæteri infantes, dormiret: attamen somnus, qui abussat, & sepelit in nobis rationis, & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi, non credo, quòd talia in ipsa fuerit operatus; sed anima sua liberè, ac meritorio actu tunc tendebat in Deum.* Posteàque in eodem sensu accipit illa Cantic. verba: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ijsdem, vt post ortum incessanter contemplatam fuisse, vsus est Amadeus hom. 3. de Laud. B. Virg. vbi ait: *Sæpè etiam agebat, quod in canticis Canticorum scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat: Carne quippè dormiens, animo vigilabat.* Eamdem veritatem, quoad hoc, quòd nec in somno, nec in vigilia à Dei contemplatione cessabat, docet oratio illa Sanctæ Birgitæ cœlitùs revelata, ait enim: *O Virgo Maria dominatrix mea, glorietur nasus tuus suavissimus, qui ex virtute Spiritus Sancti numquam anhelitum attraxit, vel emisit,*

ſit, quin tota cogitatio tua ſemper eſſet ad Deum altiſſimum, & quamvis aliquando dormiebas; voluntatem tamen tuam ab eo numquam mutabas. Plura prætereo circa inceſſantem Sanctiſsimæ Virginis contemplationem, quæ videri poſſunt in Alb. Mag. ſuper *miſſus eſt* cap. 176. 177. & 179. in Joan. Ovando ad 3. Scoti, d. 3. q. 5. art. 1. & alijs. Non tamen omiſſerim illud, quod de Beatiſsima Virgine dicitur in Proverb. cap. 8. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Semper enim accenſſa fuit lucerna contemplationis Virginis Almæ, videlicet, *in nocte* materni vteri, *in nocte* ſomni, *in nocte* tota huius vitæ, quæ comparata cum die æternitatis, ex abſentia veri Solis, nox eſt: Ergo nec etiam extincta fuit lucerna hæc adeò conſtans in obſcuriſsima nocte acerbiſſimæ paſsionis.

Expenditur 2. illa minor in particulari loquendo de tempore paſsionis pijſsimi Reparatoris noſtri. In quo tempore Virgo Beatiſsima contemplationi vacabat, vt teſtatur ipſa puriſsima Virg. Sanctæ Birgit. lib. 1. cap. 10. his verbis: *Quandò verò conſiderabam loca clavorum in manibus, & pedibus, quos ſecundùm Prophetas crucifigendos audivi, tunc oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quaſi ſcindebatur præ triſtitia: : : Cùm verò conſiderarem potentiam Deitatis eius, conſolabar iterùm, ſciens quòd ipſe ſic vellet, & ſic expediret, & omnem voluntatem meam confirmavi voluntati eius: & ſic ſemper erat lætitia mea mixta cum dolore.*

Iam verò expenditur maior illa facti ſyllogiſmi propoſitio: & ſanè, quòd vehementiſsimè Sanctiſsima Virgo tunc temporis torqueretur, probat dictum ipſius in principio orationis modò datæ, vbi ait, quòd eius cor *quaſi ſcindebatur.* Probat etiam ipſius altiſsimum ſilentium: nihil filio ſuo ſibi loquenti reſpondit, cuius ſilentij dolorem vehementiſsimum fuiſſe cauſam, ait Div. Bernard. de lament. B. Mariæ. Eſt enim dolor vehemens fur loquelæ iuxta illud Job. cap. 2. vbi de mæſtiſsimis amicis Job dicitur: *Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Quòd autem ille Virginis dolor omnes omnium creaturarum dolores ſuperaſſet, docet Div. Bernard. tom. 1. ſerm. 61. dicens: *Tantus fuit dolor Virginis, quòd, ſi in omnes creaturas, quæ dolorem pati poſſunt, dividerentur, omnes ſubitò interirent.* Ergo vera eſt illa maior.

§. II. *Emergens obiectio diſpellitur, & eius occaſione dubium incidens diſputatur.*

154. CONtra 2. confirm. §. præcedenti factam adeſt gravis obiectio, quæ negotium faceſſeret, niſi enodaretur. Objcies ergo: Beatiſsima Virg. in paſsione filij ſui paſſa eſt ſpaſmum: ergo non habuit contemplationem illam, quam diximus. Patet iſta: quia eum ſpaſmo contemplatio adeſſe non poteſt, ſicut nec advertentia, nec meritum, nec libertas. Vnde ſi verum eſt, quòd Beatiſsima Virg. tam vehementiſsimè doluit, ſequutus fuit ſpaſmus, qui doloris adeò irregularis comes eſt; eòque minor facti ſyllogiſmi eſt falſa. Sin minùs maior non erit vera. Conſequenterque nutat facta confirmatio.

Anteced. autem, in quo eſt difficultas, probatur multipliciter. Primò, quia in Eccleſia celebrabatur feſtum in memoriam ſpaſmi Beatiſsimæ Virg. quod feſtum incipiebat Dominica in Paſsione, & terminabatur ſequenti Dominica Palmarum. Quod certè non fieret, niſi B. Virgo ſpaſmata fuiſſet: ergo verè paſſa fuit deliquium in filij paſsione. *Secundò* probatur antecedens: quia ex relatione eorum qui terræ ſanctæ loca inviſerunt, novimus, prope Calvarium conſtructum fuiſſe Templum ſub nomine *Sanctæ Mariæ de Spaſmo*, in illius memoriam, quem Cœleſtis Virgo paſſa eſt, cùm vidit ſuum Vnigenitum Crucem baiulantem, & ſub ipſa, ponderis immanitate,

cadentem. Tunc quippè purissima Virgo spasmata præ doloris acerbitate similiter cecidit, & eò loci dictum templum erectum fuit, cuius ruinæ adhuc extant.

Probat. 3. anteced. à P.P. authoritate: nam Div. Bonav. lib. Medit. Vitæ Christi cap. 77. ait: *Cernens* (Sanctissima Virgo) *eum* (Christum Dominum) *oneratum ligno tam grandi, quod primò non viderat, semimortua facta est præ angustia, nec Verbum ei dicere potuit.* Alij hoc referentes ad tempus, in quo in Calvario nudatus est meus Jesus, tunc deliquium Virginis accidisse, dicunt. Vnde Anselm. dialog. de Passion. Dom. Virginem sic plorantem introducit: *Cùm venissent ad locum Calvariæ ignominiosissimum, nudaverunt Iesum filium meum totaliter vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* Div. Bonav. dicto lib. cap. 80. ait, idem accidisse, cùm Christi corpus lancea vulneratum fuit. Hæc sunt eius verba: *Tunc Mater semimortua cecidit inter brachia Magdalenæ.* Alij circa hoc ipsum plura loquuntur, sed quæ à dictis parùm distare videntur: eòque ad aliud caput transimus.

Probat. 4. anteced. ex revelat. B. Birgit. factis, inter quas nonnullæ sunt, hunc ipsum Sanctissimæ Virg. spasmum confirmantes, vt videre est lib. 1. cap. 10. lib. 2. cap. 21. lib. 4. cap. 70. & lib. 7. cap. 15. solùm referam, quæ serm. Angelico cap. 18. habentur: *Videns deinde Mater filium suum in Cruce crudeliter extendi, in omnibus corporis sui viribus cæpit tabescere: audiens verò malleorum sonitum, quandò filij manus, & pedes ferreis clavibus perforabantur, tunc, omnibus Virginis sensibus deficientibus, ipsam in terram velut mortuam doloris magnitudo prostravit.* Mitto alias revelationes idem testificantes. *Probatur* 5. antecedens ex pictorum praxi, qui iuxta Crucem solent effigiem Almæ Virg. pingere, illam spasmatam, ac veluti mortuam demonstrantem.

Probat. denique anteced. ex Sacra Script. quia Luc. cap. 2. ait Beatissimæ Virg. Sanctus Simeon: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quæ verba multi P.P. sacrique Expositores exponunt de dolore, quem in passione habuit purissima Virgo ipsam deliquium pati, cogente. Atque ita loquitur Div. Bernard. de lament. Virg. Laurent. Justin. de Triumph. Christi agone, Div. Bonav. cap. citato, & etiam eod. lib. cap. 77. & 79. Carthusian. in Joan. cap. 19. vnde sententiam asserentem, Virg. spasmum passam fuisse, præter adductos, tenent Joan. Lansperg. lib. elucidat: in passion. Christi, Aranda tract. 1. cap. 14. Malonius in elucidat. Stigmat. cap. 17. Durand. lib. 4. in notis cap. 70. plurèsque alij.

155. Circa hoc dubium tria facienda restant. Primum videre, quid sit spasmus. Secundùm videre, si fuit in Beatissima Virg. tempore passionis, vel alio. Tertium denique obiecta solvere. Circa primum scias: spasmum esse in duplici differentia. Primus est propriè talis; secundus autem impropriè. Primus evenit, cùm quis ob nimium dolorem patitur nervorum contractionem, tota corporis, & animæ harmonia dissoluta; ita vt nec sensibus externis, nec internis, atque adeò nec ratione vti valeat. Et hoc est, quod à Physicis spasmus dicitur: illi enim solùm spasmum propriè talem cognoscunt. Hicque spasmus est propriè infirmitas corporis. Secundus evenit, cùm quis propter gravem dolorem, quo premitur, syncopem, seu extasim passus, viribus destitutus cadit, quamquàm rationis vsus non impediatur. Inquiritur ergo modò: Beatissima Virgo tempore passionis, vel alio suæ sanctissimæ vitæ, hæc deliquia, vel aliquod ex illis, passa est?

156. Respondeo negativè cum Caietan. tom. 2. opusc. tract. 13. q. vlt. & cum illum exscribente Medina 3. p. q. 27. art. 4. Jansen. in Concord. Evangel. Suar. tom. 2. in 3. p. disput. 4. sect. 3. & disp. 41. sect. 2. Clytovæo homil. de Statione Virg. circa Crucem. & alijs. Ex his tamen Authoribus nonnulli sententiam oppositam temerariam, ac

scan-

scandalosam esse asserunt. Alij alijs censuris illam feriunt. Nos tamen probamus primò Beatissimam Virg. non fuisse in filij passione spasmata spasmo proprie dicto: Etenim Beatissima Virg. iuxta Crucem egit munera Mediatricis, & Salvatricis humani generis, aliaque plura, quæ omnia, & singula requirunt maximam considerationem, & libertatem: Ergo iuxta Crucem non passa fuit spasmum proprie dictum. Ergo nec alibi illum vnquam perpessa fuit. Patet vltima consequentia ex prima; quia vti rectè observant plures è Doctoribus pro nobis adductis, si iuxta Crucem, vbi magna fuit velut mare contritio eius, tale deliquium non sensit, nullatenùs credendum est alios minùs graves dolores illud causasse. Prima consequentia ex antecedenti constat: quia deliquium proprie tale privat rationis vsu, vt diximus num. 155.

Anteced. autem probatur, recitando aliquot S.S. P.P. dicta: In primis enim Div. Hieronym. Videns iuxta Crucem robusta constantia stare Virg. Beatissimam eam appellat *salutis hominum auctricem.* Div. Anselm. de excel. Virginit. cap. 9. *Hominum reparatricem.* Div. Bernard. serm. 2 de Assumpt. *Totius humani generis mediatricem.* Carthusian. lib. 2. de Laudib. Mariæ cap. 23. *Mundi salvatricem.* Hæc, aliaque innumera encomia de Beatissima Virg. iuxta Crucem stante accumulant S.S. Expositoresque. Quæ omnia requirere profundissimam reflexionem, & libertatis vsum, quis negabit? Quomodò impos mentis potest esse *Mundi salvatrix, hominum reparatrix,* aliaque munia his gerere similia?

157. Se ipsum superavit eloquentissimus Ambros. in hac parte: aurea eius verba transcribo, quæ mox considerabo. Sic enim in epist. 25. ad Vercell. Eccles. loquitur Magn. Parens: *Sed nec Maria minor, quàm Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, & pijs spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse è quia cognoverat per filij mortem mundi redemptionem, Aula regalis, etiam sua morte putabat se aliquid publico additura muneri. Sed Iesus::::: susceptit quidem affectum parentis, sed non quæsivit alterius auxilium. Hanc imitamini Matres Sanctæ, &c.* Hactenus Ambros. & quidem eloquentissimè: eius tamen verba omni reflexione dignissima considerabimus.

Primum enim, quod Ambros. de Virg. iuxta Crucem prædicat, est, quòd ibi erat, prout *Matrem Christi decebat.* Decebat nè Matrem Christi carere rationis vsu, & humi iacens facere illas immodestas cerebrositates, quas facere epilepticos, seù spasmatos videmus? O congruam Dei Matri dispositionem! Insuper: *Fugientibus Apostolis ante Crucem stabat* Dei Mater. Si verbum *stabat* proprie sumis, illam non spasmatam fatebere: de quo posteà. Si autem impropriè sumis, nihil tibi prædicandum restat in Virgine: quippè si non fugiebat, sicut Apostoli, hoc non tam virtuti, ac amori Virginis, quàm ipsius impotentiæ attribuendum erit. Fugiebant Apostoli; quia mentis compotes pericula cognoscebant, & sine spasmo expediti fugæ auxilio periculum evasere. Nil horum inventum est in Beatissima Virg. quia sine rationis vsu, periculum non cognovit, nec illud, quamquàm cognovisset, vitare ob spasmi impedimentum potuit. Vt quid ergo prædicatur tamquàm magnum, quòd *fugientibus Apostolis ante Crucem stabat?* Vide ergo in quas angustias te redigat frigida illa tua spasmi cogitatio: illa dolorem Matris extollis, maternæ dignitati detrahens.

Pergit Ambros. & ait, quòd Sacratissima Virgo *pijs spectabat oculis filij vulnera.* Et abs dubio filij vulnera pijs oculis non spectasset, si vsu rationis caruisset. Sed quarè spectabat? *Quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem.* Ecce profundissimam Virginis considerationem: in conspectu habebat filij mortē, & generis humani vitam, ac veluti dilectissimi filij mortis oblita, tota in generis humani vitam ferebatur. Hæ præcisiones à mentis impo-

impote fieri haud poſſunt. Sed Virg. Beatiſsima perſonam publicam agens *ſua morte putabat ſe aliquid publico addituram muneri.* Obtulit quidèm propriam vitam, vt ad mundi redemptionem cooperaretur: ſed Jeſus, qui *non quæſivit alterius auxilium*, ſpontaneam, ac miſericordem oblationem non admiſit, aſt *ſuſcepit quidem affectum parentis.* Vnde evidenter conſtat Virg. Beatiſsimam illa ſua propriæ vitæ oblatione meruiſſe, quod ſpaſmatis convenire non poteſt, prout vidimus num. 155.

Concludit Ambroſ. dicens: *Hanc imitamini, matres Sanctæ.* Rogo nunc: in quo matres Sanctæ Domini Matrem imitabuntur iuxta Crucem? Quia ſi ibi non merebatur, nec vſum rationis habebat: ſi ibi ob deliquium iacens humi, illam inordinatis motibus, non ſine læſione verberis, caſtigabat: nihil ibi relucet, quòd matres Sanctæ imitentur: vnde ad talis exemplaris imitationem non matres ſanctæ, ſed matres fatuæ vocandæ erunt.

158. Anteced. illud noſtrum affatim ex dictis probatum credimus. Dicta tamen omnia confirmat Sanctæ Eccleſiæ deſiderium, quæ à Virgine Beatiſsima ſolicitè petit; vt omnes nos admittere dignetur in ſui amabilem, vtiliſsimamque ſocietatem. Quæ ſuſpiria ad Virginem dirigit ſtantem iuxta patientis Redemptoris noſtri Crucem. Sic enim in hymno pro officio dolorum Beatiſsimæ Virg. ad ipſam loquitur.

Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
donec ego vixero.
Juxta Crucem tecum ſtare,
Te libenter ſociare
in planctu deſidero.

Res mira foret, quod Eccleſia ſuis filijs poſtularet Virginis ſocietatem, dum ipſa ſpaſmo laborabat, impoſque rationis erat.

159. Div. Joannis Evangelium iam diu vocat nos, vt ex ipſo pronoſtra vetitate firmiùs ſtabilienda, diſcurſus ineluctabiles eruamus. Ait enim Sacer Evãgeliſta: *Stabant iuxta Crucem Jeſu Mater eius.* Virgo iuxta Crucem non quomodocumque erat, ſed *ſtabat*, cuius verbi vel materialis ſignificatio rotundè ſpaſmo contradicit: non ſtat, qui iacet; ſicut nec immotus movetur. Nec dicas: Verbum *ſtare* non ſumi in ſui rigoroſa ſignificatione. Quia contra hoc effugium pugnat eminentiſsimè Caietanus, & vincit. Videatur. Nos autem ſolùm circa hoc dicemus: quòd volentes verbum *ſtare* non ſumi hîc in ſui rigoroſa ſignificatione, hoc faciunt, vt illud ſuum frigidum deliquium, ab ipſis excogitatum, ſalvent. Malæ cauſæ peius patrocinium. Verba Sacræ Scripturæ impropriantur, vt res ſine fundamento introducatur. Non eſt hic modus interpretandi Scripturas; ſed quòd omnia earum verba in ſenſu, ac ſignificatione propria ſumantur: dummodò non ſequatur aliquod inconveniens. Et inconveniens, quod adverſarios movet ad præſentem impropriationem affatim à nobis ponderatum eſt, magiſque conſtabit ex dicendis.

Quod ſi mentem ad altiora elevemus, inveniemus quidèm verbum *ſtare* in præſenti ſignificare animi conſtantiam, roburque fortiſsimum, quo Virg Beatiſsima iuxta Crucem *ſtabat*, impetus tormentorum, vt retunderet. Ob quod Div. Amad. hom. 5. de martyr. Virg. ait: *Propterea in tanta poſita adverſitate, nec reſolvit pudorem verecundiæ, nec amiſit vigorem conſtantiæ.* Ad cuius rei probationem ait de ea Ambroſ. *lego ſtantem iuxta Crucem, non lego flentem. Stare namque in illa cordis amaritudine magnæ aſcribitur conſtantiæ.* De hac Sanctiſsimæ Virg. iuxta Crucem conſtantia ait Div. Antonin. 4 p. Theolog. tom. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat verecunda, modeſta, lachrymis plena, doloribus immerſa; ita tamen divinæ voluntati conformis, quòd, vt Anſelm. ait, ſi oportuiſſet, adimplendam ſecundùm rationem voluntatem Dei, ipſa filium in Cruce poſuiſſet, atque obtuliſſet.* Hoc robur, hæc cum divina voluntate conformatio animi ſpaſmum patientis non ſunt.

Prot

160. Prosequitur Sanctus Evangelista, & ait: Christum Dominum Virgini iuxta Crucem stanti dixisse: *Mulier ecce filius tuus.* Abs dubio, si Virg. Beatissima illo ab adversa opinione conficto accidente laboraret, neutiquam cum ipsa Dominus loqueretur. Vt quid enim verba dirigeret, ad ea percipere non potentem? Percepit quidem pijssima Virg. verba illa, & gemebunda respondit suis copiosissimis lachrymis, quæ solent inter afflictos pro vocibus subrogari, iuxta vulgarem 3. de Ponto dicentem.

Nec tua, si fletu scindentur verba, nocebit,
Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

161. Consideravimus hactenùs spasmum ex ea parte, qua privat libertate. Si verò ad ipsum prout corpus premit, mentem dirigamus, non fuisse in Beatissima Virgine iuxta Crucem, nec alibi, reperiemus, quod sic breviter suadetur: Spasmus hic est vera corporis ægritudo: Beatissima Virgo nullam vnquam passa fuit corporis ægritudinem: ergo neque spasmum. Mai. constat ex num. 155. vbi consentientibus omnibus, spasmum propriè dictum corporis ægritudinem esse vidimus. Minor autem probat Caietan. laudatus, & quidem solidè; propterea quidem dignus, quòd ab omnibus videatur.

162. Iam verò tempus est, vt de spasmo impropriè dicto loquamur: Dicimus ergo nec hunc spasmum passam fuisse Virg. Beatis. stantem iuxta Crucem, nec alibi. Quod ferè omnibus, quæ hactenùs dicta sunt, suadetur. Etenim si aliquis dolor hoc deliquium causaret, maximè ille, quem habuit purissima Virg. dum vidit Crucifixum suum dulcem natum: Iste dolor talem spasmum nõ causavit: ergo nullus. Mai. constat ex dictis num. 156. Min. autem probatur 1. ex proprietate verbi *stabat*, quia si Beatissima Virg. dum fuit iuxta Crucem, *stetit*, sequitur, quòd pondere doloris non corruerit. *Probat.* 2. ipsa min. pulcherrimis verbis ipsius Sanctissimæ Virg. cum Sancta Birgitsic lib. 6. cap. 57. loquentis: *Quoties audivi opprobria filij mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita, quòd vix tenere se poterat: Sed virtute Dei dolor meus modum, & honestatem habuit, nè impatientia, aut levitas in me notaretur.* Quibus addit: *Sic patienter sufferens, vt nec inimici, nec alij in me aliud reperirent, nisi gravitatem.* Confer ista verba cum opinione (si sic nominari potest) adversa, & videbis, ipsam illis è diametro contrariari. Quam gravitatem servat, qui dolore tactus, viribus destitutus procumbit? Aut quomodò inimici nil aliud nisi gravitatem reperirent in ea, quæ dolore victa in publico illo theatro iaceret?

163. Confirmatur hoc ex verbis ipsius Sanctissim. Virg. Quia *virtute Dei dolor* eius *modum, & honestatem habuit*: Ergo licèt dolor ille fuerit sufficiens ad inducendum spasmum, quod neutiquam negamus, sed positivè asserimus; tamen *virtute Dei* habuit dolorosissima Virgo, quòd illum dolorem constantia ipsius superaret. Conseq. evidenter ex anteced. deducitur: sed tamen ex paritate probatur. Etenim licèt dolor ille sufficientissimus foret ad inferendam mortem; illam tamen non intulit *virtute Dei*: ergo pariformiter nec intulit eadem *virtute Dei* spasmum.

164. Vt ab hac paritate se expediant adversariorum aliqui Virginem Beatissimam pondere doloris iuxta Crucem animam egisse, posteàque resurrexisse aiunt; vnde ex paritate mortis ipsam spasmatam adstruunt. Sic apud P. Suarez discurrunt. In cuius novitatis impugnatione opus non est, vt tempus insumatur. Dicitur enim res magna sine aliquo, vel minimo fundamento in Patribus, aut Theologis, & huiusmodi novitatibus contemptu respondendum est. Mirandum sanè, eam, quæ labem origineam, quæ moriendi miseram necessitatem induxit, non contraxit, bis verè mortuam; & nos, qui illam culpam contrahimus moriamur semel.

Ali-

165. Aliter respondet citatus Durandus cum Salmer. lib. 10. tract. 41. fieri potuisse Beatissimam Virginem, cùm videret Sanctissimum Filium suum Crucifigi, spasmatam præ dolore: posteà verò reassumptis viribus stetisse. Sic que verum est, quod Evangelista dicit, & quod Sanctæ Birgit. ipsa Deipara revelavit; ac denique verum est, quod ille crudelissimus dolor, qui ex se spasmans erat, suum effectum causavit.

Hæc tamen evasio habet contra se quidquid hactenùs dictum est. Breviter tamen dicimus, quòd spasmati, etiam spasmo impropriè tali, non illicò vires reassumere possunt, ita vt constantes *stare* possint. Quod si hoc attribuas virtuti divinæ, cuius ope potuit Beatissima Virg. tam citò convalescere: cur eidem divinæ virtuti non attribuis, quòd non spasmata fuisset? Adde: esse insignem causam reassumendi vires, quòd causa doloris spasmantis augeatur. Beatissimam Virginem asseris spasmatam, cùm filius eius Cruci affigebatur: posteà verò dum iam Crucifixus in altum elevatur, dum saturatur opprobrijs, blasphematus, sitibundus, derelictus, ac denique dum venit in altitudinem maris demergendus à tempestate, tunc non spasmabatur, sed *stabat*. Quis tale vnquam audivit? Horum hominum inconsequentiam numquam affatim miraberis. Non possunt percipere Beatissimam Virg. non spasmatam, quia habuit dolorem spasmantem, & posita causa debet poni effectus: vnde sicut quia posito illo dolore in Beatissima Virg. non potuit non dolere; sic quia vltra hoc erat ille dolor spasmans, non potuit non spasmari. Ecce discursus horum pondus totum. Qui non vident se maiori salebra irretitos illo suo discursu.

166. Etenim ille ipse dolor nedum spasmans ex se erat, verùm etiam interficiens: sed posito in Beatissima Virg. illam non interfecit: ergo nec spasmavit. Et vtriusque eadem causa fuit: videlicèt Dei virtus Virginis vitam conservans, & ipsius modestam gravitatem. *Itidem*: dolor ille erat ex se spasmans: ergo toto tempore, quo ex se spasmans erat, Beatissimam Virg. spasmavit. Ergo toto tempore passionis Virgo spasmata fuit; consequenterque non fuit tempus in toto progressu passionis, in quo *staret* iuxta Crucem. Omnia hæc per se ipsa notissima sunt; ideòque nec probatione, nec expensione indigent.

Nec omiserim egregium arguendi modum: fieri potuisse, inquit, Beatissimam Virg. &c. vt num. 165. benè, & optimè: hoc fieri potuit: ergo factum fuit. Arguis de potentia ad actum, de possibili ad factum. Similiter dico: Potuit Beatissima Virg. conservari Dei virtute, nè illud deliquium pateretur: ergo sic factum fuit. Non quia actum deducam ex possibilitate nudè sumpta, sed ex Evangelij testimonio, ex decentia personæ, & ex alijs dictis.

167. Verùm quia iam diù Div. Thom. non audivimus, quod nostræ devotioni durissimum est: ideò probare intendam Beatissimam Virg. numquam aliquem dolorem ipsam spasmantem habuisse, discursu ex ipso Sanctissimo Præceptore deprompto, & loquimur de omni genere spasmi. Itaque Angel. Doct. in 3. d. 27. q. 1. art. 3. docet, amorem esse principalem animi affectionem. Quod probat ex August. ex eo, quòd omnis alia affectio ex amore est. Vnde, vt dicebamus in Isag. cùm has affectiones describeremus, si quis fugit malum, est, quia amat bonum: si desiderat bonum, est, quia illud amat; & sic de alijs. Quarè concludit Sanctus corpus illius art. dicens: *Ideò oportet, quòd amor inter cæteras affectiones etiam sit vehementior.* Eandem doctrinam docet in 4. d. 49. q. 3. art. 3. quæstiunc. 3. Hac ipsa doctrina vtitur 1. 2. q. 35. art. 6. vbi inquirit: *An magis sit fugienda tristitia, quàm delectatio appetenda?* Et hoc quæsitum resolvit sic: *Respondeo dicendum, quòd per se loquendo, appetitus delectationis est fortior, quàm fuga tristitiæ: Cuius ratio est, quia causa delectationis est conveniens bonum; causa autem doloris, sivè*

tristi-

tiæ, eſt aliquod malum repugnans. Contingit autem aliquod bonum eſſe conveniens abſque omni diſsonantia : non autem poteſt eſſe aliquod malum totaliter abſque omni convenientia repugnans: Vnde delectatio poteſt eſſe integra, & perfecta, triſtitia autem eſt ſemper ſecundùm partem.

Qua doctrina cognoſcitur potentiſsimum amoris imperium, & quàm efficatiùs, quàm quævis alia affectio, afficiat animam; propter quod, eodem Angel. Doct. citato iudice, dictum eſt cap. 8. Canticor. *Fortis eſt vt mors dilectio.* Quæ verba ſic inibi explanat: *Dilectio Chriſti fortis eſt, vt mors. Sicut enim mors animam à corpore ſeparat, vt iam nihil concupiſcere, nihil in præſenti vita homini liceat ambire, ita dilectio Chriſti, quem verè pervaſerit, totum ſæculo huic mortificat, & quaſi inſenſibilem reddit, ſolùmque Chriſto vivens mundo mortuus eſt.* Vide ergo amorem amantem quaſi inſenſibilem reddentem, ſolùmque Chriſto viventem, mundo mortuum. Vnde patet clariſsimè, quòd ſicut dolor rei diſconvenientis illum habentem ſpaſmat, quando dolor ille maximus eſt; ita quando amor excellens eſt, amantem extra ſe rapit à ſenſibus alienatum. Et hæc eſt cauſa extaſum, raptuumque, qui in viris ſpiritualibus reperiuntur. Similiterque ſicut plures ex nimio dolore mortui ſunt: ſic etiam ex nimio amore, ſeu gaudio, etiam rerum materialium ſolummodò in relatione perceptarum, plurimi vitam amiſere. De quo ſi lubet, conſule Theatrum vitæ humanæ, & Textorem in ſua officina. Et conſidera, quòd in his efficiendis ſemper amor dolori præſtat, quia, vt dictum eſt, eſt affectio fortior, & efficatior. Ex quibus formatur iam noſtra ratio.

168. Sicut Beatiſsima Virg. habuit dolorem intenſiſsimum iuxta Crucem, ſic etiam ibi, & toto tempore vitæ ſuæ habuit contemplationem altiſsimam, ortam ex inneffabili amore, qui illam in Deum à ſe contemplatum transformabat: Sed vi eximij illius amoris numquam Beatiſsima Virg. raptum, extaſim, aut deliquia illa, quæ viri ſpirituales experiuntur, paſſa eſt: ergo nec vi doloris iuxta Crucem habiti ſpaſmata fuit. Mai. certa eſt de alio tempore vitæ Sanctiſsimæ Virginis: de tẽpore autem, quod iuxta Crucem ſtetit, idem dicendum eſſe, vidimus ſuprà, moxque ex Div. Thom. videbimus. Min. autem continet doctrinam inter Myſtas receptam, cuius fundamentum optimè enucleat Noſter Ioſephus à Ieſu Maria lib. de vita Virg. lib. 4. cap. 13. Conſeq. autem probatur multipliciter. Primò à paritate, quæ illam ſine dubio ſuadet. *Secundò*, quia efficacior eſt amor ad cauſandum illos effectus, quàm dolor, vt vidimus num. præcedenti. *Tertiò*, quia ex parte contemplationis erant duo, quæ iuxta Div. Dionyſ. & Div. Thom. alibi à nobis datos, extaſim cauſare poterant, videlicet cognitio nobiliſsima, & charitas ferventiſsima: Ex alia verò parte ſolus dolor erat, qui poterat deliquium illud cauſare. *Quartò*, denique, quia dolor ille magnus habebat per quod minueretur, videlicet fidem certiſsimam de convenientia eorum, quæ illum dolorem cauſabant: aſt amor non habebat, per quod minueretur; quin potiùs, quæ illum magis, ac magis accenderent, habebat: ergo ſi his omnibus numquam amor fecit Virg. Sanctiſſimam deliquia illa pati: ſequitur, quòd multò minùs potuit dolor deliquia ſuæ ſphæræ cauſare.

169. Confirm. hoc: Quia dum Beatiſsima Virg. vidit ſuum ſanctiſsimum filium ab inferis reſurgentem, non ſpaſmata fuit: ergo nec iuxta Crucem. Ant. conſtat, vel ex eo, quod nullus adverſariorum tale dicit. Et conſeq. probat. quia, vtî diximus num. 167. Sicut multi ex viſione, vel notitia rei triſtantis periere: Sic plurimi ex notitia, vel viſione rei gaudium generantis: ergo ſi gaudium perceptum à Virgine in illa tam feſtiviſsima apparitione, non illam talia deliquia ſubire fecit, multò minùs dolor, quem habuit iuxta Crucem. Confer ergo illum dolorem cum illo amore, illam triſtitiam cum illo gaudio: & videbis, dolorem fuiſſe inferio-

riorem non ſolùm ex natura ſua, ſed etiam in intenſione, propter rationem paulò ante inſinuatam, videlicet, quia dolor habebat temperantem fidem; amor verò, ſeù gaudium, habebat impellentia multa, & nullum retardans.

170. Supereſt modò, vt argumento propoſito num. 154. quod huic quæſtioni anſam dedit, occurramus. Reſp. ergo negando anteced. Ad 1. probat. dicas cum Caietano, Suario, & alijs, in illo feſto fieri memoriam graviſsimi doloris, quẽ in ſui dilectiſsimi filij paſsione habuit Cœlorum Regina. Nec no mine ſpaſmi aliud ſignificabatur, quàm dolor iſte ingens. Vt autem inconvenientia, quæ ex illo nomine oriri poterant, vitarentur, conſultus fuit Caietanus, qui in opuſc. citato concludit ſentiens: *Vnde ſi feſtum doloris B. Virginis celebrandum eſt, in aliud iudicio meo tempus, & nomen mutandum eſt.* Quod quidem factum videmus; quandoquidem ipſum feſtum modo celebratur nomine dolorum Beatiſsimæ Virg. & hoc feſtum non celebratur à Dominica in Paſsione vſque ad Dominicam Palmarum, vt priùs: ſed in feria 6. poſt Dominicam Paſsionis. Vnde ex illo feſto antiquitùs celebrato non debet fieri argumentum contra noſtram reſolutionem, cùm potiùs hæc ex illius feſti, quoad nomen, reformatione, firmetur. In ſimulque oſtenditur, quid nomine ſpaſmi priùs celebrabatur. Vnde non ſubſtantia mutata eſt, ſed nomen ad præcavenda inconvenientia.

Ad 2. probationem reſpond. templum illud dictum Sanctæ Mariæ de Spaſmo, non quia ſpaſmum paſſa fuiſſet puriſsima Virgo; ſed quia illo nomine ſignificabatur ingens illius dolor. Aut fortaſſè quia dolor ille de ſe ſufficientiſsimus erat, vt ſpaſmum cauſaret: & ab hoc nomen trahebat templum illud, quod iam non extat, ſicut nec feſtum, prout diximus.

Ad 3. probat. ex P. P. dictis collectam, reſpondetur, & 1. ad primam, in qua Bonaventura non ſpaſmum aſſerit, ſed doloris gravitatem exaggerat. Eſtque communis loquendi modus ad exprimendam vim alicuius doloris, dicere: *Dolore percuſſum, ſemimortuum.* Nec hoc de ſolo dolore dicimus, ſed etiam de alijs animi affectionibus. Quod fecit Virgil eglog. 8. qui vt magnum amorem indicaret, dixit: *Vt vidi, vt perij.* Qui modus loquendi non eſt à Sacra Script. alienus: de Eſther enim Regina magnam animi affectionem coram Rege Aſſuero patiente dicitur Eſth. cap. 15. v. 18. *Cùmque loqueretur, rurſus corruit, & penè exanimata eſt.* In hoc ergo ſenſu accipienda ſunt illa Sanctorum dicta, quæ certè Virginis dolorem vt ſuadeant, expreſsivis illis exaggerationibus vtuntur: non quia Virg. Beatiſsimam mortuam, ſemimortuam, exanimem, aut ſpaſmatam ſupponant; ſicut nec Eſther exanimata fuit.

Per quod patet ad teſtimonium Anſelmi. Quibus adde, dialogum illum eſſe valdè ſuſpectum Patri Suarez, vt ipſe loco citato teſtatur. Præterquamqòud Anſelmus iam dicit, quòd Beatiſsima Virg. facta fuit *quaſi exanimis*: Iam, quòd abſolutè *exanimis facta eſt*, quibus immediatè annectit, Virginem Sacratiſsimam velamen ſui capitis abſtuliſſe, vt filij nuditatem tegeret. Quomodò hoc fecit, ſi ſpaſmata erat? Maneat ergo verbum illud *exanimis* nihil aliud præterquàm doloris acerbitatem ſignificare.

Idem dicendum eſſe ad Bonaventur. adeò clarè contra nos loquentem, docet citatus Suar. ibi enim Sanctus Doct. per exaggerationem quandam loquitur. Nec in tali caſu multùm commendatur Magdalenæ amor, & dolor, quæ adeò ſui Domina ſupponitur, vt poſſet Virgini inter eius brachia cadenti ſubvenire.

171. Ad revelationem Sanctæ Birgittæ idem reſpondendum eſt, addendumque: revelationes, etiam particulares, ſi à Deo ſunt, non debere eſſe inter ſe oppoſitas: ſi namque opponuntur, vel neutra, vel aliqua à Deo non eſt. In præſenti habemus duas eiuſdem ſanctæ revelationes, quæ inter ſe contrariæ

trariæ videntur. Vnde cùm Deus nequeat contraria loqui, si inter illas revelationes adest oppositio, vna tantùm à Deo erit. Quæ autem sit hæc, est dissidium: sed quòd citò finiatur, quia illa erit à Deo, quæ sit Sacræ Scripturæ conformis, Sanctorumque sensui correspondeat: quod inveniri in ea, quam pro nobis adduximus, & non in ea, quam adversarij referunt, ex omnibus dictis notum est. Nec hoc sanctitati Sanctæ Birgittæ præiudicat, vt docent Mystici, nosque cum ipsis dicemus, cùm de revelationibus agamus. Verùm hac doctrina, aliàs verissima, haud egemus in præsenti: quia vtramque revelationem verè talem supponimus; atque adeò nullam inter se pugnam habent: quandoquidem in illa, quæ nobis opponitur, idem modus loquendi viget, ac in relatis sanctorum testimonijs. Vnde illa in terram prostratio doloris magnitudinem exprimit: & etiam quòd nisi divinitus fulciretur, abs dubio cecidisset. Quarè quòd dolor ille ex se facere potuit, exprimitur; non autem quod reapsè fecit.

Ad 5. probat. dico: pictores esse in duplici differentia: nam alij penicillo, & alij voce colorant. Illi sunt, qui vulgo pictores dicuntur, dequibusque procedit obiectio. Alij sunt Prædicatores, qui vt vulgus rudè ad lachrymas suadeat, mirissima circa hæc dicunt: de vtroque pictorum genere dicendum nobis est, quia vtrumque in nostram resolutionem procedit. Ad id, quod ex pictoribus primi generis dicitur, respondetur cum Carthag. tom. 3. lib. 12. homil. 7. qui hæc ait: *Tandem nihil obstat quorumdam pictorum imperitia, qui non aliter noverunt dolorem Virginis exprimere, quàm iacentem, & exanimem in terram depingentes: huiusmodi enim picturæ, me præsente, Romæ mandato Meg. Sacri Palatij Apostol. iussæ fuerunt expungi, vt potè derogantes magnanimitati, & fortitudini Beat. Virginis.* Adde: iussu Sanctæ Inquisitionis prohibitas esse in Hispania tales picturas, vt audivi à quodam Domino Inquisitore.

172. Ad Prædicatores autem innumera dicentes ab omni serietate prorsùs aliena, vtî aliquando audivi, respondeo proponens integram Div. Thom. opusc. 12. quæstionem 5. in qua, quid prædicare debeant, admonetur. Sic enim ait Doct. Sanctus: *Quinta quæstio est: an ex quo Simeon dixit Beatæ Virg. tuam ipsius animam pertransibit gladius: quolibet die naturali vsque ad resurrectionem Christi septies illud recoleret pia Virgo cum dolore vehementi? Ad hoc etiam respondeo: quòd istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur: Cùm nullius authoritatis robore fulciatur. Nec æstimo huiusmodi frivola esse prædicanda: vbi tanta suppetit copia prædicandi ea, quæ sunt certissimæ veritatis. Neque tamen oportet, quòd revocetur, si prædicatum fuerit: nisi ex hoc scandalum fuisset exortum.* Hæc à Div. Thom. tradita observent, vsque dum à Caietano severiùs corrigantur.

Data Div. Thom. verba nos introduxere in vltimam anteced. probationem, ad quam respondemus cum eodem Angel. Doct. 3. p. q. 27. art. 4. ad 2. vbi ait: *Quidam verò per gladium dubitationem intelligunt; quæ tamen non est intelligenda dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discussionis: dicit enim Basilius in epist. ad optimum, quòd Beata Virgo assistens Cruci, & aspiciens singula, post testimonium Gabrielis, post ineffabilem divinæ Conceptionis notitiam, post ingentem miraculorum ostensionem, animo fluctuabat, ex vna scilicet parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte considerans eius mirifica.* Hic est ille gladius à Simeone vaticinatus, non dolor ille spasmans, nec dubitatio infidelitatis, sed admirationis, & discussionis, qua animus Beatissimæ Virg. fluctuabat inter extrema adeò distantia, qua fluctuatione in eminentissimam contemplationem admirativam rapiebatur.

Nec percipere potui, cur eximius Suarez Basilium contra nos fore afferat, nisi piè à Div. Thom. interpretaretur. Quia verba Basilij evidenter ostendunt,

ipſum locutum de fluctuatione non imperfectionem aliquam dicentis, ſed ſe admirantis, ac diſcutientis ea ipſa, inter quæ mens eius fluctuat, ſeu verſatur. Vndè cum Caietano ſentio, qui iterum Prædicatores inſtruens, ait loco citato ex 3. part. *In reſponſione ad 2. notate, garruli Prædicatores paſſionis Chriſti, tot fœmineos clamores, motus, &c. attribuentes Beatæ Virg. in dolore paſſionis. Penſate verba Baſilij in littera allata, & percipite ipſam contemplationi admirativæ tunc vacaſſe, conferendo divina priùs viſa, & ſibi certa, humanis, quæ tunc videbat, ſumma infimis, & è contra: & conſequenter effectum cogitationibus conſonum ſecundùm rectam rationem habentem, vt condoleret, vt compateretur, cum tam excelſum, tam vilibus, &c. Subiectum ex charitate propria pro ipſius Matris, & mundi ſalute, proſpiceret.* Per quod patet ad omnes probationes obiectas. Nec omnes illi Authores, qui num. 154. Contra nos referuntur, verè oppoſiti ſunt, nam ex ijs aliqui non ſunt Authores teſtimoniorum, quæ in nos citantur, & alij in ſenſu à nobis dicto loquuntur, de quo vide Suarez laudatum. Vndè ſolùm remanet ex adverſo vnus, vel alter nullius notæ.

§. III. *Ex noſtra Seraph. Doctrice probatur aſſertum, & explicatur, qualiter contemplatio valeat cum actione coniungi.*

173. CONſtat ex præcedentibus in Virg. Beatiſsima fuiſſe ſimul vitam contemplativam, & activam in ſenſu huius primæ concluſ. quod ad eius veritatem oſtendendam ſufficeret: ſiquidem ex quo in aliquo data ſit duplex illa vita, evidens eſt, quòd ipſarum coniunctio non repugnet. Aſt licet perfectio, quam hæc coniunctio habuit in Beatiſsima Virg. in nullo alia inventa ſit; ipſa tamen coniunctio in alijs perfectiſsimis animabus datur, quod clariſsimè docet expertiſsima Thereſia loco citato ex itin. hiſce verbis. *Algunas vezes en eſta oracion de quietud haze Dios otra merced bien dificultoſa de entender, ſino ay grande experiencia: mas ſi ay alguna luego lo entendereis, la que la tuviere, y daros ha mucha conſolacion ſaber que es: y creo muchas vezes haze Dios eſta merced, junto con eſtotra. Quando es grande, y por mucho tiempo eſta quietud, pareceme à mi, que ſi la voluntad no eſtuvieſſe aſſida à algo, que no podia durar tanto en aquella paz, porque acaece andar vn dia, ò dos, que nos vemos con eſta ſatisfacion, y no nos entendemos: digo los que la tienen. Y verdaderamente vèn, que no eſtàn enteros en lo que hazen, ſino que les falta lo mejor, que es la voluntad, que à mi parecer eſtà vnida con Dios, y dexa las otras potencias libres para que ſe entiendan en coſas de ſu ſervicio, y para eſto tienen entonces mucha mas habilidad, mas para tratar coſas del mundo eſtàn torpes, y como embobadas á vezes. Es gran merced eſta à quien el Señor la haze, porque vida activa, y contemplativa eſtà junta. De todo ſe ſirve entonces el Señor, porque la voluntad eſtàſe en ſu obra, ſin ſaber como obra, y en ſu contemplacion: las otras dos potencias ſirven en lo que Martha; aſſi que ella, y Maria andan juntas.*

Eſt dicere: *Interdum in hac* oratione quietis impertitur Deus favorem alium valdè difficilem intellectu, niſi adſit magna experientia: aſt, ſi illa adſit, extemplò percipiet, qui recipit, & de hac receptione gaudet. Et multotiès, credo, concedit Deus favorem iſtum, iunctum cum hoc alio. Quandò eſt intima, ac per multum tempus durans quies iſta, in animum meum induxi, quod ſi voluntas alicui non ad hæreſceret, in illa pace tandiù perſeverare non poſſet. Evenit enim per vnum, aut duos dies, frui hac fatietate; quin ſe ipſum intelligat, qui illa fruitur. Et iſti non toti ſunt in eo ipſo, quod faciunt: deeſt enim ipſis, quod in eis principale eſt, nempè voluntas, quæ meo videri, vnita eſt Deo, & alias potentias derelinquit liberas, vt occupentur in rebus

divini obſequij, & ad hoc tunc expeditiores ſunt: Cæterum ad res mundi pertractandas tardæ ſunt, & aliquando veluti inſenſatæ. Multum confert Deus, cui hunc favorem confert: quia vita activa, & contemplativa iunctæ ſunt. Omnia tunc cedunt in obſequium Dei: quippè voluntas in ſuo opere perſeverat, nec ſic, quomodò operatur, & manet in ſua contemplatione: aliæ duæ potentiæ in eo, quod Marthæ famulantur; quia illa, & Maria *iunctæ ambulant.*

174. Simillima ſunt, quæ loco citato ex lib. vitæ docet; indè neceſſarium non eſt ipſius verba referre. Idem docet manſ. 7. cap. 1. in fine, vbi non ſolùm vnionem vitæ contemplativæ, & activæ in eadem anima concedit, ſed modum, & quidem fundatiſsimum, quo hoc evenit, tradit. Etenim obſervat Cœleſtis hæc Magiſtra diſtinctionem illam, quam Myſtici docent, inter animam, & ſpiritum, quatenus eadem indiviſsibilis entitas, prout ſpiritus eſt, æternorũ contemplationi vacat, & provt anima eſt, in rebus exterioribus occupatur. Vnde ita ſe habet, quoad hoc, duplex hæc portio eiuſdem entitatis, ac ſi diverſæ forent. Quatenùs ſpiritus poſtquàm Deum ſuum apprehendit, ita fortiter illum tenet, vt nullis exteriorum incurſibus dimittat.

Nec intelligas, hoc à quocumque poſſe fieri: ſiquidem hæc animæ ab ſpiritu diverſitas in quocumque datur. Eſt enim illa diverſitas tamquàm ſi non eſſet in ijs, qui purgationem ſpiritus non experti ſunt. Vnde ſicut non omnes contemplari poſſunt, quamquàm fidem, & Charitatem habeant, ſed debet præcedere meditatio, & alia, de quibus ſuo loco egimus, vt contemplatio detur. Sic etiam debet ſupponi rigoroſiſsima purgatio paſsiva partis intellectivæ, aliaque plura præcedere debent, vt poſsit ſpiritus ſecùs pedes Domini duleedini contemplativæ intentus ſedere, & ſine huius quietis diſpendio valeat anima miniſtrare.

175. Præcipuum tamen, quod ad hæc requiritur, eſt charitas, non quævis: ſed charitas perfectiſsima, quam ſolùm habet ea anima, quæ poteſt dicere: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Hæc enim ordinatio charitatis facit animam omnia, quæ priùs aliter inſpiciebat, reſpicere ſub elevatiori quadam ratione, quæ illam ab omnibus alijs ſegregat, & facit, quòd totum ſuum exercitium ſit amare: non quia ſolummodò cum Maria ſedens amet; ſed quia ſedens cum Maria amat, miniſtrans cum Martha amat, & ſemper, ac inquocumque occupetur, amat. Miriſſimè hoc ipſa teſtatur apud Seraph. noſtrum Doct. cant. 28. Canens.

Mi alma ſe ha empleado,
Y todo mi caudal en ſu ſervicio.
Yà no guardo ganado,
Ni yà tengo otro oficio, (cio.
Que yà ſolo en amar es mi exerci-

Videatur Extatic. Parens profundiſsimè explanans arcana huius cantionis, cuius vltimum carmen duplicem ſenſum habere docet, & vterque eſt ad rem præſentem aptiſsimus. Eorum primum his verbis tradit: *Aqui es de notar, que quando el alma llega à eſte eſtado, todo el exercicio de la parte eſpiritual, y de la ſenſitiva, ora ſea en hazer, ora en padecer; de qualquiera manera que ſea, ſiempre le cauſa mas amor, y regalo en Dios, como avemos dicho: y haſta el meſmo exercicio de oracion, y trato con Dios, que antes ſolia tener en otras conſideraciones, y modos. Ya todo es exercicio de amor. De manera, que ora ſea ſu trato cerca de lo temporal, ora ſea ſu exercicio cerca de lo eſpiritual, ſiempre puede dezir eſta alma, que ya ſolo en amar es ſu exercicio. Dichoſa vida, y dichoſo eſtado, y dichoſa el alma que á èl llega, donde todo le es ya ſubſtancia de amor.*

Eſt dicere: *Hic notandum eſt,* quòd cùm anima pervenit ad hunc ſtatum, tota occupatio partis ſpiritualis, & ſenſitivæ, ſivè in agendo, ſivè in patiendo, qualitercumque ſit, ſemper cauſat in ea maiorem amorem, ac delectationem in Deo, prout diximus. Et etiam ipſum orationis exercitium, quod

quod priùs habebat in alijs conſiderationibus; iam omne tale exercitium eſt exercitium amoris. Ita vt ſivè agat circa temporalia, ſivè circa ſpiritualia, ſemper hæc anima dicere poteſt: nullum aliud exercitium habeo, niſi amare. Fœlix vita, ſtatus fœlix, & fœlix anima, quæ pervenit ad talem ſtatum, in quo iam omnia illi ſunt *ſubſtantia amoris*.

Secundum ſenſum huius poſtremi carminis proponit Doct. Sanctus ſubdens: *Genuinus ſenſus huius verſus eſt; quòd anima in hoc ſtatu ſponſalitij ſpiritualis regulariter eſt in vnione amoris, quæ nihil aliud eſt, niſi frequens aſſiſtentia voluntatis amoroſæ in Deo.* Secundus iſte ſenſus noſtrum aſſertum probat, quatenùs vitam contemplativam, & activam ſimul ponit in hac perfectiſsima anima, de qua loquitur. Primus autem modum, quo hæc coniunctio fit, oſtendit, vt minùs ex parte voluntatis, quæ per ordinationem illam charitatis, quam in cella vinaria recepit, firmiter amoris exercitio vacat.

176. Ex parte autem intellectus cõcurrit ad hanc coniunctionem; quòd potentia hæc non vtitur ſapientia, quæ eſt virtus intellectualis, procedens per tumultus diſcurſuum, vt veritatem inveniat: ſed vtitur ſapientia, quæ eſt donum Spiritus Sancti, quæ vnit animã cauſæ altiſsimæ, nempè Deo. Et hac ſapientia iudicat de rebus inferioribus, non per diſcurſum, ſed ex quadam connaturalitate. Quod iam multoties in ſuperioribus tactum eſt à nobis ex Div. Thom. 2. 2. q. 45. art. 1. & 2. vnde in præſenti ſic inſinuaſſe ſufficiat.

Vnita ergo anima Deo media hac ſapientia, & charitate, adeò elevata manet, vt proprios terminos tranſcendere videatur. Quod docuit D. Thom. in 3. diſt. 29. q. 1. art. 3. ad 1. vbi ait: *Ad 1. igitur dicendum, quòd amor non eſt vnio ipſarum rerum eſſentialiter, ſed affectuum::: Et ideò amor divinus facit hominem, ſecundùm quod poſſibile eſt, non ſua vita, ſed Dei, vivere, ſicut Apoſtol. dicit ad Galat. 2. Vivo ego, iam nõ ego, vivit verò in me Chriſtus.* Vnde cùm Deus omnia vſque modò operetur, & ſimul ſe ipſum contempletur; ſic iſti vniti aliquam portionem emendicatam habent, vt poſsint ſimul Deo, & rebus exterioribus vacare, ex quo *non ſua vita, ſed Dei vivere* dicuntur.

Textus adductus Div. Pauli totam rem egregiè explicat: ait enim: *Vivo ego, iam non ego; vivit verò in me Chriſtus*, quod dupliciter pro repræſenti intelligo. Primò ſic: vivit Paulus, & non vivit; non quia mortuus fuerit; ſed quia induſtria ſapientiæ, & charitatis, eſt transformatus in Chriſtum: & cum Chriſtus habuerit ſimul vitam cõtemplativam, & activam, dum viator erat: propterea Paulus, adhuc viator, vtramque vitam habet, ex quo vita Chriſti vivit. Secundò ſic intelligo dicta verba: vivit Paulus, & vivit Chriſtus in Paulo, hoc eſt, anima Pauli, vt ſpiritus, eſt intimè vnita Chriſto; vnde non vivit vita Pauli, ſed Chriſti: ipſa verò anima, vt anima, eſt forma Pauli: vnde vivit vita ipſius; atque adeò ex hac parte vivit Paulus. Quatenùs ergo anima Pauli, vt ſpiritus, eſt intimè vnita Chriſto, dulcedini contemplationis ſtudet: vt verò eſt forma Pauli, in vita activa occupatur. Inter duo extrema poſita eſt anima Pauli, videlicet, inter Chriſtum, & proprium corpus. Vt ſpiritus vniebatur Chriſto: vt anima vniebatur corpori. Vnio ſpiritus Pauli ad Chriſtum permiſit ſecum vnionẽ animæ ad proprium corpus, & operationes ex hac vnione provenientes: ac ſimiliter vnio animæ ad propriũ corpus paſſa eſt vnionem ſpiritus ad Chriſtum, & operationes altiſsimæ contemplationis, & aliarum ſimilium, quas vnio iſta cauſabat. Vnde ſicut vnio vnioni non repugnabat; ſic nec operationes ex illa duplici vnione reſultantes.

177. Habes ergo iunctas eſſe in animabus perfectiſsimis vitam contemplativam, & activam: & hoc ex duplici capite provenire habes. Quorum primum eſt illud, cuius Seraph. noſtram Doctricem meminiſſe vidimus, num. 174. Videlicèt differentia

illa

illa animæ, & ſpiritus, ex qua differentia ortum ducit, quod dum anima elevatur ad operandum ſecundùm ipſam differentiam, inſpiciat, quæ pertinent ad vtramque vitam ſub illa elevatiſſima ratione, quam dedimus num. 175. Vndè illæ res, quæ ſub inferiori ratione inſpectæ, erant plures, atque ideò non poterant eidem attentioni ſubeſſe, ſub illa tamen ſuperiori ratione conſideratæ, adunantur, poſſuntque ſimul compati. Ad illum modum, quo facultas ſpeculativa, cuius formalis ratio attingendi limitata eſt, non poteſt eſſe practica, nec è contra: Illa autem facultas, quæ praxim, & ſpeculationem attingit, non ſecundùm rationes ſibi infimas, ſed ſub ratione ſuperiori, eſt ſimul ſpeculativa, & practica. Sic ergo in noſtro caſu, in quo iſti viri perfectiſſimi operantur per formam ſummè ſuperiorem, quæ eſt ipſe Deus, in quem per amorem transformati ſunt. Ita egregiè docet Div. Thom. in 3. d. 27. q. 1. toto art. 1. qui omnino videndus eſt, vt plura, quæ ad præſens ſpectant, addiſcantur. Solùm exſcribam, quæ in corp. docet per hæc verba: *Et quia omne, quod efficitur forma alicuius, efficitur vnum cum illo: ideò per amorem amans fit vnum cum amato, quod eſt factum forma amantis.* Et poſt pauca ſubdit: *Vnumquodque autem agit ſecundùm exigentiam ſuæ formæ, quæ eſt principium agendi, & regula operis.*

Si ergo vniti agunt *ſecundùm exigentiam ſuæ formæ*, & hæc forma in ipſis eſt Deus, *qui eſt factus forma amantis*, nil mirum, quòd procedant ſecundùm rationem elevatiſsimam, ſub ſe comprehendentem vitæ vtriuſque rationes. Et prout ſic iam omnes illæ rationes pluralitatem non exprimunt; ſed vnitatem. Quod pulcherrimè docuit idem Div. Thom in 2. diſt. 10. art. 4. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quòd ea, quæ cognoſcuntur diverſis rationibus, intellectus non poteſt ſimul conſiderare: quia non poteſt conſignari diverſis ſimilitudinibus ſimul, ſicut nec corpus diverſis figuris. Sed ea, quæ cognoſcuntur vna ratione, vel quorum vnum eſt ratio alterius, nihil prohibet ſimul intelligi.*

§. IV. *Alia duplex aſſertio.*

178. SIt 2. concluſ. *Vita contemplativa, & activa poſſunt ſimul eſſe in eodem viatore.* Iam num. 150. explicuimus modum, quo præſens aſſertio intelligenda eſt. Eam expreſſè tenet Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 3. propter quem hanc concluſionem ſtatuimus; ita enim perſpicuè loquitur tum in corp. tum in argumentorum ſolutione, vt non poſsimus aliter iudicare, niſi quod vltra vnionem vitæ contemplativæ, & activæ, qualem §. §. præcedentibus ſtatuimus, detur alia cõſiſtens in eo, quod diverſis temporibus poſsit idem homo viator principaliter intendere operibus vitæ activæ, & etiam principaliter intendat vitæ contemplativæ.

Audi ſolutionem primi argumenti præfatæ quæſtiunc. *Ad 1. igitur dicendum, quòd ad diverſa poteſt homo principaliter intendere diverſis temporibus, quamvis non ſimul.* Hoc certè non eſt, adſtruere illam vitæ activæ, & contemplativæ vnionem, quam ex ipſo Doct. Ang. dedimus §. 1. quia ibi vtramque hanc vitam dicimus eſſe ſimul, non ſolùm ſimultate ſubiecti, ſed etiam ſimultate temporis: quod eſt adeò expreſſa doctrina Ang Præcept. vt tergiverſari non valeat. Et prætermiſsis alijs textibus, & fundamentis, ſolùm referam, quæ loco ibi citato, videlicet 2. 2. q. 181. art. 1. docet per hæc verba: *Ad 3. dicendum, quòd ad opera vitæ activæ interdum aliquis à contemplatione avocatur propter aliquam neceſſitatem præſentis vitæ; non tamen hoc modo, quod cogatur aliquis totaliter contemplationem deſerere. Vnde Auguſt. dicit 19. de Civit. Dei: Otium Sanctum quærit charitas veritatis: negotium iuſtum, ſcilicet, vitæ activæ, ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam, ſi nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipien-*

da eſt propter charitatis neceſſitatem: Sed nec ſic omninò veritatis delectatio deſerenda eſt, nè ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas. Et ſic patet, quòd cùm aliquis à contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum ſubtractionis, ſed per modum additionis.

Si vtraque hæc vitæ contemplativæ, & activæ vnio maturè conferatur, diverſam eſſe, cognoſcetur. Quandoquidem in 2. 2. concedit vitam contemplativam vniri vitæ activæ, quæ ad illam ſe habet *per modum additionis*, & ſimul ſimultate temporis exerceri vtramque vitam: quod de vnione, quam modò docet in 3. ſentent. non ita evenit: ſiquidem nec vita activa ſe habet ad contemplativam *per modum additionis*, ſed principaliter, ſicut illa intenditur, nec cum illa ſimul ſimultate temporis, ſeu exercitij compatitur, vt evidenter conſtat ex verbis inductis. Vnde ſicut prima aſſertio fuit de mente Div. Thom. ſic hanc ſecundam ad mentem ipſius eſſe, certum nobis eſt.

179. Prob. ergo concluſ. noſtra ratione, quam quæſtiunc. citata inſinuat D. Thom. & ſub hac forma proponitur: Vita activa poteſt cum omni ſua perfectione haberi à viatore: ergo poteſt hic ſimul habere vtramque vitam. Anteced. certum eſt: quia ſicut vita contemplativa poteſt perfectè haberi, & ideò dantur contemplativi perfecti; ſic etiam vita activa perfectè haberi poteſt; & ob hoc dantur perfecti activi. Conſequent. autem probatur: quia cùm vita activa iam perfectè habetur, nihil obeſt, quominùs illam perfectè habens vitæ contemplativæ incumbat: ergo poteſt vtraque in eodem eſſe. Probatur anteced. quia non apparet, vnde provenire poſsit illa impoſsibilitas, non ex parte ipſius vitæ activæ, quia hæc nullam incompatibilitatem dicit ex ſe cum vita contemplativa: ſed nec ex parte paſsionum, aut tumultuum rerum externorum: quia hæc omnia iam ſupponuntur ſuperata per virtutum moralium exercitium; nec aliter eſſet vita activa perfecta, quod ratio noſtra ſupponit, eſtque expreſſum in laudato Div. Thom. dicente: *Sed quando iam vita activa perfecta eſt, tunc operationes virtutum moralium in promptu habet, vt eis non impeditus liberè contemplationi vacet.*

180. Prob. 2. concluſ. alia ratione ex eodem Div. Thom. deſſumpta: quia in Eccleſia militante dantur Præſules, ac Paſtores animarum, vt fide ſanctum eſt: ſed de horum principali ſtudio debet eſſe vita contemplativa, & activa: ergo hæ poſſunt ſimul dari. Patet iſta, quia aliàs daretur obligatio ad impoſsibile. Min. autem probatur 1. ex citato Div. Thom. qui ait: *Et quia Prælatorum eſt in vtraque vita perfectos eſſe, vt potè qui medij ſunt inter Deum, & plebem à Deo recipientes per contemplationem, & populo tradentes per actionem: ideò oportet eos in moralibus virtutibus perfectos eſſe, & ſimiliter prædicatores; aliàs indignè quis prælationis, vel prædicationis officium aſſumit.* Probat. 2. illa min. quia vnuſquiſque debet principaliter ſtudere ijs, quæ ſui muneris ſunt: ſed muneris Prælatorum ſunt vita contemplativa, & activa: ergo ijs principaliter ſtudere debet. Min. pro 2. parte conſtat ex verbis Domini ad Petrum, dum illum caput Eccleſiæ conſtituit; dixit enim apud Joan. cap. vlt. *Paſce oves meas.* Et ex illo Pauli, in Act. Apoſt. cap. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniverſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Nec valet Epiſcopus ſuo muneri ſatisfacere, niſi ex ſtudio, atque ideò principaliter invigilet in paſcendis ovibus, nunc panem materialem ipſis frangendo, nunc panem vitæ, & intellectus ipſis communicando. Quoad primam partem patet etiam ipſa min. quia illum ipſum panem doctrinæ debet ipſe priùs à Deo accipere in contemplatione, nec aliundè illum aſportare poteſt, ſi quod ſuum eſt, implere cupit: quod acutè inſinuavit D. Thom. ijs verbis: *Medij ſunt inter Deum, & plebem à Deo recipientes per contempla-*

tio-

tionem, & populo tradentes per actionem. Sinamque aliunde hunc ſpiritalem panem compararent, plebem quidèm paſcerent; ſed non vt medij inter Deum, & plebem. Huiuſque doctrinæ radicem non invenuſtè cognoſces, ſi conſideres: Epiſcopos non eſſe gregis Chriſtiani ſimpliciter, & abſolutè Paſtores, cùm vel eorum ſummus, Vicarius ſit: quod de ipſis Apoſt. tradit in eorum Præfat. Eccleſia illis verbis: *Quos operis tui Vicarios eidem contuliſti præeſſe Paſtores.* Non Paſtores abſolutè, & ſimpliciter, ſed Paſtores *Vicarios* nominat. Paſtor autem ſimpliciter, & abſolutè eſt, qui apud Joan. 11. v. 14. de ſe ait: *Ego ſum Paſtor bonus.* Et Div. Paulus ad Hebræos cap. 13. v. 20. vocat Paſtorem magnum dicēs: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Hic autem Paſtor bonus oves ſuas paſcit: non tamen immediatè, ſed medijs ſecundis Paſtoribus. Vnde pabulum, quo iſti debent paſcere commiſſum ſibi gregem, eſt pabulum deſcendens à Paſtore primo, vnde illud debent requirere in contemplatione, mox ab ipſis inter oves diſtribuendum; ſicque eodem pabulo Primus, & ſecundi Paſtores gregem paſcunt.

Placet doctrinam traditam in Verbis Chriſti Dom. ad Petrum inſinuatam dicere. Priuſquam enim Paſtor conſtitueretur, interrogatur, an Deum amet? *Petre amas me?* Vt ſciat, ſe in munere paſtorali duplici vinculo ligari. Primum eſt perfectiſsimæ dilectionis Dei, quæ, vt patet ex ſupra dictis, ſpectat ad contemplationem: eo quod (primò) *vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* (ſecundò) *Anima plus eſt vbi amat, quàm vbi animat.* (tertiò) *Amor meus pondus meum: Illuc feror quocumque feror.* Secundum vinculum eſt ſolicitudinis paſtoralis, qua oves paſcere debet. Sic Div. Thom. 2. 2. q. 184. art. 7. vbi ait: *Ad 2. dicendum, quod hoc ipſum, quòd Epiſcopi intendunt his, quæ pertinent ad proximorum dilectionem, provenit ex abundantia dilectionis divinæ. Vnde Dominus primò à Petro quæſivit, an eum diligeret, & poſtea ei ſui gregis curam commiſit. Et Gregor. dicit in paſtor. Si dilectionis teſtimonium eſt cura paſtoralis, quiſquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit paſcere, Paſtorem ſummum convincitur non amare. Hoc autem eſt maioris dilectionis ſignum, vt homo propter amicum, etiam alij ſerviat, quam etiam ſi ſoli amico ſervire velit.*

181. Dices: hæc omnia poſſunt fieri à Præſulibus, qui in contemplativi ſint; ſiquidem poſſunt à Deo accipere panem, quem inter oves diſtribuant, oratione ſive vocali, ſive mentali; ſicque verificatur, quòd ſint medij inter Deum, & oves: ergo ad hoc non riquiritur contemplatio; atque adeò non datur in ipſis ſimùl vita contemplativa, & activa.

Reſpondetur ex Div. Thom. modò citato: *Ad 3. dicendum, quòd ſicut Gregor. dicit in paſtor. Sit Præſul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, quia ad ipſos pertinet non ſolùm propter ſe ipſos, ſed propter inſtructionem aliorum contemplari. Vnde Gregor. dicit ſup. Ezech. quod de perfectis viris poſt contemplationem ſuam redeuntibus dicit Pſalm. 144. memoriam ſuavitatis tuæ eructabunt.* Vnde ſi tibi durum videbatur, ex ſimplici capite Epiſcopos ad contemplationem obligari, vides in hac authoritate ipſos non ex ſimplici, ſed ex duplici motivo ad contemplandum teneri: quandoquidem *propter ſe ipſos*, & etiam *propter inſtructionem aliorum* contemplari debent. Sunt enim Epiſcopi Magiſtri, Perfectores, ac Doctores aliorum: eorum eſt fidem docere, Scripturam interpretari, gregem ſuum defendere, & pro illius defenſione mori, ſi opus fuerit. Quæ munia Epiſcopos perfectos eſſe debere planè oſtendunt: atque adeò quòd debent eſſe contemplativi. Quare dicitur in Concil. Tolet. 11. cap. 2. *Quantò quis præexcelſi culminis obtinet locum, tantò neceſsè eſt, vt præcedat cæteros gratia meritorum; vt in eo, quod*

præſidet ſingulis, ſingulariter ornetur eminentia ſanctitatis, habens ſemper in ore gladium veritatis, & in opere efficientiam luminis.

Quod ſi tibi hoc nimis durum appareat: noſcas durius eſſe, dari aliquos, qui ad infulas Epiſcopales anhelent non timentes graviſsimum onus, pro quo ſuſpirant. Quo reſpexit Div. Bonav. ſup. regul. cap. 2. dum dixit: *Si non vocati ad Epiſcopalem gradum, nec coacti ad eundem aſpirant, vt fugiant ærumnas pauperum, & ordinis rigorem, credo eos in illius partem ceſſuros, qui dixit: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis.*

182. Probatur denique concluſ. ratione vniverſali, & omnes ſtatus comprehendente: etenim ſicut datur in Eccleſia militante genus vitæ activæ, ac contemplativæ; ita datur genus vitæ mixtæ. Sed in hoc genere vitæ mixtæ adunantur vita activa, & contẽplativa; ergo hæ vitæ ſimul dari poſſũt. Min. patet, quia ſicut per ſtudiũ vitæ cõtẽplativæ cõſtituitur purè cõtẽplativus, & per ſtudium vitæ activæ purè activus: ſic per ſtudium vtriuſque habetur ſimul vtraque vita. Mai. autem probatur ex Div. Auguſt. qui loco citato num. 26. dividit in illud triplex genus vitam humanam: quæ doctrina, diximus num. 28. non intelligenda eſt, *quantum ad diverſitatem vitæ, ſed magis quantum ad diverſitatem viventium.* Quatenùs ſcilicet, etſi non detur niſi illa duplex vita; poſſunt tamen dari viventes, qui vtrique, diverſis licèt temporibus, principaliter ſtudeant, quod eſt ipſum, quod pro concluſione ſtatuimus.

183. Ex dictis in hac aſſertione colliges: Beatiſsimam Virg. Mariam hoc etiam modo habuiſſe ſimul vitam contemplativam, activamque. Quod dupliciter probamus. Primò, quia authoritas illa Div. Thom. num. 151. poſita loquitur de vita activa, & contemplativa, prout de illis loquimur in hac concluſione: quandoquidem eſt ex 3. ſentent. q. & art. citatis, vbi, vt vidimus num. 178. loquitur Div. Thom. de hac duplici vita, prout dicit ſtudium principale illas habentis. Accedit ratio, quam ex Anſelmo ibi adducit Div. Thom. videlicet, in feſto Aſſumpt. legitur Evangelium de Martha, & Maria, ſignificantibus vitam contemplativam, & activam, vt oſtendatur, Virg. Beatiſsimam ſimul habuiſſe vtramque vitam. Quod certè probat in Beatiſsima Virg. datam fuiſſe vtramque vitam illam, non ſolùm quatenus eius contemplatio non impediebatur per exteriores occupationes, ſed etiam quatenus dicit ſtudium principale ad contemplationem, & actionem. Siquidem in dicto Evangelio ſicut ponitur Maria, prout ſignificat ſtudium præcipuum circa contemplationem: ſic etiam ponitur Martha, quatenus ſignat præcipuum ſtudium circa actionem.

Accedit 2. quòd Beatiſsima Virg. non ſolùm fuit Maria propter ſtudium ſublimiſsimæ contemplationis; ſed etiam fuit cum omni proprietate Martha, quæ aliquando ſuum principale ſtudium in exteriorum ſolicitudine conſtituebat, ſic docet Giſbert. Ab. lib. de laudib B. Mariæ cap. 7. dicens, quòd Beatiſsima Virg. fuit *Martha ſatagens circa frequens miniſterium, frequens enim miniſterium, circa quod ſategit, ipſa fuit ſolicitudo circa curam Dominici corporis, quam in benedicta Virg. actualitas ſic miniſtrat, vt exterioris honoris obſequio magis, quàm contemplando Deo, aliquotiès magis inſiſtendum crederet: Quod enim carnaliter genuerat, & præ oculis ſemper habebat, nimirùm ferventiori ſtudio indeſinenter ardebat.* Et Petrus Bleſ. ſerm. 34. ait, Beatiſsima Virg. Maria fuit *Martha ob eius vitam, & ſolicitudinem, & prudentiam circa filium ſuum exhibitam: Martha enim fuit, dum abijt in montana, vt Eliſabeth gravidam, & grandævam ſalutaret, vt vetulæ iuvencula tribus menſibus officiosè miniſtraret: Martha fuit, dum filium Dei, & ſuum pannis involvit, vbere pavit, & in Ægyptum fugiens ipſum à malitia Herodis abſcondit. Martha fuit, dum filium ſuum ſollicita in Hieruſalem quæſivit, dum cum eo ad nuptias ivit, dum vſque ad paſſionem eius à filio non receſſit,*

ſit, dum poſt maternos dolores, & reſurrectionis lætitiam, filium aſcenſurum in Cœlum cum Diſcipulis vndecim ad montem Oliveti perduxit.

184. Probat. 2. In Virg. Beatiſsima concurriſſe duplex hoc ſtudium circa vitam contemplativam, & activam: quia concurrere in Epiſcopis, eò quòd Magiſtri ſunt, probatum à nobis eſt. Hincque evincitur dari in Virg. Benedicta, quæ à Dionyſ. Carthuſ. lib. 2. de prec. Mariæ art. 24. dicitur. *Magiſtra ſapiẽtiſſima, ad quam creditur, nec irrationabiliter, poſt Paracleti miſſionem, vniverſos Chriſti Apoſtolos, atque diſcipulos in agendis, itemque in dubijs recurriſſe, & ipſius plerumque directione vſos: quamquàm etenim Spiritu Sancto impleti eſſent ſinguli; non tamen æqualiter: & hinc ad ſapientiores, atque maiores cæteri vtique pro ſubſidio, aut reverentia profecti ſunt, atque in ipſa Domini ſui Matre, tamquàm in Domino, conſiſi, conſolatique ſunt. Singulariter autem creditur Sanctus Lucas ab ea multa didiciſſe: Ea, videlicèt, quæ vel ſolus, vel pleniùs de Chriſti annuntiatione, generatione, Circumciſione, Purificatione, atque infantia fæliciter, fideliterque conſcripſit.*

185. Sit 3. aſſertio: *Vita contemplativa, activaque non poſſunt eſſe ſimul ſimultate temporis, ſi ſumantur, prout dicunt ſtudium principale, prima circa contemplationem, & ſecunda circa actionem.* Concluſio hæc eſt etiam Div. Thom. loco citato num. 178. Vbi contra ſuum aſſertum, in quo compatibilitatem vitæ contemplativæ, activæque docebat, facit hoc argumentum: *Vita, de qua hic loquimur, conſiſtit in hoc, in quo homo maximè ſtudet: ſed impoſſibile eſt, quòd homo duobus ſummum ſtudium apponat: ergo impoſſibile eſt, quòd in homine ſit ſimul vita activa, & contemplativa*: Huic argumento reſpondet Sanctus Doct. ſic: *Ad 1. ergo dicendum, quòd ad diverſa poteſt homo principaliter intendere diverſis temporibus*, (& hoc eſt, quod aſſeruimus concluſione præcedenti) *quamvis non ſimul.* Et hoc eſt, quod modò aſſeruimus. Ratioque ſatis perſpicua inde deducitur: quia homo non habet niſi vnicum ſtudium ſummum: ergo ſi hoc eſt applicatum ad vitam activam, non poteſt, durante illa applicatione, tendere in contemplativam. Nec res adeò clara maiori indiget probatione.

§. V. *Argumenta contra primam concluſionem ſolvuntur.*

186. MAgiſter Valgornera q. 4. Theolog. Myſt. diſp. 2. art. 14. num. 3. opponitur noſtræ primæ aſſertioni, quatenus negat, poſſe contemplativum ad tantam perfectionem conſcendere, vt eius contemplatio non impediatur per operationes exteriores. Probatque ſuum placitum ex D. Thom. 2. 2. q. 181. art. 4. ad 2. vbi Sanctus Doct. diſcrimen aſsignat inter nos, & Angelos: conſiſtens in eo, quòd per miniſterium vitæ activæ non retrahuntur Angeli à contemplatione; nos autem retrahimur: quandoquidèm *per opera activæ impedimur à contemplatione.* Quam doctrinam idem Ang. Doct. ad 3. (ait) confirmat dicens, quòd *ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis.*

Sed enim doctus hic Thomiſta his paucis plura corrigenda tradit. Quod Div. Thom. doceat, *per opera vitæ activæ impedimur à contemplatione*, haud eſt fundamentum ſufficiens, vt illam adeò abſolutam repugnantiam adſtruat. Siquidem idem Sanctus quæſt. ſequenti art. 1. ad 3. docet ea, quæ iam ſuprà retulimus, ac modò repeti debent. Ait enim: *ad opera vitæ activæ interdùm aliquis á contemplatione avocatur propter aliquam neceſſitatem præſentis vitæ; non tamen hoc modo, quòd cogatur aliquis totaliter contemplationem deſerere*, quod confirmat authoritate Auguſt. & ſubdit: *Et ſic patet, quòd cùm aliquis à contemplativa vita ad activam vocatur, non hoc fit per modum ſubtractionis, ſed per modum additionis.* Ecce idem Doct. Ang. qui docet, *per opera vitæ activæ impe-*

dimur à contemplatione, tenet, opera vitæ activæ non impedire contemplationem. Quid ni, erit nè Angel. Doct. sibi non consitans? Aut decens Thomistæ erit vnius dicti sui Præceptor. memoriam facere, & aliud dissimulare?

Item: quæ ex solutione ad 3. affert Valgorn. extra rem omnino sunt. Quærimus: an vita contemplativa impediatur per activam? Quid pro parte affirmativa conducit, quod corporis gravitas contemplationem impediat? Est nè gravitas corporis opus vitæ activæ?

Respondet. ergo quòd *per opera vitæ activæ impedimur à contemplatione* regulariter loquendo: quia certè, quòd opera vitæ activæ non impediant contemplationem, non convenit cuicumque contemplativo; sed illi, qui introductus à Rege in cellam vinariam charitatem ita ordinatam habet, vt possit spiritu Deum contemplari, & anima rebus vitæ activæ attendere. Vtî probatum relinquimus.

In textu pro nobis allato ponderare debes emphaticam pulchritudinem illius verbi *cogatur*. Quippè non per hoc, quòd quis à contemplatione vocetur ad opera vitæ activæ, *cogitur* eo ipso ad derelinquendam contemplationem. Et ratio est, quia si illam deserit, non est, quia ad hoc *cogatur*; sed quia ipse adhuc imperfectus est. Si autem perfectus sit, ea sublimi perfectione, de qua in assertione loquuti fuimus; tunc per nulla opera vitæ activæ, ad quæ à contemplatione vocetur, deseret contemplationem. Quod si adeò perfectus non sit; deseret contemplationem, sed non omninò, vt docet Div. Thom. textu per nos adducto. Vnde ex meritis vocationis numquam contemplativus *cogitur* contemplationem deserere: Sed desertio, & conservatio contemplationis regulatur penès perfectionem, vel non perfectionem contemplantis: ita quòd si hic non sit perfectus, penitus interrumpitur contemplatio; & hoc docet Div. Thom. loco citato à Valgorn. Si autem perfectus sit: tunc attenditur perfectionis gradus, & secundùm eius maiorem, vel minorem perfectionem, erit maior, vel minor desertio contemplationis. Et hoc est, quod idem Angel. Doct. docet loco à nobis allegato.

Nec, quòd sic mentem D. Tho. exponerem, à me ipso habui; sed ab eo didici. Loco enim citato ex sententiar. sic latur: *Quando iam vita activa perfecta est, tunc operationes virtutum moralium in promptu habet, vt eis non impeditus liberè contemplationi vacet: Tamen secundum quod homo est magis, vel minus perfectus in vita activa, circa plura, vel paciora occupari potest activæ vitæ simul cum contemplativa.*

Alium textum desumptum ex solutione ad 3. iam diximus, non esse ad rem, quia gravitas corporis non est opus vitæ activæ, à quo etiam retrahimur per corporis gravitatem. Sed, dato, quod extra chorum non esset, nihil aliud illo textu probaret Valgorn. nisi illud, quod modò dicebamus. Observa tamen Div. Thom. profunditatem: non enim docuit, quòd per corporis gravitatem retrahimur à contemplatione; sed *ab altitudine contemplationis*. Aliud est altitudo contemplationis, & aliud contemplatio: quia hæc non solùm dicit actum, in quo essentialiter consistit contemplatio; sed etiam actus alios, qui ad illam requiruntur, vt patet ex superioribus. Altitudo contemplationis dicit ipsum actum essentialem, & hunc in gradu perfectissimo. Et, posse aliquem deserere summum contemplationis; quin contemplationem, secundùm omnia, quæ importat, de relinquat, vidimus quæstione præcedenti; vbi diximus, contemplationem sumptam secundùm omnia, quæ dicit, esse durabiliorem, quàm vita activa. Vnde nullo ex dictis textibus aliquid contra nos probat Valgornera, qui, si non adeò velociter scripsisset, textum vrgentiorem parum ab ijs distantem in eodē D. Th. reperisset, quo posset suum assertum fundare, & impugnare contrarium. Hunc textum à nobis proponitur sub hac forma.

187. Arg. ergo 2. Contra nostram

tram conclusionem ex Div. Thom. qui d. 2. 2. q. 182. art. 3. in corpor. ait: *Manifestum est, quòd vita activa impedit contemplativam, in quantum impossibile est, quòd aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, & divinæ contemplationi vacet.* Nil clariùs contra nos afferri valet. Ait enim Doct. Sanct. impossibile esse, quòd vita contemplativa, activaque, modo, quo à nobis asseritur, vniantur.

Respond. ex dictis §. 3. & præsertim num. 177. & 175. Quòd si vita activa, & contemplativa sumantur secundùm rationes sibi proprias, penes quas ad invicem differunt, tunc *impossibile est, quòd aliquis simul occupetur circa exteriores actiones, & divinæ contemplationi vacet.* Ast si sumantur secundùm vnam rationem superiorem, in qua adunantur, tunc non est impossibilis talis simultas, vt citatis numeris explicuimus. Et quòd Div. Thom. in textu obiecto loquatur de duplici illa vita secundùm rationes vnicuique proprias, constat, tum quia locis in nostrum favorem aductis concedit hanc simultatem, quam modò negat. Vnde cùm sibi contrarius non sit, intelligendus est secundùm modum à nobis dictum, qui omnem contrarietatem aufert. Tum deindè: quia ex ipsa littera constat, nostram hanc expositionem esse ad mentem nostri Præcept. quandoquidem clarissimè ostendit, se loqui de illis vitis secundùm dictam atomam rationem. Videatur tertium argumentum, quod speciali solutione, (sicut nec alia) non solvit ob rationem assignatam. Observetur etiam art. corpus, & ex doctrina ibi data, & Gregor. authoritate cognoscet quisque Div. Thom. loqui de vita activa, quæ non supponit animæ passiones moderatas, cùm negat posse coniungi cum contemplativa, seu illam impedire. Dum verò animæ passiones supponuntur ordinatæ, tunc non est, cur debeat per vitæ activæ opera impediri contemplatio.

188. Arg. 3. Contemplatio in sui summo diù manere non potest in viatore: ergo non datur in viatore vnio vitæ activæ, & contemplativæ, quantum ad hoc, quod contemplatio non impediatur per opera vitæ activæ. Anteced. est omnino certum, vt patet ex quæstione præcedenti: & consequentia probatur: quia eò non posset diu manere contemplatio, quia per opera vitæ activæ impediretur: ergo ex quo per hæc opera non impediatur, diù durare valet. Patet ista: quia cessante causa non durationis, & ipsa non duratio cessat. Ant. verò est omnium Doctorum, qui quidem opera externa impedire diuturnitatem contemplationis vnanimiter docent.

Hoc argumentum difficultate non caret, sed quam luce Ang. Præcep. & nostror. Mysticor. superare speramus. Respondetur ergo matrimonium spirituale viatoris non consistere in vnione actuali, sed in habituali, vt suo loco dicemus, ad differentiam comprehensoris, cuius matrimonium in vnione actuali consistit. Ad spirituale matrimonium requiritur vnio cum Deo tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. In viatore ergo, qui ad fœlicitatem matrimonij spiritualis elevatur, datur hæc vnio huius vtriusque potentiæ, habitualis semper; quia in ea, vt dictum est, consistit hoc matrimonium: actualis verò non semper, sed multoties. Hæc autem actualis vnio, dum durat, compatitur cum operibus vitæ activæ, quod satis, superque est ad veritatem asserti nostri: quandoquidem per aliquod tempus verificatur vnio vitæ contemplativæ, activæque. Quod autem parùm duret hæc coniunctio, nobis non obest, qui numquam contrarium asseruimus. Hæc autem non permanentia provenit ex misera conditione status, animam in illa perfectissima fruitione diu persistere haud patientis. Vnde tum somno, tum occupationibus exterioribus: tum ipsa corporis gravitate ab illa fœlicitate avellitur. Verùm sicut cum ipsa corporis gravitate, quæ semper viget, multotiès compatitur vnio illa actualis: sic etiam cum opere vitæ activæ.

Transactâ vnione illa *actuali*, rema-

remanet habitualis vnio; tum intellectus; tum voluntatis. Quæ vnio; ſpectat vtique ad vitam contemplativam: & hanc vnionem auferre non poſſunt, aut impedire opera externa, quamvis multa, & maximæ entitatis. In eorum enim concurſu manet interius centrum animæ ita in Deum proclive, vt facile ei ſit vnionem actualem reproducere. Et ex hac parte etiam aſſertio noſtra ſalvatur: quippè vitæ activæ occupationes compatiuntur cum dicta vnione habituali, quæ, vt dictum eſt, eſt vita contemplativa. In ſimulque non obeſt, vt anima ad vnionem actualem redeat. Quibus adde: quòd anima ipſam ceſſationem ab vnione actuali ordinat in ipſam vnionem. Vnde hac ex parte etiam videtur continua; conſequenterque compatibilis cum vitæ activæ operibus.

189. Audiamus quid circa hæc doceat Sanctus Thom. qui 1. 2. q. 3. art. 2. inquirit: *Vtrùm beatitudo ſit operatio?* Reſolutio eſt affirmativa: Contra quam opponit tria argumenta, quæ ad hoc vnum redigimus: Beatitudo eſt vna, permanens in Beato abſque interruptione: ſed operatio eſt multiplex, & tranſit, frequenterque interrumpitur ſomno, vel aliqua occupatione: Ergo beatitudo non eſt operatio.

Ad hoc triplex argumentum, ad vnicum redactum, vnica ſolutione reſpondet Doct. Sanctus dicens: *Ad 4. dicendum, quòd cùm beatitudo dicat quandam vltimam perfectionem, ſecundùm quod diverſæ res beatitudinis capaces, ad diverſos gradus perfectionis pertingere poſſunt, ſecundùm hoc neceſſè eſt, quòd diverſimodè beatitudo dicatur.* Et aliquibus de beatitudine Dei, & Angelorum interiectis, ſubiungit: *In hominibus autem ſecundùm ſtatum præſentis vitæ, eſt vltima perfectio ſecundùm operationem, qua homo coniungitur Deo. Sed hæc operatio nec continua poteſt eſſe, & per conſequens nec vnica eſt: Quia operatio interſciſſione multiplicatur, & propter hoc in ſtatu præſentis vitæ, perfecta beatitudo ab homine haberi non poteſt: Eſt tamen aliqua participatio beatitudinis: Et quantò operatio poteſt eſſe magis continua, & vna, tantò plus habet rationem beatitudinis: & ideò in activa vita, quæ circa multa occupatur, eſt minùs de ratione beatitudinis, quàm in vita contemplativa, quæ verſatur circa vnum, id eſt, circa veritatis contemplationem. Et ſi aliquandò homo actu non operetur huiuſmodi operationem: tamen quia in promptu habet eam, ſemper poteſt operari. Et quia etiam ipſam ceſſationem, putà ratione ſomni, vel occupationis alicuius naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quaſi videtur operatio continua eſſe.*

Nihil invenies in ſolutione à nobis data, quod hac authoritate non fundetur. Et omiſsis pluribus, quæ addere ſtatueram, dicam cum noſtræ Seraph. Doctrice lib. vitæ, cap. 18. & alijs locis, eſtque conſtans doctrina apud Myſtas, vnionem myſticam animæ cum Deo eſſe duplicem: nam alia eſt ſecundùm omnes eius potentias, & alia ſecundùm ſolam voluntatem, manentibus intellectu, ac memoria, liberis, capacibuſque exercendi ſuas operationes. Inter has autem vniones hoc intereſt. Quòd prima parùm durat, vt docet expertiſsima Thereſia, & dum permanet, nihil aliud poteſt anima facere, niſi torrente divinæ voluptatis deliciari. Secunda eſt durabilior, & quæ compatitur cum operibus activis. Sed etiam ab illa vnione actuali tandem retrahitur, ipſa renuente, voluntas, quæ manet cum illa vnione habituali ſuprà dicta. Vnde verum eſſe relinquitur, quòd contemplatio in ſui ſummo non diù in viatore maneat, & quòd hæc ob capita dicta compatiatur cum operibus vitæ activæ.

190. Liceat addere: quòd ſicut hanc aſſertionem probavimus exemplo Virg. Beatiſsimæ, in qua data fuit contemplatio, quam operationes externæ non impediebant: ita ſimiliter, ſat eſt, quòd in eadem Sanctiſsima Virg. fuerit contemplatio in ſui ſummo diù perſeverans, & quòd tumultibus vitæ activæ non perturbaretur, vt factum argumentum non convincere demonſtretur.

tur. Quòd autem in purissima nostra Domina coniuncta fuerit cum solicitudine activa contemplatio in sui summo perseverans, constat ex dictis §. 2. vbi asseruimus, Deiparam contemplationem non interruptam servasse toto tempore sanctissimæ suæ vitæ, quod etiam (morem aliquibus Doctoribus gerentes) ad tempus ante ipsius præclaram nativitatem extendimus, licèt reverà cum Div. Thom. 3. p. q. 27. art. 3. in corp. sentiamus, quod quidem vim eorum, quæ ibi diximus, non imminuit. Et hoc sufficit, vt, quamvis circa alios convinceret argumentum, adhuc tamen assertum non expugnaret: quia hoc huius vnionis possibilitatem adstruit, quæ optimè comprobata dignoscitur, dūmodo in vnico solummodò individuo perseveret.

191. Dices: ex quo contemplatio vnita cum actione fuerit in Beatissima Virg. probamus dabilem esse in hoc statu vitam contemplativam simul cum activa: ergo. Ex quo in Beatissima Virg. fuerit contemplatio perfectissima toto tempore suæ inclytæ vitæ perseverans, sequitur, quòd contemplatio perfectissima huius status sit multùm durabilis; nec minùs quàm vita activa. Cuius contrarium diximus quæstione præcedenti.

Respond. neg. consequentiam, & paritatem. Discrimen est, quòd vnio vitæ contemplativæ cum activa est opus gratiæ: maior autem, vel minor durabilitas contemplationis attenditur ex meritis naturæ ipsius contemplationis, vel sumptæ secundùm se; vel prout reduplicat merita huius status, consideratæ. Vnde ex quo in aliquo data sit vnio illa vitæ contemplativæ, & activæ viribus gratiæ, bene infertur eius possibilitas, attento impulsu ipsius gratiæ per ordinem ad quam dubium illud disputatur, licèt viribus naturæ sit impossibilis: quod quidem non disputatur, sed vt indubium supponitur. Sed ex quo viribus ipsius gratiæ detur perseverantia illa contemplationis, habetur quidem, quòd sit possibilis virtute gratiæ; non verò virtute præsentis status. Et hoc est, quod præcedenti quæstione dicebamus.

§. VI. *Respondetur vnico argumento contra secundam assertionem.*

192. CONtra 2. concluſ. arg. 1. Vita activa est dispositio ad vitam contemplativam: ergo non est coniungibilis cum ea. Anteced. constat ex suprà dictis, & conseq. probatur. Quia dispositio ad aliquam formam est inconiungibilis cum illa, quandoquidem adveniente forma, talis dispositio evanescit: ergo si vita activa est dispositio ad contemplativam compati cum illa non potest.

193. Confirmatur. Quod erga plurima turbatur, inconiungibile est cum eo, quod in vno deliciatur: sed vita activa, & contemplativa sic sunt: ergo inconiungibiles sunt. Conseq. bona est, & min. constat, tum ex verbis Div. Thom. positis num. 189. tum ex eo, quòd vita activa figuratur in Martha, quæ erga plurima turbatur, & vita contemplativa in Maria, quæ fœlici tranquillitate Deo fruitur. Maior autem probatur; quia quod turbatur erga plurima opponitur, tam ex parte pluralitatis, quàm ex parte turbationis cum eo, quod nec turbatur; nec plura, sed vnum respicit: ergo.

164. Respond. argumento cum Div. Thom. in 3. dist. 35. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quòd dispositiones, quæ essentialiter habent imperfectionem annexam, non manent cum eo, ad quod disponunt, sicut fides non manet cum visione. Sed aliæ dispositiones possunt simul manere, sicut dictum est: & sic est vita activa.* Inter dispositiones aliæ dicunt indispensabiliter imperfectionem repugnātem cum eo, pro quo disponunt: & tales dispositiones sunt incompatibiles cum re, ad quam disponunt. Sicque sunt fides, & spes in ordine supernaturali: & calor remissus ad formam ignis in ordine naturali. Aliæ verò dispositiones non di-

cunt

cunt hanc imperfectionem: & istæ compatibiles sunt cum eo, ad quod disponunt, vt patet in calore completo, qui disponit ad formam ignis, & simul cum ea est. Et huius conditionis est vita activa: Vnde compati cum vita contemplativa valet. Videatur Ang. Doct. loco citato in corp.

Ex quo Ang. Mag. 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. sic factum argumentum penitùs solvimus. *Ad 2. dicendum, quòd dispositio se habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo, sicut via ducens ad perfectionem: alio modo, sicut effectus à perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet, quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex Syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per Syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam: quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus Syllogismus. Et similiter in Christo, simul cum scientia beatitudinis manet scientia indita, non quasi via ad beatitudinem, sed quasi per beatitudinem, confirmata.* Sic similiter in casu nostro.

195. Ad confirmationem pro ea parte, qua turbationem vitæ activæ repræsentat, respondet idem laudatus Div. Thom. *Ad 2. dicendum, quòd turbatio in vita activa non contingit, postquam ad perfectionem venit; quia tunc iam delectabiliter, & faciliter operatur non perturbatus.* Ex qua doctrina intelligere debes, vt plura probè intelligas, vitã activã posse sumi vel in statu imperfecto, vel in statu perfecto: ad cum modũ, quo decalore dicebamus. Primo modo dicit se ipsã cũ maxima imperfectione, satagit enim erga plurima, nec vnum, in quo requiescat, habere potest; licèt modum, quo in illo vno requiescat, exploret, dùm ad vitam contemplativam tendit. Ast prout sic compati cum vita contemplativa non potest: sicut nec calor remissus cum forma ignis. Cæterùm sicut calor perfectus cum forma, ad quam disponit, compatitur: sic etiam cùm vita contemplativa activa vita in esse perfecto sumpta. Sic enim nullam oppositionem dicit cum vita contemplativa, nec turbatur; immò operatur delectabiliter, & faciliter. Est igitur turbatio insolicitudine erga plurima signum vitæ activæ imperfectæ: quam imperfectionem docuit Dominus extirpandam, cum Martham reprehendit, non quia circa plurima occuparetur; sed quia, iudice Abulensi, in illa sua occupatione turbabatur. Quæ turbatio incompatibilis est cum attentione ad vnum; non autem opponitur huic attentioni illa erga plurima occupatio, vt iam videbimus. Vnde semper quòd ab aliquo, cui revereri congruum est, audieris, vitam activam incompatibilem esse cum contemplativa, intellige de vita activa imperfecta, & secluſa specialissima gratia, vt iam diximus.

Soluta est confirmatio pro ea parte, quæ de turbatione loquebatur: ad illam verò prout de solicitudine erga plurima loquitur, dicas: quòd si sermo sit de vita contemplativa, & activa, prout de illis agitur in 2. concluſ. nullam oppositionem adesse, inde constat, quòd non in eodem tempore vitæ illæ exercentur. Vnde qui modò pluribus studet, mox potest vni vacare. Nec dicas: idem dici posse de turbatione. Quia qui modò circà activa turbatur, non potest mox contemplari: non quia turbatus sit; sed quia illa turbatio signat, subiectum non esse capax contemplandi; quia in vita activa imperfectus est. Si verò vita activa, & contemplativa sumantur modo, quo in prima concluſione, tunc adhuc oppositio non est: eò quòd vitæ illæ exercentur secundùm illam vnam rationem, in qua, vt dictum est, non opponuntur. Verum quidem est, quòd ad hoc est necessaria specialissima gratia.

Hanc doctrinam pulchrè docuit Gerson 1. part. Theol. consid. 19. vbi

ait: *Spiritualia duas facies habent, præfertim ea, quæ non vtuntur organis corporalibus. Quorum speculorum spiritualium tanta potest esse virtus, talis vigor, & consolidatio, quòd pariter, æque sine detrimento potuerit à superiori, & inferiori parte lumina sua suscipere, & tenere susceptа. Hoc manifestum est in Angelis, & alijs confirmatis, qui simul æquè cognoscunt temporalia, & æterna, quorum tenuem similitudinem, & imitationem gerunt aliqui ex viatoribus ex speciali gratia, & vehementi habituatione.* Quia multus iam sum in hac quæstione, nolo adijcere, quæ cap. 8. de Cœlest. hierar. §. *has* docet Albert. Magn. qui omnino videri debet in dubio, quod excitat ad declarandam Dionys. doctrinam. Quippè quatuor argumenta ex sex, quæ ibi efformat, militant contra dicta: vnde ipsorum solutiones videndæ sunt.

Contra vltimam conclusionem nihil est, cui opus sit occursum ire. Quod si aliquid obijciatur, faci limè ex dictis solvi poterit. Vnde ad alia iam gradum facere opus est.

DISPUTATIO VNDECIMA.

De principio quod *divinæ contemplationis.*

DE causis divinæ contemplationis tractaturus à causa efficienti incipio, & ad illam totam disputationem reduco. Cuius motivum explico. Habet enim cõtemplatio causam efficientem, finalem, formalem, ac materialem. Causa materialis est duplex, videlicet receptiva, & dispositiva. De prima nihil dicendum est, quia id ipsum, quod de omni alia intellectione dicitur de contemplatione, quæ est quædam specialis intellectio, affirmatur. Vnde contemplationis humanæ causa materialis receptiva est homo ipse contemplans. De causa materiali dispositiva nonnulla dici possent; sed deobligamur, quia iam in superioribus, ac speciatim disp. præcedenti, diximus, virtutes morales, & omnia opera vitæ activæ: Immò etiam ipsam activam vitam, esse causas materiales dispositivas divinæ contemplationis. Causa formalis etiam est duplex, alia intrinseca, & alia extrinseca. Prima est ipsa ratio constitutiva divinæ contemplationis, de qua disputationibus præcedẽtibus egimus. Secunda est ipsum formale contemplationis obiectum, de quo tomo præcedenti per plures quæstiones fusissimè actum à nobis est. Quapropter de his causis nihil modò supereſt disceptãdũ.

Causa finalis divinæ contemplationis etiam bipartitur in causam finalem proximam, seu immediatam, & in causam finalem mediatam, seu remotam. Primus finis contemplationis est Deus Opt. Max. vnde hic finis idem est ac obiectum, quarè de illo disputare propter modò dicta non debemus. Finis mediatus, ac remotus est intima vnio animæ cum Deo. De qua vnione plura diximus, tum in Isagoge, tum alibi: aliaque dicemus in 3. prædicabili. Quamobrèm in præsentiarum solummodò observare debemus cum nostro Philip. p. 2. Theolog. Mystic. trat. 3. art. 2. quòd hic finis dicitur mediatus, remotus, ac etiam extrinsecus, quia fine illo salvatur quidditas divinæ contemplationis. Quandoquidem non omnes, qui contemplantur, vniti sunt. Quod verificari non potest de illo alio fine proximo, immediato, ac intrinseco: quia sine illo dari contemplatio non potest.

Vltima causa ex assignatis est efficiens, ad cuius disceptationem accingimur per plures disputationes gravissimas, subtilissimas, vtilissimas. Discutere enim oportet, quodnam sit principium *quod* divinæ contemplationis? Sub quo titulo aliquot difficultates comprehenduntur, à consilio in hunc

locum reſervatæ. Quæ licèt, ingenuè fateor, congruentiorem ſedem, attenta ipſarum natura, alibi haberent: meditatò tamen illas diſcutere nolui, vſque dùm de vita contemplativa, & activa diſputaſſem. Quod an rationabiliter factum? Ipſa rerum ſeries demonſtrabit. Agendum etiam eſt de principio *quo* contemplationis, non de principio *quo* radicali: hoc enim nihil dignum expenſione retrudit, ſed de formali, ac proximo. Eſt etiam diſputandum, quiſnam ſit actus contemplationis? Quod eius principium elicitivum? Ac denique de ſpeciebus ad ipſam contemplationem deſervientibus. Quibus clauditur totus tractatus de cauſa efficienti cœleſtis contemplationis, & hoc ſecundum myſticum prædicabile. Ad primam ergo harum omnium diſputationem accedimus; cuius

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrùm ſolus homo ſit principium quod *divinæ Contemplationis?*

HOminem eſſe principium *quod* divinæ contemplationis certiſsimum eſt. Quare in hoc inquirendo nolumus immorari. Sed an hoc ſit ita proprium hominis, vt nulli alij conveniat, eſt quod in præſenti inquirimus: vt ex hoc gradum ad alia paremus.

1. Sit noſtra concluſ. affirmativa, quam nullus ſanæ mentis negabit. Probaturque ſic breviter: Contemplatio eſt actus potentiæ rationalis: ergo cauſa eius efficiens eſt ſuppoſitum naturæ rationalis. Ergo nullum aliud ſuppoſitum præter ſuppoſitum naturæ rationalis, eſt cauſa efficiens contemplationis; conſequenterque illud ſolum ſuppoſitum eſt principium *quod* ipſius. Antecedens, de quo aliæ propoſitiones dependent, probatur ex definitione ipſius contemplationis, quæ eſt *ſimplex intuitus divinæ veritatis*: ſed ſola potentia rationalis intuetur divinam veritatem, vt veritatem, & vt divinam: ergo.

2. Confirmatur: contemplatio eſt quædam determinata orationis ſpecies: ſed ſolus homo eſt principium *quod* orationis: ergo & contemplationis. Mai. patet: quia oratio dividitur in orationem diſcurſus, & contemplationis. Min. autem probatur: quia vt docet Div. Thom. in 4. diſt. 15. q. 4. art. 6. & 2. 2. q. 83. art. 1. Orare eſt actus rationis: ſed ſolus homo eſt principium *quod* actus rationis: ergo & contemplationis.

§. I. *Argumentis reſpondetur.*

3. ARguitur 1. Perſona divina, & Angelica ſunt principium *quod* contemplationis: ergo non ſolus homo. Anteced. à nemine negari poteſt. Et conſequent. inde probatur; quia quod convenit alijs ab homine, non convenit ſoli homini: ergo.

Reſpond. quòd per ly *ſolus* non excludimus ſuppoſita naturæ ſuperioris ad humanam, quæ quidem eſſe principium *quod* contemplationis ſupponimus. Dividitur enim Cœleſtis contemplatio in divinam, Angelicam, & humanam: Vnde perſona divina, Angelica, & humana ſunt cauſæ efficientes divinæ contemplationis. Per ly ergo *ſolus* excludimus quicquid infra Angelos eſt, & non eſt homo: propterea quòd dicimus: *Solus* homo eſt principium *quod* contemplationis, omnè, & ſolum id, quod eſt infra hominem, eſſe contemplationis cauſam efficientem, negamus.

4. Arg. 2. bruta continuantur hominibus in vi æſtimativa, ſicut homo continuatur Angelis in ſimplici viſione:

ne: ſed quia homo continuatur Angelis, elevatur ad aliquid ſupra hominem, & contemplatur, vt Angeli: ergo quia bruta continuantur hominibus, poterunt elevari ad aliquid ſupra brutum, & contemplari, vt homines. Conſequentia innegabilis videtur. Mai. eſt certa, conſtabitque ex probatione minoris, quæ probatur ex Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. vbi ait: *Ad primum igitur dicendum, quòd homo, in quantum eſt contemplativus, eſt aliquid ſupra hominem: Quia in intellectus ſimplici viſione continuatur homo ſuperioribus ſubſtantijs, quæ intelligentiæ, vel Angeli dicuntur, ſicut animalia continuantur hominibus in vi æſtimativa, quæ eſt ſupremum in eis, ſecundum quam aliquid ſimile operibus rationis operantur.*

5. Confirm. Magis convenit homo cum bruto, quàm homo cum Angelo: Sed cum minori convenientia poteſt homo, quia continuatur cum Angelo, elevari ad contemplandum vt Angelus: ergo cum maiori illa convenientia poterit brutus elevari ad contemplandum vt homo, cum quo continuatur. Conſequentiam ſuadet paritas. Min. conſtat ex data authoritate, & mai. probatur: Quia cum bruto convenit homo in animalitate, à quo ſolummodò per rationalitatem differt; ab Angelo autem differt per animalitatem, & rationalitatem: Quandoquidèm ſicut Angelus caret rationalitate, ſic & ratiocinio, ſeu diſcurſu: ergo magis convenit homo cum bruto.

6. Reſpond. argumento: Quòd homo convenit cum Angelo in intellectivo, à quo per rationale differt, ſi cum omni proprietate, ac præciſione loquamur. Vnde intellectivum dicitur eſſe aliquid ſupra hominem, quia convenit naturis ſuperioribus, vt ſunt Angelica, & Divina. Sicut animal, quod propriè conſtituit hominem, dicitur aliquid infra hominem; eò quòd per illud convenit homo cum brutis. Aſt ſicut operationes correſpondentes animalitati ſunt propriæ hominis, vt viventis ſenſibilis: ſic operationes correſpondentes intellectivo hominis ſunt ei proprijſsimæ, & non à ſuperiori natura emendicatæ, eò quòd ipſe proprijſsimè eſt intellectivus. Vnde cum dicitur: homo contemplativus eſt *aliquid ſupra hominem*: Non eſt ſenſus, quòd homo contemplativus extrahatur à ſua natura, & infra ſphæram ſuperioris naturæ collocetur. Sed ſenſus eſt: quòd ex duobus, quæ ſunt hominis, prout naturam rationalem habet, propria; videlicet, intellectus, & ratio, contemplativus non vtitur ratione, quæ imperfectum quid eſt, & per quod à brutis, & ab Angelis differt: ſed vtitur intellectu, per quem magis diſtat à brutis, & convenit cum Angelis; atquè adeò eſt perfectius, quod invenitur in homine. Huius propria operatio contemplatio eſt. Conſequenterque contemplatio eſt propria hominis, ſecundùm quòd dicit perfectiſsimum, quod habet, nempè intellectivum.

Vnico verbo: homo ita eſt quædam determinata ſpecies, vt mediet inter naturas purè materiales, & immateriales. Vt quædam determinata ſpecies, conſtituitur per rationale, per quod differt ab omnibus alijs, ſive ſibi inferiores, ſive ſuperiores ſint. Vt mediat inter dictas naturas, debet convenire, & diſcriminari ab illis. Convenit cum purè materialibus per animal, in quo à purè immaterialibus differt: Cõvenit cum iſtis per intellectivum, per quod à purè materialibus diſcriminatur. Vnde contemplatio eſt ſupra hominem, prout homo eſt quædam determinata ſpecies conſtituta per rationale; non autem eſt ſupra hominem, prout homo eſt intellectivus. Sic enim ſumptos eius propria operatio eſt contemplatio: intellectuſque eius in eſſe potentiæ eſt eiuſdem ſpeciei cum intellectu Angelico. De quo noſtri Complut. de anima diſp. 17. q. 1. n. 11.

Nihil horum invenitur in continuatione illa bruti cum homine, vt de ſe patet. Vnde, etiam ſi elevaretur ad aliquid ſupra brutum, & intra hominem tunc quidem concederemus, poſſe facere opera aliqua hominis facilia, &

imperfecta; non autem ad opus adeò perfectum, vt contemplatio est. Quod iam 1. tomo obseruauimus cum nostra Log. Complut. disp. 2. Sed nec hoc, quantùm ad præsens spectat, concedimus: quia in authoritate obiecta non asserit Div. Thom. quod bruta per illam suam cum homine continuationem opera rationis faciant: sed *aliquid simile operibus rationis.*

Adde: quod etsi brutum continuaretur cum homine, modo, quo arguens desiderat, non adhuc consequeretur intentum. Siquidem continuaretur cum homine secundùm id, quod est minus perfectum in homine: eò quòd supremum infimi attingit, non supremum, sed infimum supremi. Vnde non continuaretur secundùm intellectivum, sed secundùm rationem, cuius contemplatio non est actus. Et licèt contemplatio dicatur actus rationis, non est quia à ratione eliciatur: sed quia intellectus, & ratio non sunt in nobis diversæ potentiæ ex 1. p. q. 79. art. 8. aut fortassè, quia est actus ratione vtentis. Prima ratio est Div. Thom. loco citato ex 2. 2. cuius verba omnia dicta confirmant: ait enim: *Ad 2. dicendum, quòd intellectus, & ratio non sunt in nobis diversæ potentiæ, vt in 1. habitum est. Differunt autem secundùm perfectum, & imperfectum: & ideò quandoque intellectuales creaturæ, quæ sunt Angeli, distinguuntur à rationalibus: quandoque autem sub rationalibus comprehenduntur.*

7. Ad confirmationem dicas: quòd illud, in quo homo convenit cum Angelo, est id, ad quod spectat, vt operatio propria, contemplatio. Id verò, in quo convenit cum bruto, non est, cui contemplatio, vt propria operatio, correspondeat. Vnde, sive magis, sive minus conveniat homo cum bruto, quàm cum Angelo, (hoc enim prorsùs impertinens est) per id, in quo convenit cum Angelo, potest homo contemplari: & per id, in quo convenit cum homine, est brutum incapax eliciendi contemplationem.

8. Arg. 3. brutum potest orare: ergo & contemplari. Patet ista: quia sicut contemplari, sic & orare dicitur actus rationis. Et etiam, quia, vt supra diximus, contemplatio est quædam orationis species. Anteced. autem probatur: quia bruta animalia petunt decentia à Deo: ergo orant. Consequentia patet ex diffinitione orationis. Et antecedens probatur multipliciter, 1. ex Psal. 146. vbi dicitur de Deo: *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Sed invocare Deũ pro alimento quotidiano, est petere ab ipso rem decentem, quam Redemptor noster nos docuit orando petere: ergo.

Probatur 2. idem anteced. quia apud Jonam cap. 3. dicitur: *Boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine.* Vbi eodem modo iubentur homines, & pecora habitum pœnitentem induere, & sic pœnitentes Dei misericordiam fortiter clamantes invocare. *Prob.* 3. Oratio est desiderij, seu appetitus interpres: sed bruta desiderant, aut appetunt plura: Ergo illa possunt petere. *Probatur* tandem; quia aves se ipsas intelligunt, & plures homines dicunt se illas intelligere: ergo in eo, quòd suo modo loquuntur, ordinem seruant; aliter nec se intelligerent, nec ab hominibus intelligerentur. Modò sic: sed oratio est quædam ordinatio facta ab indigente coram illo, qui indigenti succurrere potest: ergo.

Confirm. 1. Brutum est capax præcepti: ergo & orandi: Patet ista: quia sicut præceptum est ordo superioris ad inferiorem; sic oratio est petitio inferioris ordinata ad superiorem. Ant. autem constat ex pluribus Scripturis, in quibus asseritur, Deum præcepisse brutis, vt corvis, quòd pascerent portentosum Patrem nostrum Eliam, iuxta illud: *Corvisque præcepi, vt pascant te ibi*, & alijs pluribus. ¶ Confirmatur. 2. Quia bruta Deum benedicunt, iuxta illud Daniel. cap. 3. *Benedicite bestiæ, & pecora Domino*: Ergo possunt orare;

cum

cum non magis pro vno quam pro alio requiratur.

Respond. argumento negando antecedens, ad probationem dicas, quòd bruta animalia dicuntur invocare Deum, ab eo que, quo indigent, petere, quatenùs naturali desiderio sibi convenientia desiderant, quæ ab Authore naturæ consequantur: non quia illa à Deo petant: quomodò enim invocabunt, quem cognoscere non possunt? Sed quia clamant pro sibi necessarijs, quorum providentia spectat ad naturæ Authorem. Sic Div. Thom. loco citato ex sentent. & ex 2. 2. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quòd pulli corvorum dicuntur invocare Deum propter naturale desiderium, quo omnia suo modo desiderant consequi bonitatem divinam. Sic etiam bruta animalia dicuntur Deo obedire, propter naturalem instinctum, quo à Deo moventur.* Per quod patet tum ad primam confirmationem, tum etiam ad primam probationem antecedentis. Similemque expositionem habent alij textus sacri, in quibus bruta Deum invocare dicuntur, vt est ille Psal. 103. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Et ille Job cap. 39. *Quis præparat corvo escam suam, quandò pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos.* De quo vide, si placet, Magist. Torre ad locum citatum ex 2. 2.

Ad 2 probat. anteced. respondetur, vel quòd ly *clament ad Deum*, refertur, non ad iumenta, sed ad homines. Vel quia iumenta famelica, & sitibunda clamabant ad Deum modo, quo ad primam probationem dictum est. Vel quia clamabant, hoc est clamantium imaginem gerebant, induta saccis. Vel quia illa sua imagine pœnitentium magis accendebant homines, vt clamarent. Sicut ad Roman. cap. 8. v. 26. dicitur: *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, non quia Spiritus Sanctus postulet, gemat ve: Sed quia nos facit gemere, & postulare.

Ad 3. probat. respondet Div. Thom. in sententiar. *Ad 2. dicendum, quòd appetitus, vt dictum est, importat simplicem motum in appetibile: sed oratio, sive petitio ordinem quendam, qui est rationis: Et ideò appetitus potest brutis competere: Non autem petitio, vel oratio.* Vnde quandò David Psalm. 103. dixit: *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore*, quantùm ad bruta spectat, nullam petitionem asseruit, sed solummodò simplicem escæ desiderium.

Contra Authores vltimæ probationis antecedentis invehitur Abul. in cap. 6. Div. Matth. q. 84. Cum quo respondemus: impossibile esse, quòd aves se ipsas intelligant; vel quòd ab hominibus intelligantur. Intelligere enim aliquem, est cognoscere suum actum, quod solùm ratione vtentes facere possunt. Vnde licèt aves per sensus particulares, & maximè per æstimativam, quæ illis est loco intellectus, cognoscant sibi conveniens, ac nocivum, amicabile, & inimicum, & alia huiusmodi: Non tamen possunt cognoscere actum, quo illa cognoscunt: & hoc erat necessarium, vt possent se intelligere. Nec homines illas intelligunt: Sed quia ipsæ non liberè, sed per modum naturæ moventur ad sua opera; propterea ex illa regularitate naturali, quam habent, venatur, quid appetant, aut recusent: Verùm nec hoc avium proprium est; cum alijs brutis idem contingat; nec hoc est illas intelligere: quia ad hoc deberent ipsæ aliqua ratione vti. Videatur laudatus Abulensis.

Ad 1. confirmat. patet ex dictis ad primam probationem antecedentis. Et sanè, si verum confirmatio contineret, etiam mare posset contemplari: quia ipsum etiam præceptum habere dicitur: Siquidem omnipotens *circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Proverb. 8. v. 29. *Secunda* confirmatio multum probat; quia inibi etiam dicitur: *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Et *benedicite lux, & tenebræ Domino.* Vnde respondetur, quòd pecora in tantùm dicuntur Dominum bene-

benedicere, in quantùm præbent nobis occaſionem, vt Deum benedicamus, eiuſque ſummam ſapientiam, prouidentiamque exaltemus.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrùm omnes homines poſsint animum elevare ad divinam Contemplationem?

OMnem, & ſolum, modo dicto, hominem eſſe principium *quod* contemplationis diuinæ, conſtat ex ijs, quæ antecedenti quæſtione dicta ſunt. Quibus ſcitis, ſtatim animum pulſat deſiderium ſciendi, an iſte homo, qui eſt contemplationis principium *quod*, poſſit animum ad illam elevare, vel illam deſiderando, vel illam petendo, vel ad ipſam induſtria propria conando? An debeat manere expectans illam cœleſtem pluviam à Deo, quin præcedere poſsit conatus, petitio, aut deſiderium ipſius?

§. I. *Fiunt aliquæ obſervationes, & referuntur ſententiæ.*

9. ANte quæſtionis reſolutionem obſervandum eſt, quod iam multoties diximus, videlicet, contemplationem Divinam aliam eſſe acquiſitam, & infuſam aliam. Acquiſita eſt, quam communibus gratiæ auxilijs poſſumus exercere. Infuſa autem eſt, quæ ſolummodò dependet in ſui elicientia à liberalitate Divina, quæ illam confert nobis ſine nobis, ſalva tamen arbitrij immunitate, vt ſuis locis ſtatuimus.

10. Obſervandum eſt 2. ipſam contemplationem infuſam bifariam, iuxta Myſtarum phraſim ſumi poſſe. Primò pro ipſo actu contemplationis, quam iam definitam relinquimus per hoc, quod ſit; *ſimplex intuitus divinæ veritatis à principio ſupernaturali proveniens.* Secundò accipitur pro favoribus illis extraordinarijs, quos Deus in ipſa infuſa contemplatione facit. Hi ſunt raptus, extaſes, hiſque ſimiles. Qui nomine ipſius contemplationis infuſæ nominari ſolent; eò quòd, vt dictum eſt, anima illos patiens infuſam contemplationem exercet. Si autem contendas: tales raptus, &c. eſſe ſpecialem gradum, ſeu modum contemplationis infuſæ, inficias non ibimus: Immò ex hac parte clariùs procedendi modus offertur nobis: Sic enim meliùs percipitur, quid ſit contemplatio infuſa ſecundùm ſe, & quid ſit contemplatio infuſa raptus.

11. Obſervandum eſt 3. ne in progreſſu controverſiæ nominibus hæreamus: diverſitatem adeſſe inter hoc, quod eſt animum ad contemplationem elevare, ipſam contemplationem petere, & ad illam conari. Per hoc, quòd animus ad contemplationem elevetur, nihil aliud intelligitur, niſi quòd ipſius contemplationis deſiderium habeatur. Petere contemplationem, eſt illud deſiderium exprimere coram potente gratiam illam concedere. Ad contemplationem conari, eſt, vltra dicta, propriam induſtriam ponere, vt illa media habeatur contemplatio. Ex quo conſtat, vltimum ſecundum, & primum excedere: Et primum ab vltimo, & ſecundo ſuperari. Conſtat etiam horum trium diverſitas; quandoquidèm poteſt res deſiderari, quin hoc deſiderium exprimatur: poteſt etiam, media oratione, exprimi hoc deſiderium; quin orans applicet induſtriam propriam ad obtinendum, quod petit: Vel quia eſt adeò ſublime, vt propriam induſtriam tranſcendat; eòque ſuperfluum eſt illam applicare: Vel quia deſes manus applicare recuſat, volens, quòd proprio ſudore habere debet, per infuſionem habere.

habere. Ac tandem potest ad illud, quod desideratum, & petitum supponitur, conatus adhiberi; vt sic, propria industria mediante, res desiderata habeatur.

Exemplo rem illustro. Homo ex se potest ambulare, potest currere, & saltare; volare tamen non potest. Sit tamen homo, qui volatilium æmulus volare cupiat. Eo ipso homo iste animum ad volandum elevat, & ex hoc ipso suo desiderio provenit, quod, quia illud sua industria impleri non posse, videt, vt minùs non se ad volandum in disponat. Vltra hoc potest iste homo exprimere hoc suum desiderium, si forsàm ab aliquo potente pennas, quibus aera pectat, habere posit. Vt fecit ille verè contemplativus, dum dixit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo, & requiescam.* Psalm. 54. v. 7. Tandem potest homo iste propria sua industria fretus, licèt superius auxilium necessarium fateatur, brachia expandere, aviumque motus imitari, vt sic in altum se libret, aera lustraturus. Vides, quàm perspicuè hæc tria in appositio exemplo diversa sint. Eodem ergo modo intellige ista circa nostram contemplationem. Quàm benè volatui comparo; quia ipia est, qua anima, calcatis mundialibus, transcursisque creaturis omnibus, Aquilis ocyor ad Deum vsque avolat. Et has fœliciſsimas pennas postulabat laudatus Psaltes. His ergo prælibatis:

12. Circa præsentem difficultatem multiplex versatur opinio. Prima tenet, esse contra humilitatem animum ad contemplationem elevare, vsque dum Deus sua misericordia animam elevet. Sic sentiunt, quotquot contemplationem activam negant, & solam infusam recognoscunt. De quo egimus disp. 7. q. 1. per totam.

13. Secunda sententia oppositum tenet quoad cõtemplationem activam, ad quam, asserit, possumus mentem levare, illam à Deo petere, ad ipsamque conari nostra industria, quæ auxilio divinæ gratiæ innitatur, prout in superioribus multotiès dictum à nobis est. Huius opinionis Patroni sunt Arist. Div. Thom. Div. Augusti. Div. Dionys. Seraph. Theresia, Extat. N. Doct. quos Nostrates omnes sequuntur, vt videre est in quæstione citata. Et generaliter hoc idem docent, omnes, qui contemplationem activam dari sustinent: cò enim hæc contemplatio activa dicitur, quia, suppositâ fide, & concurrente auxilio gratiæ, nostra industria comparatur.

14. Quoad contemplationem passivam, seu infusam raptus, extasis, &c. convenit hæc secunda sententia cum prima, in asserendo penitùs non licere, animum ad illam elevare. Adest seque insignem contradictionem in eo, quod industria propria applicetur, vt hæc contemplatio habeatur. Quandoquidèm repugnat, quòd sit infusum id, quod propria industria haberi potest, vt ex terminis ipsis constat. Hanc ipsam contemplationem petere, indecens omninò esse, adstruit hæc sententia; cum potiùs viri spirituales, cum ipsis à Deo misericorditèr donatur, enixissimè flagitent, ne illos illis gratijs exteriùs apparentibus, honoret.

15. Si autem contemplatio passiva sumatur pro ipso actu contemplationis ab illis exterioritatibus seiuncto; convenit etiam hæc sententia cum prima in eo, quòd nulli licet velle se in contemplatione infusa collocare propter modò dicta: Implicat enim quòd contemplatio sit infusa, & quòd ad libitum nostrum habeatur. An autem liceat, hanc ipsam contemplationem appetere, mentem ad illam elevando ex ipsius desiderio: Et hoc desiderium exprimere petendo illam à Deo? Res est, in qua Mysticos dissidentes invenio. Affirmant V. P. Alvarez de Paz quæst. citata à nobis adductus, & vindicatus. N. Philip. p. 2. tract. 3. art. 4 & p. 3. tract. 1. art. 6. Director myst. tract. 3. disp. 3. sect. 4. & tract. 4. disp. 1. sect. 6. Mag. Valgor. q. 3. disp. 3. art. 3. & q. 4. disp. 1. art. 12. & comunitèr Mystici.

16. Inter quos non audemus accensere Nostrum Anton. ab Annuntiatione

tione, qui in manuali P. P. ſpiritual. & in ſua diſceptat. myſtica tract. 2. q. 4. art. 8. ſic loquitur ; vt eius mentem comprehendere non poſsimus. Præſertim cùm num. 34. contemplationem infuſam inter gratias gratis datas conſtituat, & peti à Deo non poſſe doceat, niſi ijs limitationibus, quibus peti poteſt gratia ſanitatum, aut prophetiæ donum. Hi ſunt modi dicendi, qui circa præſentem difficultatem circumferuntur: quorum aliqui ob limitationum, modificationumque abundantiam rem potiùs obnubilant, quàm declarant.

§. II. *Diverſis aſſertis Dirimitur controverſia.*

17. SIt noſtra 1. concluſ. *Ad contemplationem activam poſſumus conari: atque adeò poſſumus mentem ad illam elevare, ipſamque à Deo petere.* Duplici parte conſtat concluſio, quarum ſecunda apertè ex prima ſequitur: ſiquidem ex quo aliquis conetur, vt aliquid conſequatur, ad quod Dei auxilium requiritur, evidenter infertur, quòd poteſt animum elevare ad illius rei conſecutionem ; & etiam infertur, quòd poſsit oculos in montes levare, vnde auxilium ſperare debet, flagitans illud auxilium.

Prima autem pars, videlicet, quòd poſsimus ad contemplationem activam conari, ſeu nos ipſos ad illam applicare, fuſiſsimè probata à nobis eſt diſp. 7. citata q. 1. Vnde in præſenti ſuperfluum eſt, vel illa repetere ; vel alia cudere, cùm ex ibi dictis, quid in præſentiarum dicendum ſit, affatim conſtet. Eò vel maximè, quia non invenimus Authorem, qui, vt aliàs fieri multotiès ſolet, dicat, quòd etiam ſi concedatur contemplatio activa, adhuc negandum eſſet, nos poſſe ad illam animum applicare. Sed omnes quotquot præſentem aſſertionem non admittunt, eſt, quia talem contemplationem non dari, tenent. Vnde omnia ea, quæ pro illa aſtruenda diximus, præſens aſſertum ſuadent. Quod vel huius contemplationis nomen ipſum confirmat. Contemplatio enim acquiſita, nihil aliud ſonat, niſi quòd talis contemplatio eſt noſtra induſtria acquiſibilis, ſeu comparabilis: Quo circa ad eius exercitium nos applicari valemus.

18. Secunda aſſertio: *Ad contemplationem infuſam, ſumptam pro raptu, extaſi, ſimilibuſque favoribus non poſſumus nos applicari, nec illam à Deo petere, nec illam deſiderare.* Triplici parte conſtat concluſio, quarum tertia colligitur ex ſecunda; ſinamque non licet à Deo peti dicta contemplatio, planè infertur, quòd non poſsit deſiderari: quia priùs eſt, quòd res deſideretur, quam quòd petatur. Oratio enim eſt deſiderij interpres, vt ex Div. Thom. 2. 2. q. 83. non ſemel diximus in 1. prædicabili: ergo quod petere non poſſumus, nec appetere valemus.

19. Prima autem concluſionis pars probatur : quia quantumcumque velimus nos ipſos in raptu ponere, non rapiemur ; immò ipſe conatus, quem ad hoc ponimus, quo maior fuerit, eò magis raptum impediet: ergo non poſſumus raptum pati ex noſtra induſtria. Probatur anteced. quia ipſe conatus impedit efficaciam intellectionis, & volitionis, à quarum intenſione provenit: ergo conatus ſimpliciter, ſimpliciter impedit, & maior conatus magis impedit. Probatur anteced. ex dictis quæſt. 4. num. 69. diſputationis 9. Id, quod efficaciam virtutis dividit, impedit efficaciam ipſius : Sed conatus ipſe poſitus, vt raptus habeatur, dividit intenſionem, & efficaciam virtutis cauſativæ raptus ; cùm aliud obiectum, videlicet, raptum ipſum conſiderare faciat: ergo ipſe conatus, poſitus ad habendum raptum, impedit efficaciam virtutis rapientis, à cuius intenſione raptus provenit.

20. Confirm. ex ijs, quæ ſuprà diximus : Etenim contemplatio raptus eſt prorſus infuſa : ergo. Noſter conatus ad illam habendam ſuperfluus ; immò repugnans eſt. Anteced. eſt certum, & conſeq. probatur ex dictis num. 17. Quia noſtra induſtria, ſeu conatus ad haben-

habendam aliquam contemplationem denotat ipſam contemplationem eſſe acquiſitam: Ergo noſter conatus ad habendam contemplationem raptus eſt ex vna parte ſuperfluus, & ex alia repugnans; ſiquidem, eo admiſſo, ſequitur contemplationem raptus eſſe, & non eſſe infuſam.

21. Secunda pars eiuſdem ſecundæ aſſertionis, nempè, quòd non poſſumus à Deo petere contemplationem raptus, multipliciter probari poterat: brevitatis tamen cauſa, probatur ratione deſumpta ex doctrina Div. Thom. 2.2. q.83. art.4. in corp. qua vſi ſumus diſp. 5. q 3. num. 5. & in ea etiam fundavimus, quæ in Iſagoge lib. 4. à num. 10. tradidimus, proponiturque ſub hac forma: Omnis noſtra oratio debet ordinari ad conſequendum gloriam, & media, quibus gloria obtinetur: ſed raptus, extaſes, ſimileſque favores non ſunt gloria, nec medium, quo gloria obtinetur: ergo non debemus orare pro raptu, extaſi, &c. Conſequentia evidenter infertur. Min. autem conſtat; quia ſunt animæ perfectiſsimæ, quæ numquam raptum paſſæ ſunt: quamobrèm omnes Myſtici docent, veram ſanctitatem in his favoribus non conſiſtere: *Virtus non conſiſtit in apprehenſionibus, & ſimilibus favoribus divinis, quamtumvis ſublimes ſint*, ait Extat. Noſter Doct. in ſuis ſpiritualibus ſententijs pag. 312. num. 19. additque num. 20. Omnes hos favores, *tametſi plurimi ab ſpirituali habeantur, minùs valere, quàm minor humilitatis actus.* Et ob ipſam cauſam tractare de raptibus, & ſimilibus reſervamus vſque ad 5. prædicabile, vbi hoc ipſum magis declarabitur.

Maior autem probatur, quia continet doctrinam laudati D. Thom. dicétis: *Omnes orationes noſtræ ordinari debent ad gratiã, & gloriã conſequendam.* Vide, quòd nullam orationem excipit, qui *omnes orationes* comprehendit. Et omnes illas ad gratiam, & gloriam conſequendam ordinandas eſſe clariſsimè docet. Vbi per gratiam intelligit omnia media, quæ pro gloriæ conſecutione deſiderantur, vt eſt communis ſenſus Expoſitorum eiuſdem Ang. Præceptoris:

22. Confirm. Quia viri ſpirituales appetunt, & petunt à Deo, vt ab ipſis hos favores auferat: ergo à nullo peti poſſunt. Ant. conſtat experientia, quam in Seraph. Matre Noſtra Div. Thereſia Eccleſia æmulandam proponit, dum eam prædicat, eo quod *ſæpiùs exclamans peteret beneficijs in ſe divinis modum imponi.* Hincque cognoſcitur bonitas illationis: quia id, pro cuius ablatione fundunt Orationes Perfecti, à nemine peti poteſt: Perfecti orationes fundunt pro ablatione harum gratiarum: ergo à nemine peti poſſunt. Ex quo etiam vrgenter cognoſcitur, has gratias non eſſe medium appetendum, vt ijs medijs gloria obtineatur; aliter enim non pro illarum ablatione Perfecti deprecarentur.

23. Tertia concluſ. *Non poſſumus ad contemplationem infuſam conari, quaſi noſtra induſtria habendam, ſumpta contemplatione infuſa pro ipſo actu contemplationis: poſſumus tamen ad illam aſpirare, ipſam ardenter deſiderantes, & humiliter à Deo petentes.* Prima pars huius concluſionis conſtat ex dictis: quia cùm contemplatio hæc infuſa ſit, fruſtraneus, & repugnantiam involvens, erit conatus noſtræ induſtriæ, vt illam habeamus. Quod clariſsimè demonſtrat exemplum illud, à nobis ſuprà poſitum, hominis brachia extendentis, totaſque vires ad volandum applicantis: ex quo nihil præter defatigationem non modicam conſequetur. Pulchrè etiam docet hanc veritatem Seraph. noſtra Doctrix lib. vitæ cap. 22. ſequenti ſimili dicens: *Si aliquis raucam vocem habet, quantumcumque canere adnitatur, vocem ſonoram neutiquam conſequetur. Si Deo placet concedere voci ſuæ ſonoreitatem, illa ſua canendi ſolicitudine non eſt opus.* Et quicumque contra hanc veritatem procedere attentaverit, expertiſsimæ Thereſiæ cenſuram experietur hiſce verbis, loco citato, contentam. *Mihi perſuadeo, quòd cùm anima aliquid ex*

ſe facit ad exercendam hanc orationem vnionis: quamvis id, quod facit pro tunc videatur prodeſſe, ruet tandem, veluti fabrica ſine fundamento erecta. Et vereor, hanc animam numquam perventuram ad veram ſpiritus paupertatem.

24. Duplex alia pars eiuſdem concluſionis, videlicet, quòd poſsimus appetere, & petere contemplationem infuſam, eſt omnium eorum Doct. quos dedimus num. 15. ſicque probatur 1. pars: Primò ex cap. 7. & 8. Sapient. verbis, quæ ſup. diſp. 9. q. 1. dedimus: ait enim ibi Salomon: *Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam.* Et inſuper: *Hanc amavi, & exquiſivi à iuventute mea, & quæſivi in ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Loquitur ſapiens de divina ſapientia, ſeu, vt ait. Div. Thom. ibi adductus, de divina contemplatione, cuius formæ ſe amatorem confitetur, & illam ſuper ſalutem, & ſpeciem dilexiſſe: hanc amavit, exquiſivitque: nec iſte divinæ contemplationis ardor, doni ſapientiæ infuſæ legitima proles, erat in illo nuperus, ſed à iuventute habitus. Pluribus alijs ſcripturis poterat ipſa veritas comprobari. Sed dicta ſufficiunt, vt quiſque cognoſcere poſsit, poſſe omnes ad infuſam contemplationem aſpirare, ad illamque ardenti deſiderio ſitire.

25. Probatur hoc ipſum ſequenti diſcurſu: Contemplatio infuſa eſt ſummè appetibilis: ergo eſt ſummè deſiderabilis. Vtraque propoſitio videtur identica, vel vt minùs conſequentiam ex antecedenti deduci, certiſsimum eſt. Antecedens autem probatur: Contemplatio infuſa eſt ſummè bona: ergo eſt ſummè appetibilis. Vtraque hæc propoſitio pluribus probata à nobis eſt tota quæſt. 1. nonæ diſputationis.

26. Confirm. 1. ſeu potiùs illuſtratur ratio facta: Contemplatio infuſa eſt honeſta, delectabilis, & vtilis; ergo eſt à nobis deſiderabilis. Antec. conſtat ex dictis tota nona diſput. & conſequentia ex ipſo antecedenti clariſsimè infertur: quia nihil aſsignabitur in quo concurrat ratio boni honeſti, delectabilis, & vtilis, quod ſi à nobis cognoſcatur, non ſit nobis ſummè deſiderabile. Vnde cùm contemplatio infuſa ſit nobis cognoſcentibus, honeſta, delectabilis, & vtilis, ſit conſequens, quòd ſit à nobis deſiderabilis.

27. Confirm. 2. Poſſumus deſiderare, & conatum adhibere, vt habeamus perfectiſsimam humilitatem, heroicam charitatem, inſignemque ſanctitatem: ergo ſimiliter poſſumus deſiderare contemplationem infuſam. Anteced. eſt certum, & conſeq. probatur 1. ob poſitam paritatem; quia ſi illa, quæ in antecedenti recenſentur, poſſumus deſiderare, propter eorum pulchritudinem, & vtilitatem inde nobis provenientem, pariformiter contemplationem infuſam deſiderare poterimus, in qua egregia illa attributa fulgent. *Secundò* probatur eadem conſequentia ex antecedenti: quia qui poteſt deſiderare charitatem eximiam, poteſt etiam deſiderare id, quo charitas ipſa perficitur: Per contemplationem infuſam perficitur charitas; quia perfectiſsima Dei cognitio ignem charitatis adauget, vt ex Div. Thom. & Gregor. dictum relinquimus: ergo.

28. Confirm. 3. Contemplatio infuſa eſt actus Donorum Spiritus Sancti: Ergo poſſumus illam deſiderare. Prob. conſequentia: Actus habitus exiſtentis in nobis ad noſtram vtilitatem poſſumus deſiderare: ſed contemplatio infuſa eſt actus Donorum, quæ in nobis exiſtunt ad noſtram vtilitatem: ergo. Minor patet ex ſe. Et maior probatur: quia vtilitas, quam ex habitu lucramur, eſt meritum, quod medio illo habitu poſſumus comparare: ergo id, quo tale meritum comparamus, deſiderare valemus. Modò ſic: ſed tale meritum non comparamus per habitum ſolitariè ſumptum, quia habitibus nec meremur, nec demeremur; ſed per actum ipſius habitus: ergo poſſumus deſiderare contemplationem infuſam, quæ eſt actus Donorum.

29. Confirm. tandem: Poſſumus appetere vnionem cum Deo: ergo & contemplationem infuſam. Nemo negabit

gabit antecedens, & consequentia probatur: quia, qui vult finem, vult etiam media conducentia ad talem finem: sed medium, quo meliùs, faciliùsque obtinetur vnio cum Deo, quæ totius vitæ spiritualis finis est, est contemplatio infusa: ergo ex desiderio vnionis cum Deo, quod ab omnibus haberi potest, colligitur, contemplationem infusam posse ab omnibus desiderari.

30. Vltima pars eiusdem conclus. nempè, quòd possimus à Deo petere infusam contemplationem, probatur omnibus illis, quibus præcedentem partem à num. 24. probavimus: quia eo ipso quòd possimus desiderare contemplationem infusam, habetur, quòd illam petere valeamus. Secundùm illud August. à Div. Thom. citati 2. 2. q. 83. art. 6. vbi ait: *Hoc licet orare, quod licet desiderare.* Addimus tamen textum ex cap. 7. Sapient. vbi dicitur: *Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* Quod de infusa contemplatione intelligitur, vt alibi ex nostro Doct. Extatico diximus, & ex Div. Thom. dicta 2. 2. q. 180. art. 3. vnde quin aliud addere debeamus, probata manet assertio quoad istam partem.

§. III. *Solutio argumentorum contra primam conclusionem.*

31. COntra 1. conclus. primum argumentum est illud, quod disput. 9. quæst. 5. num. 113. positum est, quod modò sub hac forma proponimus: Aspirare ad contemplationem activam est contra humilitatem: Ergo non possumus animum ad ipsam elevare, nec talem contemplationem desiderare, aut à Deo petere: Consequentia bona est, & anteced. probatur ex Sacra Scriptura dicente: *Altiora te nè quæsieris.* Quod etiam comprobat monitum illud Redemptoris nostri dicentis: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco*, vsque dum, Deo annuente, audias: *Amice, ascende superiùs*; tuncque *erit tibi gloria coram simul discumbentibus*: Sin autem antequam à Deo eleveris, tua industria superiùs ascendis, non erit tibi gloria, sed rubor. Ex quibus habetur, neminem, vsquedùm a Deo sublimetur, debere ad contemplationem ascendere, in qua nuptiæ Dei, & animæ celebrantur: sed debet recumbere in novissimo meditationis loco; aliter de elatione appellabitur.

His, alijsque similibus volunt Authores purè Meditativi, animas in meditatione detinere, dum gratia contemplationis infusæ non fruuntur. Ad factum argumentum respondetur negando antecedens; ad probationem respondetur 1. dictos textus intelligendos esse de contemplatione infusa raptus, & extasis; ac de ipsa contemplatione infusa, quoad hoc, quod est, illam non exercere posse ex propria contemplantis industria. Vtroque hoc modo sumpta infusa contemplatio est res altior contemplante, conviviumque ita sublime, vt ad eius primam sedem ascendere propria virtute potest nemo: vnde expectare, & petere potest Dei vocationem ad talem contemplationem secundo modo sumptam: ad illam verò primo modo consideratam, hoc est pro tapt u, & extasi, nullatenus expectet, aut petat vocationem: Immò humiliter recuset, dum adsit. Cæterum desiderare, petere, & conare ad contemplationem activam, ijs textibus non interdicitur, quia licèt contemplatio activa sit res sublimis, hominisque capacitatem nudè sumptam transcendens; *homini tamen inest quædam potentia naturalis, scilicet, intellectus, per quam potest coniungi immortalibus, & divinis*, ait ex Philosopho D. Thom. citatus disput. 7. num. 33. quæ potentia habitu supernaturali elevata, & auxilio gratiæ communis adiuta, potest elicere talem contemplationem. Consequenterque ad illam potest homo se applicare, quin in superbiam incidat, aut in laqueum diaboli.

32. Dices: Idcircò non esset contra humilitatem aspirare ad contemplationem acquisitam, illamque desi-

derare, & petere, quia datur in nobis habitus ſupernaturalis elicitivus talis contemplationis: ſed etiam adeſt habitus elicitivus contemplationis infuſæ: Ergo ſi ob illam rationem poſſumus petere contemplationem activam; pariter & infuſam petere poterimus. Min. certa eſt: quia habitus elicitivus infuſæ contemplationis vel eſt fides, vel aliquod ex Donis Spiritus Sancti: ſed tam fides, quàm Dona Spiritus Sancti ſunt in homine iuſto: ergo vtraque contemplatio, vel nulla peti à nobis poteſt ex vi traditæ doctrinæ.

Reſpondetur: Maiorem non continere cauſam adæquatam, quarè poſſimus conari ad contemplationem acquiſitam. Cauſa huius adæquata eſt; quia eſt in nobis principium proximum nos proportionans ad ipſam, & inſuper, quia ipſa procedit ex communi auxilio gratiæ; quod nemini denegatur, vt alibi dictum eſt, ex quo oritur, quòd ipſa ſit iuxta modum operandi humanum, vt diſput. præcedenti fuſè diximus. Vnde quia hæc de contemplatione acquiſita verificantur; propterea poſſumus ad illius exercitium noſtram induſtriam applicare. Quod facere non poſſumus relatè ad contemplationem infuſam: ipſa enim procedit ex motione ſpeciali Spiritus Sancti, ac ſupra modum hominis. Vnde licèt poſsimus illam deſiderare, & petere, non tamen poſſumus ad illam conari.

33. Reſpond. 2. ad probationem antecedentis concedendo, quòd textus allati loquuntur de contemplatione activa. Et quòd debeat Aſceta manere, ſeu recumbere in noviſsima meditationis ſede, vſque dum à Deo vocetur ad ſublimitatem contemplationis. Ex hoc tamen ſanè intellecto, nihil contra noſtram aſſertionem habetur. Quod vt probè noſcas, ſcias: in hac materia eſſe, vt iam alibi, ſi benè memini, monui, duplex vitioſum extremum. Primum eſt eorum, qui viam ſpiritualem à contemplatione ordiri autumant, meditationem, vt inanem, reſpuentes. Hoc extremum vitioſiſsimum eſſe, oſtendimus in 1. prædicabili, tota diſput. 1. Vbi meditationis neceſsitatem ſtatuimus. Secundum extremum eſt, eorum, qui aſſerunt, meditationem conſervandam eſſe, quoaduſquè Deus animam ad contemplationem, infuſam ſcilicèt, elevet. Inter hæc duo extrema media via nobis eligenda eſt, dicendumque, meditationem eſſe omninò neceſſariam; quæ durare debet, vſque ad tempus determinatum, in quo Deus vult animam elevare ad contemplationem, non illam infuſam, ſed acquiſitam.

Nec hæreas in eo, quòd hunc tranſitum animæ à meditatione in contemplationem activam dicamus, fieri præcedente Dei vocatione, quod ſonare videtur, talem contemplationem eſſe infuſam. Non hoc dicimus, nec tale ex doctrina tradita infertur. Sed appellamus Dei vocationem, ipſam adimpletionem temporis pro meditationis exercitio neceſſarij. Dum tempus hoc non impletur, meditatio durat: eo tamen finito concendere Aſceta debet ad contemplationis activæ exercitium, & hoc propria induſtria, à Directore regulata. Vnde verificatur neceſsitas meditationis, & quòd toto tempore, quo neceſſaria eſt, non debet ſpiritualis aſcendere ſuperiùs, ſed debet recumbere in noviſsimo loco, nè contra monitum Redemptoris procedat: pro tunc enim contemplatio, etiam activa, res altior eſt, & tranſcendens ipſam viri ſpiritualis capacitatem; vnde ad eius exercitium conari non debet, vt præcipitur in primo textu. Quo circa ſpiritualis perfectiſsimè adimplet præceptum illud: *Altiora te nè quæſieris*: Quia dum meditatio durat, contemplationem non quærit. Dùm autem, finito meditationis tempore, quærit contemplationem; tunc iam contemplatio activa non eſt illo altior, ob proportionem, quam meditatio elaboravit. Indidemque habetur, quòd recumbat in noviſsimo meditationis loco, vſque dum Deus dicat: *Amice, aſcende ſuperiùs*, videlicet ad contemplationem activam.

34. Si roges: quando Deus hoc dicit? Iam reſpondi, quòd tunc hoc Deus

Deus dicit, cùm verificantur tria illa ſigna, quæ pro deſerenda meditatione aſsignant communiter Myſtæ cum Noſtro Extat. Patre, de quibus egimus in Iſagoge à num. 115. vſque ad num. 121. Vnumquodque ex ijs tribus ſignis eſt excitatio Dei dicentis: *Surget, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus.* Seu: *Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Cantic. 4. v. 7. Vocat ſponſus animam dilectam ſuam, vt tranſeat à ſtatu Incipientium, quorum eſt meditatio, ad ſtatum Proficientium, quorum eſt contemplatio activa, quod videtur docere D. Thom. ibi, dum ait: *Vocat eam, vt veniat, id eſt, vt in virtutibus proficiat.* Nec omittendum cenſeo, quòd ter dicit, *veni*, vt ſic cuilibet ex tribus ſignis, pro deſerenda meditatione, inſinuatis, correſpondeat ſuum *veni*. Sicque verificetur, quod diximus: nempè, quodvis ſignum eſſe ſpecialem Dei vocationem animam invitantis ad convivium contemplationis activæ. *Adde*: quemcumque, qui viam ſpiritus ambulat, habere ſuum Directorem; prout diximus diſput. 3. procœmali; & quotiès Director hunc tranſitum de meditatione ad contemplationem ſuadet, totiès Deus animam ad hunc tranſitum faciendum excitat. Finito iam meditationis tempore, poteſt anima actum contemplationis elicere, ſicut elicit actus fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt intrinſecè ſupernaturales. Vnde cùm actus contemplationis activæ ſit, vel proximè, vel remotè actus fidei, nullum adeſt inconveniens in eo, quod ab anima tunc eliciatur.

35. Dices: Ergo etiam ante dictum tranſitum; immò & ante meditationem, poteſt dari contemplatio activa. Patet iſta: quia etiam tunc elicit actus virtutum Theologalium.

Sed apage fucatum obiectionis venenum, cuius pharmacopola eſt Molinos, aſſerens meditationem ſuperfluam, quia poteſt, qui meditatur, contemplari, ex quo poteſt actus virtutum Theologicarum elicere, & Deum, ſi tunc moreretur, videre. De quo in 1. prædicab. diſp. 1. q. 2. num. 25. egimus. Et vltra ibi tradita, dicimus modò: quòd contemplatio dupliciter ſumi poteſt. Primo formaliter, Secundò conſtitutivè. Contemplatio primo modo dicit ſe ipſam, præſcindendo à ſtatu aliquo, quem conſtituat. Et prout ſic, fatemur elici poſſe à quocumque Deum ſuper omnia diligere potente. Et ſanè Incipientes ipſi contemplantur. Tum quia Deus non rarò concedit gratiam contemplationis imperfectis, illam perfectis denegans, vt eſt vnanimis Myſticorum ſententia. Tum quia poſtquàm aliquod myſterium meditati ſunt, mentem quietam in Deo figunt, quod abs dubio contemplatio eſt, vt alibi diximus. Contemplatio verò, conſtitutivè ſumpta, dicit ipſam contemplationem, vt conſtitutivam ſtatus: & prout ſic, dicimus: non poſſe haberi niſi ab eo, qui eſt intra illum ſtatum, ad quod neceſſum eſt, quòd iam ſtatus meditationis præceſſerit. Vnde Proficientes poſſunt contemplationem activam exercere; quia ad hoc iam proportionati ſunt per charitatem propriam illius ſtatus, quæ perfectior eſt incipientium charitate.

36. Inſtas: Poteſt Incipiens maiorem charitatem habere, quàm Proficiens: Ergo meliùs, quàm Proficiens, poteſt Incipiens contemplari. Prob. anteced. Primò ex eo, quod evenit D. Paulo, qui ab initio ſuæ converſionis charitate adeò eximia decoratus eſt, vt tunc multorum etiam Perfectorum charitatem ſuperaret. Secundò probatur: quia vnicuiq; datur charitas ſecundùm menſuram donationis Chriſti, qui Incipientem ditare poteſt, prout voluerit. Vnde ait Caietan. 2. 2. q. 130. art. 1. *Charitas ſiquidem vnius incipientis poteſt eſſe maior charitate alterius, qui multo tempore profecit.*

Reſpond. Maioritatem charitatis eſſe duplicem: aliam quidem intenſionis, & aliam conſtitutionis. De prima fatemur poſſe inveniri in Incipiente charitas, quæ multum ſuperet charitatem Proficientium. Secunda verò charitas non habetur, niſi emenſis omnibus.

nibus ijs, quæ requiruntur pro ſtatus conſtitutione. Vnde illa perfectiſsima charitas Div. Pauli illum non relevavit ab Incipientium exercitijs, vt iam alibi dictum à nobis eſt.

37. Non quieſcis: Poteſt Incipiens habere charitatem maiorem maioritate conſtitutionis: ergo data doctrina ruit. Prob. anteced. 1. quia poteſt Incipiens, maximo erga Deum amore flagrans, religionem ingredi, aut in eremum, vbi ducat vitam ſolitariam, abire: ſed charitas ad hæc impellens, eſt non ſolùm proficiens; ſed etiam perfecta; & aliàs eſt conſtitutiva ſtatus religioſi, aut ſolitarij: ergo poteſt Incipiens habere charitatem maiorem maioritate conſtitutionis. *Probatur* 2. idem anteced. quia poteſt Incipiens martyrium ſuſtinere: ſed charitas requiſita ad martyrium ſubeundum eſt omnibus modis maior; quandoquidem maiorem illa nemo habet, ſtatumque perfectionis conſtituit: Ergo idem, quod priùs.

Reſpond. 1. diſting. anteced. *poteſt* attento ordine regulari, quem Deus nobiſcum ſervat, nego anteced. aliter operando, concedo anteced. Potentiæ Dei non denegamus, poſſe facere, quòd à principio aliquis habeat perfectiſsimam charitatem, vt viſum in Div. Paulo eſt. Et de B. Benedicto, ait Div. Gregor. 2. dial. *Præſentes, & ſecuturi omnes agnoſcant, quòd Benedictus puer converſationis gratiam à perfectione cæpiſſet.* Videantur, quæ diximus diſp. 1. q. 4. & 5. vbi, quæ hanc materiam concernunt, fuſiſsimè ſcripta ſunt. Verùm ex hoc privilegio nihil contra nos infertur. Tum quia loquimur iuxta modum ordinarium, quo animæ viam ſpiritus luſtrant. Tum, & præcipuè; quia illud privilegium tollit ſtatum præſentis controverſiæ: quia conſtituit illam animam intra ſtatum Proficientium, ſeu Perfectarum: & quòd animæ Proficientes, ſeu Perfectæ valeant ex proprio ſtatu contemplari, non negamus, ſed aſſerimus.

38. Reſpond. 2. neg. antecedens: quia ſtatus gratiæ, ſeu charitatis vnius hominis non attenditur per comparationem ad charitatem alterius; ſed reſpectu maioris perfectionis, quam decurſu temporis habet eadem charitas, eidem communicata. Vnde charitas, qua ab initio ſuæ converſationis ditatus fuit Div. Benedictus, perfectior quidem fuit charitate, quam in fine vitæ habuerunt multi valdè ſpirituales. Verùm ipſa Div. Benedicti pueri charitas, tametſi adeò perfecta, imperfecta fuit relatè ad charitatem, qua fulgebat, dum clauſit diem extremum. Vnde illa charitas fuit incipiens, fuit proficiens, fuit denique perfecta. Quò circa ſanctus hic glorioſus, quamquàm extemplò ac incœpit vti ratione, collocatus fuit in adeo ſublimi ſanctitatis culmine, non abſolutus fuit ab exercitio viæ purgativæ, & illuminativæ; quod ſatis oſtendit bellum, quod ab inferno paſſus eſt. Vide, quæ in ſimili diximus cum noſtra Schola orationis de Div. Paulo diſp. 1. q. 4. num. 48.

Per quæ patet ad probationes illius antecedentis: ad 1. quidem reſpondetur: actum ingrediendi, vel profitendi religionem, eſſe quidem perfectiſsimum, conſtituitque ſtatum religioſum: non tamen conſtituit ſtatum aliquem, de quo loquimur. Vnde in religione ſunt Incipientes, ſunt Proficientes, & Perfecti. Ratioque à priori huius doctrinæ angelicè aſsignatur à Div. Thom. dicente, religionem non eſſe ſtatum perfectionis habitæ, ſed habendæ: non enim cum profeſsione infunditur perfectio, etiam illis, qui ob purum Dei amorem profeſsionem emittunt; ſiquidem religio eſt Schola perfectionis; & quælibet Schola habet ſuos gradus ſe in perfectione excedentes. Vnde in religione non infunditur, ſed addiſcitur perfectio; atque adeò in ea à primis rudimentis incipitur, vſquequò, ſi per religioſum non ſteterit, opus conſummetur. Hæc eſt Div. Thom. doctrina num. 40. referendi.

39. Ad id, quod dicitur de vita ſolitaria, reſpondemus id ipſum, quod idem Ang. Doct. docet 2. 2. q. 188. toto art. 8. vbi inter alia inquit: *Soli-*

tudo

tudo competit contemplanti, qui iam ad perfectum pervenit. Vnde nil mirum, quòd charitas iſtius ſit charitas perfecti. Sed pro ijs, quæ paulò ante dicebamus, notanda eſt doctrina Ang. Mag. in fine corpor. vbi ait: *Sicut ergo id, quod iam perfectum eſt, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita ſolitariorum, ſi debitè aſſumatur, præeminet vitæ ſociali. Si autem abſque præcedenti exercitio talis vita aſſumatur, eſt periculoſiſſima, niſi per divinam gratiam ſuppleatur; quod in alijs per exercitium acquiritur, ſicut patet de beatis Antonio, & Benedicto.* Vide, quomodò charitas Div. Benedicti pueri, etſi perfectiſſima, non erat charitas perfecti: ſi namque perfecta foret, nihil ſpeciale eſſet, quod gratia divina ſuppleret, dum ad vitam ſolitariam convolavit. In ſolitaria illa vita gradus viæ ſpiritualis percurrit. Et hoc fuit, quod divina gratia ſupplevit, videlicet, quòd ſolitarius gradus illos luſtraret, nondum perfectus, quod, attento regulari modo divinæ providentiæ non fit, niſi in vita ſociali, vt inibi clariſsimè, ac ſolidiſsimè probat Div. Thom. omnino videndus.

40. Inſurgis: Vnico actu virtutis non multum extraordinariæ poteſt quis obtinere charitatem perfecti: ſed iſtum actum facit, qui ad religionem, vel ad ſolitudinem avolat: ergo iſte per hunc actum fit perfectus. Ergo contemplationis ſtatum acquirit. Ergo in illo nihil eſt, quod gratia divina ſpecialiter ſuppleat. Cætera nota ſunt, & maior, in qua eſt difficultas, probatur ex verbis Chriſti Domini apud Matth. c. 19. v. 21. vbi ait: *Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlis: & veni, ſequere me*: Sed hoc faciunt, qui vitam religioſam, & ſolitariam profitentur: ergo.

Hanc inſtantiam ideò poſui; quia doctrina, qua ſolvenda eſt, plura argumenta, quæ ex caſibus particularibus, contra dicta fieri poſſunt, vnico ictu reſecat. Ad illam ergo reſpondet Ang. Doct. dicta 2. 2. q. 186. art. 1. ad 3. dicens: *Ad 3. dicendum, quòd (ſicut dictum eſt) religio nominat ſtatum perfectionis ex intentione finis. Vnde non oportet, quòd quicumque eſt in religione, iam ſit perfectus: ſed quod ad perfectionem tendat. Vnde ſuper illud Matth. 19. ſi vis perfectus eſſe, &c. dicit Origenes, quod ille, qui mutavit pro divitijs paupertatem, vt fiat perfectus, non in ipſo tempore, quo tradidit bona ſua pauperibus, fiet omnino perfectus, ſed ex illa die incipiet ſpeculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. Et hoc modo in religione non omnes ſunt perfecti, ſed quidam incipientes, quidam proficientes.*

Ad 2. anteced. probationem dicas: Quòd martyrium modo, quo diſp. 1. q. 5. num. 66. diximus ex Div. Thom. toleratum, eſt ſanè opus perfectiſsimum. Aſt ſi in ipſo patiens animam non exhalaret, non abſolveretur à dictis gradibus percurrendis. Cuius ratio conſtat ex dictis.

41. Arg. 2. Quia ſimplex apprehenſio intellectus eſt pura otioſitas contemplatio activa eſt ſimplex apprehenſio intellectus: ergo eſt pura otioſitas. Ergo ad illam aſpirare non poſſumus, nec illam appetere, & petere. Et adeſt deſiderium audiendi, quid eſt: quod in contemplatione activa facit ſimplex apprehenſio?

Hoc argumento vtuntur contrarij, vt videre eſt apud ſcholam veritatis, & illorum nonnulli illud magnificant. Sed, vt verum fatear, futilius argumentum numquam vidi. Omnes propoſitiones propoſiti ſyllogiſmi falſiſsimæ ſunt. Et quod peius eſt; ſi aliquid probarent, convincerent vtique contemplationem infuſam eliminandam eſſe, quia vtramque contemplationem, vel nullam percutit aereus iſte gladius.

Sed quia ſeria reſponſione dignum argumentum non eſt; propterea breviter dicimus, maiorem eſſe falſam; quia ſimplex apprehenſio eſt actus proprius intellectus, illiuſque exercitium, per quod reducitur de potentia ad actum. Quocirca non eſt pura otioſitas. Minor etiam falſa eſt; quia contemplatio ſivè infuſa, ſivè acquiſita non eſt ſim-

ſimplex apprehenſio. In quo autem actu conſiſtat? Nolumus aperire; quia nec hic locus eſt hoc aperiendi, nec argumentum meritum habet, vt hoc in eius gratiam dicamus. Vnde falſum etiam eſſe conſtat, contemplationem activam eſſe puram otioſitatem. Ad illam interrogationem, qua contrarij nos oppreſſos putant, dicimus: quod in contemplatione activa facit ſimplex apprehenſio id ipſum, quod in infuſa, hoc eſt, nihil.

§. IV. *Solvuntur argumenta contra alias aſſertiones.*

42. CONtra 2. concluſ. arg. 1. ex prima, & vltima: Poſſumus appetere contemplationem infuſam, & vltra hoc poſſumus conari ad acquiſitam: ergo poſſumus appetere, & conari ad contemplationem raptus. Anteced. conſtat ex dictis, & conſequentia probatur: Ad contemplationem divinorum, ſive acquiſitam, ſive infuſam ſequitur naturaliter raptus: ergo qui poteſt appetere, & conari ad contemplationem, poteſt ſimiliter ad raptum conari. Conſequentia bona eſt, quia qui vult id, ad quod aliquid naturaliter ſequitur, etiam vult id, quod ſequitur naturaliter: quamobrèm non poſſumus velle permiſsionem peccati, quia, ad ipſam ſequitur peccatum. Et generaliter ſat eſt vt volitio, vel nolitio alicuius rei prohibitæ ſeu præceptæ imputetur, quod ad volitionem, vel nolitionem alterius naturaliter ſubſequatur: eò quòd, qui vult antecedens, vult conſequens, inde naturaliter deductum: vnde ſi contemplatio divinorum eſt antecedens, ad quod ſubſequitur naturaliter raptus, non poteſt illa appeti, quin & hic deſideretur.

Anteced. autem prob. multipliciter. Primò, quando ſola potentia hominis ſuperior eſt in actu, datur raptus: in contemplatione divinorum ſola potentia ſuperior hominis eſt in actu, ſcilicet potentia rationalis, intellectus videlicet, & voluntas: ergo in contemplatione divinorum datur raptus. Min. in qua difficultas conſiſtit, probari poterat innumeris authoritatibus ſolius noſtri Extat. Parentis, probatur tamen ex ijs, quæ docet lib. 2. noct. cap. 17. vbi adducēs illud, quod *in actib. Apoſt.* cap. 7. v. 32. dicitur, nempe: *Tremefactus autem Moyſes non audebat conſiderare*: ait Sanctus Doct. *quia contemplatio eſt idioma divinum puri ſpiritus; cum ſenſus purè ſpirituales non ſint; illud non percipiunt: eoquè eſt illis occultum, nec ſciunt, nec poſſunt illud explicare*: ergo in divinorum contemplatione datur raptus.

Prob. 2. illud anteced. Quando inferior natura ſequitur impetum naturæ ſuperioris, tunc rapitur in illam: in contemplatione divinorum inferior natura ſequitur impetum naturæ ſuperioris: ergo in contemplatione divinorum adeſt raptus. Probatur minor dupliciter. Primo ex noſtro Par. D. Joan. à Cruce ſic in ſua Cœleſti eglog. cant. 13. modulante.

Apartalos amado,
Que voy de vuelo. Buelvete, Paloma,
Que el Ciervo vulnerado
Por el otéro aſſoma,
Y à el ayre de tu vuelo freſco toma.

Vbi in declaratione generali huius cantionis, & in declaratione primæ partis verſus ſecundi expreſſè docet dari raptum, & extaſim in anima hoc dicente, quæ anima, quæ eſt inferior natura, ſequitur ſuum dilectum, qui eſt natura ſuperior. Quibus non ſolùm minor, ſed etiam maior probatur. *Probatur* itidem hæc ipſa minor: Quandò anima nullo modo eſt ſui ipſius, nec alterius niſi ſolius Dei, ſequitur impetum ſuperioris naturæ: in contemplatione divinorum anima nullo modo eſt ſui ipſius, nec alterius, niſi ſolius Dei: ergo idem, quod prius. Maior certa eſt. Probatur minor ex Div. Dionyſ. *de Myſt. Theolog.* cap. 1. vbi ait: *Omnis* (contemplator) *exiſtens eius, qui eſt ſuper omnia, & nullius, neque ſui ipſius, neque alterius omnino.* Quibus clariſsimè inſtruimur, animam contemplatricem nullo modo eſſe ſui ipſius, nec alterius, præter Dei, *qui eſt omnia.*

Pro-

Probatur denique antecedens: Contemplatio philosophica causat extasim: ergo potiori iure illam causabit contemplatio religiosa. Consequentia patet, & antecedens probatur: Quia multi Gentiles, vt Trimegist. Socrates, & Plato extasim frequenter patiebantur in speculatione veritatis, vt ait Caietan. 2. 2. q. 175. art. 1. Marsil. Ficinus lib. 13. *de immort. animæ*, cap. 14. videatur Gerson in opusc. *de monte contemplation.* cap 31. alphab. 74. lit. G & Div. August. 14. de Civit. Dei cap. 24. agens de Restituto, qui ad nutum suum rapiebatur.

43. Vt hoc argumentum pro meritis solveretur, multa dicenda forent, à quibus modò abstinere decrevimus, illa remittentes ad 5. prædicabile, vbi de natura deliquij, raptus, extasisque agentes dicemus cum nostris modò citatis Doctoribus, & cum nostro Josepho à Jesu Maria, raptus, &c. non esse argumentum summæ perfectionis in illos patiente, nec sublimissimæ contemplationis. Hæc enim dum perfectissima est, & elicitur à contemplatore in heroico perfectionis gradu constituto, raptus non causat, vt visum fuit in illa omnium creaturarum perfectissima, Virgine Deipara, de qua nusquam legimus raptus passam esse. Ex ibi ergo dicendis, præsenti argumento solutionem paramus. Sed ante illam aliqua præmittenda sunt.

44. Scias ergo 1. ex loco dicto dicendis: Contemplationem, quoad præsens, esse duplicem. Prima est summè perfecta, quæ raptus non causat, vt modò insinuavimus, sufficiat pro nunc afferre authoritatem N. Myst. Doct. loco in argumento citato, vbi docet: contemplationem raptus causantem esse contemplationem Proficientium (& hæc est secunda contemplatio de qua modò) *Perfecti autem*, ait Sanctus Doct. *habent iam totam communicationem factam in pace, & amoris suavitate, cessantque isti raptus.* Vnde habetur, quòd non ad omnem contemplationem subsequitur raptus: quia illa adeò suprema illum non causat; sed nec minùs perfecta: aliter omnes, qui contemplantur, raperentur. Cuius contrarium ipsa experientia convincit.

45. Scias 2. quod hoc, quòd est contemplationem raptum causare *naturaliter*, potest intelligi dupliciter. Primò, ita vt ly *naturaliter* idem sit ac necessariò, sicut ad essentiam necessariò consequuntur passiones, & ad contemplationem necessariò, seu *naturaliter* subsequitur delectatio. Secundò, ita vt ly *naturaliter* non dicat sequelam indefectibilem, sed tantùm explicet, quòd non requiritur nova gratia, novavis, novum auxilium, vt raptus à contemplatione raptus causatrice, causetur: sed quòd posita illa contemplatione, *naturaliter* raptus subsequatur. Ex quo cognoscitur, quòd ly *naturaliter* non inducit necessitatem raptus, ita vt non detur contemplatio sine illo; sed excludit novi auxilij sive virtutis indigentiam, præter illam, quæ ad ipsam contemplationem, raptus causatricem, exigitur.

46. Scias 3. raptum, seu extasim tripliciter evenire posse. Primò, prout non impedit actum virtutis inferioris, sed solummodò intensionem ipsius. Intensionem actus diversam esse ab entitate actus nemo ignorat. Potest ergo impediri intensio actus potentiæ inferioris, quin ipse actus quoad entitatem impediatur. Erit tamen talis actus, vt ex ipsis terminis constat, magis, minùsvè tardus, ac remissus, secundùm quod extasis magis, aut minùs impediat eius intensionem. Secundò, evenit extasis; cum non solùm impedit actus intensionem, sed etiam entitatem: ita vt ex vi extasis animam absorbentis potentia inferior manet sine actuali operatione. Tertiò evenire potest, cùm non solùm impedit potentiæ inferioris operationem actualem, sed etiam aptitudinalem: quia videlicet, tanta est extasis efficacia, vt, ea durante, potentia inferior, non solùm non operetur, sed nec possit, quamtumvis ipsi obiectum vehementer sensibile proponatur. Quæ est doctrina nostri laudati Parentis, qui ait: *Et hoc est motivum, ob quod in his rap-*

raptibus manet sine sensatione corpus, & quamvis vehementissimè lædatur, non sentit: quia non evenit, quod in alijs exanimationibus, ac deliquijs materialibus, quæ in conspectu sensibilis dolorem inferentis evanescunt.

47. Scias denique, raptum secum afferre periculum, dum eius causa extrinseca ignoratur. Et etiam cùm cognoscuntur à Deo provenire, timet anima cauta, nè ijs exterioritatibus elata insuperbiam incidat, & quæ contemplationem, vt Angelus incepit, vt præceps Lucifer finiat. Quocirca Dominũ deprecatur, vt hanc elationis occasionem vanitatis suæ miseriæ non offerat, & id, quod his gratijs consequutura est, alijs medijs humilitatem foventibus, suppleat. Et hoc est huius deprecationis motivum prudentissimum; nec suæ spirituali vtilitati consulere convincitur, qui hanc precem iteratò non fundit, quamquàm resignatus admittat divinam dispositionem. Ex his ergo ad argumentum factum

48. Respondetur negando consequentiam: ad eius probationem distinguatur antecedens: *ad contemplationem divinorum* propriam eorum, qui in superiori gradu scalæ perfectionis sunt, *sequitur*, &c. nego antecedens. Ad contemplationem minùs ea perfectam, subdistinguo: *Sequitur naturaliter raptus*: *naturaliter*, hoc est necessariò: nego: *naturaliter*, hoc est, ex suppositione gratiæ ad ipsam contemplationem exactæ, & sine novæ gratiæ indigentia, tertiò distinguo: *sequitur raptus* quoad actus potentiæ inferioris intensionem, concedo: quoad entitatem actualem, vel aptitudinalem actus, 4. distinguo: *sequitur* aliquando, concedo; semper, nego antecedens. Termini harum distinctionum constant ex prænotatis: Prima enim constat ex num. 44. secunda ex num. 45. ex quo etiam constat vltima. Tertia tandem constat ex num. 46. ex quibus etiam patet, negandam esse consequentiam: quia ex quo raptus non subsequatur necessariò, seu infallibiliter ad contemplationem, potest benè contemplatio desiderari; quin raptus desideretur. Illa verò maxima, *qui vult antecedens*, &c. se ipsam explicat, dum loquitur de consequenti, ex antecedenti *naturaliter deducto*. Si verò consequens non necessariò ex antecedenti deducatur, non tenet maxima illa. Similiterque ad permissionem peccati sequitur infallibiliter peccatum; eoque non possumus illam permissionem desiderare. Quo circa ex volitione contemplationis non infertur volitio raptus: & cùm aliàs adsit motivum prudentissimum, vt respuatur, vtî diximus num. 47. ideò preces contemplator fundit, raptus nolitionem exprimentes.

49. Ad 1. probationẽ antecedentis respondetur: Quòd dupliciter potest sola potentia superior esse in actu. Primò, ita vt nulla alia potentia sit aliquo modo in actu. Et tunc adest raptus perfectus. Secundò, ita vt nulla alia potentia sit in actu intenso, licèt sit in actu remisso. Et tunc sola potentia superior est in actu, non absolutè, sed in actu intenso. Et sic causatur raptus imperfectus, qui ad omnem contemplationem consequitur: sive sit divina, sive non. Ex quo enim nimiùm mens attendit speculabilibus, & fruibilibus, necessariò debilitatur efficacia potentiæ inferioris ad suos actus. Et hunc raptum possumus; immo debemus desiderare, & petere; vt sic mens fortiùs ad fruibilia applicetur. Quæ doctrina applicanda est ad minorem illius probationis; ac deindè distinguatur consequens: Et si velit, quòd ad omnem contemplationem subsequatur raptus hic, qui impropriè raptus dicitur, concedatur: Si verò velit, quòd subsequitur raptus ille perfectus, entitatem actus impediens, negetur. Authoritas ibi adducta non est ad rem; quia inibi Sanctus loquitur de anima, quæ vero, ac perfecto raptu rapta est: quem sequi ad contemplationem, entitatem actus potentiæ inferioris impedientis, non negamus. Præcipuè tamen non est ad rem data authoritas; quia nos concedimus, numquam potentiam inferiorem posse percipere divinum idioma, quòd animæ media

con-

contemplatione ſuggeritur. Dicimus tamen, compati veràm contemplationem, cum hoc, quod potentia inferior actus ſibi proprios non amittat.

50. Ad 2. anteced. probationem reſpondetur; quòd cùm natura inferior ſequitur impetum ſuperioris naturæ; ita vt entitatem actus potentiæ inferioris impediat, tunc ſequitur raptus perfectus: quandò verò ita ſequitur impetum ſuperioris naturæ, vt ſolummodò impediat intenſionem actus inferioris potentiæ; tunc non adeſt raptus perfectus, ſed imperfectus ille, qui in omni contemplatione reperitur, & quem deſiderare poſſumus, vt iam diximus: quia aſſertio noſtra non loquitur de hoc imperfecto raptu, ſed de illo primo.

Prima probatio minoris ſe ipſam deſerit: quia ſi Sanctus Doct. loquitur de anima raptu perfecto rapta, vt patet ex eius verbis, nil mirum, quòd raptus ille cauſetur à contemplatione, ita impetum ſuperioris naturæ ſequente, vt actus potentiæ inferioris, quoad entitatem actualem, & etiam quoad aptitudinalem, impediat. Et hoc non negamus, nec eſt contra nos, qui ſolùm aſſerimus, hoc in omni contemplatione non inveniri: licèt in omni contemplatione reperiatur, quòd natura inferior ſequatur impetum ſuperioris naturæ, vt dictum eſt.

51. Ad 2. probationem minoris ſimiliter reſpondetur: quod quando anima non eſt ſui ipſius, ſed ſolius Dei ſequitur vtique impetum ipſius Dei: ſed hoc, quod eſt ſequi illum impetum, poteſt eſſe cum raptu perfecto, vel ſine illo, vt dictum eſt. Vnde licèt in quacumque contemplatione anima non ſit ſui ipſius, non per hoc habetur, quod raptu propriè dicto rapiatur. Quam doctrinam ex verbis ipſis D Dionyſij in oppoſitum adductis, didiſcimus. Circa quod videri poſſunt Cypariſsiotus dec. 2. cap. 10. Marſilius Ficin. & Herſentius ſuper illum Dionyſ. locum. Placet verba Pachymeræ adducere Dionyſium paraphraſantis: ait enim, quòd contemplator debet eſſe *coniunctus ignorationi, & ceſſationi. Non dico propriæ mentis circa ipſum ceſſationi, neque etiam alterius ceſſationi, nec ſe ipſum, nec quidquam aliud intelligendo (hoc enim merum otium, ſtupiditaſque mentis eſt) ſed ſecundùm potiorem mentis portionem iſti ignoto penitùs vnitus, omnis cognitionis ceſſationem obtinendo, ſponte ſcilicet, convenienterque deſerendo omnem notionem, quæ extrinſecùs affuſa, quodammodò confundit potiùs, magiſque obeſt, quam proſit, cùm ſine notione omnia novit. Numquid verà etiam hìc ſimile quid obſcurè fit, quando volumus quidem aliquid mente voluta-re, ſed ſæpenumerò ab aliquo interpellamur, quaſi in mentem quidpiam revocare volente, & nos huic indignamur, quòd nos turbet, & obſcuram illam, quam menti impreſſeramus, imaginem peſſundet. Quid enim mens aliud tunc velit, quàm in cæterarum ceſſatione rerum circa id, quod ei propoſitum eſt, vacare?* Vbi clarè oſtenditur, contemplationem, de qua ibi Dionyſ. loquitur, raptum non cauſare.

52. Ad vltimam probationem antecedentis dicas: antecedens eſſe verum; ſicut ſimiliter verum eſt, quòd contemplatio Evangelica animam rapit: ſed ſicut non omnis contemplatio Philoſophica raptum cauſat: ſic etiam nec omnis Evangelica contemplatio, vt dictum eſt.

53. Contra vltimam aſſertionem, in qua dicimus, contemplationem infuſam poſſe à nobis appeti, & peti abſolutè; arguitur ſic 1. ex Div. Thom. 2. 2. q. 45. art. 5. vbi in corp. locutus de Dono Sapientiæ ait: *Iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus diſtribuit prout vult, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 12. Alij datur per ſpiritum Sermo Sapientiæ.* Ex quo brevis hæc, efficaxque ratio deſumitur: Gratia gratis data non poteſt à nobis appeti, & peti abſolutè: contemplatio infuſa eſt gratia gratis data: ergo non poteſt à nobis appeti, & peti abſolutè. Conſequentia eſt omnino formalis. Minor conſtat ex

ex dato teſtimonio. Et maior de ſe patet: quis enim contra humilitatem non procederet, ſi abſolutè gratiam interpretandi ſermones, aut ſanitatum peteret? Ergo cum idem ſit de omnibus alijs gratijs gratis datis, quas inter ſermo ſapientiæ continetur, relinquitur, quòd peti à nobis non poſsit ſine humilitatis fractione.

54. Miror virum doctum, piumque ſic procedere. Div. Thom. citatus diſtinguit duplicem gradum eiuſdem Doni Sapientiæ. Primus gradus non eſt gratiæ gratis datæ, ſed Doni Spiritus Sancti; hic gradus invenitur in omnibus habentibus gratiam gratum facientem. Hic gradus eſt principium contemplationis acquiſitæ, & infuſæ. Hic gradus totus eſt circa vtilitatem habentis, nec tendit ad bonum aliorum eo modo, quo gratia gratis data, quæ iuxta Div. Thom. 1. 2. q. 111. art. 1. eſt *Donum, ſive auxilium, quo homo ad iuſtificationem alterius operatur.* Dicta omnia conſtant ex Doct. Ang. in eodem loco, qui contra nos affertur. Poſtquàm hæc de iſto gradu docuit, oſtendit, in quo eiuſdem Doni gradus alter conſiſtat, & ait, quod in aliquibus ita creſcit hoc mirabile Donum, vt iam non ſolùm ſibi ipſis prodeſſe poſsit, ſed etiam alijs. Et ſecundùm hoc, quod aliorum profectum reſpicit *iſte gradus ſapientiæ non eſt communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem; ſed magis pertinet ad gratias gratis datas, &c.* Vnde dicimus, quòd ſapientia illo primo modo ſumpta peti à nobis poteſt: licèt ſecundo modo non petatur, niſi ijs conditionibus, quas vult Diſcept. Myſtica, quod noſtra non refert.

Author, quem impugnamus, maximam æquivocationem paſſus eſt, dum tract. 2. q. 2. art. 7. num. 26. totam authoritatem citati Div. Thom. adducit, & taliter explicat, quòd ille primus gradus ſapientiæ ſit principium contemplationis acquiſitæ: Poſtquàm enim primum illum gradum retulit, addit: *Ecce auxilia communia gratiæ, quibus ad contemplanda divina propria poteſt anima aſcendere induſtria.* Immediatè ponit ſecundum ſapientiæ gradum, & ait, ipſum eſſe principium contemplationis infuſæ. Contra quam explicationem pauciſsimis, ſic inferens,

55. Diſputo: Ergo contemplatio infuſa non vnit contemplantem cum Deo, nec deſervit ad benè eſſe contemplantis. Probo conſequentiam: Gratia gratis data non vnit contemplantem cum Deo, nec deſervit ad benè eſſe contemplantis; ſed ſolùm ad vtilitatem aliorum, vt conſtat ex eius diffinitione num. præcedenti poſita: ſed per te contemplatio infuſa eſt gratia gratis data: ergo non deſervit ad benè eſſe contemplantis, ſed ſolùm ad vtilitatem aliorum. Videat quid ad hoc reſpondere poſsit: dum dicimus: Sapientiam ſub illa prima conſideratione eſſe principium contemplationis infuſæ, quæ vtique dirigitur ad benè eſſe contemplantis, in quo nemo hactenus dubitavit. Et quia in hac vita ſunt aliqui, qui tantam cognitionem divinorum habent, vt illa profunda divinorum cognitio excedat id, quo indiget contemplator, vt ſuam ſalutem conſequatur: propterea illud *magis* huius Doni Sapientiæ, non eſt gratum faciens: atque adeò non deſervit ad benè eſſe contemplantis, ſed ad aliorum vtilitatem, eſtque gratia gratis data. Hic eſt genuinus ſenſus huius Angelicæ doctrinæ.

56. Dices: Donum ſapientiæ ſimpliciter habitum conducit ad benè eſſe habentis: ergo ipſum perfectiori modo habitum conducit ad melius eſſe habentis. Ergo vel ſub vtraque ratione, vel ſub nulla eſt gratia gratis data. Vel ſic: ergo nequit, vt ſimpliciter habitum, gratum facere, &, vt perfectius habitum, eſſe gratia gratis data. Anteced. eſt certum, & vltimæ duæ conſequentiæ bonæ ſunt. Prima autem probatur breviter, & vrgenter. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis: ſed Donum ſapientiæ ſimpliciter habitum perficit habentem: ergo magis, ſeu perfectius habitum magis perficit. Inauditum quippe foret dicere, quod Metaphyſica, v. g. ſimpliciter

citer habita facit ſapientem, & quòd ipſa perfectiùs habita non facit magis ſapientem. Aut quòd calor ſimpliciter calefacit, & maior calor non magis calefacit.

Obiectio hæc redolet ſubtilitatem obijcientis, qui eſt Caietan. loco citato ex 2. 2. Nodum ſolvit ſublimis hic Theolog. diſtinguens ly *magis* ſapientiæ in *magis* intenſivè, & extenſivè. *Magis* intenſivè contemplationis pertinet, ait, ad melius eſſe contemplantis, ſicut *ſimpliciter* eiuſdem contemplationis, ſeu ſapientiæ pertinet ad benè eſſe: ac de hoc *magis* verificatur illud, ſicut ſe habet ſimpliciter, &c. Cæterùm *magis* extenſivè non ſpectat ad *melius* habentis, ſed ad vtilitatem aliorum: Ideòque ſecundùm hoc *magis* extenſivè ſapientia eſt gratia gratis data. Hæc Caietan. quæ, ſi placet, videre poteris. Nobis ſufficiunt vltima verba ipſius Caietani, vt nodum factum penitùs enodemus, & mentem Div. Thom. aperiamus.

57. His claudit Caietanus ſuam dictam ſolutionem: *Formaliter enim intelligendum eſt, cum dicitur, quòd gratia gratis data non gratum facit.* Itaque ſapientia ſumpta illo primo modo dicto, ſimpliciter accepta, gratum facit. Ipſa ſapientia Dei benignitate augetur, & ſic aucta gratiorem facit. Hoc ergo ſapientiæ augmentum tantùm in aliquibus creſcit, vt iam non ſolùm ſufficiat habẽtis ſaluti, ſed etiam aliorum vtilitati. In ſapientia ergo ſic aucta duplex formalitas diſtinguenda eſt: prima eſt maior illa perfectio contemplationis, & bonum inde habitum. Secunda eſt illa habilitas, vt in alios effundatur ipſum bonum. Illa prima formalitas, ſeu maior illa perfectio contemplationis, gratiorem facit abs dubio: quia ſecundùm illam magis Deum cognoſcit, amatque contemplator. Et maior cognitio, maiorque Dei amor, quis poteſt dubitare, cedere in maiorem perfectionem contemplantis? Habilitas autem illa, quam media ſapientia perfectiùs habita, nanciſcitur contemplator, vt cum eſuriente frangat panem ſuum, vtique dirigitur ad vtilitatem aliorum, ac ſecundùm illam ipſa ſapientia non gratum facit, ſed eſt gratia gratis data.

Exemplo rem illuſtro. Etenim iuxta communem ſenſum Myſticorum gaudium, quod anima habet in contemplatione divinorum, ita ſolet augeri, quod derivetur in corpus, vt ſuo modo gaudeat, & dolor in ipſo exiſtens mitigetur. Quæ doctrina eſt D. Thom. 1. 2. q 38. art. 4. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quòd in viribus animæ fit redundantia à ſuperiori ad inferius, & ſecundùm hoc delectatio contemplationis, quæ eſt in ſuperiori parte, redundat ad mitigandum etiam dolorem, qui eſt in ſenſu.* Modò verò hîc diſtinguenda eſt illa delectatio, quæ eſt propria contemplationis, ab illo, quod ex ipſa derivatur ad vires inferiores. Hoc, quod derivatur, dirigitur ad tribuendum gaudium viribus inferioribus: cæterùm delectatio ipſa contemplationis, & maior delectatio contemplationis dulcioris eſt propria ipſius animæ, quæ ſicut in contemplatione, ſimpliciter tali, ſimpliciter delectatur; ſic magis delectatur in contemplatione dulciori, ex cuius ſuperabundantia redundat in vires inferiores illud gaudium. Pariformiter in noſtro caſu id, quod in alia ſuppoſita derivatur à Dono ſapientiæ exiſtente in vno, eſt gratia gratis data: Id verò, ex quo hoc derivatum reſultat, eſt *magis* gratum faciens.

Per quæ in forma reſpondetur obiectioni, concedendo antecedens, & primam cõſequẽtiam, nec Div. Thom. contrarius eſt, ſed ſolùm docet, quòd ſapientia maior, ſeu *magis* ſapientiæ, ſecundùmquod reſpicit aliorum vtilitatem, eſt gratia gratis data. Ipſum verò *magis* eiuſdem ſapientiæ, ſecundùmquod magis perficit habentem, eſt gratum faciens. Vnde de hoc *magis* ſub hac ſecunda conſideratione accepto, verificatur maxima illa *ſicut ſe habet ſimpliciter ad &c.* non autem ſub prima illa. Verificatur etiam, quòd ipſum *magis* realiter conſideratum, ſit gratum faciens, & gratis datum, ſed ſub diverſa for-

formalitate. Nec in hoc eſt aliquod inconveniens : *Formaliter enim intelligendum eſt cum dicitur, quod gratia gratis data non gratum facit*, prout ſupra dixit Caietanus.

58. Alia plura argumenta, quæ ex diverſis authoritatibus Div. Dionyſ. Div. Thomæ, Seraph. Matr. noſtræ in præſenti objciuntur, ſimul proponimus, & ſolvimus, dicentes, illa omnia teſtimonia loqui de conatu ad contemplationem infuſam; non autem de conatu ad contemplationem acquiſitam; vel ſi loquantur determinatè de infuſa, excludunt quidem conatum ad illam; non autem deſiderium, & orationem, vt Dominum deprecemur, vt illam ad maiorem ſui gloriam, & noſtrorum ſpirituum vtilitatem, infundat.

Exemplo res clara fiet. Vnum ex teſtimonijs, quæ in nos vibrat ſententia oppoſita, eſt illud noſtræ Seraph. Matris, quo num. 23. probavimus vltimam aſſertionem. In illo ait Alma Doctrix, imprudenter operari quiſquis ſe ipſum iuvat, vt contemplationem infuſam conſequatur. Hoc teſtimonio vſi nos fuimus ad excludendum conatum. Sed dicet ſententia oppoſita. Ille ſe ipſum iuvat ad infuſam contemplationem, qui illam deſiderat, & petit; ergo etiam eſt contra Doctricem Sanctam. Sed ſi, qui hæc verba nobis opponunt, illa ſeriò conſiderarent, aliter ſine dubio procederent.

Illam ſuam doctrinam declarat illuminata Magiſt. exemplo illo hominis vocem minimè ſonoram habentis, quod nos numero citato adduximus, & etiam nobis illud objcit Author, quem impugnamus. De iſto homine, ait Div. Thereſia, eſſe imprudentiſsimum, ſi, vt vocem, prout appetit, conſequatur, continuè voces ſinè modo, & ſinè termino emittat : quia hoc ſuo exercitio, non vocis ſonoritatem, ſed pectoris, capitiſque paſsionem conſequetur, & quod ab omnibus in deriſum habeatur. Sed rogo ab authore his in nos verbis vtente: hic, qui ſanè imprudens foret, ſi illud faceret; erit nè imprudens, ſi vocem ſonoram exoptet, & hoc ſuum deſiderium ante Deum humili reſignatione proponat ? Ergo teſtimonium illud, quod hoc exemplo explanat Seraph. Thereſia, non damnat deſiderium, nec orationem pro nanciſcenda infuſa contemplatione; ſed conatum, quaſi eſſet proprijs manibus comparabilis.

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm omnes debeant contemplari?

LIcet omne id, ad quod aliquis tenetur, ſit in eius poteſtate; aliàs teneretur ad impoſsibile; vnde benè valet: tenetur quis ad hoc faciendum : ergo illud poteſt facere; non tamen tenetur ad id omne, quod poteſt. Quamobrèm poſtquàm vidimus quæſtione præcedenti, omnes homines poſſe, modo ibi dicto, contemplari : reſtat, vt diſcutiamus, an ad hanc ipſam contemplationem teneantur?

§. I. *Poſt brevem tituli explicationem ſtatuitur triplex concluſio.*

59. PRo tituli explicatione, nè quæſtiones ſine fructu multiplicemus, & titulis chartas oppleamus, ſcias: ly *omnes* poſſe tripliciter ſumi. Primo illimitatè de *omnibus*, qui ſunt principium *quod* divinæ contemplationis, ad illamque poſſunt animum elevare, prout vidimus quæſt. præcedenti. Et huic conſiderationi deſerviet prima concluſio. Secundò poteſt ſumi

ly *omnes*, ita vt non ſupponat pro omnibus, qui poſſunt eſſe principium *quod* contemplationis; ſed ſolùm pro illis, qui vel ex propoſito, vel ex inſtituto tendunt ad perfectionem. Ex inſtituto, vt in religioſis: ex propoſito, vt in viris prijs, qui viam communem Chriſtianorum tranſcendere cupientes, ad perfectionem tendere ſeriò conantur; nulla tamen præſuppoſita, aut voti, aut ſtatus, obligatione. Et ad hoc declarandum diregetur ſecunda concluſio. Tertiò denique poteſt ſumi ly *omnes* taliter quòd non tendentes ad perfectionem ſignificet, ſed illos, qui ſtatuunt in via Dei, ac ſpiritus deſides non eſſe, ſed illam per orationis mentalis negotiationem luſtrare. Ad quod deſerviet reſolutio poſtrema.

60. Sit 1. concluſ. *Non omnes viatores tenentur ad contemplationem.* Hæc aſſertio certiſsima eſt, probaturque ſic: contemplatio non eſt neceſſaria omni viatori: ergo omnes viatores non tenentur ad contemplationem. Probatur antecedens: Contemplatio non eſt omni viatori neceſſaria, nec neceſsitate medij, nec præcepti: ergo nullatenùs eſt pro omni viatore neceſſaria. Conſequentia conſtat à diviſione neceſſarij, quam dedimus ſupra diſp. 3. quæſtione 1. & antecedens probatur: Si namque contemplatio foret omni viatori neceſſaria neceſsitate medij, aut præcepti, non poſſet non oratio mentalis eſſe pariter neceſſaria eodem modo: at oratio purè mentalis nullo ex ijs modis neceſſaria eſt omni viatori: ergo nec contemplatio. Mai. patet, quia contemplatio eſt ſpecies quædam orationis purè mentalis: vnde non ſtat, quòd contemplatio cadat ſub præceptum; quin ſub idem præceptum cadat oratio purè mentalis. Minor autem continet communem doctrinam Theologorum talem obligationem ad orationem purè mentalem in omnibus fidelibus non agnoſcentium. De quo videri poteſt Exim. Suar. tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 4.

61. Confirm. 1. ratio facta: ſine contemplatione ſalutem conſequuntur plurimi viatores, qui poterant contemplationem exercere, ſi neceſſariam iudicaſſent: ergo contemplatio non eſt neceſſaria neceſsitate medij, aut præcepti. Conſequentia eſt evidens, nec minùs certum eſt antecedens, quod vel inde oſtendi poteſt: quod nemo talem obligationem cognoſcit; atque adeò ſine eius adimpletione tendit ad mortem, ſine conſcientiæ remorſu ex hac parte habito, ac ſine confeſſoris imperio, vel vt contemplationem habeat, vel vt, quia non habuit, ſe accuſet, & conterat.

62. Confirm. 2. Si contemplatio foret neceſſaria neceſsitate medij, aut præcepti omnibus viatoribus, alicubi conſtaret de hac obligatione: ſed nullibi de ea conſtat; nec aſsignabitur præceptum, ad quod vel propriè, vel reductivè ſpectet; vel vbi detur notitia de tali neceſsitate: ergo non datur. Maior probatur: quia id, quod eſt ad ſalutem neceſſarium omnibus conſtat, vel per ſe, vel per Maiorum inſtructionem: aliàs tenerentur viatores ad impoſsibile, videlicet, ad obſervantiam rei ab ipſis penitùs ignoratæ.

63. Contra factam rationem dices: quòd non probat intentum: quia compatitur, quòd oratio mentalis abſtrahens ab oratione meditationis, & contemplationis non ſit præcepta, & quòd præcepta ſit ſpecies quædam orationis purè mentalis, ſcilicet, contemplatio: ergo facta ratio non probat. Pluribus oſtendi poterat antecedens: ſed breviter probatur; oratio vocalis eſt quædam ſpecies orationis abſtrahentis à vocali, & mentali; & tamen datur præceptum de oratione vocali, vt tenet Div. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3. & cum eo Theologi communiſsimè; quin detur præceptum de oratione abſtrahente à mentali, & vocali: ergo ſimiliter poteſt contemplatio cadere ſub præceptum; quin ſub illud cadat oratio mentalis abſtrahens.

Reſpond. præceptum de contemplatione, ſi adeſſet, non eſſet Eccleſiaſticum: ſed vel divinum, vel naturale;

turale, vel partim naturale, partimque divinum, vtî dici de oratione solet. Non esset Ecclesiasticum; quia non præcipit actus purè internos: & quia alias loquimur de ijs, qui non tenentur ad contemplationem ex voto, professione, aut alia obligatione sibi liberè impositâ, reduci deberet tale præceptum ad ipsum ius naturale. Modo verò quis credat ius naturale præcipere contemplationem, & non orationem purè mentalem abstrahentem, immò ipsam orationem meditationis? Nullum enim fundamentum adest ad præceptum naturale circa contemplationem, quod æqualiter non vrgeat in oratione discursus, & abstrahente.

Nec illud, quod in hac obiectione dicitur de præcepto orationis vocalis verum est. Etenim præceptum naturale orationis non respicit determinatè orationem vocalem, sed præcipit orationem, sive vocalem, sive mentalem; quia per quamlibet earum satisfit obligationi huius præcepti. Vnde falsum est, quòd detur præceptum naturale de oratione vocali, & non de oratione abstrahente. Præceptum Ecclesiasticum vtique datur de oratione vocali, non autem de abstrahente: sed hoc ideò est, quia Ecclesia non potest præcipere orationem purè mentalem. In præcepto autem naturali aliter res se habet, qui cùm possit extendi ad actus, etiam internos; ideò præcipit orationem in communi. Hinc que habetur, quòd si daretur præceptum naturale de contemplatione; daretur etiam de oratione mentali. Tum quia, vt dictum est, priùs præciperetur oratio purè mentalis, vt oratio, quam vt contemplatio. Tum quia non est fundamentum, vt contemplatio censeatur præcepta, & non oratio purè mentalis.

64. Prob. 2. conclus. ratione fundata in ijs, quæ ex Div. Thom. diximus disput. præcedenti; maximè quæst. 2. circa vitam activam, & contemplativam. Etenim vita activa, & contemplativa sunt ex æquo diversæ, ita vt vna aliam excludat, si considerentur secundùm rationes sibi proprias. Vnde datur vita purè activa, & vita purè contemplativa, & etiam datur vita mixta, quod non pugnat cum eo, quòd dentur vita activa, & contemplativa purè tales. Omnia hæc ex dictis nota sunt: sicut etiam notum est, quòd quicumque benè vivit, exercet aliquam ex his vitis: quævis enim earum est vita honesta, & recta; ducitque ad perfectionem. Ex quibus, quæ omnino certa sunt, hæc ratio formatur. Viatores tenentur ad rectè vivendum sive in vita contemplativa, sive in activa: ergo non tenentur determinatè ad vitam contemplativam. Prob. conseq. Quia qui liber est ad vivendum secundùm vnam partem disiunctionis, quam elegerit, ad nullam disiunctionis partem determinatè sumptam tenetur: sed viator liber est ad vivendum sive vita activa; sive contemplativa, quam ipse elegerit: ergo non tenetur ad vitam contemplativam, determinatè. Min. constat ex dictis: quia vtraque vita ordinata est, & viator, qua talis non tenetur, nisi ad ordinatè vivendum.

65. Confirm. 1. Omnes viatores non tenentur ad vitam activam: ergo nec ad contemplativam. Anteced. est certum, quia si omnes tenerentur ad vitam activam, qui sequeretur contemplativam peccaret. Ex quo probatur consequentia: quia si omnes tenerentur ad contemplativam, peccaret, qui activam sequeretur. Quod est manifestè absurdum.

66. Confirm. 2. quia, vtî ait Mag. Valgorn. q. 4. Theolog. Myst. disp. 2. art. 10. Contemplatio perfectorum est, illorum scilicet, vel qui iam perfecti sunt, vel qui à Deo vocantur, & trahuntur, vt perfecti sint. Hactenùs dictus Magist. modò sic: sed non omnes viatores perfecti sunt, aut vocantur, & trahuntur à Deo, vt perfecti sint: ergo contemplatio non convenit omnibus viatoribus.

67. Sit 2. assertio: *Contemplatio non est necessaria ijs omnibus, qui ad perfectionem tendere debent, vel ex*

statu

ſtatu, vel ex propoſito. Concluſio hæc etiam certiſsima eſt, probaturque ratione deſumpta ex Div. Thom. 2. 2. q. 188. art. 2. Etenim perfectio haberi poteſt per opera vitæ activæ: ergo qui tenetur ad perfectionem ire, non tenetur contemplari. Patet iſta: eò enim ad contemplationem teneretur, quatenus contemplatio eſſet medium vnicum habendi perfectionem. Vnde ſi aliud medium ſuppetit, iam contemplatio non eſt neceſſaria. Anteced. autem probatur: Quia vt docet laudatus Div. Thom. poteſt inſtitui religio ad opera vitæ activæ; & de facto plures inſtitutæ ſunt: ſed harum religionum profeſſores medijs operibus, ad quæ illæ religiones inſtitutæ ſunt, tendunt ad perfectionem: ergo perfectio haberi poteſt per opera vitæ activæ. Conſeq. bona eſt, & maior conſtat ex citato art. Div. Thom. Minor autem probatione non indiget. Videatur idem Ang. Doct. 2. 2. q. 184. art. 5. & q. 186. art. 1.

68. Confirm. Sicut ſe habet ſalus ad viatorem, ita ſe habet perfectio ad eum, qui obligatus eſt in illam tendere: ſed viator poteſt conſequi ſalutem per opera vitæ activæ: ergo qui tenetur ire ad perfectionem, poteſt illam conſequi per opera vitæ activæ. Conſequentiam ſuadet paritas. Min. conſtat ex 1. concluſ. & maior probatur. Sicut enim ſalus eſt finis viatoris, in quem debet ſe dirigere, ſic perfectio eſt finis obligati tendere in illam, in quam, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat, tendere debet: ergo, &c.

69. Dices: Div. Thom. citato art. 2. ad 1. ait: *Dum religioſi operibus vitæ activæ inſiſtunt intuitu Dei, conſequens eſt, quòd in eis actio ex contemplatione divinorum derivetur: vnde non privantur omnino fructu contemplativæ vitæ.* Ergo in ipſa religione inſtituta ad opera vitæ activæ talia opera derivantur ex contemplatione: ergo textus cui innititur noſtra ratio, nobis non favet.

Reſpond. miriſsimum fore, quòd Div. Thom. in eodem art. inquireret, & ſtatueret per opera vitæ activæ poſſe acquiri perfectionem, ſeu, quod idem eſt, poſſe inſtitui religionem ad opera vitæ activæ, & quod in eodem art. contrarium affirmaret. Mens Div. Thom. circa id, quod nos diximus notiſsima eſt. Vnde illa verba contra nos obiecta gloſſanda ſunt ſalva reſolutione in art. propoſita, probataque. Nec arduum erit, gloſſema hoc invenire, quæ diſput. præcedenti dicta ſunt, præſentia retinenti, & verba obiecta ſeriò conſideranti. Itaque fatemur, Ang. Doctorem aſſerere, quòd in religioſis purè activis *actio ex contemplatione divinorum derivatur* Sed nota ſequentia: *Vnde non privantur omnino fructu contemplativæ vitæ.* Si *non privantur omnino*: Ergo illum omnino non habent: immo ſimpliciter illum non habent, etſi aliquomodo habeant. Sed videamus, quid eſt iſtud, quod aliquomodo habeant? Vel *quo non privantur omnino*? Iam dictum eſt: *Fructu contemplativæ vitæ.* Perſpice: quòd non dicit, tales habere vitam contemplativam, ſed fructum vitæ contemplativæ. Et memento eorum, quæ diximus diſput. præcedenti, videlicet, aliud eſſe, Martyrem eſſe, & aliud martyrij meritum, ſeu fructum, obtinere: ac eodem modo cognoſces, aliud eſſe vitam contemplativam, & aliud fructum vitæ contemplativæ percipere.

Similiter memento: quod eiuſdem diſput. §. 3. num. 129. ex Div. Thom. diximus: ſcilicet, quòd vita contemplativa non ſolùm dicit actum illum, in quo eſſentialiter, & formaliter conſiſtit: verùm etiam dicit alios actus illam præcedentes, vt ſunt meditatio, cogitatio, & alios. Qui actus requiruntur ad diſponendum animum pro contemplatione, & etiam requiruntur ad alia plura. V. g. cum quis ad confeſsionem accedit, debet præcedere cogitatio peccatorũ, quæ in Sacramento aperiat. Si ocurrit obligatio ad contritionem, plurium meditatio præcedere debet; videlicet, conſideratio Dei offenſi, & amore digniſsimi, & etiam peccati per ipſam contritionem deteſtandi. Idem eſt, dum occurrit ad-

impletio præcepti dilectionis Dei ſuper omnia, & ſimilia alia. Et quo ad præſens attinet, idem etiam invenitur in quovis opere vitæ activæ, ſi ſeriò, & meritoriè fiat. Et hoc docuit D. Thom. in primis verbis obiectæ authoritatis dicens: *Dum religioſi operibus vitæ activæ inſiſtunt intuitu Dei.* Non enim ſat eſt, inſiſtere operibus vitæ activæ; ſed hoc debet fieri *intuitu Dei.* Ad quod requiritur conſideratio Dei, propter quem proximus, erga quem opera illa activa fiunt, diligitur. Requiritur cogitatio Dei, cuius intuitu opera illa fiunt: aliter, nec opera vtilia animæ erunt, nec erunt formaliter opera vitæ activæ, quæ, vt ex ſupra dictis conſtat, eſt vita ordinata, & virtuoſa.

Ex his ergo ad textum contra nos obiectum dicimus. Profeſſores religionis purè activæ ſua opera, quæ erga proximorum vtilitatem exercent, derivare quidem ex divinorum contemplatione, non quæ ſit talis formaliter, & conſtitutivè; ſed quæ diſpoſitivè, aut largè talis ſit. Per hoc tamen, quòd contemplatio, ex qua illa opera derivantur, non ſit formaliter, & conſtitutivè contemplatio, ſequitur, quòd illam contemplationem habentes non habeant vitam contemplativam formaliter talem, nec quòd ipſius vitæ contemplativæ fructum ſimpliciter habeant. Aſt quia talis contemplatio eſt lato modo talis *non privantur omnino fructu contemplativæ vitæ.*

Sic Div. Thom. intelligo ex ipſius doctrina; ex quo patet, textum obiectum non eſſe contra nos. Quòd ſi tibi hæc noſtra expoſitio non arrideat, lege Caietanum ad dictum art. & ſi, quam offert, ab hac differat, illam præferre poteris. Sic enim ait ſublimis hic Theolog. *In art. 2. eiuſdem quæſtionis in reſponſione ad primum adverte, quòd operatio vitæ activæ dupliciter ſe habet ad divinam contemplationem. Primò, vt effectus ipſius contemplationis: & ſic prædicare dicitur opus vitæ activæ ex contemplatione emanans. Alio modo, vt effectus ipſius Dei contemplati, vt finis: & ſic omnia opera miſericordiæ, ſive ſpiritalia, ſive corporalia ſint, ex contemplatione derivantur. Et hoc modo in litera hac dicitur, quòd dum religioſi intuitu Dei operibus vitæ activæ inſiſtunt, fructu contemplationis non privantur. Niſi enim aciem mentis ſuæ in Deum, vt finem, fixiſſent, numquam voluntas eorum moveret eos ad opera vitæ activæ propter Deum exercenda.*

70. Sit 3. concluſ. *Illi, qui ſtatuum viam interiorem ſpiritus luſtrare, ex hoc ipſo non tenentur ad contemplationem.* Hæc concluſio æquè certa eſt, ac præcedentes, probaturque ſic: Oratio purè mentalis dividitur in orationem meditationis, & contemplationis, & per vtramque via interior ſpiritus luſtratur: ergo qui ſtatuit, orationi mentali ſe dedere, per hoc, quòd meditetur, adimplet, quod ſtatuit. Quod adeò verum eſt, vt etiam ſi illi exercitio voto ſe obligaret, adhuc non teneretur contemplari, nec per hoc, quòd non contemplaretur, poſſet iudicari voti fragus. Et vtriuſque eadem eſt ratio; videlicet, quòd per viam interiorem ſpiritus non ſolùm incedit, qui contemplatur, ſed etiam qui meditatur. Vnde per hoc, quòd meditetur, adimplet obligationem, etiam ſi voto firmata ſit.

71. Confirm. Qui ſtatuit viam interiorem ſpiritus luſtrare, non tenetur ad contemplationem, quia viator, nec, quia tendit ad perfectionem, nec quia debet per dictam interiorem viam incedere: ergo ex nullo capite tenetur. Patet iſta; quia in antecedenti recenſita ſunt capita omnia, ex quibus provenire poſſet, quòd iſte contemplationi dicaretur. Anteced. quoad primam partem conſtat ex prima concluſione: quoad ſecundam conſtat ex ſecunda, præterquam, quia poteſt quis, quin ſpecialem aliquam ſupra alios Chriſtianos eundi ad perfectionem obligationem contrahat, incedere per viam interiorem ſpiritus, polliceri. Quoad tertiam autem partem conſtat ex dictis num. præcedenti. Quorum omnium eadem ratio eſt: nempe, quod viator poteſt per aliam viam diſtinctam à contempla-

tiva, ea, quæ debet, implere. Et qui tendere ad perfectionem promisit, in illam tendere potest per viam à contemplatione diversam: ergo pariformiter, quia via interior spiritus est multiplex, qui illam lustrare pollicitus est, promissis stat, quin contempletur.

72. Omnia, quæ in discursu huius quæstionis dicta sunt, pulchrè confirmat Seraph. nostr. Mat. in de itin. cap. 17. vbi ait cum suis filiabus loquens: *Non omnes per eamdem viam ducit Dominus. Et forsam, qui sibi persuadet, se per viam inferiorem tendere, est virtuosior in conspectu Domini. Vnde ex hoc, quòd omnes in hac domo de oratione agant, non sequitur, omnes futuras esse contemplativas: hoc est impossibile. Et quæ contemplativa non est, gaudebit valde intelligentia huius veritatis. Contemplatio est gratia, quam Deus concedit. Et supposito quòd ad salutem necessaria non est, nec illam Deus à nobis petit, non formidet illam ab ea aliquem petiturum. Nec ob hoc desinet esse valdè perfecta, si, quæ dicta sunt, exequatur.* Hactenus Alma Doctrix, quæ omnino videri debet toto illo cap. & etiam antecedenti, & subsequenti, in quibus mira docet pro animabus instruendis, & in assertorum præcedentium confirmationem. Ex qua etiam lectione constabit, Sanctam loqui de contemplatione, nedum infusa, verùm etiam acquisita. Per quod obiectio, quæ hîc fieri poterat, præocupatur.

73. Objcies tamen: dicta verba intelligi debere de ijs, qui, quamquàm velint, faciantque quantum ex parte sua est ad contemplandum; nihilominùs tamen contemplari non possunt; quia Deus, vel ad tempus, vel numquam vult eos esse contemplativos: nostra autem asserta loquuntur de ijs, qui, quamvis possint, nolunt contemplari: ergo data doctrina non roborantur asserta nostra.

Respond. in dicta authoritate aliud esse, quod dicitur, & fundamentum, quod habetur, vt dicatur; aliud verò considerare personas, quibus dicitur. Ab hoc vltimo incipientes: personæ, quibus illa doctrina traditur, sunt professores nostræ primitivæ regulæ; vti num. præcedenti monui, quibus ex instituto incumbit contemplatio. Vnde de istis in præsenti quæstione nobis non est sermo, reservantur enim ad futuram quæstionem, vbi, quid circa illos tenendum, aperietur. His ergo dicit Seraph. Doctrix, quòd debent quantum est ex parte sua, vt exerceant contemplationem: quam si Deus non concedit, nihil vtilitatis amissum esse, docet. Et hoc est, quod in dicta authoritate dicitur. Sed quare hoc dicitur? Quia contemplatio *non est ad salutem necessaria*. Hoc est fundamentum illius doctrinæ. Et ex hoc fundamento, quod est commune omnibus, per quodque posita asserta firmantur, descendit Sancta Mater nostra ad eruditendum suas filias. Quæ quia ex instituto tenentur ad contemplationem; propterea debent illam solicitare. Si verò post debitam solicitudinem illam non habeant, non habent ex hoc, per quod tristentur; nec per quod se exclusas iudicent à consecutione perfectionis: quia in casu dicto, verificatur de ipsis, quod de omnibus viatoribus illam obligationem non habentibus, verum est: videlicet, quòd contemplatio *non est ad salutem necessaria*.

Habes ergo ex dictis, quod asserta nostra, quæ conveniunt in hoc, quod contemplatio non sit simpliciter necessaria ad salutem, sunt de mente nostræ Seraph. Doctricis, vt patet ex eius verbis. Quod idem asseri à Sanctis docet P. Paul. Señeri in sua concordia per hæc verba. Res mira est, ait, quòd cùm sancti ore pleno affirmaverint, contemplationem non esse necessariam aspiranti ad perfectionem; siquidem, vt hæc obtineatur, sat est meditatio: inveniatur qui (postposito omni timore) hoc neget: sub prætextu compassionis animarum, quæ hac de causa plurimùm fatigantur, & parùm proficiunt. Hæc doctus hic Pater asserit ex communi Sanctorum doctrina, quam sequi debemus; nè pereamus.

§. II. *Reſpondetur argumentis.*

74. CÒntra 1. concluſ. arg. primò: Omnes viatores poſſunt Deum contemplari: ergo & tenentur. Probatur conſequentia: Viator tenetur Deum diligere ex charitate: ſed non diligit Deum ex charitate, qui in ipſius obſequium non facit, quantùm poteſt: ergo ex quo homo poſsit Deum contemplari, tenetur ad contemplationem. Conſequentia videtur bona. Mai. autem certiſsima eſt, & minor probatur ex celebri illo, & in vtroque Teſtamento repetito præcepto, quod ſic apud Luc. cap. 10. v. 27. proponitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* Ergo ſi in homine dantur vires ad Deum contemplandum, illum contemplari debet, vt ex charitate diligat.

Reſpond. ex Div. Thom. de ſpirit. creatur. q. 5. art. 10. vbi ait: *Ad 1. ergo dicendum, quòd hoc, quod dicitur, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, intelligitur eſſe præceptum, ſecundùm quod totalitas excludit omne illud, quod impedit perfectam Dei inhæſionem, & hoc non eſt præceptum; ſed finis præcepti. Indicatur enim nobis per hoc, non quid faciendum ſit; ſed potiùs, quò tendendum ſit, vt dicit Auguſtinus.* Huius ergo doctrinæ fundamentum reſeravit Doct. ipſe Ang. 2. 2. q. 184. art. 2. ad 3. vbi duplicem perfectionem charitatis eſſe, docuit. Primam, ſine qua charitas eſſe non poteſt. Et hæc eſt ad ſalutem neceſſaria; caditque ſub præceptum. Secundam, ſine qua charitas eſſe poteſt: & hæc non eſt ad ſalutem neceſſaria, nec cadit ſub præceptum; ſed eſt finis præcepti, per ipſamque non dicitur nobis, quid facere debeamus, ſed quò tendere valemus. Vnde dum dicitur diliges Deum *ex omnibus viribus.* Si per ly *ex omnibus viribus* intelligatur perfectio, ſine qua charitas eſſe non poteſt: eſt vtique præceptum, ſed ad id non pertinet contemplatio. Si autem intelligatur perfectio, ſine qua charitas eſſe poteſt, tunc non intimatur præceptum, ſed oſtenditur finis, in quem tendere debent quotquot ſuæ ſaluti conſulunt. Vt autem in illum finem tendant, neceſſaria non eſt contemplatio: ſiquidem per opera vitæ activæ etiam itur in illum finem.

75. Arg. 2. Quia eſt frequens Myſticorum doctrina; quòd debent omnes ad contemplationem anhelare; ſic enim ait Mag. Valgorn. q. 3. Theol. Myſt. diſput. 3. art. item 3. cuius titulus eſt: *Debent omnes ad ſupernaturalem contemplationem aſpirare.* Similiter alij Myſtæ docent, inter quos noſter Philip. p. 3. Theol. Myſt. tract. 1. art. 6. ait: *Debent omnes, & maximè Deo ſpecialiter conſecratæ animæ, ad actualem fruitivam vnionem cum Deo aſpirare, & tendere.* Ergo aſſerere, quòd omnes viatores non debent contemplari, eſt contra ſenſum communem Myſticorum; atque ideò ſuſtineri non poteſt.

Reſp. verum eſſe, quòd plures è Myſticis illud aſſerunt, quod ſi probarent, libenter ipſis ſubſcriberem: ſed non probant. Teſtis ſit ipſe adductus Valgorn. qui ſuam illam poſitionem ſuadere nititur pluribus Scripturis, plurimiſque Div. Thom. teſtimonijs. Verùm omnia illa, ſi, adhuc ſuperficialiter, conſideres, nihil aliud ſuadere invenies, niſi quòd contemplatio eſt bona, conſequenterque appetibilis: quod nec negamus, nec illius authoris intentum ſuadet. Noſter autem Philip. plurimùm limitat ſuum illud dictum dicens: *Conveniens, immo neceſſarium eſt, vt* (vt anima) *pergat viterius, totamque vitam etiam vnitivam percurrat, vt tandem ad ſummitatem montis conſcenſa, Deoque intimè vnita, prædicta fœlicitate, ac beatitudine inchoata fruatur.* Vbi per illa verba *vt tandem, &c.* videtur inuere finem illius animæ eſſe *ad ſummitatem montis conſcendere*: & ſanè anima, quæ montem perfectionis conſcendere ſtatuit, vt Deo per contemplationem perfectiſſimam vniatur, tenetur à contemplatio-

tionem; nec aliter finè illum consequetur. Sed de his animabus, nec primum, nec alia duo asserta nostra loquuntur.

Nè autem contra tot Doctores, adeò doctos, expertosque procedere videamur, dicam, ipsos loqui de necessario vtilitatis, quod idem est, ac necessarium *ad melius*, vti docent nostri Complut. in log. disput. 1. q. 7. Vnde ab illis contemplatio asseritur necessaria, hoc est vtilissima omnibus viatoribus; si velint fructus spirituales abundantissimè possidere, Deoque suæ voluntatis centro faciliùs vniri. Quocirca Authores isti mysticè tradentes, & ad Mysticam Theologiam cæteros exhortantes, vt eos aliciant, & veluti compellant necessariam esse, adstruunt, contemplationem, quæ certè *ad melius* necessaria est. Et si illorum scripta mediteris, hanc solam necessitatem pro omnibus adstruere, videbis. Nos autem, qui mystica, non mysticè, sed scholasticè propinamus, non potuimus prætextu illius necessitatis *ad melius*, absolutè asserere, contemplationem esse omnibus necessariam: sed, suppositâ necessitate vtilitatis, negavimus necessitatem absolutam, seu medij, præceptique. Per quod animæ ad contemplationem non positivè aliciuntur; fateor: sed nec ab illa deterrentur. Et nostrum præsens principale, ac directum munus non est, animas ad contemplationem exhortari, sed illuminare intellectum, vt, ad quid ipsæ animæ teneantur, vel non teneantur, cognoscat.

76. Contra 2. concluſ. non est argumentum, quod facilimè solvi non possit ex dictis, & dicendis. Vnde arguitur tertiò contra tertiam conclusionem: Qui tenetur ad meditationem, ita debet meditari, vt meditatio eius fructuosa sit: ergo tenetur ad contemplationem. Anteced. est per se notum, & consequentia probatur 1. Quia omnis meditatio virtuosa terminatur ad attentionem quietam in Deo, quæ est simplex intuitus veritatis meditatæ; atque adeò contemplatio: ergo qui virtuosè meditatur, contemplari tenetur. *Secundò* probatur consequentia: quia, vt ex nostro Thoma à Iesu alibi diximus, meditatio, quæ contemplatione non finitur, virtuosa non est: sed qui tenetur ad meditationem, tenetur ad hoc, quòd sit virtuosa: ergo ad hoc, quòd contemplatione finiatur.

Resp. neg. Consequentiam intellectam de contemplatione, de qua intelligi nostrum assertum debet; videlicet, de contemplatione, quæ constituit vitam contemplativam: non autem de illa attentione quieta in Deo, quæ est vltima meditationis pars. Quandoquidem hæc non extrahit exercentem illam à statu vitæ activæ: aliàs purè meditativi contemplativi forent, iamque in illis daretur simùl vita activa, & contemplativa, quod absurdum esse, constat ex dictis disput. præcedenti, quæstione vltima. Et sanè, qui ad orationem discursus obligatur, eo ipso obligatus manet ad exercendas partes omnes illius orationis. Vnde tenetur ad præparationem, ad lectionem, ad meditationem, &c. ac per consequens tenetur ad omnes meditationis partes, quarum est vna illa quieta attentio. Ex quo patet, quòd nos de hac attentione non loquimur, dum ad contemplationem, qui ad mentalem orationem tenetur, dicimus non teneri.

Vnde ad 1. probationem consequentiæ omisso antecedenti, distinguatur consequens, & si loquatur de contemplatione illa, de qua antecedens loquitur, omittatur: si verò loquatur de contemplatione, quæ propriè contemplatio est, constituitque vitam contemplativam, negetur consequentia. Cuius distinctionis ratio ex dictis patet. *Ad* 2. probationem respondetur; quòd si Noster Thomas loquatur de contemplatione illa, quæ propriè est attentio quieta: eius authoritas vanè contra nos affertur, vt dictum est. Si autem loquatur de contemplatione propriè tali, verum dicit: sed loquitur de ijs, qui per viam spiritus incedunt sine illa præcisione, sub qua procedit assertum nostrum; nempe quòd spiritualis ille ad solam meditationem obligari velit. Sed in-

inquam, loquitur de ijs, qui ita viam ſpiritualem luſtrant, vt quantum in ipſis eſt, ad omnes gradus viæ ſpiritualis aſpirent. In his enim, ſi eorum meditatio non manuducit eos ad contemplationem, ſignum eſt talem meditationem bonam non eſſe. Quod intellige de meditatione quantum eſt ex parte ipſius meditationis: quia poteſt meditatio eſſe perfectiſsima, & tamen contemplatione non finiri, vti ex noſtra Seraph. Matre vidimus num. 72. ſed tunc non eſt ob defectum meditationis; ſed quia Deus contemplationem concedere non vult.

77. Arg. 4. & poteſt eſſe replica contra immediatè dicta: Quicumque meditatur aliquo temporis ſpatio trãſcurſo, pervenit ad ſtatum, in quo meditari non valet, & tunc debet ſe ad contemplationem applicare: ergo qui ad orationem mentalem obligatur, dum pervenit ad hunc ſtatum, contemplari tenetur. Anteced. conſtat ex dictis in noſtra Iſagoge, & conſequentia probatur: quia talis ex vna parte tenetur incedere per viam ſpiritus, vt ſupponimus, & ex alia meditari non poteſt, ſed contemplari valet: ergo tenetur contemplari. Probatur conſequentia: quia reſpectu huius in tali ſtatu poſiti viget obligatio mentaliter orandi: ergo debet tali obligationi ſatisfacere per illud medium; quod ipſi poſsibile eſt; immo & facilè, quod medium eſt contemplatio.

Vrgetur hoc à ratione, & à paritate: à ratione quidem quia licèt contemplatio ſit ex ſe perfectior, ac difficilior meditatione, ob quod non tenetur ad illam, qui obligatur præciſe ad incedendum per viam interiorem ſpiritus; aſt reſpectu huius, de quo loquimur, contemplatio eſt facilis, & meditatio reddita eſt impoſsibilis: ergo iſte debet contemplari. Anteced. eſt omnino certum, & conſequentia probatur: quia ſi cùm iſte obligatus fuit ad ſectandam viam interiorem ſpiritus non eſſet aliud medium niſi contemplatio, per quod illi obligationi ſatisfaceret; tunc caſus nemo illum excuſaret ab obligatione contemplandi: ſed in caſu poſito non eſt aliud medium, quo illam obligationem adimpleat, præter contemplationem: ergo ad illam tenetur.

Vrgetur à paritate: Etenim, qui obligaretur ad fundendum Deo preces ſemel v. g. in die; obligationi vtique ſatisfaceret, ſi oratione vocali, quæ facilior, ac minùs perfecta eſt, quàm mentalis, preces illas funderet: aſt ſi ex aliquo motivo redderetur ei impoſsibilis oratio vocalis, tunc caſus teneretur ad fundendum illas preces oratione purè mentali: & hoc non ob aliud, niſi quia obligatio perſeverat, & iam oratio vocalis eſt illi, tamquam ſi non eſſet: ergo pariformiter.

Reſpond. argumento, quòd ille, qui ſe ad orationem purè mentalem obligat, incipit implere promiſſa per meditationem, quæ ad illius vinculi ſatisfactionem ſufficientiſsima eſt: tum quia eſt oratio purè mentalis. Tum, quia pro tunc eſt impoſsibilis contemplatio. Et hoc eſt, quod in noſtra aſſertione tradidimus. Modò verò premit argumentum, intendens, quòd licet iſte non teneatur contemplari, dum incipit orationem mentalem exercere; tenetur tamen poſteà: videlicet, cùm elapſo pro meditatione tempore congruo, pervenit ad ſtatum, quo meditari non poteſt; poteſt tamen contemplari. Ad quod dicimus primò: noſtram reſolutionem intelligi debere caſu, quo ſit expeditio ad meditandum. Nec ad hoc dicendum movet argumenti vis; cùm ante illud hoc ipſum tradidiſſemus num. 70. & 71. Per quod patet ab omnia obiecta.

Dicimus 2. quòd ille, qui iam per meditationem incepit ſtare promiſſis, vel ſpiritus vtilitate allectus ita meditatur, quòd velit omnes viæ interioris gradus percurrere, & ad hoc ſeria maturitate dirigit ſuæ ſolicitudinis rotam: vel ita in meditatione eſt, vt vltra progredi renuat, vel non procuret. Si primo modo ſe habet, ad illum ſtatum perveniet, in quo meditari non poſsit: quocirca tunc ad contemplationem activam tenetur,

quæ

quæ tunc ei est facilis, & vnica oratio purè mentalis, quam exercere valet. Et per hoc patet, quod omnia obiecta concedenda sunt. Restat secunda consideratio, sub qua argumentum non inefficax apparet. Sub hac tamen

Respond. in forma ad propositum argumentum, omisso antecedenti, negando suppositum consequentis, videlicet, quod qui dicto modo secundo segerit in meditatione, perveniat aliquando ad illum statum, in quo sibi deserenda sit meditatio, & ad contemplationem transeundum. Iste vtique satisfacit obligationi contractæ; sed numquam ad contemplandum perveniet: quia contemplatio est gratia valde sublimis, quæ non datur nisi appetentibus, & petentibus. Vnde cum hic, de quo loquimur, nec appetat, nec petat contemplationem; quin potiùs illam habere non vult, vel vt minùs non procurat, propterea numquam illam habebit.

Et si huius doctrinæ perceptu facilis radicem non vulgarem desideras, memento, quòd, vt in superioribus dictum est, meditativi procedunt ad modum hominum, quia vtuntur intellectu, vt ratio est. Contemplativi procedũt ad modum Angelorum, quia vtuntur intellectu, vt intellectus est. Illi incedunt secundùm viam naturalem, regulatam per iudicium rectum rationis, & sapientiæ, quæ est virtus intellectualis: Isti verò incedunt per viam fidei, quæ supernaturalis est, regulaturque per sapientiam, quæ est Donum Spiritus Sancti. Illi, & isti ad cognitionem divinorum tendunt: sed illi media meditatione, quæ est inquisitio veritatis, dicitque actuum pluralitatem: & isti media contemplatione, quæ illam actuum pluralitatem non habet; sed est vnicus simplicissimus, ac quietissimus actus. Vnde qui ad contemplationem non aspirat, numquam reducit propriæ mentis activitatem ad vniformem, simplicemque actum: atque adeò numquam contemplatur, nec dum in illa actuum pluralitate manere vult, perveniet ad statum, in quo ei meditatio reddatur impossibilis, & facilis contemplatio. Et hoc est fundamentum, quod habuimus, vt suppositum negaremus. Quo negato, corruit quicquid, vel probando, vel vrgendo dictum est ab arguente: quin opus sit ad singula respondere.

78. Arg. vltimò: qui purè mentaliter orat, contemplatur: ergo qui tenetur ad orationem purè mentalem, tenetur ad contemplationem. Probatur antecedens: quia ille sua illa purè mentali oratione non exercet vitam activam. Quia hæc nascitur ex dilectione proximi, quæ ipsum proximum respicit, opem illi conferendo per opera externa, qualia sunt opera misericordiæ: sed qui purè mentaliter orat, nullum opus misericordiæ erga proximũ facit: ergo ille contemplatur.

Respond. neg. anteced. Ad probationem dicas primò: mentaliter orantem posse orare pro vivis, defunctisque: & hoc est vltimum ex operibus spiritualibus misericordiæ. Quod sufficit, vt quis exerceat vitam activam; non enim ad hoc requiritur, quòd omnia opera misericordiæ percurrat. *Respondetur* 2. Dilectionẽ proximi ipsum diligentẽ non excludere: immò à se ipso incipit charitas in sui actu secundario. Vnde vitam activam exercet, non solùm, qui proximo subvenit; sed etiam, qui propriæ spirituali vtilitati per meditationem insudat. Vita enim activa dividitur in eam, quæ propriæ, & in eam, quæ proximi saluti studet, vtî docet Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. vbi in corp. hoc supponit dicens: *Vita activa, quæ non ad alium, sed ad se ipsum tantùm ordinatur, neque dignior, neque vtilior est, quàm contemplativa, immo comparatur ad contemplativam, sicut vtile ad id, ad quod est vtile.*

QVÆS-

QUÆSTIO QUARTA.

Vtrùm ſint aliqui, qui ad contemplationem divinam teneantur?

QVæſtio præſens eſt, quæ anſam obtulit, vt tota hæc diſputatio hac in ſede locaretur: Nec dubitare valemus præſentem diſputationem, ſecundùm ſe inſpectam, congruentiùs alibi inſerendam. Nam, vt alia loca præteramus, poſtquam de vtilitate divinæ contemplationis egimus, methodus compoſitionis impellebat, vt de neceſſitate ipſius contemplationis ageremus. Verùm enim verò propter quæſtionem præſentem compulſi fuimus, vt inſtantijs methodi compoſitionis arbitraria methodus prævaleret. Si namque dubium præſens ante diſputationem de vita activa, & contemplativa, verſaretur, plurima abs dubio forent, vel immaturè prævenienda, vel indigeſtè exaranda. Quod, & ipſa rerum natura oſtendit, & ſeries agendorum demonſtrabit. Hoc igitur motivo ducti, huic diſputationi, & ſedem, & nomenclaturam amputandas rati ſumus: vt ſic ſub titulo *de principio quod contemplationis divinæ* iuxta diſputationem de vita activa, & contemplativa; verſaretur. Vt ſic ſpecies anteactæ diſputationis non abolitæ, an rectè in præſenti gradiamur, teſtes ſint.

§. I. *Imploratur lux cœleſtis, quæſtionis titulus explicatur, aliqua Prælibantur, & methodus tenenda proponitur.*

79. VOx ex Seraph. Matris noſtræ in arduis præmittendam eſſe orationem, vt ea media propitium difficilia aggrediẽti ſit Cœleſte Numẽ. Sic docet alma Doctrix monito 10. & 17. ex ijs, quibus iam regnans nos ditavit. Cuius veſtigijs inſiſtens, dum è portu ſolvo profundiſsimum pelagus calcaturus, *ne abſorbeat me profundum.* Pſalm. 68. *Quaſi lapidem in aquas validas proiectus.* Eſdræ lib. 2. cap. 9. v. 11. *In duam me ſacco obſecrationis, & clamabo ad Altiſſimum.* Baruch. cap. 4. n. 20. dicens: *Deus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo: : : : Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis : : : : Mitte illam de Cœlis Sanctis tuis, & á ſede magnitudinis tuæ: vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam, quid acceptum ſit apud te*; ex lib. Sapient. cap. 9. Optinam pro votis eveniat, quod exopto, vt ſic, quid tenendum ſit in hac tenebroſa materia, cognoſcere valeam.

80. Ad tituli explicationem accedens, dico, illum poſſe intelligi de omnibus illis perſonis, quæ vel ex propoſito ſibi à ſe ipſis liberè impoſito obligantur ad perfectionem conquirendam media contemplatione; vel ex ſtatu, quem profitentur. Inter quos duos modos eundi ad perfectionem media contemplatione, hoc intereſt: quòd primus modus eſt liber *in fieri*, & *in conſervari*; quia non ſolùm liberè contracta fuit illa obligatio, ſed etiam liberè conſervatur: ſi namque illa gravatus velit onus illud deponere, nullius criminis reus erit. Supponimus enim nullam obligationem habere, vt illud propoſitum conſervet: ſed ſicut fuit liber dum illud fecit, ita vt potuiſſet non facere; quin per hoc obligationem aliquam violatet: ſic etiam liber eſt, vt ſub tali vinculo conſervetur: poteſt quippe, cùm placitum ſibi fuerit, tali vinculo non ſubeſſe. Spectat tamen ad quæſtionem præſentem, quatenus dubitari poteſt: an hic, qui media contemplatione ire ad perfectionem ſtatuit, poſſit,

sit, dum animum eundi ad perfectionem conservat, in ipsam sine contemplatione tendere. Sed quamquàm ex hac parte ad præsentem controversiam spectet, de illo non disputamus. Tametsi mirùm non erit, si occasio se offerat, vt quid, circa hoc tenendum sit, aperiamus.

Nostra autem solicitudo in illum collineat, qui ex statu, quem profitetur, vinculo eundi in perfectionem, media contemplatione, gravatur. Quod vinculum *in fieri* liberum fuit, in quo convenit cum præcedenti, à quo tamen discriminatur, per hoc, quòd *in conservari* non est liberum: debet enim iste, ex quo professus fuit, ire ad perfectionem, & medium, quo in illam ire decrevit, nempe contemplatio, semper viget. Sed tamen disputatur, quid per contemplationem intelligendum sit? Et an possit per alia media in finem, sibi à se liberè præstitutum, ire? Et sub titulo sic intellecto, comprehenduntur omnes professores omnium Sacrarum Religionum, quæ contemplativæ sunt. Non autem de omnibus illis disputabimus; sed solùm de nostræ regulæ primitivæ professoribus. Cum istis, ac de istis loquor, & vtinam loquar, quæ, vt opto, communem aliquam vtilitatem afferre possint.

81. Exposui quæstionis titulum: prælibanda subijcio eorum primum, ac præcipuum est, mihi in præsentiarum rem esse cum ijs, de quibus Martial. lib. 1. epigr. ait:

Non est, crede mihi, sapientis dicere, vivam
Sera nimis vita est crastina, vive hodie.

Cum his ergo mihi sermo est, qui hodie vivunt, dum ista legunt: Sed ita vivunt, ac si certò scirent crastina luce inter mortuos computandos. Consideremus igitur nos circa mortis horam constitutos, & tunc cùm tamquam rei ingemiscimus, horroreque terribilis illius sententiæ ianuas iam nostras pulsantis, gelidus per omnia vagatur ossa tremor, præsens quæsitum iudicemus, quæque circa illum mens nostra sit, aperiamus: extemplò enim polliceor omne, quod hæc considerantes, decreverint, sectaturum. Et hoc est primum, ac potissimum, quod in præsenti præmitendum, censui: vt ostenderem, me non disputare cum ijs, qui se multùm à morte distare, suspicantur. Motivum se se cuique pandit: vt quid in eius expensione morabor?

82. Secundum, quod supponendum est, consistit in eo, quòd contemplatio, de qua loquimur, non est infusa, sed acquisita: cuius rationem ipsa vtriusque contemplationis natura offert. Non enim dignum disputatu est: an aliquis teneatur ad id, quod in sua manu, seu potestate non est: quiaque contemplatio infusa hominis potestati, aut arbitrio non substernitur, sed habetur ex liberaliter, ac misericorditer concedente Deo; propterea de illa sermo non est. Loquimur autem de contemplatione acquisita, quam viribus communibus gratiæ haberi à nobis posse, dubium non est. Nec loquimur de contemplatione acquisita in animi præparatione habita; sed de illa habita in re, quantùm est ex parte nostra: nam siquis quantum potest, exequitur, vt habeat cõtemplationem, & illam Deus deneget, quod multoties evenire, constat ex dictis num. 72. tunc iste ad nil aliud obligatur.

83. Supponendum est 3. obligationem in præsenti non sumi pro obligatione secundùm quid, seu ad melius: quod idem est, ac asserere contemplationem fore vtilem professoribus nostræ primitivæ regulæ, quod indubiè est supponendum. Vnde loquimur de necessitate simpliciter tali; ita vt obligatio ad contemplandum talis sit, quòd eius fractio peccatum lethale sit. De hac necessitate loquor, de hac obligatione, de hoc peccato. Quæ ideò sic exprimimus; quia videmus authores de hoc loquentes ambiguis verbis vtentes, vt cernere apud ipsos est. Nos verò adeò perspicuè loquimur, vt verba nostra tergiversari non valeant.

84. Quarto denique suponendum est, discrimen maximum adesse inter

Doctores Mysticos, & Morales in hoc, quod est explicare tendentiam ad perfectionem. Apud morales enim appetitus rei minimæ, & affectus ad illam, immo & (apud aliquos, quos post modùm adducemus) propositum, seu consuetudo frangendi omne id, quod in constitutionibus, & in regula continetur, quod tamen sub mortali non obliget, non impedit tendentiam ad perfectionem, cui, consequentèr, solummodò contrariatur fractio eorum, quæ sub culpa gravi obligant. Non crederem possibilem talem motum ad perfectionem, si apud nostrum cursum moralem tract. 15. cap. 1. p. 2. num. 23. non perspexissem. Doctor autem Mystici omnem affectum, & appetitum contrarium esse huic motui planè docent, de quo mirè loquitur Extat. noster Doct. passim in suis scriptis; videatur tamen lib. 2. ascens. cap. 11. Verùm quid circa hoc dicendum ex progressu declarabitur. Modò verò transeamus ad vltimum, quod promisimus.

85. In progressu huius controversiæ eam methodum observabimus, quæ rei agendæ lucem, quoad fieri valeat, conciliet. Vnde per diversos §. §. diversa asserta statuemus, quorum prima viam sternant ad alia: sic enim & claritati consulitur, & fastidit occasio lectoribus amputatur.

§. II. *Professor nostræ primitivæ regulæ tenetur sub mortali ire ad perfectionem.*

86. IN hoc conveniunt omnes Theologi. Probaturque ex definitione status religiosi, qui sic definitur: Est *status perfectionis perpetuò acquirendæ per tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, & traditione facta sui in religione approbata ab Ecclesia sub regula determinata.* Cuius diffinitionis explicationem videre poteris apud Curs. moral. citatum, Director. regular. & alios. Quod ad nos spectat, sunt prima datæ diffinitionis verba, quibus religio dicitur, *status perfectionis perpetuò acquirēdæ*, quæ sub mortali obligari religiosos, concors est Doctorum sententia cum Div. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. in fine corp. vbi ait: Religiosus *non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quæ determinatè sunt ei taxata secundùm regulam, quam professus est.* Et ad 1. addit: *Ille qui transit ad religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur se habere studium ad perfectionem consequendam. Sicut etiam qui intrat scholas non profitetur se scientem, sed profitetur se studentem ad scientiam acquirendam: : : : Et ideò religiosus non est transgressor professionis, si non sit perfectus, sed solùm si contemnat ad perfectionem tendere.*

Hæc est religiosorum obligatio, & quidem valde gravis, & quæ impleri non potest sine magna solicitudine, & animo proficiendi. Pulchrè Navar. apud citatum Curs. ait: Terribilis est multis religiosis hæc sententia, qui neque actu, seu actualiter; nec virtute, seu virtualiter, habent animum se in dies magis in charitate proficiendi: nec curant plusquàm boni Clerici sæculares, vel laici ad eam tendere. Hæc Navar. Sed certè licèt terribilis sit sententia hæc; est tamen abs dubio vera. Vnde debet omnis religiosus satagere, vt ad perfectionem tendat: & hoc non aliquando, sed semper: hoc enim significatur per illud verbum *perpetuò* positum in tradita definitione.

87. Ex hoc ergo principio omni religioso communi, patet professores nostræ primitivæ regulæ ad perfectionem teneri: quam si non procurent, lethaliter peccant. Sciant ergo in via virtutis animam esse sine aliquo motu impossibile esse. Si ad perfectionem tendit, proficit: si non tendit ad perfectionem, deficit, & currit ad perditionem. Status medius non est dabilis: quod eleganter docet Div. Bern. epist. 254. per hæc verba: *Nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent, sufficit nobis: nolumus esse meliores, quam Patres nostri. O monache,*

non vis proficere? Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquit, vivere volo: & manere, in quo perveni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod fieri non potest. Clariùs autem loquitur Sanct. Pater epist. 91. vbi ait: *Vidit Iacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes: numquid stantem quempiam, sive sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ: neque in incerto huius mortalis vitæ quidpiam in eodem statu permanet. Aut ascendas necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Minimè profectò est bonus, qui melior esse non vult: & vbi incipit nolle fieri melior, ibi desinit esse bonus.* Et etiam si daretur medius ille status, non posset in illo sine culpa manere, qui habet statum *perfectionis perpetuò acquirendæ*, vt de se notum est.

88. Ad hanc perfectionem tendere debet Carmeli reparati alumnus, & media, per quæ tendere debet, iam assignavit Div. Thom. non enim tenetur ad omnia consilia, *seu exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur: sed ad illa, quæ ei determinatè sunt taxata secundùm regulam, quam professus est.* Quod illi convenit secundùm rationem communem religiosi, qualiter in præsenti loquimur de eo. Est enim cuiuscumque religiosi ad perfectionem aspirare per illa media, *quæ ei determinatè sunt taxata secundùm regulam, quam professus est.*

89. Et tenetur in perfectionem ire, non segniter, aut negligenter, sed fervidè ac promptè. Quod mira profunditate docuit laudatus Div. Thom. ijs verbis: *Profitetur se habere studium ad perfectionem consequendam.* Inspice, qui consideras mortem propè ianuam iuxta dicta num. 81. Quod religiosus non qualitercumque gradi ad perfectionem debet; sed debet habere *studium* ad illam consequendam. Et si vis scire, quid *studium significet?* Audi Ciceron. lib. 1. de invent. *Studium*, ait, *est animi assidua, & vehemens ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate, occupatio.* Sic Tullius definit *studium*, quod nos secundùm nostrum Ang. Præcept. habere debemus erga perfectionem acquirendam. Vnde omnia hactenus dicta in vnum colligentes dicimus: ad Carmelitam Excalceat. qua religiosum, spectare sub obligatione lethalis culpæ, habere continuum motum, quantùm fas sit, fervidum, ad sibi comparandam perfectionem.

§. III. *Contra positum assertum argumenta soluta.*

90. CONtra dicta §. præcedenti, Arg. 1. Religiosus non tenetur ad perfectionem habitam: ergo nec ad eundum in illam. Anteced. est omnino certum, & consequentia probatur: Quia qui tenetur ire ad aliquem terminum, à quo non infinitè distat, tenetur in talem terminum pervenire; vt quid enim continuus motus in terminum non multùm distantem, si talis terminus consequendus non est? Ergo si religiosus non tenetur ad perfectionem habitam; similiter nec ad illam habendam tenetur.

Respond. neg. consequentiam; ad cuius probationem dicas: aliud esse pervenire in terminum *ad quem*: aliud verò in illum ire. Ad primum non tenentur religiosi, ad secundùm verò obligantur. Et licèt ex communi modo loquendi pro eodem vsurpetur obligatio eundi ad Romam, & obligatio ad illam perveniendi: re tamen vera potest quis teneri ad primum, quin ad secundum teneatur. Medium transeundum, vt perfectio habeatur, limitatum quidem est; sed quod ex vna parte plures inimicos, eosque valde solertes habet, qui iter retardare alto conamine satagunt. Ex alia verò non tenetur religiosus ita celeriter tendere, vt medium illud absolvatur priusquàm vita: vnde tota hæc consumitur frequenter, quin perfectio ante mortem habeatur: habetur tamen post illam, per quod ostenditur, motum illum in perfectionem in vanum non fuisse.

91. Arg. 2. Non compatitur cum

miſeria huius vitæ, quòd religioſus actu ſemper feratur in Deum: ergo nec quòd *perpetuò* in perfectionem tendat. Anteced. eſt certum, edoceturque à Div. Thom. pluribus in locis, inter quæ 2. 2. q. 184. art. 2. ait: *Alia autem eſt perfectio, quæ attenditur ſecundùm totalitatem abſolutam ex parte diligentis, prout ſcilicet affectus ſecundùm totum ſuum poſſe, ſemper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non eſt poſsibilis in via, ſed erit in patria.* Deinde probatur conſequentia: nam *perpetuò* tendere in perfectionem, eſt ſemper, & actualiter tendere in Deum: ergo, &c.

Si dicas: tendentem ad perfectionem debere ſemper ad Deum ferri, non actu, ſed habitu: & hoc ſat eſſe, vt *perpetuò* ad perfectionem moveatur. Contra eſt: Quòd habitus non cadit ſub præcepto: ergo per hoc, quòd homo per habitum feratur in Deum, implere non poteſt præceptum eundi ad perfectionem.

Reſpond. argumento: conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: ad cuius probationem reſpondet Div. Thom. q. 1. de char. art. 11. *Ad 3. dicendum, quòd aliud eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter: habitualiter enim refert in Deum, & qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, vt dormiens: ſed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum. Vnde habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto: ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub præcepto charitatis: cùm hoc nihil aliud ſit, quàm habere Deum vltimum finem.* Quocircà religioſus tendere *perpetuò* ad perfectionem, non ſignat ipſum ſemper actu reſpicientem Deum. Sufficit, ſi virtualiter reſpiciat: per hoc enim ſemper reſpicit Deum, vt vltimum finem; atque adeò tendit ad perfectionem. Et hoc eſt, quod Apoſtol. 1. ad Corint. cap. 10. docebat dicens: *Sive manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et noſtra regula cap. de exhortat. præcipit: *Quæcumque vobis agenda ſunt, in verbo Domini fiant.* Per hæc enim omnia *in gloria Dei*, ſeu *in verbo Domini* actu facere, non præcipimur: ſed virtute facere iubemur.

92. Arg. 3. Cum ſtatu religioſo compatitur conſuetudo frangendi quicquid in regula, & conſtitutionibus non obligat ad mortale: ſed cum conſuetudine toties venialiter delinquendi, frangendique omne, quod ſibi præceptum eſt, dummodò ſub mortali non præcipiatur, non compatitur tendentia ad perfectionem: ergo de conceptu ſtatus religioſi non eſt, quod eius profeſſor ad perfectionem eat. Minor, in qua diſsidium eſſe poterat, probatur: Quia ſi obligatio eundi ad perfectionem ſolummodò frangeretur per fractionem eorum, quæ obligant ſub mortali, nullum diſcrimen, quoad hoc, eſſet inter religioſos, ſæculareſque; ſiquidem ſæculares lethaliter peccant, ſi præceptum grave violant; & venialiter, ſi præceptum leve: etiam ſi levia præcepta ex conſuetudine frequentiſsimè violent: & hoc ideò eſt, quia nullo præcepto eundi perfectionem gravantur: ergo nullum diſcrimen adeſt inter religioſos, & ſæculares,

93. Vrgetur hoc: etenim qui ex conſuetudine violat omnes leves obligationes, immo habet ſolummodò propoſitum ſervandi, quæ ad mortale obligant, nihil aliud ſolicitat, niſi conſervare charitatem; ſed per hoc non itur ad perfectionem; aliàs ſæculares, qui tenentur ad conſervandam charitatem, tenerentur ad perfectionem tendere: ergo qui propoſitum habet implendi ſolummodò obligationes graves, & alias ex conſuetudine violat, non tendit ad perfectionem.

94. Huius argumenti omnes ferme Morales mentionem faciunt: quorum plures reſpondent, concedendo maiorem, & negando minorem: ad probationem negant anteced. Et diſcrimen inter religioſos, & ſæculares conſtituunt in eo, quòd ſæculares non tenentur ad conſilia; religioſi verò non ſolùm tenentur ad præcepta, ſicut ſæculares, ſed etiam ad conſilia, quæ licèt,

ex

ex ſuppoſitione profeſsionis, ſint iam illis præcepta, abſolutè tamen conſilia ſunt, quibus omnino liberè ſe obligavere. Vnde religioſi per ſolam obſervantiam præceptorum abſolutè talium, & præceptorum, ex ſuppoſitione talũ, hoc eſt conſiliorum, tendunt ad perfectionem: ſæculares autem ad perfectionem ire non tenentur, quia ſolùm præceptis abſolutè talibus ſubſunt.

Ad vrgentiam conſequenter dicent: Conſervantem charitatem medijs præceptis, & conſilijs, tendere ad perfectionem: quocirca religioſus ad perfectionem tẽdit; quia medijs præceptis, & conſilijs, charitati conſervandæ ſtudet per propoſitum, quod habet nullam gravem obligationem violandi. Quod, vt dictum eſt, non verificatur in ſæcularibus.

95. Hæc eſt horum ſolutio, vnde aſſerunt: non peccare mortaliter religioſum habentem illud propoſitum ſervandi ſolummodò obligationes graves, & alias ſæpe ſæpius ex conſuetudine violantem: hunc, inquam, mortaliter non peccare, dicunt, contra hanc obligationem tendendi ad perfectionem: licèt ex alijs capitibus peccatum grave adeſſe poſſe, fateantur; videlicet, ex contemptu, ex ſcandalo, & ex ruina, quam in alijs cauſat, vt ſimiliter ſine legum obſervantia vivant, & ex alijs capitibus, quæ omittuntur.

96. Deſideranti autem mihi ſcire, ſi hæc, quæ per accidens faciunt mortale peccatum adeſſe, rarò, vel frequenter eveniant: occurrunt ij authores adducentes, approbanteſque, quæ Thom. Sanchez dicit lib. 6. Decal. cap. 4. num. 17. per hæc verba: *Quare, ſi poſſibile eſſet id, quod moraliter impoſſibile eſt, nullam ſequi religionis ruinam, nec periculum tranſgreſſionis votorum, nec contemptum, ex vniverſali decreto non ſervandi ſtatuta religionis, ad mortale non obligantia, tale decretum non eſſet mortale: quia nulla eſt ratio ſufficiens damnandi ad illud.* Hæc Thom. Sanchez, ex quibus inferre licet: habentem tale propoſitum non implendi niſi ea, quæ graviter obligant, nullatenus ad perfectionem tendere. Quippe impoſsibile eſt moraliter tale propoſitum ſine culpa gravi ob ruinam religionis, ob periculum tranſgreſsionis votorum, ob contemptum obligationum levium: ſed cum peccato mortali, impoſsibile metaphyſicè eſt, tendere ad perfectionem: Ergo, & cum tali propoſito. Conſequentia eſt innegabilis. Maior continet adverſariorum doctrinam, & minor eſt omnino certa.

Bene video authores contrarios loqui cum præciſione de obligatione eundi ad perfectionem, ſecuudùm ea, quæ ex ſe dicit: non autem de ipſa obligatione, ſecundùm ea, quæ accidentaliter illam comitantur. Primo enim modo dicunt non violari obligationem eundi ad perfectionem per conſuetudinem violandi omnes obligationes leves, nec per propoſitum illas non implendi, eò quòd neceſſariæ non ſunt, aut eò quòd graves nõ ſũt. Secũdo modo autẽ impeditur tendentia ad perfectionem per illud propoſitum, eò quòd moraliter impoſsibile eſt, quòd propter dicta non adſit culpa gravis. In qua doctrina vnum conceditur, & aliud negatur. Et ex illo, quod conceditur, conſtat verum eſſe id, quod diximus, videlicet, quòd implicat modus ad perfectionem cum illo propoſito. Sed tranſeundo ad id, quod negatur, poſſumus datam ſolutionem impugnare ab inſufficentia, & à falſitate, & hoc ex ipſa doctrina opinionis adverſæ. Vnde contra talem ſolutionem

97. Diſputo ſic 1. Per hoc quod religioſi teneantur ad conſilia, ad quæ ſæculares non tenentur, non ſalvatur diſtinctio, quæ inter eos datur, in hoc, quòd non ſæculares, ſed religioſi teneantur ire ad perfectionem: ergo data ſolutio inſufficiens. Prob. anteced. Poteſt ſæcularis vovere aliqua, quæ aliàs ſunt præcepta, quæ licèt abſolutè præcepta ſint; tamen vt elevata ad propriam materiam religionis, ſunt conſilia: ſed ſæcularis, qui his conſilijs abſolutè, ex ſuppoſitione præceptis, teneretur, ex vi huius nullam ſpecialem obligationem contraheret eundi ad per-

perfectionem : Ergo poteſt ſæcularis teneri ad conſilia, quin ad perfectionem tendere teneatur. Conſequenterque ſicut illa obligatio ad ea, quæ alias ſunt conſilij, non ſecernit illum ab alijs ſæcularibus ; ſic nec ab illis ſecernitur religioſus per conſiliorum obligationem, quoad hoc, quòd eſt obligari ad perfectionem. Min. in qua ſtare poteſt difficultas, probatur: Quia obligatio eundi ad perfectionem eſt propria ſtatus religioſi, vt patet ex definitione ſupra poſita : ergo cùm ſæcularis ille per illam novam ad conſilia obligationem non conſtituatur intra ſtatum religioſum, nullam obligationem contrahit eundi ad perfectionem.

98. Diſputo 2. Licèt obligatio eundi ad perfectionem ſit in religioſo idem cum obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares ſuæ profeſſionis, vt bene docet noſter Curſ. moral. eſt tamen diverſa ab obligatione votorum, præciſivè ſumpta : ergo per hanc votorum obligationem præciſivè ſumptam, non diſcernitur religioſus à non religioſo, quoad hoc quòd eſt obligari ad perfectionem. Probatur antecedens primò : Quia poteſt ſæcularis vovere paupertatem, & caſtitatem, & etiam obedientiam ſuo Epiſcopo, vel Directori ; quin vt num. præcedenti dictum eſt, obligatus eo ipſo ſit ad eundum in perfectionem : ergo hæc obligatio diverſa eſt ab illa; ſiquidem ſeparatur ab illa. *Probatur* 2. illud anteced. qui violat obligationem eundi ad perfectionem non violat vota religioſa: ergo diverſa eſt vtraque illa obligatio. Probat. anteced. quia ſi vota violaret, vel eſſent omnia, vel aliquod: non omnia : quia non ire ad perfectionem, nullum commercium habet cum caſtitate, & paupertate, niſi illud non ire ad perfectionem, ſit ob fractionem eorum, quæ ad hæc vota ſpectant. Sed nec aliquod : quia ſi obligatio illa foret idem cum obligatione votorum, non eorum aliquod, ſed omnia frangeret, qui illam obligationem violaret.

99. Si dicas : Violator illius obligationis agere contra votum obedientiæ. Contra eſt 1. quia ſi agit contra votum obedientiæ, & non contra alia: ergo illa obligatio erit idem cum obligatione ſervandi, votum obedientiæ. Cur ergo dicis, quòd eſt idem cum obligatione ſervandi omnia vota ? *Contra* ſecundò : Quia votum obedientiæ non frangitur per illam omiſsionem ex ſpeciali quodam motivo illam ad illud ſpectare faciente, ſed ex generali circunſtantia inventa in omni peccato: vnde quæ contra paupertatem ſunt, ſunt etiam contra obedientiam ; quia paupertas præcepta eſt; ſed ſicut ex hoc non ſequitur, quòd obligatio ad paupertatem non ſit diverſa ab obligatione obedientiæ : ſic in noſtro caſu. *Contra* 3. quia in ſæculari, vtî diximus, poteſt dari votum obedientiæ, quod ibi ſeparatum eſt ab obligatione nitendi ad perfectionem, eo modo, quo illam habet religioſus.

Si dicas, hanc obligationem eſſe propriam voti obedientiæ religioſæ. Reſpondeo hoc dictum bifariam accipi poſſe. Primò, ita vt talis obligatio ſit idem cum obligatione obedientiæ religioſæ. Et hoc modo falſum eſt, quod dicitur : immo & contradicentem, qui illam obligationem eandem eſſe cum obligatione ad omnia vota, aſſerit. Secundò poteſt intelligi, ita vt ad obligationem obedientiæ religioſæ quâ talis, ſubſequatur indivulſè illa obligatio. Et ſic verum eſt, quod dicitur ; ſi ad omnia vota religioſa extendatur. Ex votis enim religioſis reſultat illa obligatio. Vnde ſi vota religioſa ſumantur, non ſolùm ſecundùm ea, quæ formaliter dicunt ; ſed etiam ſecundùm ea, quæ radicant, planè obligatio nitendi ad perfectionem invenitur in ipſis : hoc tamen nobis non opponitur.

Hæc dixerim, vt opinionem, quam circa hoc punctum defendunt Tamburin. Lezana, Barboſa, Silveſter, Tabien. & alij plures apud P. Suar. tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 4. qui ſententiæ oppoſitæ magnus patronus eſt, ad illam quæ adducere nititur Div. Thom. quod an aſſequatur, aliorum eſto iudicium, valde probabilem eſſe oſtenderem.

Nobis

Nobis autem ad noſtrum intentum ſufficit, quòd faciens propoſitum non obſervandi niſi obligationes graves, peccet; ſivè ſit ex vi huius obligationis, ſive aliunde. Ex quo enim graviter delinquit, ad perfectionem non tendit. Vnde tale propoſitum, dicimus, eſſe deſtructivum motus ad perfectionem. Quo ſuppoſito, videndum nobis eſt, quid ad argumentum num. 92. factum reſpondeamus.

§. IV. *Solvitur argumentum num. 92. poſitum, & obiectiones aliquot diſſipantur.*

100. AD argumentum reſpondetur: Incompatibile eſſe cum ijs, quæ ſunt propria ſtatus religioſi, illud propoſitum. Quippe ſtatus religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirēdæ, cum qua perfectione pugnat peccatum grave vndecumque veniat. Quare negatur maior, non quia per tale propoſitum, ſeu conſuetudinem, pereat ſtatus religioſus; ſed quia non compatiuntur in religioſo cum obligatione proprijſsima ſtatus religioſi, videlicet, cum tendentia ad perfectionem. Eſt enim illud propoſitum lethaliter peccaminoſum; atque ideò deſtruit in religioſo ſtatus religioſi nitorem.

Ad vrgentiam, qua vtitur P. Suarez, faciliter reſpondetur: Quod habens illam deteſtabilem conſuetudinem, poteſt vtique ſolicitare ſervare charitatem; hæc tamen ſolicitudo ore tenus erit: re tamen ipſa charitatem deſtruit, ex quo illud propoſitum fecit. Ex tunc enim periculo proximo peccandi ſe expoſuit; quod quidem peccatum procul dubio eſt, iuxta communiſsimum D.D. ſenſum, quibus prælu-xit David dicens Pſalm. 118. *Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti ſunt*: Idem enim eſſe aſſeritur, longè à Dei lege, illam videlicet violando, fieri; ac iniquitati appropinquare. Et Eccleſiaſt. cap. 3. ait: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eſt ergo certum tale propoſitum peccaminoſum eſſe, ſive quia directè contrariatur obligationi nitendi ad perfectionem, ſive quia eſt moraliter impoſsibile tale propoſitum haberi; quin peccatum fiat, vel ob contemptum, vel ob ruinam, vel ob alia capita, quæ accumulant Authores. De quo videri poſſunt N. Curſ. moral. Suarez, Sanchez, Caietan. Silveſt. Buſembaum lib. 4. cap. 1. dub. 3. la Croix lib. 4. à num. 58. & lib. 5. num. 214.

101. Contra hanc tamen doctrinam obijcies 1. Nulla ex ijs obligationibus graviter obligat: ergo nec omnes. Anteced. eſt certum de ijs enim obligationibus loquimur, quæ vel ſolùm ad pœnam, vel ſolùm ad culpam venialem obligant. Et conſequentia probatur: eò enim quævis ex dictis obligationibus frangitur ſine culpa gravi, quia non eſt præceptum graviter obligans ad illam obſervantiam: ergo cùm non detur tale præceptum pro omnibus, etiam non obligant graviter.

Reſpond. neg. conſequentiam: aliud iudicium faciendum eſſe de collectione, ac de quavis ex illis obligationibus, inde conſtat, quòd illæ obligationes, quæ tantùm pœnales ſunt, ſingulæ violantur ſine omni prorſus culpa; earum tamen collectio, ſeu propoſitum illas omnes violādi eſſe ſine culpa non poteſt, etiam apud Authores ſententiæ adverſæ, qui in tali propoſito de ordinationem ſpecialem inveniunt, quæ non eſt in fractione vniuſcuiuſque ex dictis legibus. Nos autem collectionem legum pœnalium, & collectionem legum ad culpam levem obligantium, & potiori iure, collectionem ex omnibus dictis legibus non poſſe ex propoſito violari ſine gravi culpa propter dicta aſſerimus. Quæ rationes non militant in quavis illarum, vt quiſque cognoſcere poteſt.

102. Obijcies 2. Actus voluntatis in tantum eſt peccaminoſus, in quantum obiectum eius eſt pravum; ſed obiectum voluntatis nolentis ſervare leges ad mortale non obligantes, non eſt pravum: ergo nec talis voluntas peccaminoſa eſt. Cætera conſtant, & mi-

minor probatur: Quia tale obiectum non eſt prohibitum, nec extat præceptum illud prohibens: ergo.

Reſpond. omiſſa mai. negando minorem: ad cuius probationem dicas: Quòd licèt non detur præceptum graviter obligans ad executionem cuiuſcumque ex ijs legibus; datur tamen præceptum prohibens illud propoſitum: ex quo enim tale propoſitum eſt occaſio præcipitij proprij, ruinæ aliorum, aliaque hactenus dicta habet, eſt intrinſecè malum, repugnanſque Deo, ac Religionis Patriarchæ, qui per collectionem omnium illarum legum maximum bonum intenderunt ipſi religioni, eiuſque profeſſoribus. Quod bonum colligere non potuerunt ex vna, vel ex altera lege. Vnde qui vnam, vel alteram frangit, non opponitur illi maximo bono, cui omnium violatio contradicit. *Omiſſimus* maiorem, quia non eſt vniverſaliter vera: quia poteſt obiectum bonum attingi negligenter, vel inordinatè, vel ob pravum finem, tunc que actus voluntatis peccaminoſus eſt, quamquàm obiectum ſit bonum.

103. Dices contra principalem ſolutionem: Violare omnes leges ſine dicto propoſito non eſt culpa gravis: ergo nec violare illas omnes cum illo propoſito. Vtraque propoſitio probanda eſt: & primò probatur antecedens: Nulla ex ijs legibus obligat ſub mortali: ergo omniũ fractio mortale non eſt. Patet anteced. loquimur enim de legibus, vel ad nullam, vel ad ſolam culpam venialem obligantibus. Et conſequentia probatur: Quia cum leges violatæ leves ſunt, & aliàs eorum violationes non continuantur moraliter, numquam poſſunt toties, vel tot leges violari, quòd inde gravis culpa reſultet; vt patet in eo, qui levia mendacia eructat: è contra autem, quia furta levia moraliter continuari valent, multoties pervenitur ad furtum leve, quod grave peccatum eſt: ſed leges, de quibus diſputamus, ſunt leves, & fractio earum non continuatur moraliter: ergo. *Deinde* probatur principalis conſequentia: Quia dictum propoſitum nullam ſpecialem oppoſitionem dicit cum illo maximo bono intento à Religionis Fundatore, quam non dicat fractio omnium legum: ſed fractio omnium legum ſine illo propoſito non opponitur bono illi: ergo nec cum propoſito.

Reſpond. 1. cum Eliz. apud citatum la Croix, negando ſuppoſitum antecedentis. Implicat enim, ait, violatio omnium legum ſine propoſito virtuali, ac interpretativo: quod poſitum in moralibus æquivalet formali. *Reſpond.* 2. quòd violare omnes leges non obligantes ad mortale, vel earum plures ex conſuetudine, ſtare non poteſt ſine culpa gravi, quicquid ſit, an ibi interveniat, vel non interveniat propoſitum. Ratioque ea eſt, quia ex hac adeò ampla violatione, & conſuetudine, eadem inconvenientia ſequuntur, ac ex violatione illa cum propoſito, vt paſsim citati Authores põderant. Peius eſt frangere illas leges cum dicto propoſito; ſed hoc non tollit, quòd ſit malum valde grave illas ex conſuetudine violare. Quod ex dictis notiſsimum eſt.

104. Placet tamen vberioris doctrinæ cauſa, ſic diſcurrere: Poteſt vnus religioſus violare ex induſtria, & conſuetudine omnes ſuas leges non obligantes ad mortale, ſine gravi culpa; immo gradiens ad perfectionem: ergo hoc idem poſſunt facere duo religioſi. Ergo & tres. Ergo & omnes. Anteced. conceditur ab illis, qui dictum propoſitum, & violationem omnium legum levium, veniale peccatum reputant. Prima conſequentia ex antecedenti eſt infallibilis, ſicut ſecunda ex prima, & ex vtraque tertia: quia, teſte Philoſopho, vbi pluralitas non obeſt, neque infinitas. Quamobrem ſi vera ſententia oppoſita foret, dari poſſet religio cuius omnes profeſſores nullam ipſius legem, non obligantem ad lethale, non violarent: & nihilominus omnes illi gratia decori ad perfectionem charitatis graderentur. Quod in noſtra diſcalceata familia facilimum foret: quandoquidem omnes ſuæ leges ſunt pœnales, & regula ſolummodò ad veniale obligat. O perfectio, nullatenus æmulanda ab

ijs.

ijs, quibus imperatur, vt meliora charismata æmulentur! O perfectio neutiquam admittenda ab ijs, quos sua consideratio ad valvas mortis constitutos habet! Iugum Christi suave credo, sed iugum. Onus Domini leve credo, sed onus. In hac autem pulchra perfectionis via video suavitatem, sed iugum non inspicio: levitatem agnosco, sed onus non contemplor.

Scire vellem ab hanc perfectionis viam sternentibus, an isti religiosi, qui ex industria omnes suas leges ad mortale non obligantes violant, mali sint, an virtuosi? Virtuosos esse dicent, cùm tendere ad perfectionem asserant. Sed Div. Thom. eos iniustos, ac malos appellat, ex quo non nisi coacti à superioribus leges, quibus subdunt, servent. Sic enim ait Sanctus Doct. 1. 2. q. 96. art. 5. in corp. *Dupliciter ergo aliquis homo potest esse legi subiectus. Vno modo, sicut regulatum regulæ: & hoc modo, omnes illi, qui subduntur potestati, subduntur legi, quam fert potestas:::: Alio verò modo dicitur aliquis subiectus legi, sicut coactum cogenti: & hoc modo homines virtuosi, & iusti non subduntur legi, sed soli mali, quod enim est coactum, & violentum, est contrarium voluntati. Voluntas autem bonorum consonat legi, à qua malorum voluntas discordat: & ideò secundùm hoc boni non sunt sub lege, sed solùm mali.*

Vide, quomodò Div. Thom. non inter virtuosos computet, sed numeret inter malos, eos, qui suis legibus obedire renuunt, quos tu dicis, recto tramite tendere ad perfectionem. Vanè ergo tot capita regulæ, tot constitutionum capita sancta forent, si sinè alicuius observantia ad perfectionem iretur. Quam benè apud Sapient. cap. 6. v. 19. dicitur: *Cura ergo disciplinæ, dilectio est: & dilectio custodia legum illius est: Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est. Incorruptio autem facit esse proximum Deo.* Vbi per soritem, seu gradationem à desiderio, & solicitudine sapientiæ transitur ad dilectionem Dei: à Dei dilectione ad legum illius custodiam; à custoditione legum ad vitæ perfectionem, & ab hac ad vnionem cum Deo. Hoc est tendere ad perfectionem, alius autem eundi modus me latet.

105. Sed multus sum: Ad intentum rediens dico, quòd sicut propositum de non servando leges omnes leves non potest non esse graviter peccaminosum: sic consuetudo omnes illas frangendi: quandoquidèm eadem inconvenientia sequuntur in vtroque casu: propterèaque in præcedentibus indifferenter de consuetudine, ac de proposito locuti sumus; quia quoad præsens idem prorsus sunt. Vt autem hæc penitùs declarentur, placet docti P. Thomæ Sanchez solidissimam, æquè ac prudentissimam doctrinam audire. Sic enim ait sapiens hic Doct. cap. 4. citato, num. 20. Vnde necessario dicendum est, inter ea statuta, ad quorum singula determinatè non tenetur religiosus sub mortali, teneri ad aliqua vagè sub mortali; quæ obligatio nascitur ex præcipua votorum obligatione, quæ obligat ad perseverandum in religione absque notabili detrimento, & ruina illius, & periculo trãsgressionis votorum, quod constat ex dictis num. præcedenti, & 18. Hæc gravis iste Theolog. numeris à se citatis videndus, vbi cum pluribus Theologis hoc ipsum aperit, ita vt non mireris nostrum Lezanam illum inter Authores nobiscum sentientes computare.

106. Ex dictis necessarium non esse ducimus, singillatim solvere obiectionem, quam aliqui faciunt ex authoritatibus Div. Thom. quem expressè esse contra nos, dicere non formidant. Sanctus enim Doct. 2. 2. q. 186. art. 9. in corp. dum docet quòd transgressio legis ad mortale non obligantis non est mortale, loquitur de ijs legibus divisivè sumptis; non autem de ipsarum collectione, etiam absente proposito, & multò magis eo præsente. De legibus enim his sic consideratis, non est de mente Div. Thom. non esse peccatum grave earum transgressio: cùm potiùs doceat peccatum esse, vt posteà videbimus. Similiterque videbimus posteà

num ſenſum eorum verborum, quæ modò contra noſtram reſolutionem obijciuntur.

§. V. *Per obſervationem regulæ, & conſtitutionum rectè tendit ad perfectionem Profeſſor familiæ noſtræ.*

107. COnſideramus adhuc Carmelitam Diſcalceatum ſecundùm ea, quæ ipſi competunt quatenus religioſus eſt: ad omnem quippe religioſum attinet tendere ad perfectionem per ea media, quæ profeſſus eſt; quæ quidem in regula, & conſtitutionibus continentur. Quòd autem aſſertum præſens verum ſit, conſtat ex ſupra poſita ſtatus religioſi definitione, in qua traditur, quòd religioſus, vt verè talis ſit, debet promittere tria vota ſubſtantialia, non ſolùm in religione approbata, ſed etiam *ſub regula determinata*. Vnde prudenter apud citatum la Croix dicitur num. 60. Religio ab Eccleſia non admitteretur, quæ tantùm tria vota profiteretur, ſine peculiaribus regulis, eius finem complectentibus; ſic enim finis caſtitatis religioſæ non eſt honeſtas præciſè caſtitatis, ſed ſimul facultas liberiùs vacandi Deo, & divinis, vtî ex Apoſtolo expreſsè docet Sanct. Thom. quem refert Eliz. q. 15. §. 1. Similiter paupertas, & obedientia non haberent rationem virtutis perfectæ, & religioſæ, ſi in ipſis ſiſteretur: ſed illam habent, quia ſunt media ad aliam perfectionem, velutí finem tali ſtatui religioſo præfixum. Hæc ibi. Videatur N. Curſ. moral. & Authores ab ipſo adducti. Hoc idem docuit Div. Thom. citatus art. 2. vbi in fin. corp. ait: Religioſus *non tenetur ad omnia exercitia, quibus ad perfectionem pervenitur: ſed ad illa, quæ determinatè ſunt ei taxata ſecundùm regulam, quam profeſſus eſt.*

In quibus duo ponderanda ſunt. Primum eſt, religioſum quemlibet non teneri ad omnia conſilia, quibus ad perfectionem itur: ſed teneri ad ea, quæ *ſunt ei taxata ſecundùm regulam, quam profeſſus eſt.* Et eſt hoc ſecundum, quod ponderandum eſt in verbis D. Thom. Dantur enim plurima conſilia, quæ omnia, ſi omnes religioſi obſervare vellent, potiùs cauſaretur confuſio, quam aſſequeretur perfectio: propterea que aſſerit Ang. Doct. quemvis religioſum ad omnia conſilia non teneri: vnde, vt perfectionem aſſequatur, ſat ei ſit obſervare, quæ promiſit.

108. Conſonat Legislator noſter 1. p. cap. 1. num. 4. monens: *Quarè, cùm impoſſibile ſit, vnum, eundemque ſtatum æque omnibus fulgere virtutibus: qui voluerit eſſe perfectus, eas, quæ ſuæ vocationis, & inſtituti propriæ ſunt, diligenter amplectatur: nè dum omnes inſequitur, nullam integrè conſequatur.* Vnde maximopere laborandum eſt religioſo, vt per obligationes ſibi proprias ad perfectionem nitatur: alia vero conſilia, quæ ſui inſtituti propria non ſunt, alijs aliarum religionum profeſſoribus derelinquat. Sinâque Jeſuita vellet redimere captivos, aut Carthuſianus inſtruere in litteris iuventutem, vterque ſanè contra finem ſibi in profeſsione præſtitutum procederet: quarè tota nocte laborantes nihil à ſe captum deplorarent.

109. Id ipſum, quod de conſilijs, quæ non ſunt religioſo *taxata ſecundùm regulam, quam profeſſus eſt*, diximus; proportionabiliter de omnibus ijs, quæ ſunt taxata ſecundùm regulam, affirmamus. Quippe licèt illa omnia conveniant omnibus profeſſoribus illius regulæ, in qua taxantur: non tamen ita omnibus obligant, vt ſinguli omnia illa exequi teneantur. Tenentur certè ad non ſe indiſponendum, vt ſi ipſis imperetur executio cuiuſcumque ex illis conſilijs, obtemperent. Sed ſinè hoc imperio ad omnium executionem non tenentur. V. C. in religione taxatur obligatio audiendi confeſsiones, prædicandi Evangelium, miniſtrandi infirmis, aliaque huiuſcemodi faciendi Regulæ, in qua hæc taxantur, profeſſor non poteſt ſe ad aliquod eorum indiſponere: ſed debet eſſe paratus ad exe-

exequendum quodcumque sibi imperetur: sin minùs criminis reus erit iuxta Div. Thom. art. 9. citato, vbi locutus de transgressione harum legum divisivè sumptarum, ait: *Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi propter contemptum regulæ, &c. Vel propter præceptum, sive ore tenus à Prælato factum, sive in regula expressum, quia hoc esset facere contra obedientiæ votum.*

Cum hac tamen non indispositione, quam habere debet, non tenetur ad executionem eorum omnium, quæ diximus: sed suo muneri satisfacit, si studeat infirmorum assistentiæ, vel prædicationi. Sic enim verificatur, per media sibi propria quærere perfectionem, & nullum respuere; cùm sit paratus ad omnium executionem: ac denique bonum à Patriarcha intentum salvatur etiam: quippe cùm sui sectatores plures sint, isti hac, illac illi ipsius vestigijs insistentes omnia ab illo tradita, complent.

110. Nec solummodò in regula, & constitutionibus continentur media, quibus religiosi ad perfectionem nituntur: quia licèt authores materiam præsentem versantes mediorum solùm meminerint. Nos autem non possumus finis intermedij non meminisse. Quòd si authores alij finem intermedium cum medio merè tali confundunt, impropriè loqui, negare haud poterunt. Itaque sicut datur causa efficiens penitùs, absoluta, nempe prima, & effectus, qui nullatenus habet rationem causæ, ac insuper datur causa efficiens, quæ ita est causa relatè ad effectum, vt pariter sit subordinata primæ causæ, qualis est causa secunda: sic etiam datur finis vltimus, qui ex eo, quòd vltimus est, eligitur præcisè propter se: datur etiam medium, quod ita medium est, vt non possit appeti propter se, sed gratia alterius; & hoc est purè medium, siquidem solùm habet rationem vtilis. Et insuper datur medium, quod ita est vtile; vt sit etiam appetibile propter se. Et hoc dicitur, & est finis intermedius: quatenus intermedius est, explicat rationem vtilis ad alterius finis consecutionem: ast quatenus finis est, appetitur propter se, terminatque actum intentionis, quia finis propriè, & rigorosè est; sicut causa secunda, est verè, ac rigorosè causa.

Tota hæc doctrina verissima, & communissima est, de illaque ægregiè disputant Sulmant. nostri tract. 8. disp. 3. dub. 1. & 2. Et secundùm hanc ipsam Theologiam diximus supra disp. 9. contemplationem divinam fore honestam, delectabilem, ac vtilem: ac perconsequens fore finem intermedium; quia ita ducit ad perfectionem charitatis, vt ipsa etiam sit diligibilis propter sui honestatem, delectabilitatemque.

111. Applicantes autem doctrinam hanc materiæ, quam versamus, dicimus, religiosos omnes habere pro fine vltimo sui religiosi instituti perfectionem charitatis, ad quam ire tenentur sub mortali, vt constat ex præcedentibus. Habent etiam media in suis regulis taxata, ex quibus ad aliqua, etiam divisivè sumpta, tenentur sub mortali: & hæc sunt tria vota substantialia, & si quæ alia sub gravis culpæ pœna præcipiantur: ad alia verò divisivè sumpta, ac secluso contemptu, alijsque de quibus iam nobis sermo fuit, non tenentur sub mortali, sed vel sub veniali, vel sub nulla culpa, sed solùm ad pœnam. Vltra hæc autem habent suum finem intermedium, à quo propriam speciem habent; atque adeò vnitatem, & distinctionem. Quippe plures è Sacris Religionibus specie inter se differre, negabit nullus cordatus. Hæc diversitas venari non valet à fine vltimo, nempe à perfectione charitatis, cui omnes inhiant. Est enim per se notum, diversitatem in aliqua provenire non posse ab eo, in quo conveniunt. Vnde cùm in hoc, quòd est tendere ad charitatis perfectionem omnes Religiones conveniant; ab hoc omnium illorum fine diversitatem specificam in ipsas refundi non posse, est plusquàm certum.

Sed nec à medijs valet hæc differentia desumi. Ratio est: quia media

vel conſiderantur ſecundùm ſe, vel vt ſubſunt fini vltimo. Si ſecundùm ſe conſiderentur, diverſitatem ſpecificam impertiri non valent: quia eſt penitùs extra lineam medij, abſolutè, ſeu ex ſe, inſpecti, quòd impertiatur ſpeciem. Si verò media, quibus eæ ſacræ familiæ vtuntur, ſumantur, vt ſubſtant vltimo fini: adhuc illas familias ſacras ſpecificare non poſſunt, quia licèt illa media ad invicem diverſa ſint, conveniunt tamen in hoc, quod eſt quærere vltimum illum finem. Vnde ex hac parte non poſſunt diverſitatem tribuere. Præterquàm quòd ſi finis vltimus non poteſt illam diverſitatem communicare: conſequens eſt, quòd nec media, vt illi ſubſunt, eam impertiantur. Sic docent Salmant. noſtri tract. 20. diſp. 2. dub. 3. num. 22.

112. Vnde relinquitur, quòd à fine proximo habeant familiæ religioſæ ſuam ſpeciem, & quòd per illum differant adinvicem. Sic ſtatuit D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 1. quem ſequuntur laudati Salmant. Conſequenterque eæ religiones differunt eſſentialiter, quæ habent diverſos fines proximos: illæ verò, quæ eundem finem proximum habent, eſſentialiter non differunt, tametſi habeant diverſa media: hæc enim mediorum diverſitas diverſitatem ſolummodò numericam refundit.

113. Fines intermedij ſacrarum religionum reducuntur ad illud principium, à quo actus vitæ humanæ ſalutares ſunt, quod eſt charitas. Suprà enim diviſimus vitam humanam in activam, & contemplativam, & mixtam ex vtraque: ſecundùm quod charitas eſt dilectio Dei; ſicque datur vita contemplativa: & eſt dilectio proximi; ſicque habetur vita activa: aut denique adunat ſtudium diligendi Deum, & proximum; & ſic datur vita mixta ex activa, & contemplativa. Hæ ſunt viæ, quibus fideles ad regna ſyderea fulgidi gradiuntur. Nec ſine illis patet aditus Omnipotentis Olympi.

114. Has ergo vias, quas Chriſtiani luſtrant ſine firmitate voti, ac pulchritudine ſtatus, elevant religioſi ad claſſem religionis per vota religioſa, quæ emittunt. Viæ eædem ſunt, quia, vt dictum eſt, non dantur aliæ; aſt vinculum eſt ſuperioris ſpheræ. Hincque fit, quòd, emiſſa profeſsione, amittat religioſus libertatem illam, qua fruebatur, ſcilicet, tradendi ſe vitæ contemplativæ, aut activæ, perſeverandique vel ſemper, vel ad tempus in ea, cui traderetur. Emiſſa quippe profeſsione, iam tenetur exercere illam vitam, quæ propria eſt regulæ, quam profeſſus eſt. Quod ex dictis notum eſt: etenim ſi religioſus tenetur ad media, quæ ei taxantur in regula, quam profitetur: multò magis tenetur ad finem intermedium; quia hic finis eſt, vt diximus, qui conſtituit illum ſtatum, & in quem omnia illa media revocari debent; ſin minùs nec media propriè erunt; nec ad illam religionem diſervire valebunt. Quarè ſi religioſus tenetur ſub mortali ad collectionem mediorum, quæ ſibi taxantur, & ad non habendum propoſitum violandi illa: à fortiori tenetur ſub mortali ad non violandum finem intermedium. Cuius rario ea eſt: quòd ſine medijs omnibus taxatis in regula ſubſiſtere poteſt religio; ſiquidem ab ijs non habet ſpeciem, vt dictum eſt; at ſine fine proximo ſalvari nequit, vt de ſe patet; ſed etiam ſi ſubſiſtere valeat ſpecies huius religionis ſine ijs medijs, tenetur religioſus ad eorum collectionem, & ad non habendum propoſitum contra illorum obſervantiam; vtî fuſè dictum eſt: ergo vrgentiori motivo tenetur ad non violandum finem proximum.

115. Si ergo multiplicitas religionum deſumenda eſt ab illa triplici vita, triplex genus datur ſacrarum religionum: nam aliæ ſunt purè contemplativæ; eæ, videlicet, quæ vitæ purè contẽplativæ ſtudent: aliæ ſũt propriè activæ; illæ, ſcilicet, quæ proximorum vtilitati penitùs mancipantur: aliæ denique ſunt mixtæ ex contemplatione, & actione; & hæ ſunt illæ, quæ vitam ex vtraque profitentur compoſitam. Religiones purè contemplativæ non differunt eſſentialiter inter ſe: quia ex

vna

vna parte finis proximus est idem, nempe contemplatio, & ex alia media essentialem diversitatem refundere non valent: vnde solùm accidentaliter differunt ob mediorum diversitatem. Purè autem activæ solùm genericè conveniunt: quia habent fines proximos specificè differentes. Alius est enim finis proximus religionis infirmis opitulantis, à fine proximo religionis iuventutem instruentis: atque ideò diversæ specificè sunt illæ familiæ, & sic de alijs. Sic docet Div. Thom. in 3. dist. 35. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. iam alibi datus, per hæc verba: *Ad 1. dicendum, quòd actus vitæ activæ non habent ex se ipsis ordinem, sicut actus vitæ contemplativæ; vnde non potest dici simpliciter loquendo, quòd consistat in aliquo principaliter, sed quoad aliquem consistit principaliter in hoc, in quo ille magis exercitatur: sicut quidam magis insistunt operibus iustitiæ, quidam verò operibus temperantiæ, & sic de alijs.* Religionis mixtæ differunt specie à purè contemplativis, & à purè activis: ab illis per id, quod habent de actione, & ab istis per id, quod de contemplatione habent. An autem ipsæ religiones mixtæ differant essentialiter inter se? Vide P. P. Salmant. citatos num. 23. & 29. dicque, quòd si actiones, quas illæ religiones inspiciunt, constituunt diversos fines proximos, eæ religiones specie differunt: non autem si actiones illæ fines proximos non constituunt, cuius ratio ex dictis nota est.

116. De perfectione religionum eo modo philosophandum est, ac de perfectione vitæ, quæ est earum finis proprius. Vnde sicut vitæ activæ præstat contemplativa, & vtrique vita, quæ ex vtraque componitur: sic etiam religio purè contemplativa est simpliciter perfectior, quàm activam, quibus simpliciter perfectior est religio mixta ex contemplativa, activaque. Quod ex dictis perspicuum est. Siquidem religio purè contemplativa constituitur per habitudinem ad contemplationem, & purè activa ad actionem, & mixta per habitudinem ad conflatum ex contemplatione, & actione resultans: sed contemplatio est simpliciter perfectior actione, & conflatum resultans ex actione, & contemplatione, est simpliciter perfectius qualibet ex illis, vt fusissimè probatum est disput. præterita: ergo religio mixta est perfectior, quàm purè contemplativa, & hæc simpliciter excedit activam.

In quo autem consistat, quòd religio mixta sit, diximus dicta disput. num. 31. in qua etiam disputatione plura diximus, quæ hic repetere non est opus. Aliaque, quæ pro præsentis materiæ intelligentia dici poterant, videnda sunt apud laudatos P. P. Salmant. Nobis verò dicta sufficiant pro firmando præsenti asserto: videlicet, quòd *nostræ familiæ professor recte tendit ad perfectionem per observantiam regulæ, & constitutionum.* Quandoquidem in eis vltra ea, quæ sunt essentialia statui religioso, vt tali, continentur, quæ ad essentiam talis religionis spectant, cuius constitutivum est finis proximus. Vnde sicut nostræ regulæ professor, quà religiosus tenetur observare, quæ constituunt statum religiosum: sic quia talis speciei religiosus tenetur observare id, sine quo species sui status subsistere nequit. Quarè sivè ille finis immediatus sit mixtus, sive purè contemplativus, aut purè activus ad eum observandum tenetur, nec, emissa iam professione, potest circa hoc deliberare.

§. VI. *Finis proximus nostræ sacræ religionis est mixtus ex contemplatione, & actione.*

117. HActenus consideravimus professores nostræ sacræ familiæ vt religiosos, nempe secundùm ea, quæ omni religioso sunt communia; exinceps verò illum, vt ad determinatam religionem spectantem contemplamur. Dicimusque, finem immediatum sui status esse mixtum ex contemplatione, & actione. Quiaque de actione nulla circa hoc premit nos difficultas in præsenti, nec vrgebit in futuro: propterea

tercà debemus ſupponere hanc aſſerti partem, nihil de illa dicendo, niſi quando authoritas aliqua de actione loquatur, aut ſi vrgens aliqua occaſio poſtulaverit.

Igitur finis immediatus noſtræ ſacræ religionis eſt contemplatio, quod ſic probatur. Noſtra ſacra religio eſt ſimpliciter contemplativa: ergo finis proximus, per habitudinem ad quem conſtituitur, eſt contemplatio. Patet iſta: quia à fine proximo habet religio ſpeciem, & nomen, atque adeò nulla Religio poteſt eſſe, nec dici contemplativa, niſi à contemplatione; ſicut non poteſt eſſe, nec dici activa, niſi ab actione. In probatione autem antecedentis totus hic §. occupatur.

118. Probat. ergo 1. ex Seraph. Matre noſtra, quæ lib. de itin. perfect. cap. 4. ait: *Aſſuefieri ſolitudini eſt magnares orationi: quia ergo hoc debet eſſe fundamentum huius domus, & ad hoc, potius quàm ad aliud congregatæ ſumus: opus eſt ſtudere ſolitudini, quæ ad orationem magis, quàm alia præſtat.* Suis filiabus loquitur alma Doctrix in monaſterio Abulenſi Div. Ioſeph, totius reparati Carmeli ſacra origine, & inſtruit eas, vt ſint ſolitudinis ſtudioſæ; quia ſolitudo maximè conducit ad orationem mentalem, quæ tunc, & poſteà debet eſſe præcipuum Carmelitarum pabulum, ſuique inſtituti fundamentum. Clariùs adhuc loquitur Seraph Doctrix mānſione 5. cap. 1. dicens: *Quāvis omnes quotquot induimur ſacro hoc habitu Carmelitico vocamur ad orationem, & contemplationem, quia hoc principium noſtrum fuit, ab hac ſtirpe ortum ducimus; ab illis, ſcilicet, Sanctis Patribus noſtris montis Carmeli, qui in adeò magna ſolitudine, & cum adeò magno mundi contemptu, inquirebant hunc theſaurum, hanc pretioſam margaritam de qua loquimur, &c.* Clariſſimè Sanctiſsima Virgo docet, noſtram familiam contemplativam eſſe; ſiquidem eius profeſſores, dum ad eam Dei indulgentia vocantur; vocantur ſanè *ad orationem, & contemplationem.* Et abs dubio non vocarētur *ad orationem, & contemplationem*; ſi Religio ipſa, ad quam vocantur, non eſſet ſimpliciter contemplativa.

119. Poſt Seraph. Thereſiam Seraph. noſter Doctor ingreditur eandem veritatem docens: Immo & Religio tota. Erat hæc in ſuo Capitulo congregata ſub P. Fr. Hieronymo à Matre Dei, ad annum Chriſti 1576. In eo capitulo actum inter alia fuit de declaratione finis proximi, ac immediati noſtri renovati Carmeli. Ex gremialibus vnus erat N. Seraph. Parens, qui alto ſpiritu docuit, familiam noſtram eſſe ſimpliciter contemplativam. Et quamquàm, ſicut & aliæ familiæ mendicantes, proximo ſubvenire debeat, principalis tamen ipſius ſolicitudo, debet eſſe ſtudium contemplationis. Sic refert Veridic. ac Ven. N. Hiſtoriograph. lib. 3. cap. 51. num. 3. ex quo conſtat, de mente noſtri Theodidacti Doct. eſſe, quæ modò aſſerimus.

Verùm quia diximus, totam familiam noſtram in hoc etiam in dicto capitulo conſpiraſſe, poſtquàm audivimus dictum noſtri Parentis Extat, æquum eſt, vt alios ſibi contradicentes auſcultemus. Ex adverſo erat Capituli Præſes, quem alij plures ſequuti ſunt; qui aſſeruerunt, noſtram Religionem eſſe ſimul contemplativam, & activam; ita vt principaliter, & ex æquo reſpiciat orationem mentalem, & actionem: illam ex vi regulæ, in qua tantùm commendatur: hanc, quia eſt vna è mendicantibus familijs. Hic duplex diſcurrendi modus fuit omnium illorum Venerabilium Gremialium; nam alijs placuit primum dictamen noſtri Myſtici Doct. alijs verò Præſidis dictamen arriſit.

120. In qua concertatione duo ponderanda ſunt. Primum eſt, id, quod iam ſuprà dicebamus, videlicet, totam familiam tunc temporis inibi congregatam, cenſuiſſe noſtram Religionem eſſe verè, & propriè contemplativam: nec de hoc fuit aliqua diſputatio, omnibus idem ſentientibus. Diſceptatio fuit circa actionem, an æquè, an minùs principaliter conveniat. Secundum,

quod

quod ponderari debet, est, quod Mystic. noster Doct. veram doctrinam amplexus est. Quod certè oppositori non accidit. Quis enim vitam activam, & contemplativam illo adeò intimo vinculo fœderavit, vt simul æquè principaliter possint respici? Verè nostri Salmant. num. 29. citato tale fœdus phantasiæ simulacrum solidissimè probant. Tum quia contemplatio, & actio in recto sumptæ sunt duo fines totales, ac inter se neutiquàm subordinati: ergo nequeunt respici ab eadem specie Religione. Patet ista, quia idem constitutum non potest constitui à duplici constitutivo totali, & non subordinato. Tum quia media idonea ad habendam, conservandamque contemplationem, sunt è diametro oppositа mediis, quibus actio, vt finis principalis intenditur. Vnde si Religio æquè principaliter foret activa, & contemplativa, ijs mediis, adeò pugnantibus, vteretur. Ex quo vsu abussus maximi nascerentur: quales discalceata nostra familia experta est, ex quo in dicta congregatione Præsidis dictamen prævaluit. Eorum ictibus familia penè exorta periret, nisi Omnipotens de remedio per Mag. Patrem Fr. Nicolaum à Jesu Maria misericorditer provideret.

121. Post dictam congregationem tota etiam Religio nostro Extat. Doctori subscripsit, & suum circa hoc dictamen, accedente approbatione Summi Pastoris, nobis semper revelat in nostris constitutionibus 1. p. cap. 1. num. 4. vbi ait: *Prætereà, cùm Sacer Ordo noster ad excolendam vineam Domini, ab Ecclesia Sancta vocatus, ac Sanctorum Patrum Prophetarũ Eliæ, & Elisei, aliorumque vestigijs inhærendo, non solùm Cœlesti contemplationi insistat, sed & profectibus iugiter vacet animarum, tam contemplationem, quàm actionem (licèt non ex æquo) complectitur: nam illam, vt finem potissimum, hanc verò quasi illi annexam, respicit. Inter quæ hoc vnum interesse decernimus: nam contemplationem, & media, quæ ad illam nos ducunt, summo conatu semper intendere, & prosequi debemus; quicquid verò nos inde divertit, quamvis aliàs magnum videatur, qualis est animarum zelus, nisi de superiorum obedientia susceptus, nostrarumque legum dispositione servata, prætermittendum est.*

Clarissimè ergo Legislator noster familiam nostram simpliciter, ac præcipuè contemplativam esse docet, quod etiam initio illius cap. num. 1. tradiderat per hæc verba: *Primus igitur, & præcipuus propositi nostri finis est charitas: ad quam, velut ad præceptorum finem, alia omnia in Religionibus, maximè trium votorum solemnium observatio, meritò ordinantur. Proprius verò, & peculiaris instituti nostri scopus, ad quem actiones nostræ sunt dirigendæ, est iugis oratio, & divinorum assidua meditatio. Hoc est, vt mens nostra, quantùm humanæ fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus, perseveranter inhæreat.* Quibus nos instruit quà Monachos, & qua Carmelitas. Sub prima cõsideratione ostendit, nostrum finem esse charitatem, ad quam perfectè assequendam nitimur per observationem trium votorum solemnium. Sub consideratione autem secunda, noster finis principalis est contemplatio, ad quam nos, omniaque nostra dirigenda sunt.

Hoc ipsum docent Pontifices Sum professores nostræ Religionis contemplativos dicentes. Clemens 8. ad Sciahabum Persarum Regem scribens, ac de nobis sermonem faciens, ait, Carmelitas nostros constitutiones habere, *quibus illis in primis præcipitur, vt summam obedientiam, perpetuam paupertatem, & castitatem servent: deinde vt in lege Domini meditantes contemplationi, & orationi vacent.* Hæc Clemens 8. Romæ apud Sanct. Marcum die 2. Octobris ann. 1604. Similia habet Paul. 5. ad Ferdinandum Episcop. Colon. in suis lit. datis Tusculi septimo Kalendas Junij ann. 1612.

Vel ipsi Patres Carmelitæ de observantia contemplativorum nomen nobis liberali manu concedebant, cùm nomen *Excalceatorum* tumulare anhe-

lantes

lantes totius reformationis ruinam penitùs moliebantur, vt lib. citato cap. 50. num. 3. asserit Historia nostra. Quæ etiam videri potest lib. 1. cap. 48. num. 3. vbi nostram regulam esse regulam contemplativorum adstruitur.

Accedunt omnes nostri Scriptores eandem veritatem affirmantes. Patres Salmant. citati, Cursus moral. Thom. à Jesu, Franciscus à Sanct. Elia, & alios adducēs Director. regularium part. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 2. num. 247. vbi ait: *Proprius, & peculiaris religionis, & regulæ nostræ finis, & scopus, ad quem actiones nostræ sunt dirigendæ, est iugis oratio, & divinorum assidua contemplatio, simul cum actione, qua profectibus animarum vacare profitemur, non ex æquo, sed actionem minùs principaliter amplectendo.* Hæc pauca, quæ in hoc §. scripta sunt, offerre placuit pro huius materiæ intelligentia: aliquibus mora hæc in re adeò perspicua forsam apparebit superflua, nobis autem necessaria visa est.

§. VII. *Professor nostræ regulæ tenetur ad orationem purè mentalem.*

122. IAm incipiunt mysteria. Sed antequàm assertum probemus, explicari debet: quod, vt congruè fiat, digredi aliquantulum opus est. Itaque Carmelitæ à sui exordio non habuere regulam scriptam, sed Mag. Eliæ statuta, primis viva voce tradita, & in alios per traditionem derivata, fuere omnibus regula, normaque vivendi: quod expressè tradit S. P. N. Cyrillus, sacri Carmeli montis quondam Prior, in epist. ad Abbatem Joachim, vbi ait: *Sacri huius Religionis professores institutionem suam in Divina Scriptura, tamquàm in amæno paradiso speculabantur, à Prophetis commendata, & multis sacrorum voluminum testimonijs approbata. Ex quibus dicti Professores diversos profundæ sapientiæ tractatus deducebant, quibus tamquàm copiosis dapibus reficiebantur.* Eandem veritatem docuit Trithemius lib. de laudib. Carmelit. cap. 4. dicens: *Sancti enim fratres, qui in monte Carmelo iuxta fontem Eliæ ante Christi nativitatem habitabant, regulam conscriptam habuisse non leguntur, sed ipsi norma, & regula sibi fuerant, qui exemplo Eliæ concorditer vivebant.*

Clariùs adhuc loquutus est Joan. Patriarcha Hierosol. lib. de instit. Monachorum cap. 16. vbi inter alia habet. *Omnes quippe huius religionis veri sectatores, tam in monte Carmeli, quàm alibi habitantes, profitentur, se humiliter sequi illam sanctam vitam, & propheticam iustitiam vitæ monasticæ, quā Propheta Dei Elias servavit, & instituit, ac quam esse sequendam, ipse secundùm formam à Deo sibi traditam, verbo, & exemplo, discipulis suis tradidit, & in Eremo montis Carmeli residendo docuit maximè, ac demonstravit.*

Sicque per multa sæcula vixere, interdum additis aliquorum eiusdem professionis tractatibus eo fine editis, vt faciliùs possent ea, ad quæ tenebantur, intueri; donec Caprasius Carmel. montis fulgor ingens ab eodem Joan. Hierosol *Flagitavit*, (verbis vtor laudati P. nostri Cyrilli, quæ extant in speculo ordin. lib. 8. à cap. 1.) *vt quæ de institutione huius religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda frequenter differuerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breviter reddere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, nè oporteret, eos librorum numerositatem evolvere. Joannes ergo cernens, quòd propter occupationem suscepti officij non posset vlteriùs ingem in monte Carmeli residentiam trahere, quod Caprasius ab eo flagitaverat, opere complevit. Scripsit enim eloquio, & litteris græcis in quodam libro primariam nostræ Religionis institutionem, & fundatorum eius dignitatem, atque priscorum professorum gesta sancta, & glorioſas virtutes, exterioremque habitus ornatum. Præterea prædictus Ioannes brevi, & lucido eloquio ordinatè descripsit successores dictorum Patrum in illo*

libro.

libro, vt tamquàm in nitido ſpeculo inſtitutionem ſuam intuentes, eam obſervare propenſiùs conarentur, & ſanctam vitam, ac virtuoſos mores dictorum Patrum ex totis præcordijs imitarentur. Quem librum ipſe Ioannes ſodalibus ſuis religioſis eremitis montis Carmeli legendum, & obſervandum tradidit tempore Honoris Imperatoris ann. Domini 412. Et ex tunc Profeſſores noſtræ Religionis ſatagerunt ad perfectionem, & finem vitæ ſolitariæ tendere ſecundùm formam inſtitutionis Prophetæ Eliæ per dictum Ioannem in præfato libro deſcriptam.

. Hanc ergo vitæ religioſæ normam litteris græcis traditam obſervare Eliæ ſucceſſores vſque ad Aymericum ſedis Apoſtol. in terra Sancta Legatum, qui *intelligens.* (proſequitur S.P.N. Cyril.) *quoſdam eorum, qui ex Occidente ſupervenerant, ſpretis ſeniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem religioſæ vitæ Eremiticæ in prædicto Ioannis libro deſcriptæ: & perpendens, hoc ideò maximè contingere, quia græcas litteras ignorantes neſciebant codicem illum legere: fecit librum illum de græco in latinum transferri.* Qua de cauſa præfactus Aymericus à pluribus Authoribus, vt Ordinis reformator habitus eſt: cum certè nihil aliud fecerit, quàm dictam verſionem. Sed quicquid de hoc ſit. Ab anno 412. in quo Joannes Patriarcha regulam dictam dedit idiomate græco, duravit talis regula in illo idiomate vſque ad Aymericum, qui illam in latinum tranſtulit circa annum Domini 1150. Poſteà verò anno 1171. Albertus Patriarcha ex ſuis experientijs in Carmelo habitis, & maximè ex diffuſa illa regula Joannis Patriarchæ, illuſtrem, compendioſam, noſtræque tunc temporis vivendi rationi apprimè idoneam, regulam nobis conceſsit, quam extractam, deſumptamque omnino fuiſſe expræiacto libro Joannis planè cognoſcet, qui capita illius libri conferat capitibus regulæ Alberti. Hanc ergo Alberti regulam modò habemus, prout ab Innocentio Pap. 4. anno Domini 1248. declaratam, confirmatamque.

123. Sciſcitaberis: quorſum hæc adeò diffuſa digreſsio? Primò vt oſtendam Carmelitas ſuam ſemper regulam habuiſſe, nec vmquam ſub Mag. Baſilij regula militaſſe. Quod abſque omni prorſus fundamento negat Div. Antoninus 3. p. ſum. tit. 16. cap. 1. §. 8. vbi duo dicit: primum, quòd Carmelitæ habuerunt regulam Sãcti Baſilij, donec (& eſt ſecundũ) Innocentius Pap. 4. addidit quaſdã ordinationes à dicto Alberto traditas, extractas ex Baſilij regula. Sed in vtroque deceptus eſt, & ſua involuntaria deceptione alij decepti ſunt maximè Canoniſtæ, qui illũ ſequuti ſũt. Et quidem quòd in primo deciperetur, inde conſtat, quod non aſsignabit Antoninus tempus, in quo Carmelitæ potuiſſent vivere ſub regula Div. Baſilij, vt patet ex dicta ſeriè annorum, quam ideò fideliſsimè compactam præmiſimus. Vnde potiùs credendus eſt laudatus Parens Cyrillus, quam Antoninus. Quia adhuc vehementiùs erravit in ſecundo; nec tale affirmare poterit, niſi qui libros ipſos, quos memorat, vel non vidit, vel non meditatus eſt. Videatur ex vna parte liber Joan. Patriarchæ, & ex alia regula Div. Baſilij; & omnia capita regulæ B. Alberti (exceptis paucis illis, quæ dictus Innocentius addidit) in libro Joannis reperies; in regula autem Baſilij nullum, niſi illa, quæ communia, & eſſentialia ſunt ſtatui religioſo. Quæ ſi ſat ſunt, vt regula Alberti dicatur Baſilij, etiam Benedicti, Auguſtini, & Franciſci regulæ Baſilij erunt. Et hoc eſt factæ digreſsionis primum motivum.

124. Secundum eſt, oſtendere, quòd contenta in noſtra regula, præter ea, quæ legem Dei, aut vota ſubſtantialia concernunt, obligant ad culpam venialem. Circa quod advertendum eſt, quòd in regula aliud continetur vt finis immediatus, propriuſque Religionis, & alia magis ad dicti finis conſecutionem conducunt. Quæ doctrina magis nota erit, diffinitionem noſtræ regulæ à noſtro V. Thoma à Ieſu tradi-

tam 2. p. dub. 1. in fine, ſi ſubijciamus,

eſtque huiuſmodi : *Carmelitarum regula eſt quadam norma vivendi ab Alberto Patriarcha Hieroſolimitano tradita, ab ipſo, & à ſede Apoſtolica approbata, dirigens ad charitatis perfectionem acquirendam potiſſimùm oratione, ac meditatione continua, quæ eſt veluti immediatus eius finis, deinde cellulæ clauſura, manuum labore, arctiſſima abſtinentia, & ſilentio, tamquàm mediis ad prædictum finem deſtinatis.* Inter hunc autem finem, & media datur convenientia in eo, quòd medium tametſi violetur, v.g. ſilentium poſt completorium, multoties, non eſt culpa gravis, ſed levis; dummodò non adſit contemptus, aut alia circunſtantia levem illam ſubſtantiam gravificans. Si enim hæc circunſtantia abſit, culpa levis eſt illa ſilentij violatio, vt docet D. Thom. quodlib. 1. art. 20. dicens : *Stultum eſſet putare, quòd monachus frangens ſilentium poſt completorium peccaret mortaliter, niſi fortè faceret hoc contra præceptum prælati, vel ex contemptu regulæ.* Similiter ergo dicimus de fine proximo: ſi namque finis proximus ſit, miniſtrare infirmis, non peccat quis graviter per hoc, quòd ſemel, aut iterum hanc obligationem violet: ſed per hoc, quòd ſemper, aut frequenter frangat. In quo differt finis proprius à medio: hoc enim quoties violatur, delinquitur venialiter; numquam tamen toties violabitur, ſi non gravificetur ex dicta circunſtantia, quòd ſit peccatum grave : aſt finis, vt dictum eſt, contrarium habet. Cuius ratio ea eſt : quòd frangens vnam obligationem, quæ eſt purè medium, poteſt mediis alijs, in ſcopum ſibi à ſe in profeſsione præſtitum tendere. Nec per hoc fundatoris intentum, maximumque bonum ab ipſo procuratum impeditur, vt ſuprà inſinuavimus. In finis autem violatione frequenti, contrarium evenire, quis non videat? Vnde ſicut §. 4. diximus, media omnia, ſeu fere omnia, non poſſe violari abſque culpæ gravis reatu; ſic, & potiori titulo, de fine dicimus.

Vnde cùm noſtrum aſſertum loquatur de obligatione gravi, non debet intelligi, quòd quoties Carmeli alumnus mentalis orationis obligationem frangit, toties mortaliter delinquat; hoc enim *ſtultum eſſet putare*, vt modò de ſilentio poſt completorium loquente audivimus ab Ang. Præceptore. Sed loquitur de Carmelita, qui orationi mentali non ſtudet; quod oſtendit in frequenti huius obligationis fractione. Aſſertio ergo ſic explicata eſt Div. Thom. 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2. illam defendit ibi Caietan. Magiſt. Bañez 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3. noſter inſignis Thom. à Jeſu in expoſit. regulæ cap. 6. dub. 3. qui pro eadem ſententia adducit Div. Antonin. & Turrecrem. in procœmio regulæ D. Benedicti, quos vidi, ſed pro noſtra ſententia citare non audeo.

125. Prob. ergo concluſ. ratione ex adducto D. Thom. deſumpta: Violatio orationis purè mentalis, modo dicto ſumpta, impedit finem proprium noſtræ religionis : ergo ad orationem purè mentalem tenetur noſtræ Religionis profeſſor. Vtraque hæc propoſitio probanda à nobis eſt. Et primò probatur anteced. Finis proprius noſtræ Religionis eſt iugis oratio, ac divinorum meditatio : atqui finis iſte rotundè impeditur per frequentem violationem præcepti orationis purè mentalis; nihil enim immediatiùs interimit finem, qui eſt oratio purè mentalis, quàm violatio præcepti ipſius, quæ eſt non meditatio: Ergo frequens violatio orationis purè mentalis deſtruit finem proprium noſtræ Religionis. Mai. in qua poterat eſſe diſsidium, conſtat ex dictis toto §. 6. & etiam ex num. 124. vbi noſtram regulam cum noſtro Thom. à Jeſu definivimus. Iam vero conſequentia principalis probatur breviter : Quia quilibet religioſus tenetur ſub gravi culpa ad non impediendum, ſeu violandum finem proximum ſuæ Religionis, vt mox ampliùs declarabimus : ergo noſtræ religionis profeſſor tenetur ad orationem purè mentalem, quæ, vt dictum eſt, eſt finis immediatus, ac proximus noſtræ religionis.

Tota hæc ratio, vt diximus, deſumpta

ſumpta eſt ex Div. Thom. art. citato, vbi inquirit : Vtrùm ieiunium ſit in præcepto ? Reſolutio eſt affirmativa, contra quam ponit hoc argumentum. *Quicumque tranſgreditur præceptum, peccat mortaliter. Si ergo ieiunium eſſet in præcepto, omnes non ieiunantes mortaliter peccarent, per quod videretur magnus laqueus hominibus eſſe iniectus.* Huic argumento ſic reſpondet. Doct. Sanctus: *Ad 2. dicendum, quòd præcepta, quæ per modum ſtatuti communis proponuntur, non eodem modo obligant omnes, ſed ſecundùm quod requiritur ad finem, quem legislator intendit, cuius authoritatem ſi aliquis tranſgrediendo ſtatutum contemnat; vel hoc modo tranſgrediatur, quòd* (nota) *impediatur finis, quem intenait, peccat mortaliter talis tranſgreſſor. Si autem ex aliqua rationabili cauſa quis ſtatutum non ſervet, præcipuè in caſu in quo etiã ſi legiſlator adeſſet non decerneret eſſe ſervandum, talis tranſgreſsio non conſtituit peccatum mortale. Et inde eſt, quòd non omnes, qui non ſervant ieiunium Eccleſiæ, peccant mortaliter.*

Vide Caietanum inibi hæc miriſsimè elucidantem : addeque dictis ea, quæ idem Sanctus Thom. docet in 4. d. 15. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 4. hiſce verbis: *Ad 3 dicendum, quòd præcepta iuris poſitivi magis obligant ex intentione legislatoris, quam ex ipſis verbis: & ideò tranſgreſſor talis præcepti* (loquitur de præcepto ieiunij) *magis eſt reputandus, qui obviat intentioni legiſlatoris, quàm qui deviat in aliquo à legis ordinatione. Intentioni autem legislatoris obviat, qui ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat.*

Ex quibus habetur, illum, qui impedit legislatoris finem, peccare proculdubiò moraliter in ſententia Angelici Præcept. Quid autem ſit, finem legislatoris impedire ? Clariſsimè docet ipſe Sanctus dum ſæpe inculcat. illum impedire legislatoris finem, *qui ex contemptu, vel ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat.* De contemptu nihil modò, cùm certiſsimum ſit, illum menti legislatoris contrariari, qui legem ab ipſo latam contemnit. Ex ſecundo autem capite habes, quòd per hoc præciſè, quod aliquis *ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat*, impedit legiſlatoris finem : conſequenterque peccat lethaliter.

126. Quam doctrinam, ſi præſenti controverſiæ applices, vrgentiorem eſſe cognoſces. Siquidem Div. Thom. in allegatis locis loquitur de obligatione diſtincta ab ipſo fine intento à ferente legem illam : nos verò in præſenti loquimur de adimpletione, vel violatione ipſius finis. Si ergo per violationem legis diverſæ à fine impeditur iſte, dum illa ſine aliqua rationabili cauſa violatur : quia, vt docet citatus Caietanus, *hoc eſt directè legi obviare*: quantò magis directè deſtruit finem ipſum ipſa finis in ſe violatio?

127. Prob. 2. Concluſ. alia eiuſdem Div. Thom. authoritate d. 2. 2. q. 184. art. 3. ad 2. vbi ait: *Vnde non committit aliquis mendacium, vel ſimulationem ex hoc, quòd aliquis non eſt perfectus, qui ſtatum perfectionis aſſumit; ſed ex eo, quòd ab intentione perfectionis animum revocat.* Loquitur Sanctus Doct. de ijs, qui pergere ad perfectionem tenentur, & ait: iſtos ſimulatores non eſſe, aut mendaces, ſi perfecti non ſint : eò quòd licèt ſint in ſtatu perfectionis, hic ſtatus non eſt perfectionis habitæ, ſed habendæ: conſequenterque, per hoc quòd non ſit perfectus, non eſt mendax : erit tamen, ſi ab intentione conſequendi perfectionem animum deponat. Per hoc enim, quòd animum illum deponat, ſimulator, ac mendax eſt, graviterque delinquit. Quapropter inibi monet Caietanus: *Caveat ſibi multùm religioſi, nè animum proficiendi deponant, quem tunc proculdubio habent, cum intendunt vivere ſecundùm regulam & conſtitutiones ſuas, quamvis in multis interdum delinquant.*

Ex qua doctrina hic diſcurſus pro concluſione ſuadenda formatur. Religioſus tenetur ad non revocandum

animum ab intentione perfectionis: ergo tenetur ad obſervantiam ſui proprij finis. Ergo Carmelita tenetur ad orationem purè mentalem. Anteced. patet ex authoritate Div. Thom. Prima conſequentia inde conſtat: quòd religioſus tenetur ire ad perfectionem iuxta regulam, quam profeſſus eſt; atque adeò obſervando id, quod tamquàm finis proprius ei aſsignatus eſt. Bonitas demum vltimæ conſequentiæ, iam nota eſt: Quia oratio purè mentalis eſt finis proprius Carmelitæ, prout fuſè diximus ſuprà: vrgenterque, ac clarè conſtat ex verbis illis noſtræ regulæ: *Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*: ergo ad illam taliter tenetur, quòd idem eſt animum deponere, ab illa, ac ab intentione perfectionis animum revocare. Indidemque, ſi orationem purè mentalem non habet, graviter delinquit.

§. VIIJ. *Quæ factos diſcurſus impugnant propono, ſolvoque.*

128. NOn nulla ſunt, quæ adverſus diſcurſus efformatos militant, quibus occurſum ire, opus eſt; vt ſic vel ex oppoſitis tenebris lux aſſertæ veritatis clariùs fulgeat. Igitur contra omnium dictorum fundamentum ſimul obijcies 1. Quia in illis verbis noſtræ regulæ, videlicet, *in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*, non præcipitur nobis oratio determinatè mentalis, vel vocalis: ergo profeſſor illius non tenetur ad orationem purè mentalem. Ergo ſine oratione purè mentali tendit ad perfectionem. Conſequenterque nec impedit finem ſuæ profeſsionis, nec Legislatoris intentum. Omnes iſtæ conſequentiæ ex antecedenti legitimè deducuntur: illud autem probatur: Quia ita ſentit Ven. N. Thomas à Ieſu in expoſit. noſtræ regulæ cap. 6. dub. 1. vt teſtatur iunior quidam, de quo videri debet noſter Curſ. moral. tract. 21. cap. 9. p. 4. num. 52. authoritas autem noſtri Thomæ à Ieſu, maximè in noſtræ regulæ intelligentia, latet nullum.

Reſpond. in dictis verbis duo præcipi, quorum primum eſt meditatio, ibi: *In lege Domini meditantes*. Secundùm eſt oratio, ibi: *Et in orationibus vigilantes*. In primo præcipitur nobis oratio purè mentalis, cui præcepto non ſatisfit per orationem vocalem, ſed debet eſſe determinatè mentalis. Quod adeò expreſſè docet laudatus Thomas à Ieſu, vt miremur, à viro docto pro adverſa novitate adductum. Quæſtio eſt de aperiendo libro; aperiatur citato loco, §. *eſt autem meditatio*. In ſecundo autem præcipitur nobis oratio, & ad hoc ait citatus Thomas ſequentia: *De oratione igitur tam mentali, quam vocali, regula accipienda eſt, cum vniverſaliter loquatur: ita, vt huic præcepto fiat ſatis, ſive mentaliter, ſive vocaliter oretur*. Concluditque §. illum ſic: *& hæc de oratione*: poſt quæ ſe ad agendum de meditatione convertit.

129. Itaque duo illa, quæ in dictis verbis præcipi nobis, dicebamus, ita ſunt duo præcepta, quòd neque per ſolam meditationem, neque per ſolam orationem implentur: ſed requiritur, & oratio, & meditatio. Meditatio, quæ eſt oratio purè mentalis: & oratio, quæ plura complectitur, vtî 1. ad Timoth. cap. 2. dicitur: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, & poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Et ad hanc orationem etiam tenemur, ſed ſatisfacimus, ſive mentaliter, ſive vocaliter hoc faciamus. Et hoc eſt, quod docet citatus noſter Thomas, & quod nos etiam dicimus. Et, quod non affatim miraberis, iunior ipſe poſt Thomam impugnatum hoc idem tandem fatetur hiſce verbis: *Fatemur tamen, quòd qui die, ac nocte vocaliter oraret, præceptum regulæ adimpleret, ſed hoc eſſet, quia oratio vocalis à mentali diſcerni negnit, ſi debitè eſt orandum; quod tantùm fortaſſe voluit citatus Doctor*. Hoc voluit *citatus Doctor* de ſecundo præcepto ora-

orationis: non autem voluit hoc *citatus Doctor* de primo præcepto *meditationis*.

130. Sed opponit dictus iunior: Quia in cap. sequenti præcipit regula orationem vocalem omnibus religiosis: ergo in hoc capite, vbi dicitur: *Maneant singuli in cellulis suis, &c.* præcipit orationem purè mentalem. Probatur ista: Quia aliàs bis orationem mentalem regula præciperet, quod impertinens foret.

Confirmat: Quia oratio, de qua in cap. 6. regula loquitur, debet esse die, ac nocte continuata: sed oratio vocalis nequit esse moraliter adeò continuata, bene autem mentalis: ergo.

Si hæc, quæ modo opponit author iste cum his, quæ in fine num. 129. fatetur, conferantur, se ipsum à se dessertum iri, non est dubium. Respondetur ergo ad obiectionem Regulam nostram in cap. 6. dum agit de meditatione, præcipere orationem purè mentalem: dum autem loquitur de oratione, præcipere orationem, vel mentalem, vel vocalem: adeò, vt huic præcepto per orationem purè mentalem, ac per orationem purè vocalem satisfiat. In cap. autem septimo præcipere orationem determinatè vocalem, scilicet, horas canonicas. Vnde sicut præceptum de oratione purè mentali non opponitur cum præcepto de oratione sive mentali, sive vocali, nec illud in conspectu huius superfluit. Sic nec opponitur, nec superfluit præceptum de oratione determinatè vocali. Vult regula, quòd sui professores semper cum Deo, quantùm humana fragilitas patitur, conversentur. Vnde præcipit iam orationem purè mentalem, iam orationem purè vocalem, iam orationem præcipit; sed quòd vocalis, aut mentalis sit, orantium arbitrio committit.

Adde: Quod in cap. 6. præcipit regula orationem nobis propriam, tum ex se, tum vt oratio, quæ nobis proprior est, videlicet, meditatio, foveatur: quippe animus, qui indesinenter vacare contemplationi, aut meditationi non potest, media oratione vocali, quam ibi permittit regula, robur accipit, vt iterum ad meditationem, vel contemplationem, regrediatur. In cap. autem 7. præcipit orationem, quæ omni Clero, tam sæculari, quam regulari communis est. Vnde sicut præceptum cap. 7. non impletur per orationem præceptam in cap. 6. nec è contra: sic nullum ex ijs præceptis redundat.

Confirmatio levissima est: Respondetur tamen, quòd magis potest continuari oratio iam mentalis, iam vocalis, quàm oratio determinatè vocalis, aut determinatè mentalis. Vnde casus est omnino labor huius confirmationis. Nec, suppositis dictis, aliud pro eius enodatione requiritur.

131. Obijcies 2. ex alio capite contra primum discursum §. antecedenti factum: Quia si id, quod ex Div. Thom. diximus de ieiunio aliquid probat, convincit quidem, quòd quoties præceptum de oratione transgreditur professor nostræ regulæ, toties mortaliter peccet: hoc non est dicendum: Ergo nec, quod Carmelita ad orationem purè mentalem teneatur. Consequentia est infallibilis. Minorem suprà concessimus num. 124. vbi cum Div. Thom. diximus, oppositum tradentem stultescere. Maior autem probatur: Quia quoties obligatus ad ieiunium illam obligationem violat, toties graviter delinquit: ergo pariformiter.

Respond. neg. mai. ad probationem negetur consequentia: discrimen est: quòd pro singulis ieiunij diebus datur distinctum præceptum, quod vltra diem sibi proprium non extenditur: vnde, si illo die ieiunium frangitur totum præceptum violatur. Præceptum autem de oratione purè mentali non est ita limitatum, nec cingitur ad determinatum diem: vnde tota eius activitas, vt sic dicamus, non explicatur in vnico die, nec in duobus: consequenterque licèt quotidie obliget, est obligatio levis; eòque etiam levis est eius transgressio, vsque dum finis proprius ad orationem mentalem obligati,

ti, nedùm levibus illis transgressionibus violatur, verùm etiam impeditur, tunc enim defectus orationis purè mentalis grave peccatum erit habenti ipsam orationem mentalem pro fine sui instituti.

Nec per hoc negamus inter præceptum ieiunij, & orationis aliquam, quoad hoc, de quo modò loquimur, adesse paritatem. Quæ desumenda est ex Div. Thom. loco citato ex 4. sentent. vbi ait: *Potest enim hoc* (frangere ieiunium) *aliquando omnino sine peccato contingere; aliquando sine mortali, cum veniali; aliquando etiam cum mortali: & hoc secundùm diversas occasiones, quibus homo inducitur ad ieiunium frăgendum.* Hoc ipsum, quod de præcepto ieiunij dicitur intra spheram vnius diei, in quo, vt dictum est, tota eius activitas explicatur, dicimus de præcepto orationis, quod Carmelita aliquando non implet, & nullo modo peccat: aliquando frangit, & sine peccato mortali, sed solùm cum veniali: & aliquando frangit cum mortali, videlicet, cum talis transgressio finem à legislatore intentum impedit.

132. Vt hæc penitiùs calleas; sunt enim admodùm necessaria pro hac, alijsque materijs percipiendis, memento: quòd sicut disput. præcedenti cum Div. Thom. d. 2. 2. q. 179. art. 1. & Caietan. inibi, diximus, vita activa non consistit in hoc, quòd semper activus operetur; nec contemplativa consistit in hoc, quod semper contempletur contemplativus. Potest enim contemplativus opera externa elicere, vel nec contemplationem, nec actionem habere, & nihilominùs erit contemplativus. Similiter de activo dicendum est, ac de meditativo. (sive ad contemplativam, sive ad activam vitam spectet, à quo modò abstraho) Consistit ergo vita activa in hoc, quòd studium hominis principaliter destinetur ad opera exteriora, & vita contemplativa consistit in hoc, quòd studium hominis principaliter ad contemplationem destinetur: & vita, vt sic dicam, meditativa consistit in hoc, quòd studium hominis principaliter meditationem exerceat.

Quibus adiungere debes: Quod lex, seu legislator præcipiens actionem, contempletionem, seu meditationem, non intendit, quòd finis eius, cui tale præceptum imponitur, sint illæ actiones in abstracto, sed in concreto. Ipsæ autem actiones, concretivè sumptæ, possunt considerari vel exercitè, vel signatè. Meditatio (idem de actione, ac contemplatione intellige) exercitè sumpta dicit se ipsam à parte rei existentem: signatè autem accepta ab hoc abstrahit. Sub prima consideratione constituit meditantem; & sub secunda constituit meditativum. Et hic est finis intentus ab illa lege, nempe, quòd eius professor sit meditativus, non verò quòd semper sit meditator, seu quòd continuè, ac sine interruptione meditetur: hoc siquidem impossibile in hac vita est. Intendit ergo, & imperat, quòd meditativus sit. Ipse verò cui hoc præceptum imponitur, non tenetur sub mortali ad meditationem exercitam; sed tenetur ad vitam meditativam: hanc quippe professus est, & ex quo professionem emisit, finis ipsius est talis vita meditativa: vnde tenetur ad hoc, vt semper sit meditativus. Quod, vt dictum est, consistit in hoc, quòd studium principale sit circa meditationem. Et semper ac hoc studium conservat, meditativus est. Quiaque, vt suprà diximus, conservatur studium principale circa meditationem; etiam si meditatio actu non habeatur; propterea per non habitionem meditationis exercitæ non frangitur obligatio, quam professus est Carmelita: nisi illa exercitæ meditationis carentia tanta sit, vt studium illud præcipuum circa meditationem impediat.

Quòd si regulam determinatam quæras ad cognoscendum quando finis à lege impositus impediatur, sitque peccatum grave? Nihil tibi circa hoc speciale dicere possum: est enim hoc omni peccato commune. Vnde sicut generaliter charitas conservatur cum pluribus actibus peccaminosis venialiter; sed adveniente actu, cum quo non com-

compatitur, quòd Deus ſuper omnia diligatur, tunc graviter delinquitur, & perit charitas. Sic quòd Carmelita ſit meditativus compatitur cum pluribus peccatis venialibus, etiam in ordine ad ipſam meditationem; cum autem datur actus, in cuius conſpectu verificari non poteſt, quòd ſtudium principale Carmelitæ ſit circa meditationem; tunc meditativus non eſt: conſequenterque fruſtratur, ſeu impeditur finis eius, daturque peccatum grave. Vnde in præſenti non poteris regulam determinatam quærere, quæ in omni alio peccato non valeat pariter explorari. *Nec imagineris*, leves defectus circa meditationem moraliter copulari, ſicque ad aliquem perveniri, qui licèt in ſe peccatum leve ſit, vt vnitum tamen præcedentibus eſt mortale, ſicut de parvis furtis dici ſolet. Quod locum in præſenti non habet: quandoquidem hîc non datur illa moralis vnio: ſed peccatum leve, ſemper leve eſt: & ille defectus, per quem principalitas ſtudij circa meditationem excluditur, dictuſque finis impeditur, ſemper eſt peccatum grave, quamquàm nulli alij defectus præcedant. Quod exemplo inducto charitatis clarum eſt.

133. Obijcies 3. Si qui *ſine aliqua rationabili cauſa ordinationem non ſervat* lethaliter peccaret, peccaret lethaliter quilibet, qui ſine rationabili cauſa, quamcumque etiam leviſsimam, obligationem non ſervaret: hoc non eſt dicendum: ergo nec quòd finis legis impediatur per hoc, quòd lex ſine rationabili cauſa violetur. Maior patet; Quia quævis, vel omnium minima obligatio eſt ordinatio à legem ferente ſtabilita: vnde ſi vera eſt illa doctrina D. Thom. num. 125. ex ſentent. adducta, infertur, nullam ordinationem poſſe ſine cauſa violari, quin intẽtioni legislatoris obvietur, cõmitaturque culpa mortalis. Min. autem probatur; Tum quia eius falſitas de ſe nota eſt. Tum quia alias omnia peccata eſſent lethalia.

Reſpond negando mai. nec contrarium edocetur à Div. Thom. qui loco citato, noſque cum illo locuti ſumus de ordinatione illa, penes quam ſalvatur totus finis à legislatore intentus, vel tota intentio legislatoris. Hæc ordinatio, ſi trangreditur ſine rationabili cauſa, committitur gravis culpa: eò quòd per talem tranſgreſsionem tota intentio legislatoris corruit. Et hoc eſt, quod in noſtro caſu evenit. Siquidem ex non infrequenti meditationis tranſgreſsione corruit vita meditativa; atque ideò perit noſtræ regulæ finis. Ex fractione autem obligationis, vel obligationum, in quibus legislatoris tota intentio non ſalvatur, non ſequitur fruſtratio talis intentionis, nec finis: eòque grave peccatum non eſt. Vnde patet, quòd finis impeditio non provenit ex tranſgreſsione cuiuſcumque medij, ſed illius, quod modo dicto medium eſt. Quod cernere licet in ieiunio: in die enim ieiunij, qui illud præceptum cuſtodit, finem proprium illius non impedit tametſi plura alia præcepta tranſgrediatur. Econtraque, qui illud præceptum non ſervat, quamtumvis in tali die plures actus virtuoſos ſibi videatur elicere, ieiunij finis impeditur, graviterque peccatur.

134. Sed contra, & obijcies 4. Carmelita, qui cellæ ſolitudinem non amat, aut vitæ aſperitatem, & mortificationem, impedit meditationem: ſed cellæ ſolitudo, nec aſperitas vitæ obligant ſub mortali profeſſori noſtræ regulæ; ergo, vel doctrina data Div. Thomæ non eſt vera; vel profeſſor noſtræ Religionis non tenetur ad meditationem, ſeu orationem purè mentalem. Conſequent. eſt evidens. Maior eſt certa apud omnes Myſtas, inter quos mira docet Seraph. noſtra Mater in hac ipſa quæſtione adducta, alijſque in locis, & Theodidactus noſter Parens paſſim in ſuis ſcriptis. Min. autem probatur: Quia illa duo obligant Carmelitam, quatenus ei præcipiuntur vel in regula, vel in conſtitutionibus: ſed nec regula, nec conſtitutiones obligant ad culpam gravem: ergo, &c.

Reſpond. *Tribus præſertim velut columnis, contemplatione, ſcilicet, clauſura, ac mortificatione, & vitæ auſteritate,*

ritate, tota hæc profeſſionis noſtræ ſtructura fulcitur. Verba ſunt noſtræ conſtitutionis 1. part. cap. 1. num. 3. ſuper has tres columnas tota fabrica Carmeli renovati conſurgit: cum hoc tamen diſcrimine, quod contemplatio eſt finis: aſt clauſura, & vitæ aſperitas, media ſunt ad illius finis conſecutionem deſtinata: ſic eadem conſtitutio num. 2. per hæc verba: *Ad huiuſmodi finem aſſequendum* (ſcilicet contemplationem) *duo nobis potiſſimũ, inter alia, tũ à regula, tum à Patribus noſtris, media præſcripta fuerunt. Vnum cellæ ſolitudo, ac clauſura, &c.* Vnde dicimus, quòd dictæ obligationes ita poſſunt violari, quòd earum tranſgreſsio ſit tantum culpa venialis: ſed ita etiam violari poſſunt, vt non ſine gravi culpa violentur. Quod tunc eveniet, quando ex earum fractione impediatur finis proprius Carmelitæ, nempe quòd principaliter ſtudeat orationi purè mentali.

§. IX. *Adhuc in propoſito aſſerto ſuadendo perſiſto.*

135. PRob. inſuper concluſ. noſtra ſic: Carmeli alumnus tenetur ſub mortali ad non deponendum habitum ſuæ Religionis: ergo tenetur ſub mortali ad orationem purè mentalem non deſerendam. Breve argumentum, ſed, vt ſuſpicor, non inefficax. Anteced. eſt omnino certum, de quo videri poteſt noſter Curſ. moral. tract. 5. cap. 5. p. 6. num. 147. qui ſic loquitur: *Quamvis habitus non faciat monachos, quia tamen eſt ſignum Religionis, quam Religioſi profitentur; ideò adſtricti ſunt omnes religioſi habitum ſuæ religionis ſemper, & in omni occaſione portare; ita vt facientes oppoſitum peccent, quandoque mortaliter, quandoque venialiter.* Simile motivum aſsignat Exim. Suarez tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 5. num. 2. vbi ait: *Moralis autem ratio,* (quarè Religioſi ſpeciali habitu vtantur) *quæ ex ratione etiam ſigni ſumitur, eſt, vt monachus ab hominibus aliorum ſtatuum, ſcilicet à Laicis, & Clericis ſæcularibus, diſtinguatur: & quia monachorum religiones variæ ſunt, exterior etiam habitus diverſus diſtinctionem inter eas notam facit.*

Hæc obligatio naſcitur ex iure naturali, & neceſſaria connexione morali cum ſtatu in profeſsione aſſumpto, eſt etiam iuris poſitivi hoc præceptum, vt videre eſt in decretis à dictis Authoribus recitatis. Vltra quod, ait datus P. Suarez num. 6. hoc ipſum præceptũ eſſe à regula; non quia fundetur in ſpeciali aliqua regula, ſed quia ſupponitur ad omnem regulam. Verba ipſius exſcribo; ſunt enim pro re præſenti idonea: *Dico ergo* (ait) *habere Religioſos poſitivum præceptum, quo ita obligantur. Propter difficultatem autem in num. 3. poſitam addendum eſt, hoc præceptum non tam fundari in ſpeciali regula, quam ſupponi, cum proportione ad omnem regulam. Eſt enim hoc tamquàm generale quoddam ius ſtatus religioſi, vt vnuſquiſque in ſua vocatione, & conſequenter in proprio habitu ſuæ vocationis permaneat. Quod ius quatenus extenditur ad id, quod merè naturale eſt, poteſt dici non ſcriptum, id eſt, communi conſenſu, & traditione omnium Religionum receptum. Poteſt etiam dici ius commune canonicum, quia in decretis ſuprà citatis authoritate Pontificum, & Conciliorum generalium confirmatum eſt.* His pro antecedentis veritate ſtabilienda, præocupandiſque nonnullis evaſionibus, dictis

Prob. conſequentia: Quia habitus Carmelitæ eſt, quo diſtinguitur Carmelita à ſæcularibus, & ab alijs Religioſis, tenetur ad illum non dimittendum ſub culpa gravi: ſed oratio purè mentalis eſt diſtinctivum Carmelitæ à ſæcularibus, & ab alijs religioſis, vt conſtat ex dictis: ergo ſub culpa gravi tenetur Carmelita ad non deſerendam orationem purè mentalem. Omnes propoſitiones notiſsimæ ſunt.

136. Confirm. 1. Ideò Religioſus debet ſub mortali afferre ſuum proprium habitum, *quia determinatio habitus pertinet ad omnia tria vota, tamquàm ſignum obligationis. Vnde habitus*

regularis ſimul datur, vel benedicitur cum profeſſione, ait Div. Thom. 2. 2. q. 186. art. 7. ad 2. Sed oratio purè mentalis pertinet ad Carmelitam, ne dum *tamquàm ſignum obligationis*, verùm etiam vt obligatio proprijſsima ipſius, per quam ab alijs omnibus ſecernitur: ergo tenetur ſub mortali ad numquam dimittendum hanc obligationem.

137. Confirm. 2. Quia licèt *monachum eſſe non in ſola veſte ſitum ſit, ſed in eo vtile ad maioris perfectionis gradum, ſeu ſtatum, qui ſolum monachum facit, tendat*; vtî docet Seraph. Mat. noſtra lib. vitæ cap. 38. Tamen quia veſtis religioſa eſt diſtinctivum exterius religioſi, propterea debet illam non deponere: ſed oratio purè mentalis eſt diſtinctivum proprium Carmelitæ: ergo.

138. Prob. tandem aſſertio noſtra ſic: Sit Religioſus Carmelita, qui orationi purè mentali non ſtudeat, ob motiva, quæcumque fingi ab adverſarijs poſsint. Iſte Chriſtianus eſt, hoc eſt, charitatem Dei in ſe habet: demus hoc; dum rogo: iſtenè religioſus eſt? Religioſum eſſe fateberis, & quòd in dubium vertatur, miraberis. Pergo inquirens: Cuius religionis profeſſor eſt? Si dicas: Carmeliticæ, haud concedam: Quia Carmeliticam Religionem non profitetur, qui non habet conſtitutivum Religionis Carmeliticæ. Quod, vt clariùs pateat, rogabo adhuc: in quo differt hic à religioſis aliorum Ordinum? A non religioſis differt per tria vota ſubſtãtialia Religionis: ab alijs autem religioſis, in quo differat non video. Aſsigna ergo proprium diſtinctivum eum ab alijs ſecernens. Et videbis, hunc vel Religionis conſtitutivo proprio carere; vel habere pro conſtitutivo, illud, quod alterius Religionis proprium eſt. Et neutrum fieri ſine culpa gravi valet. Non primum: Quia alias ſine culpa gravi poſſet ille religioſus in tali ſtatu conſtitui, quòd ad nullam determinatam religionem ſpectaret: ad nullam quippe determinatam ſpectat, qui omni prorſus fine proprio caret, à quo provenit Religionum diviſsio. Non ſecundum: Quia ex quo profeſſus iſte eſt hanc determinatam Religionem, non poteſt ſine culpa gravi habitum interiorem, vt ita loquar, talis Religionis, hoc eſt, eius finem proprium, deponere, & alium, etſi ſanctiſsimum, induere. Quæ omnia paritate ſuprà poſita habitus exterioris non parùm vrgeri valent.

Exteriorem habitum interiori debere eſſe conformem, res eſt omnino certa. Et hanc conformitatem deſtruit, qui ſecundùm exterius indumentum Carmelita eſt; non autem ſecundùm indumentum interius. Vnde timere debet iram Dei, ſic per Sophoniam cap. 1. v. 8. minantis: *In die hoſtiæ Domini viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* Hîc ad vivum exprimitur Carmelita diſcalceatus, qui orationi mentali valedixit. Iſte enim veſte peregrina indutus eſt: Quia indumentum exterius ſignat hominem die, ac nocte in lege Domini meditantem, & in orationibus vigilantem: indumentum autem interius huic ſtudio contrarium eſt. Veſtis interior ab exteriori eſt aliena, & exterior ab interiori peregrina. Lucrumque, quòd ex hac confuſione reportat, nullum aliud eſt, niſi divina indignatio, & quòd à nemine tamquàm frater, aut ſocius habeatur. Non ab his, quorum finem proprium ſequi ſe iactat, ob differentiam in habitu exteriori. Non à fratribus ſuis, quibuſcum in habitu exteriori convenit, propter diverſitatem in interiori. Vnde poteſt omni veritate dicere gemebundus: *Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.* Sed non dicere poteſt, hoc ei eveniſſe: quoniam *Zelus domus tuæ comedit me.* Pſalm. 68. v. 9. & 10. & etiam dicere poteſt: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me.* Quod forſam non deploraſſet; ſi vineam ſuam, vt parerat, cuſtodijſſet.

139. In hac tragædia evenire contemplor, quod miſeris illis Troianis, qui hortatu Chorœbi, dum Danaum ignibus tota Neptunia Troia fumabat,

aliquorum occiſorum exuvias ſibi aſſumunt, propriaque Troianorum inſignia deponunt, dicente Marone lib. 2. Æneid.

O ſocij, quâ prima inquit, fortunâ ſalutis
Mõſtrat iter, quâque oſtendit ſe dextra, ſequamur.
Mutemus clypeos, Danaumque inſignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?
Arma dabunt ipſi. Sic fatus: deinde comantem
Androgei galeam, clypeique inſigne decorum
Induitur: lateriqueArgivum accommodat enſem.
Hoc Ripheus, hoc ipſe Dymas, omniſque iuventus
Læta facit: ſpolijs ſe quiſque recentibus armat.

Ecce qui verè Troiani erant Græcorum indumenta geſtabant. Quamque vtilitatem ex hac diſſona confuſione lucrati ſint, exitus ipſe monſtravit. Nec à Troianis, nec à Græcis habiti fuerunt vt ſocij, quos tuerentur; ſed potiùs vt adverſarij, quos invaderent. Troiani pugnabant cum portantibus indumenta Græcorum: & Greci cum loquentibus idioma Troianorum. Omnes tamquàm infenſiſsimos adverſarios experti ſunt, qui cum omnibus illis ſocietatem fingere ſatagebant. Audi apud Maronem quomodo ipſi ſuam miſeram ſortem deplorent.

Hìc primùm ex alto delubri culmine telis
Noſtrorum obruimur: oriturque miſerrima cædes
Armorum facie, & Graiarum errore iubarum.

Vide quo modò à ſuis obruantur; quia videlicet ipſis extranei facti ſunt propter armorum mendacium. Qui erant in ſummo templo Minervæ, (ait loquens Virg. Explanator) vnde extracta eſt Caſſandra, decepti facie inſignium Græcorum, in ſuos, vt in hoſtes, tela omnia conijciunt: inde nullo diſcrimine miſerabilis cædes exorta. Hæc ille.

Vidiſti Troianos à Troianis impugnatos, vide etiam à Græcis impetitos, vtî ipſi miſerabiliter lamẽtantur.

-----Primi clypeos, mentitaque tela
Agnoſcunt: atque ora ſono diſcordia ſignant.
Ilicet obruimur numero: primuſque Chorœbus
Penelei dextra Divæ Armipotentis ad aram
Procumbit

Circa quod ait Jul. Scalig. *Alia enim arma, alia corda gerebant.* Quod idem evenit in Carmelitis, qui ſtudium mentalis orationis deponunt; alia enim arma gerunt, & alia corda: ſicque à nemine vt ſocij habentur, ab omnibus tamquàm ex adverſo eſſe, reputantur. Et hoc poteſt fieri ſine culpa gravi? Non credam.

140. Roborantur hactenus dicta doctrina præclariſsimi Mag. Bañez 2.2. q. 33. art. 3. concluſ. 3. vbi ait: *Religioſus tenetur ex officio, è profeſſione ſua diſponere ſe, vt ſit idoneus ad exercenda potiſſima ſui ordinis munia ſub peccato mortali.* Quam aſſertionem probat dictus Mag. Quia religioſus tenetur tendere ad perfectionem ijs medijs, quæ ſunt in ſua regula: ſed ibi explicantur iſta media: ergo tenetur ſe idoneum facere ad iſta. Sic perdoctus hic Mag. loquutus, non ſolùm de religioſis Dominicanis, vt aliqui non ita bene dicunt, ſed de omnibus religioſis. Hæc doctrina noſtræ aſſertionis novitatem aufert. Quis enim vt ſingularem ſuggillet doctrinam, quæ à tam eximio Theologo edocta comprobatur? Illum citat noſter Curſ. moral. loco adducto, num. 53. poſitaque hac doctrina, infert: *Ergo idem dicendum eſt de Carmelita, ſi ad orationem mentalem, ſe quocumque modo in diſpoſuerit. Ita N. Antonius, N. Thomàs à Jeſu, Franciſcus à Sancto Elia, & non obſcurè tradidimus tom. 4. tract. 15. cap. 1. p. 2.* Hoc, & nihil aliud, eſt, quod in aſſertione dico. Vnde ſi tot Patronos habeo, nihil timendum reſtat. Placet tamen ſic in forma procedere.

Car-

Carmelita ſe ad orationem mentalem quocumque modo indiſponens, peccat mortaliter: Carmelita orationi mentali non ſtudens omnimodè ſe indiſponit ad orationem mentalem: ergo Carmelita orationi mētali non ſtudens peccat mortaliter. Syllog. in modo, & figura eſt; & maior cōtinet eorum Doct. doctrinam. Min. antem probatur: Quia nihil eſt, quod magis, aut æque indiſponat ad orationem mentalem, quàm voluntas illam non habendi: ſed Carmelita, qui orationi mentali non ſtudet, habet voluntatem non habendi orationem mentalem, ſeu illam habere non vult: ergo.

Confirmatur: Carmelita tenetur niti ad perfectionem per media potiſſima ſuæ regulæ: ſed medium potiſsimum inter omnia eſt oratio purè mentalis: ergo tenetur ire ad perfectionem per orationem purè mentalem. Bona eſt conſeq. Maior quoad motum in perfectionem conſtat ex §. §. 2. 3. & 4. quòd autem hic motus debeat eſſe per media potiſsima regulæ, patet ex toto §. 5. & etiam ex adducto Mag. Bañez. Min. autem probatur: Medium potiſsimum inter omnia, quæ in regula aſsignantur, eſt illud, quod ita eſt medium, vt etiam finis ſit: ſed oratio purè mentalis eſt finis intermedius relatè ad Carmelitam: Ergo, &c. Minor conſtat ex toto §. 6.

§. X. *Quæ noſtrum aſſertum obruere nituntur, diſolvo.*

141. IN hac parte ſunt contra nos adverſarij multi, qui multifariam, multiſque modis ex adverſo ſunt, dicentes noſtram aſſertionem eſſe oppoſitam Div. Thom. aptiſsimam progignendis ſcrupulis, aliaque plura vociferantes, quibus, vt vt poſsim, occurſum ire opus eſt. Igitur arg. 1. ex Div. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. in corp. Vbi enumeratis religioſorum obligationibus, ait: *Et ideò tranſgreſsio horum trium* (votorum) *obligat ad mortale. Aliorum autem tranſgreſſio non obligat ad mortale, niſi propter contemptum regulæ.* Ergo oratio purè mentalis non obligat ſub mortali Carmelitam. Idem repitit ad 2.

Similiter quodlibeto 1. art. 20. in corp. docet: *Quod nihil eſt peccatum mortale monacho, vel religioſo cuicumque per ſe loquendo, quod non ſit peccatum mortale alteri, niſi ſit contrarium ei, ad quod ſe voto profeſſionis obligavit; per accidens tamen, vt ratione ſcandali, vel alicuius huiuſmodi, poſſet aliquid ei eſſe peccatum, quod non eſſet alij peccatum.* Vbi vides, quòd per ſe loquendo, religioſus ſolummodò peccat mortaliter cum legem Dei, aut præcepta Eccleſiæ tranſgreditur, in quo cum non religioſis convenit. Et etiam peccat mortaliter; cum votum aliquod ex religioſis tranſgreditur; quia ad hoc ſe per profeſsionem obligavit. Vnde in nulla alia occaſione peccat per ſe loquendo mortaliter. Hanc ipſam doctrinam ſæpiſsimè inculcat Sanct. Doct. quarè alia ipſius teſtimonia non adducimus.

Proponam tamen fundamentum huius Angelicæ doctrinæ, quod plurimum apud adverſarios invaluit, habeturque citato art. 9. in argumento *ſed contra* his verbis: *Sed contra eſt, quòd ſtatus Religionis eſt ſecurior, quam ſtatus ſæcularis vitæ: vnde Gregor. 1. moral. comparat vitam ſæcularem mari fluctuanti, vitam autem Religionis portui tranquillo: ſed ſi quælibet tranſgreſſio eorum, quæ in regula continentur, religioſum obligaret ad peccatum mortale, ſtatus Religionis eſſet periculoſiſſimus, propter multitudinem obſervantiarum: non ergo quælibet tranſgreſſio eorum, quæ in regula continentur, eſt peccatum mortale.*

Reſpondetur hos textus, pluresque alios, quos ſolent adverſarij accumulare, nec leviter contra nos eſſe: vnde ad primum dicimus: quamlibet votorum tranſgreſsionem eſſe peccatum grave: quod idem habet, quævis tranſgreſsio aliorum, quæ in regula continentur, ſi ex formali contemptu tranſgrediantur. Aſt ſi non tranſgrediantur ex contemptu, obligant vel ad pœnam, vel ad culpam venialem,

pro diversitate legum pœnalium, & quæ ad culpam obligant. Quarè harum transgressio est tantùm venialis, si non ex consuetudine, aut ex proposito fiat, vt constat ex dictis §. 3. Vltra has obligationes adest finis particularis Carmelitæ; ad quem tenetur sub mortali: vnde quoties finem hunc transgreditur, mortaliter peccat. Vide dicta num. 132. Quocirca cum Div. Thom. docet, fractionem aliorum, à tribus votis, non obligare ad mortale, loquitur de medijs purè talibus, & divisivè acceptis; non autem de illis collectivè; nec loquitur etiam de fine intermedio, qui licèt sine culpa gravi transgrediatur, quoties non impeditur: dum tamen impeditur, committitur gravis culpa, vtî numero citato docuit nos Div. Thom. ex quo lucem accepimus, qua hæc, aliaque similia in nos obiecta explicemus.

Adde: quæ ex P. Suarez scripsimus num. 135. vbi diximus obligationem conservandi proprium habitum esse ex regula, non quia in ea determinatè præcipiatur; sed quia ad omnem regulam præsupponitur: graviter tamen obligat, quia est signum obligationis contractæ in professione. Quod vrgentiori motivo verificari in fine proprio, qui verè est distinctivum interius, à nemine negari posse, censemus. Vnde D. Thom. in ea authoritate dicit: *nisi propter contemptum regulæ*, addidit, vel *propter præceptum*, ne dùm in regula expressum, de quo ibi loquitur; verùm etiam præsuppositum ad omnem regulam: Quòd etiam sub mortali obligare, convincitur ex præcepto habitum conservandi.

Ad 2. authoritatem respondetur 1. Quòd non religioso est peccatum mortale impeditio distinctivi, quo à non catholico secernitur. Vnde ex hac doctrina habetur, quòd religioso sit grave peccatum impeditio proprij distinctivi à non religioso. Et hoc est, quod asserimus. *Secundò* respondetur, quòd impedire religiosum finem sibi proprium, est *contrarium ei, ad quod se voto professionis obligavit.* In professione enim obligationem contraxit vivendi illa vita, quæ est constitutiva status, quem professus est, quæ vita est finis proprius illius, qui professionem emisit. Sicut etiam in ipsa professione contraxit obligationem conservandi, & non temerè dimittendi habitum proprium ipsius religionis.

Per quæ patet ad tertiam authoritatem. Fatemur enim discursum Div. Thom. esse solidissimum, & prudentissimum. Si namque *quælibet transgressio eorum, quæ in regula continentur* peccatum mortale foret, sanè *status religionis esset periculosissimus.* Nos autem non dicimus, quòd quælibet transgressio mediorum purè talium, aut finis intermedij, sit grave peccatum. Quod ex hactenus dictis constat. Dicimus tamen, quòd sicut à professione tenetur ad non dimittendum habitum, & ad tendendum ad perfectionem; quin hoc sit ei laqueus ruinæ: sic tenetur ad quærendam perfectionem, non quolibet mediorum genere; sed illis, quæ ei taxata sunt secundùm regulam, vt sæpius asserit. Div. Thom. quorum præcipuum est id, quod non solùm est medium, sed etiam finis proximus, scilicet oratio purè mentalis.

142. Quibus solutum argumentum habes, quod adversæ opinionis sectatores magnificant: videlicet, quòd nostra sententia est plurium scrupulorum origo. Nec invenire potui, post solicitudinem non vulgarem, in quo consistere possit rumor iste, qui in vulgus sparsus, adeò in nostram opinionem animos concitavit omnium, vt vnguibus, & rostris, adversus illam armentur, tamquàm conscientias inquietantem, scrupulosque nimios progignentem.

Hoc argumentum nullum esse, non solùm, qui mortem esse vicinam consideret, deprehendet; sed etiam, qui non passione, sed ratione ducitur, intuetur. Itaque quod potest conscientiam turbare, nihil aliud est, nisi audire, esse grave peccatum, quod Carmeli alūnus orationi purè mentali non studeat. Nonnè sic? Absque dubio fate-

fatebere. Et hoc autem nullam conſcientiæ turbationem prudenter oriri, aperiam. Etenim Authores aſſerentes orationem purè mentalem, ſolùm ſub veniali obligare Carmelitam, etiam aſſerunt clariſsimè, & conſtantiſsimè talem Carmelitam gravis criminis reum eſſe. Diſcrimen inter vtramque ſententiam ſtat in hoc, quòd nos dicimus, talem obligationem *per ſe* eſſe gravem: vnde qui illam tranſgreditur, *per ſe* peccat mortaliter. Contrarij autem dicunt: obligationem ad mentaliter orandum non eſſe *per ſe* gravem Carmelitæ, ſed levem: vnde illam frangens, peccat quidem, ſed veniali-ter *per ſe*: *per accidens* tamen, hoc eſt, quia per hoc, quòd orationi mentali non ſtudeat, conſtituitur in maximo ſalutis ſuæ periculo, peccat mortaliter.

Sed audi, non cuiuſcumque notæ, ſed eximiæ Authorem, plures alios pro ſe referentem. Sic enim loquitur N. Curſ. moral. à nobis citatus num. 140. ſtatuit pro concluſione: *Religioſos Carmelitas ex vi regulæ ad orationem mentalem ſub veniali teneri.* Cæterùm poſteà addit: Carmelita excalceatus, qui *non vacaret orationis mentalis exercitio, eſſet in maximo ſalutis periculo: quia tunc per media à religione ſtabilita, proprij inſtituti finem aſſequi non curaret; vnde, & Religioni, & ſibi maximum nocumentum afferret: Religioni, quia ei officit in diſciplina regulari, alijs ſuo pravo exemplo occaſionem præbens tranſgrediendi hoc noſtri inſtituti principale caput: ſibi, quia, vt diximus, conſtituitur in periculo ſalutis amittendæ. Quapropter Mag. Bañez 2. 2. q. 33. art. 3. dub. 3. ait, Religioſum Dominicanum, qui ſe indiſponeret ad munus prædicationis, qui eſt potiſſimus finis in prædicta Religione peccaturum mortaliter: ergo idem dicendum eſt de Carmelita, &c.* vt num. 140.

Habes ergo, quòd iuxta opinionem adverſam etiam datur peccatum grave in Carmelita non ſtudēte orationi mentali. Rogo nunc: per hoc turbatur conſcientia tua; vel non? Si ſic: deſine adverſus meam opinionē, vt in ſingulariter conturbantem, procedere. Si non: quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus es mihimetipſi gravis? Si enim non inquietat te, quòd graviter, licèt *per accidens* pecces, tranſgrediendo ſtudium orationis purè mentalis: non te conturbet, quòd dixerim, tale peccatum non eſſe *per accidens*, ſed *per ſe*. Licèt enim hæc valde diverſa ſint, ſpeculationi, & alijs: tuæ vtilitati autem idem omnino ſunt. Tam oppoſitum eſt gratiæ, & charitati peccatum grave *per accidens* perpetratum, ac peccatum grave *per ſe* commiſſum. Vnde ſi primum illud te non inquietat, nec hoc ſecundum turbet.

Meliùs faceres, ſi ex hac turbatione, qua malè vteris, procederes ad explorandum quid tibi oporteat facere: & videns, quòd obligatio mentalis orationis ita vrget, vt, ſi illi vacare retuſes, graviter pecces: ſive ſit *per ſe*, ſive *per accidens*: activitatem tuam applicares ad orationis purè mētalis ſtudium: relinquens diſputantibus, & ſcribentibus diſcutere, an tale præceptum obliget *per ſe*, vel *per accidens*. Vide ergo quàm vanè poſitionem meam, vt conſcientias conturbantem, cenſures.

143. Arg. 2. ex noſtris conſtitutionibus 1. p. cap. 1. num. 6. vbi dicitur: *De primitiva noſtra regula declaramus: eam nullatenus ſuis profeſſoribus ad lethalem culpam, ſed ad venialem tantùm obligare: ſic enim & communi Religionis conſenſu, & conſuetudine ſemper introductum eſt, & totius noſtri Capituli generalis voto tam pro religioſis, quàm monialibus, firmatum:* Ergo non eſt vnde obligatio ad orationem purè mentalem gravis Carmelitæ ſit. Patet iſta: Quia ex vi regulæ obligat ad veniale, vt conſtat ex data conſtitutione: ex vi autem cōſtitutionis, nec ad veniale obligat; quippe conſtitutiones noſtræ purè pœnales ſunt.

Nec momenti erit dicere, quòd non ſemel cum eximio Suarez diximus, videlicet, hoc præceptum præſupponi ad regulam: vnde, quod ex regula non conſtet, non eſt argumentum, vt non detur; ſicut exemplo de habi-

habitu temerè non dimittendo comprobatur.

Hoc, inquam, non obeſt: Quia licèt doctrina data vera ſit, quando res, quæ dicitur præſupponi ad regulam, non exprimitur in ipſa regula, in quo ſenſu loquitur P. Suarez; non autem vera eſſe poteſt de re, quæ in regula determinatè præcipitur; cùm implicet, eandem rem præſupponi ad regulam, in qua determinatè iubetur: ſed præceptum de oratione purè mentali eſt expreſſum in noſtra regula, quæ cap. 6. ait: *Maneant ſinguli, &c. Die, ac nocte in lege Domini meditantes*: ergo tale præceptum non præſupponitur ad regulam. Ergo tantùm obligat, prout in ea expreſſum; & conſequenter ſolùm venialiter obligabit.

Reſpond. quòd ſicut ex verbis illius conſtitutionis nemo infert omnia contenta in noſtra regula ad culpam venialem obligare: dantur quippe plura; quæ ad nullam culpam obligant; dantur & alia, quæ obligant ad culpam gravem, ſcilicet, quæ ad tria vota ſubſtantialia ſpectant: pariformiter obligatio ad finem potiſsimum regulæ, & Religionis, non eſt levis, ſed gravis. Ratioque vtriuſque non abſimilis eſt: Quia vota ſubſtantialia graviter obligant, quia ſunt conſtitutiva ſtatus religioſi in eſſe talis. Vnde cùm ſtudium orationis purè mentalis ſit diſtinctivum noſtræ familiæ ſacræ ab alijs: propterea præceptum circa hoc ſtudium grave eſt, ſeu graviter obligat. Quamobrèm conſtitutio illa obiecta debet intelligi exceptis ijs, quæ merè conſilia, ac exhortationes ſunt: & ijs, quæ ad tria vota ſubſtantialia attinent; ac denique excepto fine intermedio: his enim exceptis, alia ad venialem tantùm culpam obligare dicuntur. *Quod* ſi tenaciter velis etiam de fine intermedio ibi ſermonem eſſe: permittam: dicamque, conſtitutionem de hac, aut illa fractione loquutam; non autem de multiplici, ita vt verificetur, quòd oratio mentalis non eſt principale ſtudium Carmelitæ.

Sicque ſolvitur, quod inter arguendum dicebatur: Quoniam oratio purè mentalis poteſt ſumi, vt exercitè habetur hîc, & nunc: & etiam vt ſignatè accepta conſtituit noſtrum ſtatum, eſtque finis potiſsimus illius, prout diximus. Primo modo, continetur cap. 6. regulæ, & prout ſic obligat tantùm ad veniale. Secundo autem modo, præſupponitur ad regulam, obligatque ſub gravi culpa. *Adde*: non implicare, quod aliquid in regula præcipiatur, & quòd gravitas obligationis eius præſupponatur ad regulam. Sicut gravitas præcepti, de non temerè dimittendo habitu, præſupponitur ad regulam, in qua poteſt agi de ipſo habitu, vtî in regula, quam nobis dedit Joannes Patriarcha Hieroſolomitanus cernere eſt à cap. 37. vſque ad 40. & etiam in noſtris conſtitutionibus de ipſo agitur 1. p. cap. 14.

144. Arg 3. Oratio purè mentalis eſt, vtî aliquoties diximus, finis regulæ noſtræ: ergo non cadit ſub regula, nec ſub præcepto illius. Ergo non tenemur ad orationem purè mentalem. Hæc ſecũda conſequentia conſtat ex prima, quæ ex antecedenti conſtat: Quia iuxta commune Theologorum effatum finis regulæ, ſeu præcepti, non cadit ſub regula, aut præcepto. ¶ Cõfirmatur: Quia regula non poteſt præcipere actus purè internos: ergo nec orationem purè mentalem.

Ecce argumentum, quod non ſemel audivi à nonnullis celebratum; cùm tamen ſibilari debuiſſet. Ex eo enim ſequitur, quòd nec ſub peccato veniali obliget caput 6. noſtræ regulæ, orationem mentalem eius profeſſoribus præcipientis. Quod ex facto argumento, eiuſque confirmatione probatur. Vnde cùm multùm hæc probent, nihil concludere, certum eſt. Ad argumentum ergo reſpondetur cum noſtro Thoma à Jeſu in expoſit. reg. cap. 6. dub. 3. finem noſtræ regulæ eſſe duplicem, alium remotum, & mediatum: alium verò immediatum, & proximum. Primus ille non cadit ſub regula: de illo enim verificatur dictum commune Theologorum, quod finis regulæ, legis, aut præcepti, non cadit ſub regula,

regula, lege, aut præcepto. Secundus autem cadit ſub præcepto, ſub lege, & ſub regula: vnde cùm oratio purè mentalis ſit finis immediatus; ac proximus noſtræ regulæ ſub illa cadit.

Ratio autem, ob quam finis remotus non cadat ſub regula ea eſt, quòd profitenti regulam ex vi illius præcipitur moveri per viam, quæ in ipſa regula aſsignatur, in finem remotum. Vnde iſte finis præſupponitur ad regulam motum illum præcipientem. Conſequenterque talis finis imperari non poteſt, ſeu, quod idem eſt, non poteſt cadere ſub ipſa regula. Contrarium invenitur in fine proximo; quia cum hic finis ſit veluti medium, & via, per quam incedendum eſt noſtræ regulæ profeſſori, vt finem vltimum conſequatur: idcirco finis iſte præcipitur à regula. Eſt dicere: Quòd finis vltimus præſupponitur ad noſtram regulam; quia cùm hæc incipit obligare illam profitenti, iam hic ſupponitur cum obligatione gradiendi in illum finem; quam obligationem habet quilibet Chriſtianus. Ex diverſis autem medijs, quibus ille finis perfectiſsimè haberi poteſt, eligit regula, quæ ſibi magis placent, & finem intermedium, quem vt ſtatus diſtinctivum proponit, præcipiens quòd quicumque illam profeſſus fuerit, hoc fine intermedio vtatur, vt illum finem vltimum, ad quem iam obligatus erat, obtineat. Vnde conſtat, finem intermedium cadere ſub regula, hancque non abſolutè præcipere orationem purè mentalem: ſed dicere: quicumque hunc ſtatum amplexus fuerit, ſciat ſe ad orationem purè mentalem obligandum. Quocirca actus ille purè mentalis obligat ex vi voluntatis liberè talem obligationem amplectentis. Per quod patet ad confirmationem. Vide Diſcept. myſt. tract. 1. q. 2. art. 2. vide etiam, quæ diximus diſput. 3. num. 17. & 18.

145. Arg. vltimò: In regula eodem præcepto, & modo præcipitur oratio, ac ipſius continuitas: ſed præceptum de continuitate orationis non obligat ad mortale: ergo nec ipſum prout reſpicit ſubſtantiam orationis. Conſequent. videtur bona, & min. eſt certa: Quia aliàs quis poſſet obtinere ſalutem, ſi ſine intermiſsione deberet in oratione perſiſtere? Maior probatur ex ipſis verbis regulæ ſic dicentis: *Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Vbi clarum eſt, orationem ſine intermiſsione imperari.

Hoc argumentum eiuſdem claſſis eſt, ac præcedens: Quia ſi aliquid probaret, convinceret quidem orationem mentalem, nec venialiter obligare Carmelitis. Reſpondetur ergo 1. Non eſſe inſolens, quòd modus rei præceptæ non cadat ſub præcepto, quamquàm ijſdem verbis videatur præcipi, ac ipſa ſubſtantia rei, cuius eſt modus. Vt patet in maximo præcepto charitatis, quod ſub hac forma nobis proponitur lib. Deuteron. cap. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* In quo duplicem totalitatem diſtinguit Div. Thom. q. 1. de charit. art. 10. aliam, ſine qua charitas eſſe non poteſt; & aliã, ſine qua charitas eſſe poteſt. Charitas primo modo præcipitur; ſecundo autem modo non præcipitur; ſed eſt finis, in quem eundum eſſe oſtenditur, vtî docet idem Div. Thom. laudatus art. 11. Per hæc verba: *Ad 12. dicendum, quòd perfectionem charitatis nullus profitetur: ſed profitentur aliqui ſtatum perfectionis, qui conſiſtit in his, quæ organicè ordinantur ad perfectionem charitatis, vt paupertas, ieiunia; qui tamen nec ad omnia huiuſmodi tenentur: ſed ad illa ſolùm, quæ profitentur. Vnde perfectio charitatis non cadit ſub voto; ſed eſt eis, vt finis, ad quem pervenire conantur per ea, quæ vovent.*

Pariformiter ergo regula noſtra ſatagit ſuos profeſſores inter illos accenſere, quorũ converſatio in cœlis eſt. Quod vt cõſequatur, orationẽ mentalẽ iugiter habendam præcipit. Sed plurimum pulverẽ commovere video apud noſtræ regulæ explanatores, illud *iugiter*. Circà quod plura luculenter tradunt, illos vide. Nobis autem modus

occurrit

occurrit, qui textui genuinè quadrat, & cùm in hac disputatione, & præcedenti dictis rotundè consonat. Vnde dicimus, quòd ly *iugiter* non designat mentem Carmelitæ semper actualiter in Deum ferri: quia vt optimè docet Div. Thom. 2. 2. q. 184. art. 2. in corp. *Talis perfectio non est possibilis in via; sed erit in patria.* Aliquid ergo infra hoc præcipitur nobis per illa verba *die, ac nocte*, seu per ly *iugiter*. Et in hoc enucleando est, in quo citati Doctores mirissimè spatiantur. Verùm nostra constitutio clarissimè, ac elegantissimè nodũ solvit 1. p. cap. 1. n. 1. verbis alibi datis, sed modò non inutiliter repetendis: ait enim: *Proprius, ac peculiaris instituti nostri scopus, ad quem nostræ actiones sunt dirigendæ, est iugis oratio, & divinorum assidua meditatio: hoc est, vt mens nostra, quantum humanæ fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus, perseveranter inhæreat.* Hæc est prudentissima, sincerissima, genuinaque regulæ explanatio. Vt, scilicet, perpetuitas illa orationis non signet illam, *quæ non est possibilis in hac vita, sed erit in patria*, quam consequendam ex Dei gratia speramus: sed significet aliam minùs sublimem permanentiam, illam nempe per quam mens nostra Deo inhæret *quantùm humanæ fragilitati permittitur.*

146. Ast hoc, quòd est Deo inhærere *quantum humanæ fragilitati permittitur*, stat dupliciter. Siquidem potest intelligi de actuali inhærentia, seu elevatione mentis ad Deum: & hoc non præcipitur à regula: esset enim præcipere, quòd sui professores facerent: quantum omnino possunt: quod sanè regulam non præcipere, fatemur. Proponit tamen hanc actualem mentis elevationem, dum præcipit orationem purè mentalem, non quia illam, vt dictum est, præcipiat: sed ob motivum, quod ex Augustin. tradit in simili Div. Thom. d. q. 184. art. 3. his elegantibus verbis: *Ad 2. dicendum, quòd sicut Augustin. dicit in libro de perfectione iustitiæ, perfectio charitatis homini in hac vita præcipitur, quia non rectè curritur, si, quo currendum est, nesciatur. Quomodò autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur?*

Sic igitur regula nostra, quæ euntes ad perfectionem instruit, ostendit ipsam perfectionem, ad quam in hac vita pertingere possunt, videlicet, si mens eorum tantùm Deo inhæreat, *quantùm humanæ fragilitati permittitur*, scilicet inhærentia actuali. Possunt etiam intelligi verba illa de inhærentia virtuali: ita vt sit sensus, quòd mens nostra Deo virtualiter inhæreat *quantùm humanæ fragilitati permittitur*, & hoc cadit sub præcepto, dicente D. Thom. d. q. de charit. art. 11. ad 3. *Virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto charitatis, cùm hoc nihil aliud sit, quàm habere Deum vltimum finem.* Ex quibus constat, quid sit de præcepto, & quid de præcepto non sit in dictis verbis regulæ. *Quantum humanæ fragilitati permittitur*, Deo virtualiter inhærere, cadit sub præcepto regulæ. *Quantum humanæ fragilitati permittitur* Deo actualiter inhærere, est finis, quem in ipso præcepto ostenditur, vt in ipsum nostra solicitudo dirigatur.

147. Cæterùm, quia hoc, quòd est habere Deum vltimum finem, est commune omni habenti charitatem; propterea videndum restat, quid speciale hîc nostris Carmelitis iubeatur. Circà quod ingenuè fateor, nihil speciale ipsis hîc imperari; si res præcepta spectetur: quandoquidem apud Eccles. cap. 8. dicitur, *ne impediaris orare semper.* Et apud Lucam cap. 18. *Oportet semper orare, & numquàm, deficere.* Et similiter cap. 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes.* Et ad Thessalonicen. cap. vltimo: *Sine intermissione orate.* Quæ omnia, si cum verbis nostræ regulæ conferantur, nihil speciale illam præcipere, apparebit; si res præcepta solummodò consideretur. Nec per hoc superfluit præceptum regulæ. Vt patet in pluribus alijs rebus, quæ à diversis potestatibus præcipiuntur.

Sed altiùs detegendum nobis est, præceptũ regulæ non esse superfluum. Et-

Etenim omnibus præcipitur oratio ſine intermiſsione, modo dicto: noſtris tamen Carmelitis præcipitur oratio purè mentalis, quæ alijs in adductis textibus non præcipitur. Ex quo ingens robur noſtræ reſolutioni accreſcit, vt id obiter dicamus, in hunc modum: Iiſdem verbis præcipitur omnibus oratio abſtrahens à mentali, & vocali, ac præcipitur Carmelitis oratio determinatè mentalis: ſed ad orationem vel vocalem, vel mentalem omnes ſub mortali tenentur, vt tradidimus diſp. 3. q. 1. ergo Carmelitæ tenentur ſub mortali ad orationem purè mentalem. Ad rem ergo: Oratio purè mentalis nobis præcipitur datis verbis. Sed qualis, aut quanta debet eſſe hæc oratio, vt hanc regulam profeſſor eius non violet? Hoc opus, hic labor eſt.

Reſpondeo ergo ex dictis num. 132. tunc præceptum hoc regulæ adimpleri; cùm principale ſtudium Carmelitæ ſit circa orationem purè mentalem: per hoc enim meditativus eſt, & ad nihil aliud obligatur. Videantur, que loco citato diximus ex Div. Thom. & Caietan. & ita hæc percipientur, quin illa hìc reproducantur.

148. Vnico verbo: Regula noſtra reſpicit Incipientes, Proficientes, & Perfectos. Ex his enim tribus claſsibus componitur tota familia noſtra. Omnes illi tenentur quærere perfectionem, quam, vt cognoſcant, proponit, & ſimul medium, quo in illam tendant, oſtendit. Sed taliter oſtendit, quòd ipſa perfectio non cadat ſub præceptum; atque adeò non tenentur ad ſemper orandum, *quantum humanæ fragilitati permittitur*, quod proprium eſt perfectorum. Sine quo vtique ſalvatur Carmelita verè talis. Tenentur tamen ad orandum mentaliter ſemper, ita vt ſemper verificetur, quòd eorum principale ſtudium eſt oratio purè mentalis. Sub quo præcepto omnes Carmelitæ comprehenduntur, ſive ſint Incipientes, ſive Proficientes, ſive Perfecti. Quæ doctrina pulchrè à Div. Thom. traditur d. q. 184. art. 1. in corp. vbi dupliciter poſſe intelligi perfectionem huius vitæ docet: *Vno modo, in quantum ab affectu hominis excluditur omne illud, quod contrariatur charitati, ſicut eſt peccatum mortale: & ſine tali perfectione charitas eſſe non poteſt, vnde eſt de neceſſitate ſalutis. Alio modo, in quantum ab affectu hominis excluditur non ſolùm illud, quod eſt charitati contrarium: ſed etiam omne illud, quod impedit, nè affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum: ſine qua perfectione charitas eſſe poteſt, putà, in incipientibus, & proficientibus.* Applica, quod de præcepto charitatis dicitur pro omnibus, præcepto orationis pro Carmelitis, & videbis fundamentum, quod in Div. Thom. habet ſolutio noſtra. *Secunda* autem facti argumenti ſolutio traditur ab authoribus noſtris verba illa regulæ explicantibus. Illos vide.

§. XI. *Aſſertum directè reſpondens titulo quæſtionis proponitur, & probatur.*

149. SIt vltimum aſſertum: *Carmelitæ noſtri tenentur ſub mortali ad contemplationem.* Incipere myſteria diximus initio §. 7. Quia videlicet, licèt ibi dicta adeò ardua ſint, ſuperantur tamen ab ijs, quæ modò dicimus. Dum autem audis, *contemplationem* in noſtro aſſerto, non extemplò contemplationem in re, ſeu exercitam intelligas, ſed nec illam impropriè talem conſideres. Sed intellige contemplationem acquiſitam propriè, ac rigoroſè talem, quam habere, prout poteſt, Carmelita conetur. Ita vt, ſi Deus illam concedere nolit, non ſit ob defectum ipſius Carmelitæ, vtî num. 82. ſuppoſuimus. Præcipuè tamen intelligere debes, quòd non contemplatio exercita ſit nobis præceptæ, hoc eſt, actualiter ſemper contemplari, ſed contemplatio ſignata, hoc eſt, contemplatio prout conſtituit ſtatum contemplativi, iuxta dicta num. 35. Sicque aſſertio propoſita facit hunc ſenſum: *Carmelitæ noſtri debent ſub mortali eſſe contemplativi.* Hoc eſt, debent eſſe tales, vt eorum

rum principale ſtudium ſit contemplatio, vel quam in ré habeant; ſi ſint Perfecti, aut Proficientes; vel, ad quam ſe diſponunt, aptantque, ſi Incipientes ſint. In hoc ergo ſenſu loquimur, concluſionemque ſic explicatam eſſe de mente Div. Thom. non dubitamus, vt mox dicemus. Alios autem Authores pro eadem ſententia non refero, quia eorum doctrinis illam comprobare ſatagam, & forſam, qui ex adverſo eſſe videntur, contrarij non erunt.

Prob. igitur aſſertio 1. ſic: Ad finem proprium, ac immediatum noſtræ religionis tenentur ſub mortali eius profeſſores: contemplatio, modo dicto ſumpta, eſt finis proprius, & immediatus noſtræ religionis: ergo ad illam tenentur ſub mortali eius profeſſores. Conſequentia eſt innegabilis. Mai. autem conſtat ex ſuprà dictis, præſertim §. §. 7. 8. & 9. vbi fuſè probata à nobis eſt, tum ab authoritate, tum à ratione, tum à ſolutione eorum, quæ contra obijciebantur. Tum denique paritate illa habitus religioſi, quem ſub mortali religioſus temerè non deponere tenetur. Minor autem ex dictis in eiſdem locis nota eſt, breviterque probatur ſic: Contemplatio eſt finis immediatus familiæ contemplativæ; religio noſtra eſt contemplativa: ergo finis immediatus eius contemplatio eſt. Min. in qua poterat eſſe difficultas, conſtat expræmiſſis §. 6.

150. Dices: Per orationem purè mentalem, quæ tamen diſcurſus ſit, ſatisfacere omni ſatisfacere omni ſuæ obligationi profeſſores noſtræ regulæ: ergo vanè illos ad contemplationem propriè talem obligatos dicimus. Conſequentia patet ex ſe, & anteced. probatur: Quia tota obligatio, quam ad orationem purè mentalem habent Carmelitæ, eſt, quam regula exprimit citato cap. 6. ijs verbis: *Maneant ſinguli in cellulis ſuis die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes*; vbi per ly *orationibus* intelligi orationem ſive mentalem, ſive vocalem diximus num. 127. vbi etiam diximus, per ly *meditantes* orationem meditationis imperari: ſed hîc nulla, vel leviſſima mentio contemplationis fit: ergo nulla obligatio habent ad contemplationem profeſſores noſtræ regulæ.

Hoc eſt, quod magis vrgere poteſt contra noſtram poſitionem. Vnde accuratè evacuandum eſt. Ad quod duo faciam: primum erit, oſtendere meditationem non ſufficere, vt Carmelita ſuæ obligationi ſatisfaciat: conſequenterque videbimus, orationem purè mentalem, ad quam obligatum duximus à §. 7. vſque ad 10. non eſſe orationem diſcurſus, ſed contemplationem propriè talem, modo, quo initio huius §. dicebamus. Secundum erit directè explicare verba regulæ, quæ modò opponuntur. Vt ergo primum faciam.

151. Diſputo ſic 1. Ad illam orationem mentalem tenetur Carmelita, quæ eſt ſui ſtatus conſtitutiva, & finis: ſed oratio mentalis, quæ eſt conſtitutiva, & finis Religionis noſtræ non eſt meditatio, ſed contemplatio propriè talis: ergo ad contemplationem propriè talem tenentur Carmelitæ. Cætera nota ſunt, probo min. Religio propriè contemplativa conſtituitur per cõtemplationem propriè talem: noſtra ſacra Religio eſt propriè, ac ſimpliciter contemplativa: ergo conſtituitur per contemplationem propriè talem. Nullam ex his propoſitionibus negandam ab adverſarijs credimus; vnde, quo medio vtantur, quod conſcientiam, & intellectum quietet, in noſtram reſolutionem ignoramus. Maximè, ſi, vt ſupponimus, vicinos ſe morti conſiderent.

Dicere namque, quòd licèt hæc omnia vera ſint; tamen ex illis ſolùm habetur, quòd contemplatio obliget ad veniale. Hoc, ſi dicatur, habet contra ſe omnia illa, quibus affatim oſtenſum à nobis eſt, finem proprium, vt potè ſtatus diſtinctivum, obligari ſub mortali. Quibus adde: Quòd verba regulæ, vt ait obijciens, nullam mentionem faciunt contemplationis. Quarè ergo ſub veniali obligare ad contemplationem, dicis?

Diſpu-

152. Disputo 2. Carmelita tenetur vivere vita contemplativa: ergo tenetur ad contemplationem propriè talem. Antecedens est certum: Quia Carmelita tenetur vivere vel vita contemplativa, vel activa; in hanc enim duplicem vitam dividi adequatè vitam in communi, diximus disput. præcedenti, q. 2. vnde, cum non teneatur vivere vita activa, vt minùs principaliter, sequitur, quòd vita contemplativa vivere teneatur. Consequentia autem probatur: Quia vita contemplativa non constituitur nisi per contemplationem propriè talem: per actionem verò exteriorem, aut per meditationem, nullatenus constitui certum est: ergo qui tenetur ad vitam contemplativam, tenetur ad contemplationem propriè talem. Ex quo

153. Disputo 3. Qui tenetur ad vitam activam, tenetur ad actionem propriè talem: ergo qui tenetur ad vitam contemplativam, tenetur ad contemplationem. Ergo cùm Carmelita, vt dictum est, teneatur ad vitam contemplativam, ad contemplationem propriè talem tenetur. Secunda consequentia nota est ex prima, quam antecedens suadet; illud verò constat ex suprà dictis, ac præcipuè ex ijs, quæ num. 140. diximus ex Mag. Bañez. Indidemque

154. Disputo 4. Quia Carmelita, (ex quo profiteatur vitam mixtam, modo dicto §. 6.) tenetur, licèt minùs principaliter, ad vitam activam; ideò tenetur ad actionem propriè talem; vnde tenetur ad opera misericordiæ erga proximum exercenda: ergo potiori iure tenetur ad contemplationem propriè talem. Patet ista; Quia magis tenetur ad vitam contemplativam, quàm ad activam; quandoquidem ad illam tenetur principaliter; ad istam verò non: ergo si inferior obligatio ad vitam activam inducit obligationem ad actionem propriè talem; maior obligatio ad vitam contemplativam, etiam inducere debet obligationem ad contemplationem propriè talem.

155. Disputo 5. Ad illam orationem mentalem tenetur Carmelita, quæ eius familiam facit magis perfectam quàm sint familiæ religiosæ purè activæ: sed meditatio non facit familiam nostram magis perfectam, quàm aliæ purè activæ sunt: ergo meditatio non est oratio mentalis, ad quam tenetur Carmelita. Ergo tenetur ad contemplationem. Hæc secunda consequentia constat: Quia præter meditationem non datur alia oratio purè mentalis, nisi contemplatio. Prima consequentia ex præmissis nota est, quarum maior est certa: Quippe Carmelita tenetur ad illam orationem mentalem, quæ est constitutiva sui status, à qua consequenter hic eminet supra alios purè activos. Minor probatur 1. Meditatio est operatio vitæ activæ, vt diximus disput. præced. ergo per meditationem non est familia nostra magis perfecta, quàm purè activæ.

Prob. 2. eadem min. Quia adhuc inter opera vitæ activæ infimum locum tenet operatio, quæ non ad alium, sed ad vtilitatem solummodò facientis ordinatur: sic est meditatio: ergo per meditationem non potest familia nostra eminere supra purè activas. Maior, in qua dissidium esse poterat, probatur ex Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. in corp. vbi ait: *Vita activa, quæ non ad alium, sed ad se ipsum tantùm ordinatur, neque dignior, neque vtilior est, quàm contemplativa; imò comparatur ad contemplativam sicut vtile ad id, ad quod est vtile.* Vbi, vt vides, vitam activam, quæ est ad se ipsum cedere in vtilitate, & perfectione vitæ contemplativæ, docet, cùm tamen ibidem vitam activam, quæ est ad alium, vtiliorem esse vita contemplativa, adstruat. Vnde meditatio non potest facere familiam nostram perfectiorem alijs.

156. Sextò denique disputo: Professor nostræ regulæ est, ac dicitur contemplativus: ergo oratio, ad quam tenetur, non est meditatio, sed contemplatio. Patet ista, Quia meditatio nec constituit, nec determinat contemplativum, sicut contemplatio non constituit,

ſtituit, nec determinat meditativum, aut actívum. Anteced. autem probatur ex dictis §. 6. vbi ex diverſis capitibus probavimus, Carmelitas eſſe, dicique contemplativos. Quæ videnda ſunt, vt conſtet, datæ doctrinæ fundamentum, ſimulque habeatur factæ obiectionis exterminium.

Placet autem pro horum vberiori doctrina illa à Prothoparente Elia in nos ipſos derivare. Etenim ſummus Dux, ac Parens noſter cœleſti contemplationi ſummè deditus fuit, vtì ex ipſa Scriptura ſacra colligi, N. Vvaldenſ. teſtatur tit. 1. de Sacramentalibus, cap. 6. num 7. dicens: *Lege librum Regum 3. & 4. ſi non noſter Sanctus Patriarcha Elias, non dico per plures vices, ſed penè totam vitam in orando conſumpſit.* Eius ſucceſſores ante adventum Chriſti Domini contemplativos etiam fuiſſe, aſſeverant D. Hieronym. ad Paulin. & D. Iſidorus lib. 2. de offic. cap. 16. ſed clariſsimè Joannes Hieroſol. lib. citato, de filijs Prophetarum, eorumque ſucceſſoribus, ait: *Ad imitationem Eliæ inceſſanter, & continuè penetrare vaſtos ſeceſſus ſolitudinis montis Carmeli, & aliarum eremorum terræ promiſſionis ſolebant: vbi cogitationibus ſanctis, & intentione, oratione, ac cæteris armis iuſtitiæ muniti, tanto conatu mentes ſuas, ad exemplum Eliæ Principis eorum, ſurſum in Dei contemplationem elevabant, vt cœleſtibus choris viderentur translati, & revelata facie gloriam Dei ſpeculari, perfluentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhærebant.*

157. Poſtquam autem Chriſtus Dominus mundum adventu ſuo pijſſimo conſecravit eodem modo Carmelitæ & fuere, & dicti ſunt Carmelitæ, vtì aſſerunt Joſeph. Antiochen. lib. de perf. milit. primit. Eccleſ. cap. 12. Armachan. apud Vvaldenſ. tit. 9. cap. 89. Joann. de Vitriaco in memorial. cap. 22. alijque. Nobis autem ſat ſint, quæ dicto §. 6. diximus, addentes ſolùm verba Joan. XXII. qui cum noſtræ familiæ profeſſoribus loquens, ait in Bulla de exemptione ab omnibus Prælatis: *Sacer Ordo veſter in agro dominico divina diſpoſitione plantatus:: ::Cuius profeſſores, à ſe mundanis relegatis illecebris, cœleſtium contemplationi vacantes aſſiſtunt iugiter, & profectibus animarum.* Ex quibus, alijſque penè innumeris, quæ prætermimus, affatim conſtat, à ſua fundatione dictos eſſe contemplativos profeſſores noſtræ regulæ.

Quod nomen non meretur, qui actionibus, aut meditationibus exercetur, ſed qui contemplationi propriè dictæ ſtudet. Nomen ſine operibus mortuum eſt, dicente Auguſt. lib. 1. de vita Chriſti cap. 1. *Quid tibi prodeſt vocari, quod non es, & nomen tibi vſurpare alienum? Si Chriſtianum te eſſe delectat, quæ Chriſti ſunt gere.* Idem documentum tradit Sanctus Leo ſerm. 6. de nativ. per hæc verba: *Fruſtrà appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non ſumus Chriſti, qui ideò ſe viam dicit eſſe, vt converſatio Magiſtri, forma ſit diſcipuli.* Pulchrè Sanctus Bonifacius Othonem Imperat. interpellans dicebat: *Quid vanam ego nominis vmbram gero? Quid Martyris titulum circumfero, ſi non victorias, etiam & palmas? Superos teſtor, & cognomen Divum, aut non dicar Bonifacius, aut ero ſimul.*

158. Nec ſuperfluit hæc mea admonitio, quam fratribus meis Carmelitis offero, licèt ipſi, vt notum omnibus eſt, adeò vigilent in divinarum rerum cœleſti contemplatione, quò reſpexit Ovidius dicens lib. 2. de Ponto.

Ergo quod fuerat ſtimulis factura ſine vllis,
Plenius auctoremte quoque nacta facit.
Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Item ipſe vulgaris lib. 5. de Triſtibus ait:

Nec te credideris, quia non facis iſta, moneri:
Vela damus, quamvis remige pupis eat.

Qui

Qui monet, vt facias, quod iam facis; ille monendo

Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

159. Ostendi, vt potui, meditationem non esse illam orationem mentalem, quam regula nostra suis professoribus præcipit: sed vltrà requiri contemplationem propriè talem. De hacque intelligenda esse ipsius regulæ dicta verba, inde patet, quod, vt tenet Caietan. & Exim. Suarez suprà adducti, alijque plures, estque per se notum, verba regulæ accipienda sunt iuxta intelligentiam, & sensum Doctor. illam profitentium, & maximè totius congregationis, pro qua lata illa regula est. Qualiter Doctores nostri verba illa accipiant, constat ex dictis num. 121. vbi etiam posita est acceptio totius congregationis in sua constit. 1. part. cap. 1. num. 4. qui omnes vnanimiter intelligunt, in dictis regulæ verbis contemplationem nobis imperari. Vnde vel dicendum est, omnes illos improprijssimè loquutos, dum ad exprimendam meditationem nomine *contemplationis* vtuntur, quod est inconveniens maximum: vel dicendum est, regulam in illis verbis, *in lege Domini meditantes*, præcipere contemplationem.

160. Dices: sicut impropriè meditatio exprimitur nomine *contemplationis*, sic etiam contemplatio impropriè exprimitur nomine *meditationis*: ergo vel dicendum est, regulam improprijssimè loquutam, dum, vt præciperet contemplationem, nomine *meditationis* vsa est: Vel dicendum est, ipsam in ijs verbis, *in lege Domini meditantes*, præcipere meditationem.

Respond. totam congregationem, suosque D. D. verba regulæ explicantes, & in vnum concorditer convenientes, non posse, nisi violentissimè, sumi in sensu improprio; aliter nil firmum haberemus. Quod autem textus aliquis non ita propriè loquatur, res est, quæ posset sexentis exemplis comprobari. Vnde in eo, quòd regula exprimat contemplationem nomine meditationis, nullum adest inconveniens, quod quidem, & maximum, daretur, si Expositores eiusdem textus impropriè loquerentur. Ad hoc enim labor expositorum dirigitur, vt verba dubia, minùs propria, æquivoca, & obscura, nobis aperiant, quod haud facerent, si loquerentur impropriè.

Accedit 1. Quòd, cum vita nostra sit contemplativa; atque adeò, vt dictum est, debeat constitui per contemplationem, ille censendus est impropriè loquutus, qui vtitur verbo, quod, si propriè acciperetur, pessum iret status noster: eòque non in propria significatione, sed impropria sumendum est illud verbum. Ille verò censendus est propriè loqui, qui verbo vtitur, quod est proprijssimum statui. Vnde cùm *meditatio* in significatione propria destruat nostrum statum, qui contemplativus est; propterea accipienda est in sensu improprio. *Contemplatio* autem in sui propria significatione est nostri status constitutiva. Vnde nomen *meditationis*, quo regula vtitur, non in significatione propria sumendum est; nec in impropria nomen *contemplationis*, quo regulæ expositores vtuntur.

Accedit 2. Quòd, vt initio quæstionis supposuimus, in præsenti loquimur de contemplatione acquisita, quæ non incongruè dicitur meditatio: quādoquidem est terminus meditationis, nostraque industria, ac studio comparata. Sicque Beat. Albertus, qui heroica brevitate compactam, vt omnes eius Expositores mirantur, regulam nobis tradidit, vnico verbo cōtemplationem actiuam nobis necessariam asseruit: quamobrem illam meditationem nominavit. Ac si diceret: Meditationem præcipio; sed talem qualem patitur status eorum, quibus hoc præcipitur. Vnde cùm talis status sit propriè contemplativus, non patitur meditationem communiter acceptam; sed illam, quæ contemplatio sit. Quiaque hoc meum præceptum non loquitur de contemplatione infusa: propterea contemplationem, quam impero, meditationem dico. Vt videlicet vnico verbo

ape-

aperiam, me loqui de contemplatione acquiſita, quæ quia terminus meditationis eſt, laboreque proprio, ſtudioque comparatur, non incongruè dicitur meditatio. Ex quibus ad factam obiectionem

Reſp. omiſſo anteced. negando conſequentiam: Quia etſi aliqua verba regulæ dubia, obſcura, aut æquivoca, ſint, nullum datur inconveniens: tum, quia tota congregatio, quæ regulæ ſubeſt, declarat ſenſum, in quo accipienda ſunt verba illa. Tum, quia ipſius regulæ Expoſitores hoc ipſum aperiunt. Si autem iſti minùs propriè loquerentur, non eſſet, à quo eorum ſenſus haberi poſſet. Præterquam quòd verba illa ambigua regulæ ex fine ipſius determinantur ad ſignificandum non pro meditatione, ſed pro contemplatione, quæ eſt regulæ finis. Vnde nulla in ijs verbis adeſt improprietas cenſuranda: Quin potiùs datur in illis brevitas, ac fœcunditas extollendæ, vtî ex dictis patet.

§. XIJ. *Alia eiuſdem aſſertionis probatio.*

161. SEcundam autem propoſiti aſſerti probationem nobis offert Div. Thom. ex Sacra Scriptura. Verba Div. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. hæc ſunt: *Ad 2. dicendum, quòd ſicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes; eſt tamen aliqua totalitas perfectionis, quæ ſine peccato prætermitti non poteſt: alia autem, quæ ſine peccato prætermittitur, dùm tamen deſit contemptus, vt ſuprà dictum eſt. Ita etiam omnes tam Religioſi, quàm ſæculares tenentur aliqualiter facere quicquid boni poſſunt. Omnibus enim communiter dicitur Eccleſ. 9. quodcumque poteſt manus tua inſtanter operare. Eſt tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur, ſcilicet, ſi homo faciat, quod poteſt, ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus: dummodò contemptus non adſit agendi meliora, perquem animus firmatur contra ſpiritualem profectum.*

Hæc Div. Thom. in quibus, quoad præſens, ponderandum eſt 1. in datis Eccleſ. verbis contineri præceptum: ſic apertè ſupponit Div. Thom. ſuadeturque ex paritate, quam facit cum illo alio textu, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* Augeturque horum textuum convenientia ex eo, quòd ſicut in hoc ſecundo datur totalitas dilectionis, quam non habere, peccatum grave eſt: & datur alia totalitas, quã non habere, peccatum non eſt. Ita ſimiliter in primo illo eſt duplex totalitas: vna conſiſtens in hoc, quòd homo faciat, quod poteſt ſecundùm conditionem ſui ſtatus; & hæc totalitas cadit ſub præcepto. Alia conſiſtens in hoc, quod homo faciat, quantum poteſt vltra, vel ſupra conditionem ſui ſtatus. Et hæc totalitas nulli præcepta eſt. Vnde vt cognoſcatur, an aliquid ex his, quæ homo facit, cadat ſub præceptum, duo requiruntur: primum, quòd homo poſsit facere illud opus; quia ad impoſsibile nemo tenetur. Secundum, quod ſit, non ſuprà, ſed iuxtà conditionem ſtatus ſui: ſi namque ſupra ſtatus conditionem ſit, erit opus ſupererogationis, non præcepti. Ex quibus

Probatur ſic noſtra concluſ. Carmelitæ poſſunt contẽplari, & contẽplatio eſt iuxta conditionem ſui ſtatus: ergo contemplatio præcepta eſt Carmelitis. Ergo hi ad contemplationem ſub gravi culpa tenentur. Vtraque conſequentia nota eſt, tum ex dictis, tum ex antecedenti, cuius prima pars eſt omnino certa; loquimur enim de contemplatione actiua, quam omnes ex Dei communi gratia habere poſſunt. Secunda autem pars eiuſdem antecedentis probatur: Contemplatio eſt conſtitutiva ſtatus Carmelitæ: ergo eſt iuxta id, quod requirit conditio ſui ſtatus. Immo nihil aliud magis, nec æquè ſecundùm id, *quod requirit conditio ſtatus*, quàm ipſius ſtatus conſtitutivum, vt intuens facile deprehendit.

162. Confirmatur 1. hæc ratio ex paritate illa præcepti charitatis inducta à Div. Thom. Etenim quia omnibus præcipitur, vt Deum ex toto corde dili-

diligant, eſt omnibus ſimpliciter neceſſaria Dei dilectio ex toto corde, *quæ ſine peccato prætermitti non poteſt*: Sed Carmelitis præcipitur contemplatio: ergo contemplatio eſt ipſis neceſſaria ſimpliciter. Conſequentia bona eſt. Et ſanè, ſi iuxta Angelicum Div. Thom. iudicium paritas deſumpta ex præcepto illo Eccleſiaſt. convincit neceſsitatem dilectionis totalitate, *quæ ſine peccato prætermitti non poteſt*: pariter & ipſum charitatis præceptum convincit neceſſitatem contemplationis. Maior certa eſt. Et minor, in qua poterat eſſe difficultas, probatur: Quia in dato textu Eccleſiaſt. omnibus præcipitur, quòd faciant ea, quæ iuxta conditionem ſui ſtatus poſſunt: ergo hoc ipſum præcipitur Carmelitis. Modò ſic: ſed quod iſti poſſunt facere, *ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus*, eſt contemplari; hoc enim eſt propriſsimum ſuo ſtatui: ergo illis in dicto textu Eccleſiaſt. præcipitur contemplatio.

163. Confirm. 2. Præceptum illud Eccleſiaſt. imponitur omnibus, vt bene operentur, *ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus*; ſicut præceptum charitatis imponitur omnibus, vt Deũ diligant ex toto corde totalitate, *quæ ſine peccato prætermitti non poteſt*: ſed qui non amat Deum ex toto corde totalitate, *quæ ſine peccato prætermitti non poteſt*, frangit charitatis præceptum: ergo qui non bene operatur, *ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatus*, tranſgreditur præceptum illud Eccleſiaſt. Ergo vt Carmelita non tranſgrediatur præceptum illud, debet contemplari. Maior conſtat: Quia ſicut charitas, licèt omnes indifferenter obliget, differenter tamen adimpletur; quia qui obligatus ad conſilia non eſt, Deum amat ex toto corde, totalitate dicta; quin cõſilia impleat: quod non evenit in eo, qui ad conſilia tenetur, vt patet: ita etiam bene operari, *ſecundum quod requirit conditio ſtatus* operantis, dicit, quòd licèt omnes ad hoc teneantur; vnuſquiſque tamen debet operationes proprio ſtatui correſpondentes exhibere. Quandoquidem idem opus factum V. C. à Sacerdote eſt bonum; factum verò à non Sacerdote eſt malum, & econtra. Minor eſt omnino certa, & prima conſequentia: ſecunda autem conſtat ex dictis: Quia operatio propria Carmelitæ eſt contemplatio; hanc enim requirit conditio ſui ſtatus. Vnde Carmelita, qui contemplativus non eſt, præceptum illud Eccleſiaſt. tranſgreditur.

§. XIIJ. *Reſpondetur argumentis.*

164. NOn ſunt nobis modò plura argumenta, quibus occurrere debeamus; quia ex ijs multæ iam ſũt in antecedẽtibus enodata. Vnde pauca ſuperſunt, & quæ haud difficulter poſſent ex dictis, ſine ipſorum propoſitione, evacuari. Maioris tamen claritatis gratia vnum, vel alterum ſubijciemus. Arguitur ergo primò: In Religione dantur incipientes, proficientes, & perfecti; ergo non omnes religioſi noſtri tenentur ad contemplationem. Antecedens eſt certum, conſtatque ex citato Div. Thom. art. 1. ad 3. & conſequentia probatur. Non omnes religioſi poſſunt contemplari: ergo non omnes ad contemplationem tenentur. Patet iſta, Quia nemo tenetur ad id, quod non poteſt. Probatur anteced. Quia incipientes contemplari non poſſunt; immo ſi contemplationi dederentur, magnis periculis ſe ſe exponerent, vti alibi ponderavimus: ergo non omnes religioſi contemplari poſſunt.

Reſpondetur omnes profeſſores noſtræ ſacræ Religionis ad contemplationem propriè talem teneri; ſed non ad contemplationem præciſè habitam: ſed per diſtributionem accomodam, vel ad habitam, vel ad habendam. Illi, qui ſunt in ſtatu contemplandi, contemplari debent. Illi verò, qui ad talem ſtatum non pervenere, debent meditari: taliter tamen, quòd quantum eſt ex ſe, ſatagere debent, vt ad contemplationem aſcendant; ſin minùs mendaces ſunt, quia induti veſte contem-

pla-

plativa, quam in profeſsione acceperunt, opera contraria ſunt illis indumento.

165. Dices: Sicut profeſſores noſtræ regulæ tenentur ad contẽplationẽ habendã, ſic etiam tenẽtur ad habendã perfectionem: ſed ita tenentur ad perfectionem habendam, vt numquam debeant, illam in actu habere: ergo ita etiam tenentur ad contemplationem, vt numquam ad illam actu habendam teneantur.

Reſpond. quòd ſi adverſarij modò cõcederẽt obligationẽ ad cõtẽplationẽ, etſi habendã; iam multũ à ſe ipſis diſtarent: dum ad contemplationem, quocumque modo conſideratam, nullam obligationem dari, dicunt. Quicquid autem de hoc ſit: ad obiectionem negetur maior. Cuius ratio ea eſt, quòd ſtatus noſter non eſt ſtatus perfectionis, ſeu perfectorum; ſed ſtatus tendentium ad perfectionẽ. Vnde per hoc, quòd eius profeſſores ad perfectionẽ nitantur, explent omnia, quæ debẽt. Aſt ipſe ſtatus noſter eſt ſtatus contẽplativorũ, qui ſtatus non dicitur talis à contemplatione, quæ inquiritur, ſed ab ea, quæ actu habetur. Vnde incipientes, qui illam habere non poſſunt, debent ita in illam tendere, quòd tandem aſſequantur, quantum eſt ex parte ſua.

166. Inſtabis: Ergo perfecti tenentur ad contemplationem infuſam. Probatur iſta: Profeſſores noſtræ regulæ tenentur ad contemplationem acquiſitam, quia iſta eſt actus proprius ſtatus eorum, ſed contemplatio infuſa eſt proprius actus ſtatus perfectorum: ergo iſti tenentur ad infuſam contemplationem.

Reſpond. negando conſequentiam; ad probationem negatur ſimiliter conſequentia, cuius duplex eſt ratio diſcriminis. Prima eſt, quòd profeſſor noſtræ regulæ ex vi illius debet eſſe contemplativus; non tamen debet eſſe perfectus. Vnde quamquàm iam perfectus ſit, non tenetur ad contemplationem infuſam, qnia non tenetur ad perſeverandum in ſtatu perfectionis. In ſtatu verò contemplativi tenetur perſeverare: atque adeò tenetur ad contemplationem acquiſitam. Aſt quia inſtantia poteſt loqui de ijs, qui ad perfectionem habitam tenentur; propterea damus ſecundam diſcriminis rationem, quæ conſiſtit in eo, quòd contemplatio acquiſita eſt opus, quod viribus communibus gratiæ ſtudio proprio habetur: contemplatio infuſa eſt actus, quem nullus habere poteſt, niſi ſibi deſuper concedatur. Vnde poteſt dari obligatio ad primam contemplationem, quin detur ad ſecundam. Quæ dicitur actus proprius perfectorum, non quia iſti ad illam teneantur, ſed quia, quibus illam Deus communiter infundit, perfecti ſunt.

167. Arg 2. Numquam petita eſt à Sede Apoſtolica mitigatio huius obligationis: ergo non adeſt. Anteced. conſtat, Tum quia in mitigationibus, quæ ab Eugenio, & exinceps obtentæ ſunt, non eſt memoria de eo, quòd articulus ille regulæ die, ac nocte meditari præcepientis, mitigatus ſit. Tum quia Noſtri PP. Obſervantes profitentur, ſicut & nos, vitam mixtam ex contemplatione, & actione, vt docent laudati Salmant. noſtri, & noſter Curſus moral. Et conſequentia probatur: Quia ſi profeſſores noſtræ regulæ tenerentur ſub mortali ad contemplationem, eſſet hæc obligatio gravior adhuc, quàm omnes illæ pro qubus petita eſt, & obtenta mitigatio: ergo ſi pro hac non eſt petita mitigatio, eſt quia talis obligatio ad contemplationem ſub culpa gravi non datur. Antecedens conſtat: Tum quia minùs dificile eſt die, ac nocte in cella perſeverare, ſilere, à carnibus abſtinere, & huiuſmodi alia, quàm contemplari. Tum, quia illæ aliæ obligationes non graves erant, ſed leves; obligationem autem ad contemplationem ſub culpa gravi eſſe dicimus. Deinde probatur conſequentia: Quia ratio propter quam petita eſt illa mitigatio fuit rigoroſitas ipſarum obligationum, quam ſuſtinere non valentes petierunt mitigationem anno Domin. 1431. ab Eugenio IV. à Pio IJ. ann. Dom. 1459. ac denique à Sixto IV. an. Dom. 1476.

Ergo

Ergo ſi obligatio ad contemplationem, foret adeò gravis, potiori iure ipſius mitigationem curaſſent.

168. Confirm. 1. Quia motivum, ob quod petitæ ſunt illæ mitigationes non fuit rigorem, vitæque auſteritatem fugere; nec tale credi debet de adeò religioſis Patribus: fuit autem motivum vitare ſcrupulos, quos incurrebant, vigentibus ijs obligationibus, vtî idem Eugenius refert in bulla mitigationis per hæc verba: *Et propterea nonnulli ipſius Ordinis profeſſores propter arctitudinem, & rigoroſitatem regulæ huiuſmodi, tam ex fragilitate humana, quàm ex debilitate corporea, nequeuntes eandem regulam obſervare, diſpendium ſuæ ſalutis incurrant*: ſed multò magis expoſita eſt diſpendio ſalutis obligatio gravis ad contemplationem, quàm obligatio levis ad alia, quæ num. præcedenti recenſuimus: ergo ſi adeſſet obligatio gravis ad contemplationem, petita fuiſſet eius mitigatio. Ergo quòd non petita ſit talis mitigatio, eſt ſignum evidens, non adeſſe talem obligationem.

169. Confirm. 2. Quia apud dictos noſtros P. P. Obſervantes tempus deſtinatum ad orandum mentaliter in ſatisfactionem regulæ, non dicitur tempus contemplationis, nec orationis mentalis; ſed tempus meditationis; ſic enim multoties à diverſis horum religioſorum auditur: *Eram in meditatione. Iwimus ad meditationem, &c.* Ergo profeſſor noſtræ regulæ non tenetur ad aliam orationem purè mentalem niſi ad orationem meditationis, ex vi ipſius regulæ.

170. Vt argumento occurrerem, plurima dicere poſſem, quæ meditatò prætereo. Igitur reſpondeo: negando omnes eius conſequentias. Diſcrimen inter contemplationem, & alias obligationes mitigatas eſt ſummè conſonum fundamento ſententiæ, quam defendo, conſiſtitque in hoc: quòd contemplatio eſt ſpecificativum Religionis noſtræ, vt dictum eſt: vnde ſi contemplatio auferretur, non maneret eadem religio. Quod de alijs obligationibus non verificatur: illæ enim ſolùm ſunt media ad finem obtinendum. Et media poſſunt quidem auferri, vel variari; quin religio ſubeat mutationem. Quòd ſi argumentum loquatur non de totali ablatione huius obligationis, ſed de ipſius mitigatione: vt videlicet, non vrgeat die, ac nocte, ſed ſtatutis diei ſpatijs. Tunc dicam, quòd poſſet ſic mitigari, quin familia ſpecificam mutationem ſubiret. Quarè autem non ſit factum? In promptu reſponſio eſt: Quia illorum P. P. nota religioſitas ſcrupulis, vt ait Eugenius, occurrere volens ea ſolummodò mitigata deſideravit, quæ ſcrupulis fovere valebant de quorum numero contemplatio non eſt: hæc enim obligatio multis modis impleri poteſt, de quo videndi ſunt noſtræ regulæ Expoſitores. Et ſanè quicquid ex hac parte opponi poteſt contra obligationem contemplationis pariter verificatur in obligatione meditationis, ad quam profeſſores noſtræ regulæ, vt minùs, teneri; & quidem ſub gravi culpa, fuſè oſtenſum à nobis eſt. Immo etiam ſi tantùm ad levem culpam obligaret, eodem modo ipſamet difficultas vigeret: quia adhuc tunc meditatio regulæ profeſſores gravaret, non minùs quàm aliæ mitigatæ obligationes; & tamen ab obligatione meditandi petita non eſt mitigatio. Vnde quòd obligatio ſit magis, vel æquè gravis non eſt motivum, vt ſi mitigatio vnius poſtulatur, & alterius debeat etiam pariter poſtulari.

Per quæ patet ad primam confirmationem. Et cùm modò ſupponi debeat obligatio gravis ad orationem purè mentalem, iam antea oſtenſa, vindicataque: nil vrget in contemplatione, quod in meditatione æqualiter non vrgeat. Vnde motiva, quæ arguens dederit, vt non petita ſit mitigatio meditationis, aſsignamus, & nos, vt non petita ſit circa obligationem contemplationis.

Ad 2. confirmationem dicas: Sacram noſtrorum P. P. obſervantium familiam eſſe ſimpliciter contemplativam. Et numquàm ad hoc deveniam,

vt, familiam ſimpliciter contemplativam conſtitui per aliud à contemplatione, dicam. Quòd autem tempus orationi mentali ſacratum, meditationis vocent, nihil probat ob multa, quæ quiſque extemplò cõſiderat. Eò vel maximè quia ſic poteſt appellari in imitationem regulæ, contemplationem, ad quam tenemur, meditationem dicentis. Vide dicta num. 160.

171. Arg. 3. Si omnes profeſſores noſtræ regulæ tenerentur ad habẽdam contemplationem, in pluribus, qui perfecti non ſunt invenirentur ſimul vita activa contemplativaque: hoc non eſt dicendum: ergo nec quòd detur talis obligatio ad contemplationem. Min. conſtat ex dictis diſput. præced. quæſt. vltim. vbi vidimus, quòd adunare vtramque illam vitam eſt perfectorum: vnde qui perfecti non ſunt, non poſſunt illas habere ſimul. Maior ſeu ſequela probatur: Quia Profeſſor noſtræ regulæ, qui perfectus non eſt, tenetur per nos ad contemplationem cõſtitutivam, ſeu propriam noſtri ſtatus: at hæc contemplatio connectitur indiſpenſabiliter cum actione; ſiquidem conſtituit ſtatum mixtum ex contemplativo, & activo: ergo tenet ſequela.

Confirm. Nam Carmelita, qui perfectus non eſt, vel exercet ſimul vitam contemplativam, & activam; vel non: ſi non: ergo non facit opera propria ſtatus, quem profitetur, qui, vtpotè mixtus, vtramque illam vitam requirit. Si ſic: ergo vtraque illa vita in eo datur.

Reſpond. argumento: Quòd aliud eſt, quod aliquis ob virtutem, qua fulget, ſimul habeat vitam activam, & contemplativam, & aliud, quòd ex ſtatu, quem profitetur, ad exercitium vtriuſque illius vitæ teneatur. Primum enim dari non poteſt, niſi ſubiectum ſit valde perfectum, vt loco citato dicebamus. Secundum autem valet verificari, quamquàm ſubiectum perfectum non ſit: tunc enim non eſt ſubiectum, quod duplicem illam vitam adunat, ſed ſtatus: vnde hic debet eſſe perfectus, non illud. Subiectum debet per opera propria ſtatus dirigi ad perfectionem: vnde & debet contemplari, & etiam agere: taliter, quòd hæc actio non ſit ex redundantia illius cõtemplationis: hoc quippe foret iam eſſe perfectum: ſed taliter quòd illa actio ſit diſpoſitio ad contemplationem. *Adde*: quòd in religioſis eſt etiam aliud principium, in quod iſta refundantur, videlicet obedientia, qua accedente, relinquit contemplationem, ad quam profeſſor noſtræ regulæ ex vi proprij ſtatus tenetur, & Deum propter Deum deſſerens, vt dici ſolet, divertit, & non ſine magno lucro ad id, quod ſibi à ſuo Prælato imperatur. Vnde non ſequitur, quòd ſit perfectus ex quo exerceat vtriuſque vitæ munia; ſed quòd ſit obediens, & per obedientiæ exercitium perfectionem inquirat; quã ſi nactus fuerit, vtramque illam vitam adunabit. Per quæ ad confirmationem conſtat. Aliud argumentum, quod hîc fieri poterat circa noſtros fratres, quos dicimus *vitæ activæ* propoſitum, ſolutumque ſuprà iam eſt diſputat. præced. num. 35.

§. XIV. *Aliquot dubia agitatæ difficultati connexa deciduntur.*

172. EX dictis in tota hac quæſtione, & ſpeciatim §. 2. dubitabis: an non ſolùm religioſus, ſed etiam ſæculares teneantur tendere ad perfectionem? Et videtur, quod non: Primò ex ſtatus religioſi definitione, quam loco citato dedimus, conſiſtitque in hoc, quòd ſit *ſtatus perfectionis perpetuò acquirendæ, &c.* Sed ſtatus ſæcularis non eſt ſtatus religioſus: ergo ſtatus ſæcularis non eſt ſtatus perfectionis acquirendæ.

173. Secundò prætereà: Diffinitio conveniens alijs à definito non eſt bona: ſed ſi ſæcularis teneretur ad perfectionem, definitio ſtatus religioſi conveniret alijs à definito; videlicet, ſtatui ſæcularium: ergo talis definitio non eſſet bona, contra authoritatem omnium, qui illa definitione, tamquàm

bona

bona, vtuntur: ergo sæcularis non tenetur obniti ad perfectionem.

174. Tertio præterea: Religio ex Div. Thom. 2. 2. q. 186. art. 1. nominat statum perfectionis, non quia eius professores teneantur ad habendum actu perfectionem; sed quia tenentur ire ad perfectionem: sed vita sæcularium non nominat statum perfectionis: ergo sæculares non tenentur ire ad perfectionem. Vel si tenentur: in quo à religiosis discriminantur?

175. Sed contra est id, quod Div. Thom. docuit num. 161. dicens: *Omnes tam religiosi, quàm sæculares tenentur aliqualiter facere quicquid boni possunt. Omnibus enim communiter dicitur Eccles. 9. quodcumque potest manus tua instanter operare.* Sed quòd aliquis sit obligatus ad faciendum quicquid boni potest, est obligari ad quærendam perfectionem: ergo sæcularis ad hoc obligatur.

176. Respõdeo dicendum: Quòd, vt ex textu nuper adducto constat, sæcularis tenetur instanter facere quodcumque potest manus sua, *secundùm quod requirit conditio sui status*, vt explicat Div. Thom. quod & non aliud requiritur, vt quis ad perfectionem gradiatur. Tendit religiosus ad perfectionem faciens, quod potest, *secundùm quod requirit conditio sui status.* Tendit sæcularis ad perfectionem faciens, quod potest *secundùm quod requirit conditio sui status.* Conditio status religiosi est, quòd perfectionem inquirat, nè dum per observationem præceptorum, verùm etiam consiliorum. Conditio status sæcularis est, quòd quærat perfectionem per observantiam præceptorum. Et in hoc, quòd est teneri, vel non teneri ad consilia, differt status vtriusque. Vnde diffinitio status religiosi, quam suprà dedimus, sic se habet: *Est status perfectionis perpetuò acquirendæ per tria vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ &c.* In qua diffinitione illa verba *per tria vota &c.* habent rationem differentiæ, in ijsque status religiosus cum nullo alio convenit. Prima autem verba, nempe: *Status perfectionis perpetuò acquirendæ*, habent rationem generis. Vnde mirum foret, si per illa cum alijs non conveniret.

Egregiè Chrysost. hanc ipsam veritatem docet lib. 3. adversus oppugn. vit. Monast. dicens: *Fallis te ipsum prorsùs, ac decipis, si putas aliud à sæcularibus viris, aliud à monachis requiri. Hæc enim ferè sola est in vtroque genere vitæ differentia, quòd illi quidem matrimonij vinculis se constrigunt, hi verò his liberi perdurant. In reliquis verò communis, atque eadem ab vtrisque vitæ ratio requiritur, eisdem pro culpis, pœna omnibus vna debetur. Nam qui fratri suo irascitur sine causa, sive ille sæcularis fuerit, sive monachus, Deum similiter offendit. Cùm diceret Christus, væ ridentibus, non addidit, monachis, sed absolutissimam de omnibus sententiam tulit. Cùm dicit: Beati pauperes spiritu, Beati, qui lugent &c. nec monachi, nec sæcularis nomen adiecit. Cæterùm ista distinctio ex hominum æstimatione introducta est; Sacræ verò paginæ nihil horum penitùs noverunt.* Hic adiecit sanctus: *Hoc est planè, quod evertit orbem vniversum, quòd summa vitæ bene agendæ diligentia monachis opus esse, arbitramur: Cæteris negligenter vivere licere.* Concluditque: *Itaque quòd ad eandem vitæ diligentiam, supremumque perfectionis fastigium, per divinas leges, pariter & sæcularis, & monachus cogantur, quòdque ambo, si ceciderint, æqualia sint accepturi vulnera, neminem iam quamtumlibet ille sit contentiosus, & impudens, contradicturum existimo.*

Vnde patet, quòd discrimen inter sæcularem, religiosumque, consistit in eo, quòd religiosus tendit ad perfectionem per observantiam consiliorum, propter quod religio dicitur status perfectionis habendæ, seu acquirendæ. Et per hoc patet ad omnia obiecta.

177. Dubitabis 2. An professor nostræ regulæ qui iusta occasione extra cellam operibus vitæ activæ occupatur, teneatur tunc ad contemplationem?

Et videtur, quòd non. Primò, quia hoc clarissimè exprimitur in regula dicente: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die, ac nocte, in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi alijs iustis occasionibus occupentur*: Sed ex vi horum verborum eximitur religiosus ab obligatione manendi in cellula: ergo etiam eximitur ab obligatione contemplandi.

178. Secundò præterea: Quia clausula in fine dictionis posita æqualiter refertur ad antecedentia: sed data clausula, ita respicit mansionem continuam in cella, quòd illam pro tunc non obligare faciat: ergo pariformiter dicendum est de obligatione contemplationis.

179. Tertiò præterea: Quia hoc esset nimis onerosum, expositumque maximis scrupulis; siquidem cum turbatione erga plurima impossibilis est quies contemplationis: ergo si ex vna parte teneretur religiosus ad deserendam cellulam ob iustam occasionem illum ab ea extrahentem; & ex alia in conspectu tumultuum exteriorum contemplari teneretur, expositus esset maximis scrupulis, ac veluti impossibilia ipsi præciperentur.

180. Sed contra est, quòd religio nostra verba illa regulæ sic semper intellexit, vt etiam ipsis, qui extra cellulas iustis occasionibus occupantur, adsit obligatio ad contemplationem. Sicque ipsius regulæ Expositores illam declarant, vt videre est apud Cursum moral. illos adducentem tract. 25. cap. 9. p. 4. num. 65.

181. Respondeo dicendum, non defuisse, cui religiosus extra cellulã iusta occasione occupatus, liber à contemplandi obligatione, videretur. Sic enim ait Disceptatio mystica tract. 1. q. 2. art. 2. cuius hæc sunt verba: *Vnde ex vi huius legis ad continuum mentalis orationis exercitium tenemur, nisi alijs iustis occasionibus occupemur, vt inibi regula ipsa notat.* Sed hoc nihil est: Quia neminem excusare regulam à præcepto per ipsam lato, nisi causa adsit, certum est. Manifestum est autem, quòd nemo, sive cellulæ quiete fruatur, sive extra illam ex obedientia occupetur, habet causam illum à præcepto contemplationis excusantem. Vi enim huius præcepti non tenentur religiosi ad semper, etiam si in cella sint, contemplandum; sed ad dirigendum quæcumque faciunt, cogitant, loquuntur, quantum humana fragilitas patitur, ad hoc vt ipsi contemplativi sint. Vnde extra cellulam iusta occasione de gentibus nihil aliud ex vi dictorum verborum præcipitur, nisi quod aliàs ipsa regula tradit: videlicet, quòd quæcumque ab ipsis *agenda sunt in verbo Domini fiant.* Hoc est, vt Deum præsentem habeant extra cellulam, vt ad ipsum dirigant, quæ faciunt, vt taliter extra cellam occupentur, quòd ad ipsam regredi, finita occupatione, curent. Hoc solum præcipitur, & hoc inter maiores tumultus potest fieri. Vnde relinquitur, quòd non est causa, quæ dictum religiosum excuset: consequenterque tenetur ad contemplandum modo dicto.

Ad 1. ergo dicendum, quòd vt religiosus non sit in cellula, adest causa: scilicet, illa iusta occasio illum ad cellulam deserendam constringẽtem. Ad deserendam autem contemplationem nulla causa datur, vt dictum est. Vnde licèt vi illorum verborum maneat deobligatus à perseverantia in cellula; non autem à perseverantia contemplationis.

Ad 2. dicendum, quod clausula sive in principio, sive in fine posita æqualiter refertur ad omnia subsequẽtia, vel antecedentia; si omnibus illis sit eadem dispositionis ratio, non verò si diversa ratio dispositionis detur. In proposito autem datur diversa ratio dispositionis; quia perseverare in cellula iusta occasio dispensat; sed non dispẽsat contemplationẽ, quia relatè ad illam non est occasio iusta, vt dictum est.

Ad 3. dicendum, in hoc nullum scrupulum inveniri posse, cui faciliter non occurratur: quia vt dictum est, vi huius præcepti non tenemur ad semper contemplandum, sed ad faciendum ea ipsa, quæ facimus, cum vtilitate spiritus,

tus, nè rebus exterioribus tantùm tradamur, vt ſtudium contemplationis amittatur. Solicitudo erga plurima certum eſt, quòd avertit conſiderationem, animumque diſtrahit: verùm contra hoc debet militare ſolicitudo ſtudij principalis. Et nota, quòd iuxta Abulenſ. Chriſtus Dominus Marthæ reprehendit, non quia ſolicita erat erga plurima; quippe ſine hac ſolicitudine Chriſti convivium haud pararetur. Reprehenſa eſt ergo Martha, quia cum illis plurimis, erga quæ ſolicita erat, turbabatur: & hæc turbatio ſtudium principale auferebat, & conturbatam ad querelas adverſus ſororem inclinabat. Solicitus ſit religioſus extra cellulam, ſed non turbetur, ſeu exturbetur à principali ſtudio, vt ſic augeri in virtutibus mereatur.

182. Dubitabis 3. An qui duabus horis orationis à conſtitutione ſtatutis aſſiſtit, impleat hoc præceptum regulæ, quamvis alijs temporibus orationis meditatò non meminerit, eo motivo ductus, quia non eſt in illis alijs temporibus ad orandum obligatus? Et videtur, quòd ſic. Primò, quia iuxta Auguſtin. lib. de hæreſib. cap. 57. ille præceptum Domini, & Apoſt. ſine intermiſsione orandi adimplet, qui ſtatutas horas orandi non prætermittit: ſed religioſus noſter; qui cum alijs aſſiſtit quotidie duabus horis orationis, ſtatutas orandi horas non prætermittit: ergo hic ſatisfacit regulæ die, ac nocte orare præcipienti.

183. Secundò prætereà: Quia qui horis ſtatutis orat, fini proprio noſtræ regulæ ſatisfacit; ſiquidem ſtudium principale iſtius contemplatio eſt, ipſeque eſt contemplativus: ſed per hoc quòd profeſſor noſtræ regulæ contemplativus ſit, ſatisfacit præcepto regulæ: ergo.

184. Sed contra eſt, quia in regula præcipitur nobis oratio die, ac nocte habenda; vnde cum his adeò perſpicuis verbis non videtur compatibile, quòd per illas duas horas orationis præcepto regulæ ſatisfiat.

185. Reſpondeo dicendum, quòd circa hoc non deeſt, qui aſſerat per duas orationis horas adimplere Carmelitam aliquo modo obligationem, quam habet contemplandi, ſi illis horis aſſiſtat animo habendi orationem, vt par eſt, illamque habeat, vt debet. Sed hoc ex vna parte eſt nimis ſpeculativum, & ex alia falſum. Eſt nimis ſpeculativum, quia impoſsibile videtur, poſſe quemquam bene orare, ſi priùs animus eius effuſus eſt. Eſt etiam falſum, quia ante orationem debet anima præparari, vt cum omnium Domino loquatur; aliter Deum tentare convincetur. Hæc autem præparatio eſt duplex, vt ex alibi dictis conſtat, alia proxima, & remota alia: quæ omnino ante orationem habendæ ſunt. Aliter non faciet orans quantum poteſt, vt bene oret. Vnde vel religioſus ante orationem proximè, ac remotè præparat animam; vel non? Si ſic: Ergo alijs temporibus mentem ad Deum elevat. Si non: convincitur, quòd non facit, quod debet, vt bene oret: conſequenterque falſum eſt, quòd ſtatutas duas horas habeat, vt debet. Id ipſum dicendum eſt, de propoſitis, quæ in oratione habet, & de effectibus ipſius orationis. Inſuper conſtitutio non determinat tempus, in quo regulæ præceptum impleatur: ſed in quo ignis contemplationis, qui ſecundùm regulam iugis eſſe debet, foveatur. Relinquitur ergo, quòd tradita opinio ſit valde ſpeculativa, & falſa: conſequenterque quòd Carmelita non ſatisfacit præcepto regulæ duabus illis horis orationis.

Ad primum ergo dicendum: Auguſtinum loqui de oratione vocali, quæ ſanè non poteſt eſſe continua; non autem loquitur de oratione purè mentali, quæ iugis eſſe poteſt, iuxta eundem Auguſtin. epiſt. 121. ad Probam cap. 9. vbi ait: *Ipſum deſiderium tuum oratio tua eſt, & ſit continuum deſiderium continua oratio: non enim dicit fruſtrà Apoſtol. ſine intermiſſione orantes. Numquid ſine intermiſſione genuflectimus; aut manus levamus? Orare hoc pacto ſine intermiſſione non poſſumus facere. Eſt alia interior oratio ſine intermi-*

termissione, oratio, quæ est desiderium. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum; continua vox est. Tacebis, si amare desistas. Vnde sic Augustinum ex ipso Augustin. explicamus.

Ad 2. dicendum, illum discursum nimis speculativum, falsumque esse, vt dictum est. Præterquàm quod, qui duas orationis horas habet, satisfacit constitutioni, non autem regulæ, quæ iuxtà eandem constitutionem 1. p. cap. 1. num. 1. præcipit, *vt mens nostra, quantùm humanæ fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus, perseveranter inhæreat.* Manifestum est autem, quòd Deo non inhæret, quantum humanæ fragilitati permittitur, qui Dei solummodò in illis statutis horis meminit. Vnde per illas non adimpletur præceptum regulæ.

Alia dubia possent hîc excitari; sed quæ principaliter, directeque pertineant ad regulæ Interpretes, quos vellem eorum aliqua non adeò suppresisse. Verùm cùm regulæ explanatorem non agam, in alienam messem mittere falcem non debeo. Dicta tamen sufficiat tradidisse, & hæc ita indigitasse pro hac satis implexa quæstione, in cuius progressu quicquid diximus, vicinam considerantes mortem loquuti sumus. Si vel vni proficua fuerint, quæ tradidimus; affatim fortunatus erit noster labor, qui nemini iniurius est: nam si vera sunt, quæ scripsi, nullius conscientiam perturbo, dum illa ante conspectum ipsius obijcio, quibus adstringitur, mortisque irremediabilem anxietatem ex hac parte arceo. Nullum concionatorem perturbatum, anxium vè inspexi, etiam si summa authoritas Div. Thom. in 3. d. 35. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. in fine corp. asseveret: *Idcò oportet eos* (Prælatos) *in moralibus virtutibus perfectos esse, & similiter prædicatores; aliàs indignè quis prælationis, vel prædicationis officium assumit.* Cur ergo mea nulla authoritas valeat aliquem perturbare?

DISPUTATIO DUODECIMA.

De potentia proxima Divinæ contemplationis.

PRomissis stamus, dum post disputationem de principio *quod* cœlestis contemplationis animum ad ipsius potentiam proximam convertimus. Principium itaque *quod* actionis ex duplici principio *quo* constituitur, quorum vnum est radicale, & aliud proximum. Principium radicale est, à quo proximum principium profluit, quodque medio principio proximo in operationem influit. Si de principio remoto, ac radicali Divinæ contemplationis disceptarem, tempus tererem; quia ex vna parte nulli dubium esse potest, quòd anima rationalis est tale principium, & ex alia nihil, non cuique pervium, est, quod occasione huius controversiæ offeratur. Vnde relicto principio *quo* remoto, de principio *quo* proximo, seu de potentia formaliter, & elicitivè cõtemplatrice sermonicinamur.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm contemplatio Divina proximè eliciatur ab anima rationali?

SICVT scribendi cacoethes tenet multos iuxta Satyrici effatum; sic etiam novitatum ambitio multos tenet, à qua peste immunis haud fuit hæc nostra arcana facultas, quæ in puncto præsenti iugum huius cap-

captivitatis passa est. Itaque non defuere, qui contẽplationẽ adeò immunẽ molirentur, quæ nihil cõmercij habens cum animæ potentijs, ab ipsa anima immediatè orta, sui ipsius nobilitatem ex originis celsitudine secum trahat. Non omnem cœlestem contemplationem huiusce modi privilegio gaudere, dicũt; sed aliquam valde sublimem, & arcanam. Sic aliquos opinari testatur Mag. Torr. tom. 2. de Relig. pag. 296. sed tametsi de illa speciali contemplatione loquantur, nos de quacumque inquirimus, sub qua illa particularis procul dubio comprehenditur.

§. I. *Vera, & communis sententia proponitur, & probatur.*

1. SIt nostra conclusio. *Implicat contemplatio, cuius anima sit proximum principium.* Assertio hæc communis est omnium D. D. propter quod nullum adducimus in particulari. Et qui oppositum tuentur solummodò inniti in aliquorum Sanctorum dictis, & in sublimitate alicuius contemplationis, conspicio; quod fundamentum ruinosum esse, constat; tum ex recta interpretatione authoritatum, quæ adversus nos opponuntur, quod posteà exequemur. Tum ex confutatione illius imaginationis, qua nostrum assertum probamus, primò sic ratione desumpta ex D. Thom. 1. p. q. 54. art. 3. Et q. 77. art. 1. & quodlib. 10. art. 5. & de spiritualib. creat. art. 11. & de anima art. 12. & 19. potestque sub hac forma proponi.

Non omnis contemplatio est ab anima sine concursu intellectus, & voluntatis: ergo nulla. Anteced. certum est, etiam apud patronos adversæ cogitationis; Ipsi enim non omnis contemplationis principium immediatum animam esse, dicunt; sed hoc privilegium alicui contemplationi multum sublimi reservant. Consequentia autem probatur multipliciter, 1. Quia illa contemplatio, quam dicis esse ab anima immediatè, non potest produci ab anima, nisi per suam virtutem; sed virtus animæ est aliquid medians inter animam, & operationem: ergo nulla contemplatio est ab anima sine intellectus, ac voluntatis concursu.. Maior, nisi terminis abutamur, negari non potest; quævis enim causa efficiens principalis per suam virtutem elicit suam operationem. Minor autem probatur; Quia est expressa D. Thom. locis citatis, ex quibus in quodlibeto sic illam ex Dionys. suadet; dicens: *Sed contra est, quòd Dionysius 11. cap. Cœlestis hierarchiæ distinguit superiores substantias, scilicet Angelos in tria, scilicet, substantiam, virtutem, & operationem: sed Angelus non est minoris simplicitatis quàm anima: ergo & in anima sua substantia non est sua virtus, sive potentia.* Ergo virtus, & potentia, quibus anima producit contemplationem, mediat inter ipsam contemplationem, & animæ substantiam: ergo hæc nullam contemplationem habere potest, quin mediet dicta virtus.

Probatur 2. illa consequentia ex ipso D. Thom. locis adductis. Illa contemplatio, quam adeò privilegiatam ponis, est aliquis actus per se in rerum natura positus; ergo habet aliquam potentiam illum per se respicientem, ac immediate producentem. Modò sic, sed hæc potentia non est ipsa substantia animæ: ergo est aliquid medians inter animæ substantiam, & contemplationem. Antecedens est omnino certum, & ex eo eius consequentia legitimè deducitur: quia sicut cuivis potentiæ respondet aliquis actus, ei speciem conferens; sic cuivis actui respondet sua potentia ipsum essentialiter respiciens, ac immediatè producens. Deinde minor subsumpta probatur 1. Quia potentia, & actus, quem per se, ac essentialiter respicit, spectant ad eumdem ordinem; ergo cùm substantia animæ non possit ad ordinem, ad quem illa contemplatio attinet, spectare, (est enim illa contemplatio accidens) habetur, quòd ipsa animæ substantia non sit potentia per se, & essentialiter respiciens illam contemplationem.

Probatur 2. mi. subsumpta. Quia

potentia per ſe reſpiciens illam contemplationem eſt per ſe inſtituta ad operandum, quod non convenit ſubſtantiæ animæ, quæ inſtituta eſt ad eſſẽdi. Tertio prob. mi. ſubſumpta. Quia vt dictum eſt, potentia reſpiciens per ſe immediatè illam contemplationem, ab ipſa ſpecificatur, vt modò ex libris de anima ſupono: ſed animæ ſubſtantia ſpeciem ſumere ab accidenti repugnat: ergo.

2. Nec intelligas: Has rationes eò tendere, vt diſtinctionem realem inter animam, eiuſque potentias conſtituant; nam licèt ad hoc eis D. Thom. vtatur, illamque realem diſtinctionem ſatis, ſuperque convincant. In præſenti autem hoc nobis neceſſarium non eſt. Sufficit enim pro inſtituto noſtro, vt formalitas virtutis, & potentiæ, qua anima concurrit ad productionem contemplationis, diverſa ſit à formalitate eſſentiæ. Sic enim verificatur, quòd non ab ipſa ſubſtantia animæ immediatè producatur contemplatio, ſed ab aliquo inter ipſam, & contemplationem mediante: ſive hoc medians realiter, aut formaliter differat ab animæ ſubſtantia. Vnico verbo eo modo, quo adverſa imaginatio concedit, alias contemplationes, præter hanc privilegiatam, procedere ab anima, medijs potentijs proximis: eo modo dicimus procedere illam privilegiatam contemplationem. Eò quòd motivum fundatur in ipſis naturis rerum; atque adeò de omni contemplatione verificari debet.

3. Probatur 2. concluſio. Implicat contemplatio, quæ non ſit libera, vel neceſſaria: ergo implicat contemplatio, quæ ſit immediatè ab anima ſine concurſu intellectus, & voluntatis. Antecedens eſt certum: Tum, quia implicat contemplatio, quæ non ſit vel cum poteſtate ad vtrumlibet; vel ſine illa. Tum quia implicat contemplatio, quæ non ſit voluntaria: ergo vel libera, vel neceſſaria; quia in neceſſarium, & liberum dividitur adæquatè voluntarium. Deinde probatur conſequentia. Quia contemplatio, quæ eſſet immediatè ab anima, non foret, libera, quia ad illam non concurreret intellectus, qui eſt radix libertatis, nec voluntas, à qua libertas formaliter habetur: ergo talis contemplatio non foret libera. Indidemque deducitur, non fore meritoriam. Quam ergo vtilitatem afferret animæ ſublimis illa contemplatio?

Sed nec eſſet neceſſaria: probatur, quia actus per prius eſt voluntarius, quam neceſſarius; quia, vt dictum eſt, voluntarium eſt conceptus ſuperior ad neceſſarium: ſed talis contemplatio non foret voluntaria: ergo nec neceſſaria. Conſequentia eſt bona, quia arguitur à ſuperiori ad inferius negativè. Minor autem probatur. Quia illa contemplatio non eſſet ab intrinſeco cum cognitione finis: ergo non eſſet voluntaria. Patet iſta; quia arguitur à definitione ad definitum. Antecedens autem probatur 1. Quia, vt ex communi ſententia docent noſtri Salmanticenſes tract. 10. diſp. 1. dub. 1. num. 13. eſſe ab intrinſeco cum cognitione, denotat cognitionis effectum, nõ cognitionem, quæ eo ipſo, ſi prima ſit, non poteſt eſſe ab intrinſeco cum cognitione, ſed eſt ipſa cognitio: ergo talis contemplatio non eſſet ab intrinſeco cum cognitione: quandoquidem anima non aliam cognitionem immediatè elicuit, cuius hæc contemplatio effectus ſit: vel ſi elicuit: ergo non ſolùm illam privilegiatam contemplationem, ſed alios actus elicit anima immediatè, & ſine potentiarum concurſu.

Secundo probatur idem antecedens cum eijſdem Salmanticenſibus. Quia eſſe ab intrinſeco cum cognitione finis, denotat motum in finem ex motione voluntatis, & influxu eiuſdem finis: ſed illa contemplatio non eſſet ex motione voluntatis; quia hæc ſupponitur, non concurrere ad illam contemplationem: nec etiam eſſet ex influxu finis, quia hîc non influit, niſi vt cognitus: ergo &c.

4. Probatur denique concluſio. Non poteſt excogitari contemplatio, quæ ſuperet, aut æquet viſionem beatificam, ſed viſio beatifica non eſt immediatè ab anima ſine concurſu intellectus,

tus, ac voluntatis: ergo nulla contemplatio est, quæ sine voluntatis, intellectusque concursu haberi possit. Omnes istæ propositiones notæ sũt, maior, & minor ex se, & consequentia ex ipsis præmissis.

§. II. *Solvuntur argumenta.*

5. CONtra propositum assertum argues 1. ex D. Paulo 1. ad Corinth. cap. 14. dicente: *Orabo spiritu, orabo & mente.* Vbi duplex genus orationis mentalis distinguit: aliud illius orationis mentalis, quæ mente fit, & aliud illius, quæ solo spiritu fit: ergo datur oratio aliqua purè mentalis, quæ solo spiritu fiat. Quo textu non solum edocetur, dari contemplationem, quæ à solo spiritu sit: sed etiam, quòd non omnis contemplatio à solo spiritu est; cùm detur contemplatio, quæ mente fiat.

Respondetur: D. Paulum hîc non loqui de contemplatione, sed de oratione. Vnde si in illo sensu, quem arguens vult, loquitur: Iam non solùm contemplatio illa sublimis erit ab anima immediatè; verùm etiam oratio quævis ab anima erit sine concursu intellectus. Imò, quod in ipsis verbis Apostoli clarissime datur intelligi, erit ad arbitrium contemplantis, quòd sua contemplatio sit ab anima sine potentiarum concursu, vel cum illo: quod absque dubio deprimit multum sublimitatem adeò decantatam illius contẽplationis, quæ commercium aliquod habere cum potentijs animæ dedignatur: quandoquidem Apostolum pro libito suo, iam spiritu, iam mente se oraturum pollicetur. Vltraquàm quòd verbis illis immediatè ista sequuntur: *Psalam spiritu, psalam & mente.* Vnde si per ly *orabo spiritu* intelligitur oratio, quæ immediate sit ab anima, pariter per ly *psalam spiritu*, loquetur Paulus de cantu, qui sit immediatè ab anima, & cum quo nulla, sive interior, sive exterior facultas animæ commercium aliquod habere valeat. Quod certè absurdum est.

Sensus ergo Pauli est: quòd ad Deum orans debet, quantum sibi possibile sit, orare spiritu, & mente. Orare spiritu est orare cum affectu orandi, & cum affectu consequendi illud, quod à Deo petit, quia sua illa oratio est in lingua ab orante nullatenus, vel parùm nota: propterea inquit Paulus, vltra hoc, quòd est orare cum affectu orandi, quòd est orare spiritu, vt dictum est; etiam *orabo, & mente*, hoc est, satagam, vt intelligam verba orationis meæ, vt sic eius fructum percipere valeam. Vel vt alijs placet; loquitur Paulus de ministro Ecclesiæ publicas preces coram populo fundente, sed ea lingua, quæ omnibus adstantibus erat peregrina. Hi licèt devoti essent, à fructuque suæ devotionis neutiquam fraudarentur: quia tamen idiomatis ignari non intelligebant, quid minister diceret, fructu, quem ex verborum intelligentia colligere poterant, privabantur. Cui vt obviàm Paulus iret, inquit: *Orabo spiritu*, hoc est, affectu, orandique devotione. *Orabo, & mente*, hoc est, ita, seu in illa lingua orabo, quæ possit *mente* ab adstantibus percipi; vt sic illi, qui audiunt, & ego, qui preces fundo, nulla ex parte ab vtilitate, quam ex oratione percipere possumus, defraudemur. Quam glossam mentem Apostoli attingere clarum est ex ijs, quæ subiungit: *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, vt & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua*, hoc est, aliena, vel in qua non intelligat. Videatur D. Thom. sup. Paulum, Caietan. Lyra, Estius; alijque Expositores.

6. Arg. 2. ex mystic. Theolog. Parent. D. Dionys. qui lib. de mystic. Theolog cap. 1. instruens Timoth. dicit: *Tu autem, ò amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione, & sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia*: ergo potest dari contemplatio sine operatione intellectus: ergo talis cõtemplatio erit immediatè ab anima. Secunda consequentia constat ex prima, quæ ex antecedenti nota est.

Respond. sensum Dionysij iam

in ſuperioribus declaratum à nobis eſſe cum D. Thom. & cum noſtro Extatico Doctore, qui frequentiſsimè in ſuis ſcriptis docet, propriam operationem intellectus deſſerendam, vt mens ad vnitatem redacta fidei occulo valeat diuinam veritatem intueri. Hancque eſſe mentem Dionyſij in his verbis, conſtat ex egregio eius expoſitore Alberto Magno inibi dicente. *Ad 2. dicendum, quòd monet relinquere intellectuales operationes connaturales nobis, & non eas, quæ ſunt in nobis ex lumine diuino.* Vide à nobis dicta diſp. 1. q. 2. num. 22. & 23.

7. Arg. 3. ex eodem D. Dionyſ. qui eodem libro cap. 2. ait: *In hac ſuperlucenti caligine fieri nos precamur, & per non videre, & per ignorare, videre, & cognoſcere eum, qui eſt ſuper omnem viſionem, & cognitionem, in ipſo non videre, & non cognoſcere, &c.* Vel vt habet alia trãslatio: *Et hoc ipſum non videre, & non ſcire, & veraciter videre, & ſcire.* Vbi diſſertis verbis aſſerit Sanctus Doctor, quòd in ſublimiſsima contemplatione datur *non videre, & ignorare*, & etiam datur *videre, & cognoſcere*: quæ abs dubio contradictoria erunt, niſi dicamus: in tali contemplatione dari *videre, & cognoſcere* animæ ſine concurſu intellectus; & dari etiam ipſius intellectus *non videre, & ignorare*. Quod eſt idem, ac dicere, quod eminentis illius contemplationis principium immediatum eſt anima; quin ad illam potentiæ ipſius concurrant.

Reſp. aliquos deceptos fuiſſe hac Dionyſij authoritate, vt vel intellectum ab illa ſuprema contemplatione excluderent, & ſolam voluntatem principium illius ponerent: vel vt animam ſe ſolã principium talis contemplationis efformarent. Cùm ſanè mens Dionyſij clariſsima ſit. Nihil enim aliud hic vult, niſi ipſum, quod cap. 1. docuerat, iamque vidimus numero precedenti. Vnde aſſerit, quòd per non *videre* modo actiuo, & connaturali intellectus datur *videre, & cognoſcere* ipſius modo ſuperiori, & perfectiſsimo. Quod ex dictis numero præcedẽti notum eſt.

8. Contra hoc tamen obijcies: Id, per quod aliquid cognoſcitur, debet dicere aliquam habitudinem ad illud, ſeu proportionem cum eo; ſed *non videre, & non cognoſcere* Deum nihil horum dicit *cum videre, & cognoſcere* Deum: ergo per non *videre, & non cognoſcere* Deum, qualitercumque explicentur, non poſſumus Deum contemplari; atque ideò Dionyſius manet inexplicatus, niſi eius verba intelligantur relatè ad diverſa principia; ita vt *non videre* referatur ad intellectum; *videre* autem ad animam. Conſequentiæ legitimè inferuntur, maiorque eſt certa; quia id, per quod aliquid cognoſcitur, eſt medium ad illius cognitionem: vnde debet dicere aliquam habitudinem, ſeu proportionem. Minor autem probatur: Quia non *videre, & non cognoſcere* Deum ſunt priuationes viſionis, & cognitionis: ſed priuatio nullam proportionem dicit cum forma, cuius eſt priuatio, nec hæc eſt mediũ, vt forma cognoſcatur; cùm potiùs per formam habeatur cognitio priuationis: ergo &c.

9. Confirmabis: nobiliſsima cognitio maximè diſtat à non cognitione: ſed contemplatio, de qua loquimur, eſt nobiliſsima cognitio: ergo maximè diſtat à non cognitione: ergo non cognitio ſpecialem repugnãtiam dicit, vt poſsit deſervire ad hanc nobiliſsimam contemplationem habendam. Secunda conſequentia conſtat ex prima, & hæc bene infertur ex præmiſsis, quarum minor negari ab adverſarijs non debet; cùm loquantur de contemplatione perfectiſsima. Maior autem de ſe patet. Quia ſi cognitio minùs perfecta tantùm diſtat à non cognitione, magis diſtabit cognitio perfectiſsima: Sicut maximè dulce magis diſtat ab amaritudine, à qua dulce remotum eſt.

10. Reſp. ad obiectionem, quòd procedit ex falſa imaginatione: non enim dicimus, nec Dionyſius docet, quod *non videre* Deum ſit medium, quo Deus videatur: hoc enim manifeſtam repugnantiam dicit: illamque perſuadent obiecta. Sed dicimus, quòd

debet ceſſare cognitio activa, & naturalis intellectus, vt iſte poſsit cognitionem ſupra ſuum naturalem modum habere, qua Deum perfectiſsimè contempletur. Nec per hoc, quòd *non videre* aſſeratur, eſſe id, per quod ad *videre* venitur, infertur *non videre* eſſe medium ad videndum; ſed ſolùm, quo ablato *videre* naturali, removetur prohibens viſionem perfectiſsimam, ſeu paſsivam contemplationem. Sicut ſi quis vult videre Petrum à ſe diſtantem, ſi ſit nebula interpoſita, illum, vel nullatenus, vel ægrè tantùm, videbit: aſt ſi nebula interiecta auferatur, illum perfectè cognoſcet: quin per hoc dicatur ablatio nebulæ medium, quo in Petri cognitionem venitur. Similiter in noſtro caſu. Per quod patet ad confirmationem. Eſtque tota hæc doctrina deſumpta ex Alberto magno ſuper citatum caput Dionyſij.

11. Placet tamen aliter, ſeu explicatiùs obiecta ſolvere: prænotando, quòd cognitio abſoluta Dei opponitur privativè cum non cognitione abſoluta ipſius. Et hæc abſoluta non cognitio nullatenus deſervire poteſt ad abſolutam cognitionem: cùm potiùs ſit illius excluſio: cæterùm cognitio determinata Dei non opponitur privative cum quacumque non cognitione determinata eius: ſed ſolùm cum illa, quæ eſt ipſius carentia. v. g. non cognitio naturalis non eſt privatio cognitionis ſupernaturalis: ſed privatio cognitionis naturalis eſt non cognitio naturalis, & privatio cognitionis ſupernaturalis eſt non cognitio ſupernaturalis. Datur tamen incompatibilitas inter illas cognitiones; quatenus qui naturaliter Deum cognoſcit, pro tunc tendere in ipſum non poteſt cognitione ſupernaturali, quia nec poteſt ſimul, & ſemel vti ſimpliciter habitu naturali, & ſupernaturali: nec obiectum ſub motivo naturali, ac ſupernaturali ſimul attingere poteſt.

Inſuper prænotandum eſt: non cognitionem activam Dei non dicere ipſam nō cognitionem nudè ſumptam; ſed implicare omnia illa, quæ animam proportionant ad contemplationem, ſeu cognitionem paſsivam. Quæ, vt ex ſuperioribus conſtat, plurima ſunt, & poſitiva, & ad ordinem ſupernaturalem ſpectantia; totum tamen hoc exprimitur nomine *non cognitionis*; quia hæc non cognitio activa, ſeu excluſio activæ cognitionis, eſt effectus, quem omnis ante actus ſudor introduxit, reddens animam, eiuſque potentias idoneas, vt Deum cognitione ſimplici, & vniverſali contemplentur. Ad eum modum, quo excluſio amoris proprij infert poſitionem divini amoris cum illo incompatibilis. Non quia excluſio proprij amoris nudè conſiderata cauſet divinum amorem perfectè talem, ſed quia ea omnia, quæ præceſſerunt ad extirpandum proprium amorem, perfectionem divini amoris attulere. Ex his ergo

Reſpondetur obiectioni diſting. minorem. Quæ vera eſt, ſi *cognoſcere, & non cognoſcere* ſumantur abſolutè, ſeu ſi *non cognoſcere* ſumatur, vt eſt privatio cognitionis: aſt ſi ſumantur determinatè; tunc adhuc vera eſt minor, ſi ſumatur *non cognoſcere* relatè ad cognitionem determinatam, cuius eſt privatio: ſi verò ſumatur *non cognoſcere* determinatum relatè ad determinatam cognitionem diverſæ lineæ, ſeu cuius tale *non cognoſcere* non eſt privatio; tunc vera etiam eſt illa minor, ſi tale determinatum *non cognoſcere* accipiatur nudè ſumptum: cæterùm ſi accipiatur pro omni eo, quod explicat, & implicat, qualiter in præſenti ſumi debet; tunc falſa eſt minor: ſic enim ſumptum *non cognoſcere* activum, ſeu modo proprio intellectus, infert *cognoſcere* vniverſale, & paſsivum, ſeu ſupra modum proprium intellectus. Termini patent ex prænotatis, & quin aliquid addere opus ſit, tota obiectio ſolvitur, & mens D. Dionyſij nota eſt.

Ad confirmationem reſpondetur, maiorem, prout ab arguente adducitur, eſſe falſam; quia privatio cognitionis perfectiſsimæ non eſt quævis non cognitio; ſed non cognitio perfectiſsima, vt ſic loquamur; & perfectiſsi-

ma cognitio tantum distat à perfectissima non cognitione, quantum minùs perfecta cognitio à non cognitione minùs perfecta. In alio autem sensu, etiam falsa est illa maior ; vnde prodesse arguenti non potest : quia perfectissima contemplatio magis distat à cognitione naturali, & imperfecta; atque adeò distat minùs à suo oppositio, scilicet à cognitione imperfecta ; sumpta hac non cognitione imperfecta non pro nuda carentia imperfectæ cognitionis, sed pro omnibus, quæ mysticè considerata implicat, vt dictum est. Ratioque habetur ex dictis : quia videlicet, stante cognitione imperfecta, & naturali, incompatibilis est cognitio perfecta, & supra modum proprium intellectus. Quæ incompatibilitas non adest inter ipsam cognitionem perfectam, & carentiam cognitionis imperfectæ. Quod idem cernere est in exemplo illo nebulæ impedientis visionem ad Petrum: illa quippe visio incompatibilis est cum nebula interiecta; non autem cum carentia nebulæ. Similiter maximè dulce opponitur amaro, sed non carentiæ amaritudinis : quin potiùs vt aliquid sit dulce, debet præsupponi in ipso amaritudinis carentia : & quò dulcedo crescit, eò amaritudo magis distat. Quorum omnium eadem ratio est : scilicet, quòd carentia amaritudinis, nebulæ, & cognitionis imperfectæ, non est privatio cognitionis perfectæ, visionis, ac dulcedinis.

12. Arguit. 4. ex nostro Seraphico Doct. qui in flamma cant. 1. expressè docet, sublimissimam contemplationem esse actum animæ independenter à suis potentijs. Hoc suadet citata cant. quæ hæc est,

O llama de amor viva,
Que tiernamente hieres
De mi alma en el mas profundo centro:
Pues ya no eres esquiva,
Acaba ya, si quieres,
Rõpe la tela de este dulce encuẽtro.

Vbi dissertè docet, Deum attingere profundiùs centrum animæ, quod abs dubio est ipsa animæ essentia : eòque multoties illuminatus hic doctor hos Dei tactus appellat substantiales, ad differentiam eorum, quibus animæ potentias tangit, qui accidentales sunt ; vt potè ad accidentia terminati. Sed vbi expressiùs adhuc loquitur, est llb. 2. ascens. cap. 14. vbi ex illo 12. Numer. *Os ad os loquar ei*, inquit, animam in hac sublimissima contemplatione agere cum Deo *secundùm essentiam puram, & nudam ipsius, quæ essentia, sic pura, & nuda est os animæ.* Ex quibus sequentes discursus eliciuntur.

Essentia pura, & nuda animæ est os ipsius animæ : ergo in sublimissima contemplatione loquitur anima cum Deo sine interventu potentiarum. Aliter, ad quid illud os ? Secundus discursus est : In sublimissima contemplatione agit anima cum Deo secundùm essentiam puram, & nudam ipsius animæ: ergo tunc non operantur potentiæ ipsius. Patet ista : Quia si potentiæ operarentur, iam non esset anima secundùm suam essentiam puram, nudamque : cum potentiæ animæ sint extra ipsius essentiam. Tertius discursus est: Anima in profundissimo sui centro percipit tactum substantialem Dei illam ad fastigium adeò elevatæ contemplationis elevantis : ergo anima in profundissimo sui centro contemplatur: ergo sine ope potentiarum. Patet hæc consequentia ex prima, quæ probatur. Quia illa perceptio tactus illius substantialis Dei est contemplatio : ergo si anima secundùm sui ipsius profundissimum centrum percipit Deum eius substantiam tangentem, planè contemplatur.

Respond. Extaticum Doctorem longe esse ab illa singulari opinione ponente animam sine suis potentijs contemplari. Ad obiecta autem respondentes dicimus : ad primum discursum ex doctrina nostri mystici Doct. deductum 1. per tale os loqui animam cum Deo radicaliter, non proximè : Vnde superfluum non est. Sed dicendum est: Sanctum Doctor. ibi agere de mutua familiaritate, & immediatione, quæ est inter Deum, & animam. Vnde dicit,

quòd

quòd Deus immediatè, & ſine involucro figurarum communicatur animæ ad illud faſtigium evectæ. Quod probat textu illo Numer. dicente: *Os ad os loquar ei palàm, & non per figuras Dominum videt.* Quo ipſo textu oſtendit, animam non iam phantaſmata ſpeculando, ſed immediatè, quantum exilium patitur, Deum contemplari: Vnde dum dicitur, quòd anima ſecundùm ſuam eſſentiam purè, ac nudè ſumpta cum Deo loquitur, excluditur mediatio figurarum, & phantaſmatum: non autem influxus potentiarum.

Quod patet 1. ex ipſo textu, quem Sanct. Doct. adducit. Ibi enim ait Deus: *Os ad os loquar ei*, hoc eſt, explicat ipſe, *eſſentia pura, & nuda Dei.* Per quod non excluduntur attributa, quæ ſunt eſſentiæ Dei veluti rationes proximæ ad loquendum: ergo pariformiter, dum dicitur, animæ nudam, ac puram ſubſtantiam Deum audire, & loqui, non excluduntur ipſius animæ attributa; ſeu potentiæ proximæ. Quocirca ſicut ex parte Dei os ad os loqui, eſt *palàm, & non per figuras loqui*: ſic ex parte animæ os ad os loqui, eſt non vti phantaſmatibus ad loquendum. Secundò patet hoc ipſum ex ipſo Sanct. Doctor. qui ſe ipſum in declaratione datæ cant. verſ. 3. clariſsimè explicat, dicens: ò amor ignite, ſeu viva flamma amoris, quæ ſubtiliter me percutis in profundiori centro animæ, videlicet, *mihi conferens intelligentiam divinam ſecundùm totam habilitatem mei intellectus, & communicans mihi amorem ſecundum totam capacitatem meæ voluntatis.* Per quæ ad ſecundum diſcurſum etiam conſtat.

Ad 3. reſpond. animam in profundiſsimo centro ſui ipſius Deum tangentem percipere. quæ perceptio ſubtiliſsima quidem contemplatio eſt. Verùm hæc perceptio non eſt actus elicitus immediatè ab animæ ſubſtantia, ſed medijs potentijs percipit Deum adeò ſibi indulgentem.

Ad illud verò, quòd ſuprà dicebatur, ſcilicet, quod Myſtic. N. Doct. appellat hos tactus ſubſtantiales, quia ſunt in ipſa ſubſtantia animæ: Reſpondetur dupliciter. Primò. Quòd iſti tactus divini ſunt quidem in ſubſtantia animæ, eòque ex hoc dicuntur ſubſtantiales. Sed etiam tangunt animæ potentias, illas ad perfectiſsimam contemplationem efferentes. Vnde qua parte ſubſtantiam animæ attingunt, dicuntur ſubſtantiales: qua verò parte potentias elevant, medijs ipſis contemplatur anima Deum ipſam adeò benigna ſubtilitate tangentem. Deſumiturque hæc doctrina ex Div. Thom. in 3. diſt. 13. q. 1. art. 1. vbi ait: *Gratia principaliter duo facit in anima: primò enim perficit ipſam formaliter in eſſe ſpirituali, ſecundùm quod Deo aſſimilatur: vnde & vita animæ dicitur: ſecundò perficit eam ad opus, quia non poteſt eſſe operatio perfecta, niſi progrediatur à potentia perfecta per habitum.*

Secundò reſpondetur, quòd etiam ſi hi tactus non attingant animæ ſubſtantiam, propriſsimè dici poſſunt ſubſtantiales. Eò quòd actus, pro quo dantur videlicet contemplatio, eſt actus propriſsimus ſubſtantiæ operantis. Et cum actus eſt talis conditionis appropriat ſibi nomen ipſius ſubſtantiæ. Qua doctrina vſi ſumus diſputat. præced. vbi diximus cum Div. Thom. in 4. d. 49. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. quòd & ſi nomen vitæ directè ſpectet ad viventis ſubſtantiam, ſeu naturam; tamen ait Ang. Doct. *Translatum eſt nomen vitæ ad aſſignandam operationem, & ſecundùm hunc modum, vnuſquiſque illam operationem ſuam vitam reputat, cui maximè intendit, quaſi ad hoc ſit totum eſſe ſuum ordinatum.* Quamobrèm cum contemplatio ſit actus proprius animæ illius perfectiſsimæ; propterea nomen, quod directè deſignat ipſius animæ ſubſtantiam, attribuitur illi contemplationi, contactibuſque ad illam deſervientibus.

Alia argumenta, quæ hic fieri ſolent, prætermittimus, quia nullam dificultatem continent, quæ ex dictis facilimè evacuari non poſsit. Videatur tamen Exim. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. toto cap. 12. & citatus Mag. Torre,

qui tomo 1. in 2. 2. q. 82. art. 3. disp. 1. num. 5. ait: *Ego hanc cessationem ab omni actu potiùs appellarem ruinam, & cassum contemplationis, quàm contemplationem: potiùs appellarem otiositatem, quàm orationem, & figmentum nullius fructus; neque meriti, neque impetrationis, neque devotionis, neque charitatis nutrimentum.*

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm voluntas sit potentia, à qua proximè elicitur contemplatio?

HAbemus ex dictis reduci omne huius disputationis litigium ad solas potẽtias entitativè rationales, quæ sunt intellectus, ac voluntas. Modò inquirimus, an in hoc certamine voluntas triumphet eliciens divinam cõtemplationem, tamquàm principium *quo* proximum ipsius? Ita vt ea media, anima contempletur?

§. I. *Controversiæ status aperitur, dubiumque decidit.*

13. DVpliciter potest disputari quæstio præsens. Primo explorando an possit dari actus voluntatis, quin præcedat actus intellectus? Et sic frequenter video Authores procedere. Sed re bene inspecta, illos imitari non possum: quia longè diversa res est: an volũtas possit diligere incognitum? Et an actus ipsius voluntatis contemplatio sit? Quippe dubitari non potest, quòd sive detur actus voluntatis sine actu intellectus; sive repugnet: quodcumque eligas, non eo ipso præsentem controversiam dirimis. Quãdoquidem sive detur, sive non detur, adhuc tibi probandum restat, illum actum voluntatis esse, vel non esse contemplationem.

Cuius signum gravissimum est: quòd plures ex his Doctoribus, qui asserunt, in sublimi exercitio Theologiæ mysticæ dari actum voluntatis, sine prævio, aut concomitante actu intellectus: non negant, contemplationem extra illud mysticæ Theologiæ exercitium habitam fore intellectus actum. Aliunde: Doctores omnes, qui contemplationem actum intellectus esse dicũt, non negant, quin potiùs adstruunt, præcedere, & subsequi ad contemplationem actum voluntatis: Cæterùm non dicunt, quòd actus voluntatis præcedens, aut subsequens contemplatio sit: ergo similiter licèt actus intellectus indispensabilis pro actu voluntatis asseratur, potest cum hoc bene compati, quòd actus voluntatis contemplati sit.

Vnde in præsenti solummodò exploramus, an voluntas sit potentia proximè elicitiva contemplationis? Illam aliam dificultatem de indispensabili actus intellectus pro actu voluntatis concursu ad alium locum, vbi de exercitio Theologiæ mysticæ agitur, in quo specialiter vrget, reservantes. Modò non desunt, qui dicant, voluntatem esse principium proximum contemplationis, vt minùs alicuius contemplationis specialis. Contra quos directè procedit.

14. Nostra assertio: *Voluntas non est potentia proximè eliciens contemplationem.* Sic D. Thom. pluribus in locis tam in hac, quàm in quæstione sequenti adducendis, illumque vnanimiter ferè omnes D. D. Scholastici, & Mystici sequuntur. Nos autem conclusionem probavimus brevissimè, & quia res non multis eget, vt suadeatur: & quia ex dicendis quæstione sequenti præcipuè constabit præsentis assertí veritas. Probatur ergo conclusio sic ex Div. Thom.

in

in 3. d. 35. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. in corpore vbi ait: *Hoc ipsum nomen contemplationis importat, quod visionem significat.* Ex qua hic discursus conficitur: voluntas non est potentia elicitiva actus, qui sit visio: ergo non est potentia elicitiva contemplationis. Consequentia bona est, & anteced. probatur. Potentia cæca non potest elicere actum, qui sit visio propter manifestam repugnantiam, quæ in hoc datur: ergo cùm voluntas sit potentia cæca, prout tenet concors D. D. sententia incapax est eliciendi actum, qui sit visio.

15. Probatur 2. conclusio ratione fundata in ipsa diffinitione contemplationis, quam dedit D. Thom. vt in superioribus dictum à nobis est, explicatiùsque tradidimus suprà disputatione 8. q. 1. etenim contemplatio divina est *simplex intuitus divinæ veritatis*: ergo non est actus voluntatis. De antecedenti nemo est, qui dubitet, & consequentia probatur: Quia potentia elicitiva contemplationis est potentia visiva, quæ habet veritatem pro obiecto: voluntas nec visiva est, nec habet veritatem pro obiecto: ergo contemplatio non est actus eius. Minor certa est quoad vtramque partem, & maior constat ex data diffinitione: Etenim ex quo cõtemplatio sit *intuitus* requirit potentiam non cæcam, sed intuentem; & ex quo sit *intuitus veritatis*, respicit ipsam veritatem, vt proprium obiectum: quod omne planè constat voluntati repugnare.

16. Quia tamen ex paucis, qui ex adverso sunt, aliqui non dicunt omnem contemplationem esse actum voluntatis, sed aliquam: illam, videlicet, quæ est valde eminens, seu quæ habetur, dum exercetur mystica Theologia: propterea placet contra sic discurrentes discursus factos vrgere sub hac forma.

Contemplatio omnis est visio, seu *intuitus veritatis*: ergo nulla contemplatio est actus voluntatis. Consequentiæ bonitas patet ex dictis, & antecedens probatur. Definitio essentialis, ac metaphysica contemplationis omnem contemplationem comprehendit, quamtumvis perfectissimam, aliàs diminuta esset talis diffinitio, contra id, quod supponi ab omnibus debet: sed definitio tradita est diffinitio metaphysica, & essentialis: ergo omnem contemplationem comprehendit. Minor ex professo traditur supradicta disput. 8. vbi prædicata metaphysica contemplationis per illam definitionem ostendi, asserimus. Vnde cùm prædicata essentialia, & metaphysica rei, ipsi, sub quocumque statu consideretur, conveniant: propterea de quacumque contemplatione, sive imperfecta; sive perfecta; sive sub quacumque consideratione accipiatur, verificatur, quòd sit *intuitus veritatis*. Indidemque; ex quo verificetur contemplatio verificatur, quòd sit visio, quia hoc *nomen contemplationis importat, quod visionem significat*.

17. Confirmatur hæc ratio 1. Contemplatio beatorum non est actus voluntatis: ergo nulla quantumcumque eminens asseratur, actus voluntatis est. Antecedens certum est, quia contemplatio Beatorum est visio facialis Dei, quam actum voluntatis non esse, nemo ignorat. Et consequentia probatur: Si namque aliqua contemplatio ob sui eminentiam foret actus voluntatis, hoc præcipuè conveniret contemplationi omnium sublimiori, qualis est Beatorum contemplatio: ergo si hæc vt dictum est, non est actus voluntatis, nulla alia ob sui eminentiam hoc habere potest.

18. Confirmatur 2. Contemplatio minùs perfecta, & contemplatio omnium sublimior non sunt actus eliciti à voluntate: ergo nulla. Patet ista; Quia non est assignabile fundamentum, ob quod contemplatio, quæ mediat inter minùs perfectam, & omnium perfectissimam, non conveniat cum illis in hoc, quòd est, non esse actum voluntatis. Anteced. probatur: Quia contemplatio Beatorum, quæ, vt diximus, est omnium eminentissima, iam vidimus, quòd non est actus voluntatis. Insuper contemplatio acquisita, quæ inter

Christ

Christianos minùs perfecta est, etiam non est actus voluntatis, vel ipsis adversarijs fatentibus. Tandem contemplatio philosophica, quæ omnium contemplationum infima absolutè est, non spectat ad voluntatem, vtî omnes docent. Cur ergo erit aliqua contemplatio, quæ à voluntate sit: cùm hoc ei convenire non valeat, nec ob perfectionem, nec ob imperfectionem: immo cùm hoc ex prædicatis essẽtialibus sibi repugnet.

§. II. *Respondetur argumentis.*

19. CONtra conclusionem arg. 1. ex Div. Thom. qui 2. 2. q. 180. art. 7. ad 1. docet, quòd principium divinæ contemplationis est charitas, ijs verbis: *In quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur.* Vnde si contemplatio procedit ex charitate, planè actus voluntatis est. *Similiter* eodem articulo, & alibi pluries asserit, contemplationem esse delectabilem: quiaque delectatio ad voluntatem spectat, non potest non contemplatio ad voluntatem, vt proprius eius actus, spectare: *Tandem* art. 1. in argum. *sed contra* hæc docet ex D. Gregor. *contemplativa vita est, charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, & soli desiderio Conditoris inhærere: sed desiderium, & amor ad vim affectivam, sive appetitivam pertinet, vt suprà habitum est:* Scilicet 1. 2. q. 2. art. 1.

Respond. Div. Thom. in alatis authoritatibus, & in pluribus alijs, quæ tam ex ipso, quàm ex alijs P. P. & D. D. adduci poterant, non docere, quòd contemplatio sit elicitivè actus voluntatis: sed docet, quòd voluntas ad contemplationem concurrit, non illam eliciens, sed potentiam, à qua proximè elicitur, movens, vt contempletur: tum ex amore ipsius contemplationis; tum, & præcipuè, ex amore obiecti ipsius contemplationis. Vltra quod habet etiam contemplatio, quòd ad voluntatem inflammandam terminetur. Quippe quod in sua elicentia à motione voluntatis accipit contemplatio, extemplò grata retribuit, ipsam voluntatem inflammans, rogumque augens, quo fœliciter amburatur. Ex quo habetur, quòd contemplans *ex charitate ad Dei contemplationem incitatur.* Quod non est contemplationem elicere; sed ad illam incitare, seu movere. Habetur etiam, quòd contemplatio sit effectus charitatis, ex qua habet, quòd soli Conditori, qui contemplationis primarium obiectum est, desideret inhærere. Sed hoc non signat voluntatem, seu charitatem elicientem; sed incitantem, ac moventem. Habetur etiam, quòd charitas sit terminus, & complementum ipsius contemplationis, quæ maximam delectationem dicit ex charitate movente, ac terminante.

Angelicè hæc omnia tradidit D. Thom. citato art. 7. per hæc verba: *Ad primum ergo dicendum, quòd vita contemplativa licèt essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur.* Ecce, quòd affectus non est principium contemplationem eliciens; sed ad illam incitans. Prosequitur Doct. Sanct. *Et quia finis respondet principio, inde est, quòd etiam terminus, & finis contemplativæ vitæ habetur in affectu, dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ipsa delectatio rei visæ amplius excitat ad amorem. Vnde Gregor. dicit super Ezech. quòd cùm quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius amplius ignescit. Et hæc est vltima perfectio contemplativæ vitæ, vt scilicet divina veritas non solùm videatur; sed etiam vt ametur.*

20. Dices: Vltima perfectio contemplativæ vitæ, seu contemplationis est, vt per ipsam Deus ametur: ergo est actus voluntatis. Antecedens constat ex vltimis verbis alatæ authoritatis. Et consequentia adeò certa est, vt probari non debeat. ¶ Vrgebis: sicut Div. Thom. asserit, vltimam perfectionem contemplationis consistere in hoc, quòd Deus videatur; sic etiam docet consistere in eo, quòd ipse Deus ametur:

tur: ſed per hoc, quòd ait, contemplationis eſſentiam conſiſtere in hoc, quòd Deus videatur, dicimus contemplationem eſſe elicitivè ab intellectu: ergo per hoc, quòd docet, conſiſtere in hoc quòd Deus ametur, debemus dicere, ipſam contemplationem eſſe elicitivè à voluntate.

Si dicas, impoſsibile eſſe, eamdem indiviſibilem actionem elici ab illis duabus potentijs. Contra eſt: Quia contemplatio viæ eſt inchoatio beatitudinis formalis, ipſiuſque participatio, vt ſuperiùs cum D. Thom. tradidimus: ſed beatitudo formalis eſt eſſentialiter actus intellectus, & voluntatis, vt tenent D. Bonavent. Vega. Valent. Suarez, alijque plures, quos referunt Patres Salmant. tract. 9. diſp. 1. dub. 3. §. 2. ergo ſimiliter. Conſequentia legitimè ex præmiſsis infertur. Illamque eodem modo ſuadent omnia, ob quæ prædicti authores docent, beatitudinem formalem ad vtramque illam potentiam eſſentialiter pertinere. Primum eſt, varia teſtimonia Scripturæ, & Patrum, in quibus iam dicitur beatitudo formalis actus intellectus, iam voluntatis, iam vtriuſque potentiæ, quod idem evenit in contemplatione, vt vel ex ſolo D. Thom. oſtenſum eſt. Secundum fundamentum eſt (alia prætereo) quòd beatitudo eſt perfectior vnio animæ cum Deo: vnde cùm perfectior ſit vnio animæ cum Deo ſecundùm vtramque illam potentiam, quàm vnio ſecundùm vnam illarum ſolùm: ſit conſequés, quòd beatitudo in vnione vtriuſque potentiæ conſiſtit. Hoc idem invenitur in contemplatione, quæ certè eſt vnio animæ cum Deo ſecundùm intellectum. & voluntatem: ergo eſt actus vtriuſque potentiæ.

Contra ſecundò. Quia ſi non poteſt eſſe actus vtriuſque potentiæ, cur non erit actus voluntatis? Verba textus de vtraque potentia æqualiter loquuntur: ergo non adeſt motivum, vt voluntas excludatur ab hoc, quòd ſit principium elicitivum contemplationis.

Reſpond. obiectioni: diſtinguendo antecedens: *Vltima perfectio* contemplativa *contemplationis &c.* Concedatur. *Vltima perfectio* conſtitutiva *contemplationis*, negetur. Verum itaque eſt, quòd ad contemplationem concurrunt intellectus, voluntaſque, vt dictum eſt: ſed id, quod habet contemplatio ab intellectu eſt ſibi eſſentiale, & conſtitutivum; id verò, quod habet à voluntate, eſt ſibi complementum propriæ perfectionis. Ad illum ipſum modum, quo dicitur de beatitudine formali ſupernaturali, cuius complementum eſt à voluntate; licèt eſſentiam ab intellectu habeat. Videantur citati noſtri Salmantic. dub. 4. & ex ibi dictis, quod modò dicimus, notum erit.

Ad vrgentiam dicas: D. Thom. aſſerere, perfectionem contemplationis conſiſtere in viſione, & amore. Sed in illa conſtitutivè; in hoc verò completivè. Vnde non poteſt elici à voluntate. Admiſſaque ſolutione inter arguendum data. Ad eius primam impugnationem reſpondetur cum ijſdem Salmantic. dub. 3. illam illorum Doctorum Theologiam imitandam à nobis non eſſe. Nec illam evincunt motiva ibi relata. Non primum: Quia illæ authoritates ſolùm docent, quæ fatemur: videlicet, quòd voluntas concurrit ad beatitudinem: aſt hic concurſus non eſt conſtitutivus ipſius beatitudinis; ſed tantùm complementum.

Ad ſecundum motivum reſpondetur: Vnionem animæ cum Deo ſecundùm intellectum, & voluntatem plures perfectiones dicere: quàm vnio per intellectum. Cæterùm vnio per intellectum perfectior eſt, quàm vnio per voluntatem; ſi quævis ſecundùm ſibi propria ſumatur: quia vnio per intellectum eſt vnio realis, per quam trahitur ad nos Deus ſecundùm ſuum eſſe reale. Quod non habet vnio per amorem: *Quia*, aiunt laudati Salmanticenſes num. 92. *amor quantum eſt ex ſe, ſolùm vnit affectivè.* Vnde cùm beatitudo non poſsit conſiſtere eſſentialiter conſtitutivè in vtraque illa vnione ſimul; propterea ponitur eſſentialiter in magis perfecta; & in non adeò perfecta completivè. Similiterque dicimus de

contemplatione viæ, quæ ad voluntatem ſpectat non eſſentialiter, aut elicitivè; ſed per modum complementi, ac principij excitantis.

Ad vltimum, quod opponitur, reſpondetur: contemplationem non poſſe eſſe actum ab vtraque illa potentia elicitum: ſed quoad elicientiam pertinere ad vnam, & quoad completionem ad aliam. Rurſus: Ob quod ad intellectum ſpectet primo illo modo, & ad voluntatem ſecundo, motivum iam datum eſt.

21. Arg. 2. contemplatio eſt beatitudo ſupernaturalis viæ: ſed beatitudo ſupernaturalis viæ eſt actus voluntatis, licèt beatitudo patriæ ſit actus intellectus: ergo contemplatio noſtra eſt actus voluntatis. Maior vera eſt, communiterque ſupponitur à Theologis: immo & Philoſophus naturalem beatitudinem conſtituit in contemplatione, idem de ſupernaturali dicturus, ſi illam agnoviſſet. Minor verò, in qua diſsidium conſiſtere poteſt, probatur multipliciter. Primò ex Pſalmo 1. vbi dicitur: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum* :: *Sed in lege Domini voluntas eius.* Vbi à volũtate dicitur huius viæ ſupernaturalis beatitudo haberi.

Probatur 2. diſcurſu in aliâ Scriptura fundato: Beatitudo viæ conſiſtit in eo, quod perfectiùs nos ducit ad beatitudinẽ patriæ: ſed quod perfectiùs nos ducit ad beatitudinem patriæ eſt actus volũtatis, ex 1. ad Corinth. cap. 12. vbi dicitur: *Excellentiorẽ viã vobis demonſtro, ſequimini charitatẽ*: ergo &c. Probatur 3. ratione ex alia Scriptura deducta: Beatitudo eſt id, quod nõ ordinatur ad aliud; ſed potiùs omnia ordinantur ad ipſum: ſed talis eſt charitas: ergo idem, quòd priùs. Cætera nota ſunt. Probatur min. 1. ex Prima ad Timoth. vbi ſcribitur: *Finis præcepti eſt charitas.* Quo textu D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 11. probat, quòd ad nihil, ad ſtatum viæ ſpectans, ordinatur charitas; quin potius alia ordinantur in ipſam. Probatur 2. ex D. Anſelmo lib. 1. *Cur Deus homo* dicente: *perverſus ordo eſt amare, vt intelligas: rectus verò intelligere, vt ames*: ergo ex his duobus actibus, inter quos poterat eſſe dubitatio, amor non ordinatur ad intellectionem, ſed intellectio ad amorem.

Confirmat. Beatitudo formalis conſiſtit in eo, quod intimiùs coniungitur cum obiecto beante: ſed in via intimiùs vnitur Deo voluntas, quàm intellectus: ergo beatitudo formalis viæ eſt actus voluntatis. Probatur min. Quia in ſublimiſsima contemplatione *dilectio ſupereminet ſcientiæ, & maior eſt intelligentia: plùs enim diligitur, quàm intelligitur: & intrat, & appropinquat, vbi ſcientia foris ſtat*: Sic Hugo de Sanct. Vict. ſuper caput 7. Dionyſ. de cœleſt. hierarch. communiter ab alijs adductus, & ſecutus. Similiterque Seraph. M. Noſt. ſup. Cant. ad illa verba: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem*, inquit: in ſublimi illa myſtica ebrietate omnes animæ potentias ſuſpenſas, aut mortuas eſſe, vnam voluntatem ſi excipias, quæ fervidiſsimè dilectum ſuum amplectitur. Atque ob hæc, & alia, quæ ſupprimũtur, motiva plures, iique graviſsimi Authores tenent, beatitudinem ſupernaturalem huius vitæ in actu voluntatis ſitam eſſe, quorum opinionem amplectuntur P. P. Salmant. in dubio appẽdice ad citatum dubium 4.

22. Vt huic argumento occurramus præmittendum eſt: circa actum, in quo conſiſtit beatitudo ſupernaturalis viæ, dari opinionem ſuſtinentem talem beatitudinem conſiſtere in actu intellectus: & opinionem affirmantem conſiſtere in actu voluntatis. Quæ ſententiæ adeò probabiles, probatæque viſæ ſunt noſtris Salmãt. vt num. 112. nulli, alia excluſa, decreverint adhærere, ſed vtramque ad concordiam revocare. Quod, vt faciant, duo præſupponunt. Primum eſt: nullum actum viæ poſſe habere perfectè rationem beatitudinis. Cuius ratio ea eſt, quòd beatitudo eſt talis conditionis, vt ad illam referantur omnia alia; cum tamen ipſa, niſi ad proprium cùm obiectum, non referatur. Hoc autem in nullo actu viæ reperiri poteſt; quia omnes illi referri debent

debent ad beatitudinem patriæ, quæ ad nullum eorum referibilis est. Et hoc sufficit, alijs omissis, vt nullus actus viæ habere possit rationem beatitudinis perfectæ.

Imperfectam autem rationem beatitudinis dari posse in aliquo actu viæ supponimus: & quis talis actus sit, exploramus. Quiaque beatitudo patriæ plurima dicit in se, vt potè in entitate perfectissima, adunata, quæ non implicat, esse in inferioribus dispersa. Ideò non implicat, quòd plures actus viæ sint imperfecta beatitudo, quatenus vnusquisque participat à beatitudine supernaturali aliquid propriè ad ipsam spectans. Inter quos ille actus magis accedet ad beatitudinem supernaturalem; eòque propriùs dicendus est beatitudo viæ, qui propriorem conceptum beatitudinis à supernaturali beatitudine patriæ habuerit. Quo circa cùm in beatitudine patriæ adunentur, & ratio entitatis in perfectione omnes alios actus superantis, & ratio assecutionis, aut apprehensionis obiecti, & aliæ: propterea actus viæ, qui aliquam ex his perfectionibus participaverit, erit beatitudo supernaturalis imperfecta. Inter omnes tamen eminebit, qui participet conceptum assecutionis: quandoquidem in hoc actu, seu conceptu sita est ratio propriissima beatitudinis supernalis patriæ: quandoquidem si ille actus non esset adeò perfectus; dummodò conceptum assecutionis diceret, beatitudo foret: non autem foret beatitudo, si conceptu assecutionis careret: eò quòd conceptus hic est essentialis beatitudini. Quod pluries repetit D. Thom. præsertim 1. 2. q. 3.

23. Secundò observant dicti P. P. cum D. Thom. eadem 1. 2. q. 69. Beatitudinem patriæ dupliciter posse participari in via: Primò per modum meriti: secundò per modum inchoationis. Prima participatio est talis per modum dispositionis, potestque dici beatitudo moralis: Quatenus licèt merita non habeant in se conceptum formalem beatitudinis patriæ; habent tamen ius, virtutemque perveniendi ad illam. Quamobrem dicuntur beatitudo *moralis*, seu *per modum dispositionis*, aut *per modum meriti*. Beatitudo autem per modum inchoationis illa est, in qua verificatur proprius, ac formalis conceptus beatitudinis patriæ, licèt deficienter ac imperfectè. Hunc formalem conceptum iam diximus, esse rationem assecutionis, seu apprehensionis obiecti. Vnde ille actus, qui habuerit hoc, quòd est assequi, seu apprehendere obiectum beatificans, erit planè formalis beatitudo viæ.

Quibus prælibatis, vtramque sententiam ad concordiam reducunt dicti Patres, dicentes: Primam esse veram de beatitudine *per modum meriti*, aut *dispositionis*, aut de beatitudine *morali*, aut *virtuali*. Hæc omnia pro eodem vsurpantur. Moventurque, quia cùm charitas sit, à qua meritum provenit, & meritum, vt dictum est, fundet ius ad beatitudinem patriæ, disponatque ad illam obtinendam; idcirco charitas, seu actus voluntatis charitate decorus est beatitudo viæ *per modum meriti, dispositionis &c.* Secundam autem sententiam veram reputant de beatitudine *per modum inchoationis*: Quia absque dubio actus intellectus est apprehensivus obiecti, illudque vel in via habet, non in affectu solùm, sed in re, licèt imperfectè, & modo valde deficienti. Exemplo egregio rem totam declarat laudatus D. Thom. considerans arborem vel flores amittentem, vel fructus iam iam offerre incipientem. Florescente arbore potest aliquo modo dici, ipsam habere fructus, non tamen in re, sed *virtualiter*, aut *moraliter*, aut *per modum dispositionis*; dum autem floribus deformatis, incipiunt apparere fructus: tunc arbor illa fructus re ipsa habet, quamvis imperfectissimos, immaturos, & insuaves. Sic ergo charitas dicitur beatitudo, quatenus dicit meritum, quod quidem est via ad præmium, nempe ad ipsam beatitudinem patriæ. Vnde dicitur beatitudo dispositivè. Actus verò intellectus, cùm sit obiecti beatificantis, etiam in hac vita apprehensio, licèt imperfecta, est

quamquàm eadem imperfectione, beatitudo formalis viæ, ac *per modum inchoationis.*

24. Hoc Patrum Salmant. prudens, solidumque iudicium à nobis amplectitur, ex illoque obiecta solvimus. Ad primum ergo respond. disting. mai. *Contemplatio &c.* secundùm sibi essentialia, hoc est, secundùm, id quod habet ab intellectu, conceditur: secundùm id, quod habet à voluntate, subdisting. est *beatitudo dispositivè moraliter*, sive *virtualiter*, aut *per modum meriti*, conceditur. *Est beatitudo* formaliter, neg. mai. Et disting. minor, *beatitudo* per modum dispositionis, est verum: per modum inchoationis, seu formalis est falsum. Termini ex dictis sunt noti.

Ad primam probationem minoris respondetur, textum illum loqui de beatitudine per modum meriti. Sed non excludit beatitudinem per modum inchoationis, quæ in Dei contemplatione consistit. *Ad secundam probationem* similiter respond. *excellentiorem viam* per modum dispositionis ad beatitudinem patriæ esse charitatem quæ causat meritum, per quod in patriam tendimus: ast perfectior via *per modum inchoationis* est actus intellectus, in quo ipse viæ terminus in re habetur, licèt imperfectè: consequenterque habet conceptum assecutionis ipsius obiecti beatificantis. Vnde id, quod fuerit beatitudo viæ non dispositivè, sed formaliter talis debet hûc conceptum assecutionis habere: atque adeò si contemplatio hoc habet, vt vel ipsa opposita sententia fatetur: ex hoc ipso adstruitur, quòd est actus intellectus.

Ad tertiam probationem respondetur: De ratione beatitudinis simpliciter, ac perfectè talis, qualis est beatitudo patriæ, esse vt omnia referantur ad ipsam, & illa ad nihil, nisi ad proprium obiectum referatur. Ast de ratione beatitudinis imperfectæ, qualis est beatitudo viæ, non est tale quid dicere, cùm indispensabiliter debeat ad beatitudinem patriæ referri, vtì num. 22. dictum est. Sed illi duo conceptus, qui in entitate superiori beatitudinis patriæ vniti sunt, sunt dispersi in inferioribus actibus: quo circa actus charitatis participat irreferibilitatem ad aliquid viæ. Verùm quia hoc munus non est essentiale in beatitudine; sed hoc reservatur muneri assequendi, & apprehendendi: propterea charitas, quæ illud primum munus participat, est quidem viæ beatitudo; sed dispositivè. Actus verò intellectus, quia assecutivus est, tametsi ad charitatem referatur, est viæ beatitudo formaliter talis. Ex quo fit consequens, quòd contemplatio divina, quæ supponitur beatitudo formalis viæ, sit actus intellectus.

Per quod patet ad duas probationes ibi adductas. Adde 1. D. Anselmum non solùm non loqui de intelligere patriæ: sed nec de intelligere viæ speculativo; authoritas namque eius intelligenda est de intelligere intellectus practici, cuius finis est actio. Vnde ipse intellectus practicus ordinatur ad actionem, tamquam ad finem, qui nisi perversè, ordinabilis haud est ad id, cuius est finis. Videantur P.P. Salmant. num. 54. in fine.

25. Adde 2. Quòd mysticè loquendo, seu, vt propriùs loquar, loquendo de ijs, quæ realiter eveniunt in exercitio huius Sanctissimæ sapientiæ; intellectio refertur ad dilectionem, & hæc ad intellectionem ordinatur. Dirigitur ad intellectionem dilectio *in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad eius pulchritudinem conspiciendam*, ait Div. Thom. 2. 2. q. 180. art. 1. in corpore. Dirigitur intellectio ad dilectionem: quia *vita contemplativa terminatur ad dilectionem, quæ est in affectu, ex qua etiã amor intenditur*, docet idem Sanctus ibidem. Eamdem doctrinam repetit artic. 7. ad 1. vbi inquit, mutuò se se iuvare, & augere contemplationem, & amorem. Quamobrem sine perversitate aliqua; immo ordine divino, contẽplativus contẽplatur, vt diligat: & diligit, vt cõtempletur, ob reciprocum fomentum, quod sibi conferunt isti superni

actus

actus. Quod si charitas asseritur finis nostræ vitæ; hoc ipsum de contemplatione docet citatus D. Thom. art. 4. in corpore, cuius verba producere placet, quia in eis plura sunt, quibus ferè omnia, quæ diximus in quæstione hac, roborantur.

Ait enim Doct. Ang. *Principaliter quidem ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ veritatis: quia huiusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ. Vnde Augustin. dicit in 1. de Trinitate, quòd contemplatio Dei promittitur nobis actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum: quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus eum facie ad faciem: vnde & perfectos beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfectè, videlicet per speculum, & in ænigmate: vnde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, vt in futuro continuetur. Vnde & Philosoph. 10. Etichorum in contemplatione optimi intelligibilis ponit vltimam fœlicitatem hominis.* Videatur P. Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 9. num. 11. in fine, qui hanc amoris, & contemplationis reciprocam causalitatem docet. Elegantissimè verò de illa loquitur N. Philipp. in sua mystica Theolog. p. 2. tract. 3. art. 2. vbi inquit: *Mirabilis est in contemplatione circulus; amor namque Dei ad eius contemplationem excitat, quæ maiorem parit amorem erga ipsum Deum, cuius pulchritudinem ac bonitatem in contemplatione videt, & miratur anima, ac in eius delicijs suaviter immoratur.*

26. Ad confirmat respondetur negando min. Quia intimius est obiecto id, quod se tenet ex parte ipsius, habetque aliqualiter rationem obiecti, quàm id, quod est motus in obiectum. Contemplatio se tenet ex parte obiecti voluntatis, estque aliquo modo obiectum ipsius: quandoquidem voluntas non tendit in bonum, nisi vt cognitum; atque ideò ex parte obiecti, in quod voluntas movetur, non solùm adest bonum sed etiam ipsius boni contemplatio, seu cognitio: vnde intimior est illi obiecto contemplatio, quæ vnicum obiectum cum eo facit, quàm dilectio, quæ est motus voluntatis in illud. Sic enim solvit Scoti argumentum simile Caietan. 1. 2. q. 3. art. 4. dicens: *Actus visionis est quasi pars ipsius finis, & est finis non ponens in numerum cum fine extrinsecè. Deus enim visus est finis, & non sunt duo fines, scilicet Deus, & visio: sicut inductivè patet in alijs finibus &c. Vnde actus voluntatis est propinquior inter actus tendentes in finem integrum; sed propinquior illo est, qui est quasi pars finis. Amamus enim non solum bonum, sed bonum cognitum, & propter illud.*

27. Contra hanc tamen solidam doctrinam stat probatio illa minoris fundata in illa Doctorum veluti paræmia: *Intrat dilectio, & appropinquat, vbi scientia foris stat.* Sed antequàm directè respondeam, monere placet: Patrem Carolum Casnedi in tomo suo 4. Crisis Theologicæ, vbi *abstrusas Theologiæ mysticæ controversias* se tractare, *non tentata hactenus scholastica methodo*, pollicetur. Quod non semel repetit in dicto tomo, quem mysticum nominat; & etiam in 5. interans se sine duce procedere, dum falcem scholasticam mittit in mysticam messem. O vtinam talem ducem habuissem ab initio huius laboris! Sed serò sua lux affulget; quia iam primus cursus nostri mystico-scholastici tomus sub prælo gemit, & secundus hic iam ad finem properat, vt vides. Hic, inquam, doctus scriptor in dicto 4. tomo disp. 2. sect. 4. num. 89. refert illam authoritatem dicens, fundatam esse in D. Thom. doctrina. sub dubio tamen. Posteà verò num. 101. inquit: illam authoritatem esse D. Thom. secundùm P. Suarez; qui tamen, ait Casnedi, locū D. Thom. non citat: In quo fatetur, quòd ipsum Author illius sententiæ latet. Sed re vera Author illius est citatus Hugo, quod à pluribus è nostris Mysticis potuit discere Casnedi: & non solùm à Mysticis; sed etiam ab Scholasticis: quippe Patres Salmant. loco citato

num.

num. 92. hoc idem teſtantur. Immo D. Thom. hoc ipſum aſſerit in 4. diſt. 49. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. in 5. & ad 5. & in 3. diſt. 27. q. 1. art. 4. in 3. argumento *ſed contra*, eius verba mox exhibebimus. Et ob hoc forſan P. Suarez dixit, ſententiam illam in doctrina D. Thom. fundari.

Quæ ſententia nobis nullatenus opponitur: ſed continet doctrinam ſaniſsimam, quam obvijs manibus excipimus: quandoquidem illa verba: *Dilectio ſupereminet ſcientiæ*: docent, quòd cùm ſcientia terminetur ad obiectum, prout in ſciente, & dilectio terminetur ad illud, prout in ſe eſt: quando obiectum eſt ſuperius, vt eſt Deus, melius eſſe habet in ſe, quàm in intelligente: quo circa dilectio, quæ terminatur ad obiectum, prout in ſe perfectior eſt, quàm ſcientia, quæ terminatur ad illud prout in ſciente. Quæ eſt doctrina toties à D. Thom. tradita, quoties de exceſſu intellectus ſupra voluntatem diſputat.

Verba ſequentia. *Maior eſt* (dilectio) *intelligentia*: eumdem ſenſum continent. Et etiam dogma myſticum offerunt: videlicet, quòd voluntas plùs amat, quàm intellectus intelligat. Licèt nunquam verùm ſit, quòd voluntas aliquid amet, quod intellectus præviè, vel concomitanter non cognoſcat. De quo in 3. prædicabili, Deo dante, nobis agendum eſt. *Idem* dogma oſtendunt verba illa: *Plùs enim diligitur, quàm intelligitur*. Hoc eſt, quamquàm voluntas nihil incognitum amet; amat tamen plùs, quàm intellectus in hoc exilio cognoſcat.

Eumdem ſenſum habent vltima verba: quia cùm voluntas feratur ad obiectum, prout in ſe eſt, illud, vt ſic dicamus, intrat, vt amet. Aſt cùm intellectus non intelligat obiectum, prout eſt in ſe; ſed ad ſe ipſum trahat illud, media ſpecie, in qua illud intelligit: propterea non ſtat intellectus intelligens obiectum intra ipſum obiectum; ſed *foris*, hoc eſt, in ſpecie ab ipſo immiſſa: conſequenterque plùs dilectio diligit, quàm intellectus intelligat. Videantur laudati Salmant. num. 93. vbi ſic Hugonis dictum explicant. Videatur etiam Capreolus in 4. diſt. 49. q. 2. Vbi tenens Hugonem eſſe authorem illius ſententiæ, illam modo dicto declarat.

Sed inter omnes videri, & audiri debet D. Thom. locis citatis ex 3. & 4. ſententiarum. In primo enim poſtquam argumentum ex verbis Hugonis confeciſſet, reſpondet in hunc modum: *Ad 10. dicendum, quòd amor magis intrat ad rem, quàm cognitio. quia cognitio eſt de re ſecundùm id quod recipitur in cognoſciente. Amor autem de re, in quantum ipſe amans in rem ipſam tranſformatur, vt dictum eſt prius. In hac autem via, qua perficitur anima in ordine ad res alias dictum eſt, quòd voluntas cognitionem excedit, ad quam viam pertinet eſſe magis, vel minùs intimum rei.* In 2. autem loco ſic ait Doct. Sanct. *Ad 5. dicendum, quòd per affectum homo perfectiùs Deo coniungitur, quàm per intellectum, in quantum coniunctio, quæ eſt per affectum, ſupervenit perfectæ coniunctioni, quæ eſt per intellectum perficiens, & decorans eam; ſed tamen oportet, quòd prima coniunctio ſit ſemper per intellectum: dilectio enim prius inclinat in coniunctionem perfectam appetendam, quàm intellectus perfectè coniungat, quamvis non prius quàm intellectus quo quo modo cognoſcat, eò quòd appetitus non poteſt eſſe incogniti omnino. Et ideò dicit Hugo, quòd ſcientia foris manet, vbi dilectio intus eſt.* Videatur Angelic. Doct citata diſt. 27. q. 3. art. 1. Vbi luculentiſsime hanc ipſam doctrinam tradit.

28. Supereſt, vt ad id, quod de Seraph. M. Noſtr. in eadem confirmatione dicitur, reſpondeamus. Dicimus enim 1. quæ hactenus diximus, iuxta quæ gloſſanda ſunt Doctricis Almæ verbo *ſecundò* dicimus: Cœleſtem hanc Magiſtram inibi etiam docere, non ſolùm intellectum, ſed nec voluntatem operari, ijs verbis: *Sed dubitari poteſt: ſi anima tam extra ſe eſt, & adeò abſorta, vt nihil videatur poſſe operari medijs potentijs, quo modo mereri poteſt?*

Illud

Illud ergo *videatur*, quod nunc applicat omnibus potentijs, applicari debet intellectui, dum de illo loquitur. Adeò enim absortus est intellectus ab eminentia divinæ maiestatis, vt nihil posse operari *videatur*. Adeò subtilis, & sine reflexione est intellectio, quam ibi habet intellectus, vt sit ferè imperceptibilis, vt ait Extatic. N. Parens, de quo suo loco tractabimus; atque adeò imperceptibilitas illius subtilissimæ contemplationis facit, quòd intellectus nihil agere *videatur*.

Adde: ipsam Sanctiss. Doctricem ibi etiam hæc dicere: *Ipsa vis amoris abstulit ab anima discursum intellectus; vt sic magis Deum amare valeat.* Vnde discursum ablatum docet, quod sanè fatemur, & nos, qui ab illo sublimi contemplationis gradu discursum eliminamus. Turbaretur enim erga plurima anima, si tunc temporis discursibus vteretur. Vnde ex alato testimonio nihil concluditur contra nos.

Ex omnibus pro argumento, & confirmatione dictis habetur, obiecta solùm concludere, quòd in via relatè ad obiectum superius anima præmineat dilectio intellectioni. Ex hoc tamen non sequitur, quòd cognitio viæ non sit beatitudo formalis viæ per modum inchoationis: quia licèt minùs perfecta, habet tamen conceptum assequendi, apprehendendique obiectum beatificans: quod munus est magis proprium inter omnia, quæ patriæ beatitudo adunat. Vnde relinquitur, quòd contemplatio sit beatitudo formalis inchoata, & etiam, quòd non sit actus voluntatis, cuius non est obiectum consequi; sed vel illud absens desiderare; vel in ipso iam consequuto quiescere.

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm intellectus sit principium quo *proximum divinæ contemplationis?*

PErsistit adhuc litigium inter intellectum, & voluntatem pro approprianda sibi hac perfectissima, ac nobilissima prole cœlestis contemplationis. Quia cùm solùm inter has duas nobilissimas potentias vrgens bellum adesse possit: idem prorsus est trophæum à voluntate surripere, ac quòd intellectus triumphet: & similiter idem est laurum intellectui negare, ac quòd voluntas victrix coronetur. Vnde in præsenti plura pro iure voluntatis adducenda supersunt. Noluimus tamen vtrumque sub vna quæstione diversis tamen assertis, vt solet in similibus fieri, disputare, vt sic clariùs in re adeò vtili, quo distinctiùs, procederemus.

§. I. *Intellectus est principium proximum contemplationis divinæ.*

29. HOc assertum est omnium nostrorum Mysticorum, & adeò inter omnes frequens, vt commune iure merito dici debeat: speciatim, cùm hic loquamur sub illa præcisione: quam quæstione antec. dedimus: videlicet, segregando nos ab illa controversia, an, scilicet, detur actus voluntatis sine actu prævio, vel concomitante intellectus? Quam quidem ad locum quæstione superiori dictum remittimus. Ex paucis enim Doctoribus, qui contra nos sunt in præsenti dubio, plures, & maioris notæ moventur; Quia autumant, animam ad illum gradum aliquando pervenire, in quo sine prævio, aut concomitante actu intellectus,

ctus, diligat eius voluntas. Quam dilectionem, contemplationem esse dicunt. In alijs verò gradibus, in quibus voluntas amat ex propositione intellectus, planè nobiscum sentiunt, tenentes contemplationem ad intellectum spectare. Sat sit D. Bonavent. nominare, qui itin. 3. æternit. dist. 2. sic contemplationem definit: *Est actus intellectus non impediti gratia sanati, in æterna spectacula directi, cum admiratione suspensi.* Vbi, vt vides, contemplationem esse actum intellectus docet, quod est idem cum nostro asserto.

30. Quod esse ad mentem D. Th. onerosum nimis foret, in dubium vertere: cum pluribus in locis illud doceat. Videantur, quæ ex eodem Ang. Mag. 2. 2. q. 180. art. 1. & 7. diximus quæstione præcedenti, & præcipuè num. 19. Idem docet in 3. distinct. 35. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. vbi in corpore ait: *Contemplatio essentialiter in actu cognitivæ consistit, præexigens charitatem ratione prædicta. Vnde Greg. dicit super Ezechiel. contemplativa vita est charitatem Dei, & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, ita vt nihil iam agere libeat: sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui creatoris animus inardescat.*

31. Deinde probatur conclusio sic: Cõtemplatio divina habet aliquam potentiam, quæ illam proximè eliciat: sed hæc non est anima rationalis, nec potentia aliqua, quæ non sit entitativè, & essentialiter rationalis; nec ex his, quæ essentialiter rationales sunt, est voluntas: ergo solùm remanet intellectus. Consequentia est infallibilis: Non enim remanet aliqua alia potentia, cui possit hoc convenire, cùm omnes in minori propositione numerentur. Minor autem qua ad 1. partem constat ex dictis quæst. 1. huius disputationis; quoad 2. patet ex dictis disput. 11. quæst. 1. num. 4. vbi ostendimus, nulli ex illis potentijs munus eliciendi proximè contemplationem cõvenire: quia illis elicientiam illam absolutè repugnare vidimus.

32. Confirmatur hoc reproducendo, breviter tamen, quæ in anteactis quæstionibus dicta sunt. Etenim principium proximum contemplationis debet esse aliqua potentia, quæ sit immediatè operativa, & sit essentialiter rationalis, vt constat ex dictis num. præcedenti: sed solùm dantur duæ potentiæ essentialiter rationales, de quibus dubitari possit, an sint immediatæ operativæ contemplationis; videlicet intellectus, & voluntas; & voluntas non potest esse principium proximum contemplationis: ergo tale principium est intellectus. Cætera constant, & minor quoad 2. partem probata est quæstione præcedenti.

Confirmatur hoc ex dictis quæst. 2. etenim ex ibi dictis à num. 14. non solùm constat, voluntatem non esse principium proximum contemplationis; sed ex ipsis habetur, tale principium esse intellectum: ergo intellectus est potentia proximè contemplationem eliciens. Probatur min. dupliciter. 1. absolutè. Quia solũ potest esse litigium præsés inter volũtatẽ, & intellectũ: ergo ex quo voluntas excludatur, asseritur, quòd tale principium est intellectus. Consequent. bona est, & anteced. constat ex dictis in tota hac disputat. *Secundò*, & præcipuè probatur min. Quia ibi dicta non solùm excludunt voluntatem, sed probant, quòd intellectus eliciat contemplationem: quia si actus voluntatis non potest esse intuitus veritatis, nec visio; actui intellectus hoc non repugnat: immo eius actus intuentur veritatem, quæ est eorum obiectum proprium; consequenterque actus intellectus est visio: vnde ex ibi dictis probatum manet assertum præsens.

33. Probatur tandem: Theologia mystica est verè scientia: ergo actus Theologiæ mysticæ, qualis est contemplatio; est actus intellectus. Anteced. fusè à nobis probatum est tom. 1. disp. 1. estque apud omnes, vnum, vel alterum si excipias, indubitatum. Consequent. autem inde constat 1. quòd actui scientifico nemo hactenus dedit aliam potentiam proximam, nisi intellectum. *Constat* 2. quia actus ad illam poten-

potentiam ſpectat, quam actuat habitus eius. Sed habitus Theologiæ myſticæ, cuius actus eſt ipſa ſcientia actualis, actuat intellectum, in eoque ſubiectatur: ergo actus Theologiæ myſticæ eſt actus intellectus. Conſequentia legitime infertur ex præmiſsis, quæ omnino certæ ſunt.

34. Confirm. Contemplatio viæ eſt inchoatio contemplationis patriæ: ergo ſpectat ad eamdem potentiam intellectivam. Anteced. eſt certum, conſtatque ex dictis quæſtione præcedenti, vbi cum D. Thom. diximus contemplationem viæ eſſe beatitudinem inchoatam: propterea quæ non ordinatur ad contemplationem patriæ, veluti res ab ipſa diverſa, vtî docet D. Thom. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 4. in corp. per hæc verba: *Vita enim contemplativa non ordinatur ad aliquid aliud in ipſo, in quo eſt, quia vita æterna non eſt niſi quædam conſummatio contemplativæ vitæ; quæ per vitam contemplativam in præſenti quodammodò prælibatur.* Conſequent. autem probatur: Quia actus inchoatus, & conſummatus ad eamdem potẽtiam ſpectare, notum eſt: ergo cùm extra controverſiam notum ſit, contemplationem conſummatam fore actum intellectus; inde pariter aſſerendum eſt, de contemplatione viæ.

§. II. *Solvo obiectiones contra dicta, & quæ aſſertionem impugnant.*

35. PRomiſeuè proponimus ſolvimuſque, quæ aſſertum, & ea, quibus illud communivimus, labefactare videntur, vt ſic quoad fieri poſsit, properemus ad alia. Igitur contra dicta num. 32. ad quod ferè reducitur quidquid dictum eſt, obijcies 1. Quia actus voluntatis Theologiam myſticam exercentis eſt *viſio*: ergo ex quo contemplatio ſit *viſio*, ac *intuitus veritatis*, non eſt vnde repugnet, quòd ſit actus voluntatis: vel ex illo principio ſine fundamento aſſeritur, quòd ſit actus intellectus. Conſequent. quoad vtramque partem nota eſt ex antecedenti, quod probatur 1. ex D. Gregor. homil. 27. in Evang. vbi ait: *Amor ipſe notitia eſt.* Nomen autem *notitia* proprium eſt lineæ ſcientificæ: & hoc nomen, quod ſcientiam ſignificat, tribuitur amori: immo dicitur, quòd eſt ipſe amor. Sicque Myſtæ communiter loquuntur, appellantes actum voluntatis, fervidè Deum amplexantis, notitiam experimentalem Dei.

Probatur 2. idem anteced. ex D. Auguſt. clariùs adhuc loquente; quippe lib. 7. confeſſ. cap. 10. agens de luce inacceſsibili Dei, inquit: *Qui novit veritatem, novit eam: & qui novit eam, novit æternitatem: Charitas novit eam.* Vbi non ſolùm dicitur charitatem terminari ad veritatem; ſed etiam terminari cognoſcendo, ſeu intuendo veritatem: *Novit veritatem, & charitas novit eam.* Huiuſque rationem dedit alibi ipſe Doct. Sanct. dicẽs: *Amor vehemens non poteſt non videre quem amat, quia amor oculus eſt, & amare videre eſt.* Quid clarius?

Reſpondetur neg. anteced. quod illis, adeò perſpicuis probationibus haud ſuadetur. Ad 1. dicimus: Mentem D. Gregor. eſſe, quòd amor ſit *notitia*, hoc eſt experientia de Deo, cui per amorem vnitur anima. Vnde ipſe amor guſtat Deum, in quem myſticè transformat animam: & illa ipſa guſtatio de Deo eſt *notitia*, ſeu experientia de ipſo Deo guſtato. Et hoc ipſum eſt, quod Myſtici ſignificant illa ſua communi phraſi, quam admittimus: ſed contra dicta non eſt.

Niſi mavis dicere: quòd *amor ipſe* cauſaliter *notitia eſt*: quia certè ad guſtum, & experientiam, quam de Deo guſtato habet amor, ſequitur clariſsima cognitio ipſius Dei deguſtati. Secundùm reciprocum fomentum, quod ſibi ipſis intellectus, & voluntas tribuunt in exercitio divinæ contemplationis, prout diximus quæſtione antecedenti num. 25. Quod præter ibi dicta comprobatur clariſsima doctrina D. Thom. opuſc. 61. cap. 2. vbi ait: *Intellectus de ſummo bono intelligit aliquid, aut per*

per alium, & ſic quaſi per auditum: aut per ſe, & ſic quaſi per viſum: ſed plenius apprehendit, cum affectus: : : vel modicè experitur. Audire autem, eſt incipientium: videre proficientium: guſtare perfectorum. Proſequitur Sanct. Doct. toto illo capite, & ſequenti hæc explanans. Quod ad noſtrum intentum facit, conſiſtit in eo, quòd vt mens adhæreat Deo, debet præcedere in ipſa aliqua Dei apprehenſio: quæ in incipientibus fit per *auditum*, hoc eſt quia audierunt, quòd *adhærere Deo bonum eſt*: Ideo hoc bonum in ſe habere deſiderantes ſatagunt adhærere Deo per exercitium piarum cogitationum, & meditationis. In proficientibus datur hæc apprehenſio per viſum: hoc eſt, quia videntes, quòd non fuerunt defraudati à diſsiderio ſuo, dum erant incipientes, ſegregant ſe quantum poſſunt à tumultibus, & intrantes in cubiculum ſuum, clauſo oſtio, orant ad patrem ſuum. In perfectis tamen habetur hæc apprehenſio per guſtum, ſeu ex experientia, quam de Deo guſtato habent, ex qua reſultat, quòd ipſum ſublimiùs contemplentur. Quaſi diſparent, quæ audierunt, & viderunt in conſpectu deliciarum, quas ex vnione experiuntur. Cæterùm ſicut auditio in incipientibus non eſt meditatio, ſed illam cauſat, nec viſio illa in proficientibus eſt contemplatio ſui ſtatus propria, ſed illam promovet: ſic experientia, ſeu guſtus in perfectis non eſt intuitus veritatis, ſed ad illum excitat, & accendit: vnde ab effectu dicitur *notitia, viſio, oculus, & videre.* Per quod patet etiam ad 2. antecedentis probationem.

Declaratur omne hoc clariſsimo exemplo, quo vtitur D. Thom. in verbis immediatè antecedentibus ad ea, quæ modò ſcripſimus. *Vis ergo*, ait, *Deum amare, & concupiſcere? Prius oportet cognoſcere. Igitur ſecundùm Philoſophum delectabile apprehenſum movet apprehenſum, vt delectabile. Summum igitur delectabile oportet præapprehendere cogitando, vt poſſimus diligere appetendo. Apprehendimus autem ſenſibile auditu, viſu, & nonnumquam guſtu. V. g. vinum, quod eſt ſenſibile exterius, alio modo apprehendo audiens narrari de ipſo, vinum illud eſt bonum, magis autem cùm video; quia viſus ſecundùm Ariſtotel. plures rei differentias apprehendit; & ideò certius iudicat de re: magis autem cùm præguſto; tunc enim eſt maxima coniunctio ſenſibilis ad ſenſum.* Vnde habes, ſemper eſſe verum, quòd guſtus de re exteriori, & maximè de re interiori, verſetur inter duos actus intellectus, quorum vnus eſt cauſa, alius verò effectus illius guſtus: atque adeò congruè dicitur talis guſtus *viſio, intuitus &c.* Vel à cauſa, vel ab effectu; quia effectus, & cauſa illius guſtus *viſio, & intuitus* ſunt.

36. Verba modò data D. Thom. viſus nobilitatem ſupra alios ſenſus oſtendentia, mentem excitarunt, vt alia via planiſsima obiectis, & maximè ex Auguſtino, occurreremus. Etenim iuxta expreſſam doctrinam D. Thom. pluribus in locis ſenſus viſus ob ſui perfectionem, & certitudinem obtinuit, vt omnes actus ſenſuum inferiorum viſiones dicantur, & etiam interiores apprehenſiones. *Senſus viſus*, ait Ang. Doct. 1. 2. q. 77. art. 5. ad 3. *Eſt excellentior inter omnes alios ſenſus, & ad plura ſe extendens, vt dicitur in 1. Metaph. & ideò nomen eius transfertur ad omnes alios ſenſus, & etiam ad omnes interiores apprehenſiones, vt Auguſtinus dicit in lib. de Verbis Domini.* Ob quod nomine viſionis ſignificamus actum ipſum guſtus, vt tenet communis loquendi modus, docetque idem D. Thom. ſupr. q. 67. art. 1. in corp. dicens: *Propter dignitatem, & certitudinem huius ſenſus* (viſus) *extenſum eſt hoc nomen, ſecundùm vſum loquentium ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum. Dicimus enim, vide quomodò ſapit &c.* Si ergo actus corporei guſtus dicitur viſio à viſu materiali: videtur non incongruè poſſe intelligi Auguſtinum, dum guſtui ſpirituali, nempe voluntati, attribuit nomen viſionis, juxta hunc modum loquendi: eòque à viſu ſpirituali, ſcilicet intellectu, actum ſpiritualis guſtus viſionem dicimus nominaſſe.

Ob-

37. Obijcies 2. contra dicta num. 33. Potest actus intellectus elici ab habitu residente in voluntate: ergo potest actus voluntatis elici ab habitu residente in intellectu; ergo ex quo Theologia mystica habitualis subiectetur in intellectu, non probatur, actum mysticæ Theologiæ fore actum intellectus. Hæc 2. conseq. constat ex prima, quam paritas suadet. Antecedens autem probatur. Quia oratio mentalis est actus intellectus, vt diximus disputat. 2. q. 3. sed hic actus elicitur à virtute Religionis, quæ residet in voluntate, vt vidimus eadem disputat. q. 4. ergo ab habitu residente in voluntate potest elici actus intellectus.

Respondetur: Actum scientificum elici à suo habitu elicientia omnino propria, & rigorosa: nec contrarium hactenus somniavit aliquis. Ad elicientiam rigorosam indispensabiliter requiritur, quòd virtus elicitiva sit in illa potentia, cuius est actus. Vnde ex quo habitus contemplationis subiectetur in intellectu, debet esse contemplatio ipsius intellectus actus. Contrarium evenit in virtute eliciente actum elicientia minùs rigorosa. Tunc enim potest virtus in vna potentia residens elicere actum alterius potentiæ. Quarè cùm religio hoc lato modo eliciat actum orationis, vt diximus, dicta quæst. 4. num. 139. propterea in voluntate existens elicit actum illum intellectus.

Adde ex ibi dictis, & sit 2. solutio: Quòd illud, quod à voluntate, movente intellectum, derivatur in hanc potentiam, non potest habere rationem virtutis; sed est quædam motio, quæ agit, vt vicaria virtutis illam in intellectum derivantis. Vnde illa motio, & si in intellectu sit, est de linea volitiva, attingitque non verum, sed bonum. Id verò quod ab intellectu movente voluntatem derivatur in ipsum, est virtus propriè talis: atque adeò non iam ad lineam intellectivam spectat, sed ad volitivam, ad bonumque terminatur. Ex quo habetur, quòd habitus residens in voluntate eliciat actum intellectus: quia licèt mediet potentia, ob quod illa elicientia non est omnino rigorosa; non tamen mediat virtus, sed virtuositas dicta, aut motio; eòque datur elicientia propria, licèt minùs rigorosa. Ast habitus residens in intellectu nullatenus elicere potest actum voluntatis; quia hîc non solùm mediat potentia; sed etiam virtus: cum qua mediatione nulla compatitur elicientia: sed imperium. Quæ omnia loco citato explicata sunt.

38. Sed contra, & obijcies. 3. Ergo contemplatio Divina non est actus intellectus. Probatur ista conseq. Contemplatio elicitur à Dono sapientiæ; sed Donum sapientiæ residet in voluntate: ergo. Probatur min. 1. quia D. Augustin. lib. de gratia cap. 18. ait: Quòd *sapientia est charitas Dei*: sed charitas subiectatur in voluntate: ergo & sapientia. Probatur 2. Quia Donum sapientiæ correspondet charitati, sicut Donum intellectus, & scientiæ correspondet fidei: sed hæc duo subiectantur in intellectu, vbi fides residet: ergo sapientia est in voluntate, vbi residet charitas. Probatur 3. Quia sapientia attingit obiectum, vt sapidum: sed hoc pertinet ad gustum spiritualem, qui est voluntas: ergo.

Respond. ex alibi dictis cum D. Thom. 2. 2. q. 45. art. 2. sapientiam residere in intellectu: quamquàm radicem habeat in voluntate, quæ radix est charitas, à qua Augustin. contra adductus sapientiam nomine charitatis denominavit vt explicat. D. Thom. ad 1. ex quo de novo firmantur, quæ num. 35. diximus, vt Augustini authoritates, ibi obiectas, explicaremus. Ex hoc etiam quòd charitas sit causa, radixque sapientiæ, habetur, quòd hæc correspondeat charitati, & respiciat obiectum vt sapidum; radix enim ipsius sapientiæ hoc in illam derivat, iuxta dicta num. præcedenti in fine. Vnde dixit D. Tho. in 3. d. 35. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. *Ad 1. ergo dicendum quòd sapientia saporem importat quantum ad dilectionem præcedentem, non quantum ad cognitionem sequentem, nisi ratione delectationis, quæ ipsam cognitionem in actu exequitur.*

39. Objicies 4. contra ipſum aſſertum: Contemplatio ſecundùm Philoſoph. in 10. Ethic. cap. 8. & 9. eſt actus altiſsimæ potentiæ, habitus nobiliſſimi, & obiecti digniſsimi: ſed ſi divina contemplatio ponatur actus intellectus, hæc non poſſunt verificari de illa: ſiquidem in via per ordinem ad Deum eſt voluntas altiſsima potentia, & non intellectus: inſuper non erit actus charitatis, quæ eſt perfectior, quàm omnes habitus intellectuales; ac tandem non terminabitur ad Deum prout eſt in ſe, ſed prout eſt in intellectu, qualiter non explicat tantam perfectionem: ergo contemplatio non eſt actus intellectus.

Reſpond. neg. min. Ad probationem inſertam dicas: Illum exceſſum voluntatis eſſe ſecundùm quid: ſimpliciter tamen, etiam in via, perfectior eſt intellectus. Cuius ſignum eſt, quòd in patria, etiam in ordine ad Deum, perfectior eſt intellectus. Quod eſſe non poſſet, ſi exceſſus illæ foret ſimpliciter talis, ſeu in natura vtriuſque potentiæ fundatus. *Ad illud* de habitu dic 1. fidem, ſi ſumatur pro eo, cuius eſt vicaria, ſuperare charitatem, qua ſimpliciter perfectius eſt lumen gloriæ. *Secundò dic*: Fidem ex genere eſſe adhuc perfectiorem: Quia omnia, quæ ſunt lineæ intellectivæ, perfectiora ex genere ſunt ijs, quæ ſunt lineæ volitivæ. Et quolibet ex his modis verificatur, quòd ſit habitus nobiliſsimi. *Sed* 3. dic: Contemplationem debere eſſe actum habitus nobiliſsimi ex ijs, qui ad potentiam intellectivam ſpectant. *Ad illud* de obiecto: Reſpondetur; obiectum divinæ contemplationis eſſe Deum, quo nullum aliud æquè perfectum eſt dabile. Quod autem hocce obiectum perfectiori modo attingatur à charitate, vanum pro materia præſenti eſt: cùm ſalvetur obiectum divinæ contemplationis fore perfectiſsimum. Eò vel maximè, quia exceſſus ille in modo attingendi eſt ſolùm pro ſtatu viæ: in patria enim perfectiori modo attingit Deum contemplatio, quàm volitio, ſeu dilectio.

§. III. *Proponitur vltima obiectio caſu celebris.*

40. VLtimo obijcies: Theologia myſtica actualis attingit ſuum obiectum ſub ratione boni, deguſtati, ac delectabilis: ergo non eſt actus intellectus. Anteced. fuſiſsime à nobis probatum eſt diſp. 1. primi tomi q. 5. Vbi diximus, rationem *ſub qua* Theologia myſtica ſuum obiectum attingit, illam eſſe, quæ in antecedenti recenſetur. Et conſequentia probatur 1. Quia ratio *ſub qua* intellectus, & eius habitus tendunt in ſuum obiectum, eſt ratio veri: ergo non eſt ratio boni: alias nulla erit differentia inter intellectum, & voluntatem, & inter habitus intellectivos, & appetitivos.

Crediderim, benevolum lectorem videntem, me huius obiectionis meminiſſe, fundamentum ad hoc habere extemplò ſuſpicaturum. Adeſt quidem, eſtque prorſus ſimile illi, quod religioſam modeſtiam noſtrorum Salmantic. tract. 13. diſp. 5. dub. 7. toto §. 4. movit ad vindicandam, explanandamque doctrinam ab ipſis traditam tract. de voluntat. diſp. 4. num. 36. Ferè omnia, quæ dicto tract. 13. proferunt laudati Theologi poſſem dicere: quia caſus eſt, vt dixi, prorſus ſimilis: præter quàm in hoc, quòd doctrina illa dictorum Patrum fuit ab egregia ſua ſubtilitate in ipſo Theologiæ, & Thomiſtarum theſauro de novo reperta, & quamquàm lucidiſsimis, ſolidiſsimiſque fundamentis decoram, illam ob ſuam gratulandam modeſtiam ſapientum iudicio expoſuere, vt albo, vel nigro lapillo, prout ſibi placuiſſent, conſignarent. Quod verò diximus quæſtione citata, eſt adeò commune inter omnes ſcientiarum candidatos, ſpeciatimque inter Myſtas, vt res miriſsima ſit, quòd aliquis ſapientiæ, vel nupero famulatu, alumnus potuiſſet ibi lapidem offenſionis invenire; poteſt enim quivis aſſerere ſine veritatis diſpendio: doctrinam illam trivijs notam eſſe,

esse, atque tonstrinis. Verùm enim verò, quia, vt monèt dati Theologi, *Non quæstus, sed quæstiones Theologum movere debent, ad rem deveniamus.* A me dicta citata quæstione priùs refricabo. Secundo: Esse omnino ad mentem D. Thom. ostendam. Tertiò: Aliorum Patrum, ac Theologorum calamum in idem conspirasse demonstrabo. Quarto: Aliquot rationes exhibeam. Quinto: Si duxerim, necessarium, obiectioni factæ respondebo.

41. Igitur tom. 1. disp. 1. aliquas quæstiones excitavi explorans, explanansque, vt vt potui, mysticæ Theologiæ quidditatem: respiciens semper ad Theologiam mysticam, qua mystica est, & supponens ea, quæ dicit, vt Theologia est. Integram quæstionem ibi habeo, in qua ostendo, habitum Theologiæ esse infimè vnicũ: & idcirco Theogiam mysticam quà talem idem obiectum formale respicere, ac Theologiam scholasticam. In quo absdubiò ratio formalis *sub qua* vtriusque Theologiæ specificativa eadem supponitur: aliter non haberent idem obiectum *quod* formale: sed ad summum materiale. Hæc, aliaque huc expectantia, ibi dixi; quæ non adeò necessarium repetere modò, duxi.

Itidem quæstionem integram movi; in qua an Theologia mystica, qua talis, scientia sit? Inquisivi. Affirmativè respondi, & inde consectarium deduxi asserens, nè dum esse scientiam, sed sapientiam. Et hoc, quia habitus Theologiæ sciẽtificus est: Et quia Theologia mystica quà talis, non dicit aliquid, quod illam à canone scientiarum eliminet: quin potiùs, quà mystica est, omnes alias scientias, etiam ipsam Theologiam Scholasticam, superat: Non superioritate specifica (hoc enim cum identitate habitus non subsisteret) sed superioritate, qua res eadem sub hoc modo, se ipsam sub alia formalitate excedit. Quæ diximus propter Theologiam mysticam acquisitam, quam diximus, esse eundem habitum cum Scholastica. Si verò de supernaturali, sermo sit. Ibi totum mysticum est, redolens charitatem, & cum anima malevola pugnans. In Theologia autem mystica acquisita, entitativè naturali, hoc non evenit; quia licèt ipsa, quà mystica dispareat in conspectu peccati ob charitatis exilium; habitus tamen manet.

42. Denique exploravi rationem formalem *subqua* mystica Theologia, quà talis, respicit suum obiectum? Et dixi, esse ratione *boni*, aut *ab anima degustati*. Et hæc resolutio est petra scandali, quæ propositæ quæstioni locum dedit: à qua adeò remotus eram, vt in tota illa quæstione. Maximini caliga longiori de tali obiectione mentionem, nequidem levissimam, fecerim. Nunquàm enim in animum meum induxi, posse quempiam doctrinam adeò tritam, & adeò ex adiunctis, quæ modò retulimus, claram, censurare. Affatim enim ex dictis constat, sermonem non esse de ratione *sub qua* speciem conferente; sed de illa, quæ Theologiam mysticam, quà talem, facit differre à Theologia scholastica, vt scholastica. Vnico verbo: sermo fuit, non de ratione *sub qua* habitus; sed expressionis eiusdem habitus.

Si verò fiat vis in eo, quòd dicamus: mysticam Theologiam sub expressione mysticæ esse scientiam: & idcircò sub tali expressione debet dicere rationem *sub qua* propriam habitus scientifici, qualis non est ratio boni. Hoc est omne, quod in sui favorem habet proposita obiectio. Et hoc est, quod admirationem auget: adeò levis est hic scrupulus, adeòque in quæstionibus citatis modus, quo dispellatur, evidens; vt lateat, quo animo obiectio dicta fiat, ipsi suæ vulvæ nocitura. Ast vt promissis stemus, exurgat.

§. IV. *Declaratur, quid circa propositam doctrinam doceat D. Thomas.*

43. Angelic. Doct. 2. 2. q. 180. art. 1. inquirit: *Vtrùm vita contẽplativa nihil habeat in affectu, sed totum in intellectu?* Resolutio est negativa

tiva: Quia videlicet, tametsi essentialiter pertineat contemplatio ad intellectum habet tamen principium, & terminum in affectu: prout in hac, & antecedenti quæstione dictum à nobis est. Contra hanc suam resolutionem ponit D. Thom. hoc argumentum, & est primũ in illo art. *Dicit enim Philosoph. in 2. Metaph. quòd finis contemplationis est veritas: veritas autem pertinet ad intellectum totaliter: ergo videtur, quòd vita contemplativa totaliter in intellectu consistat.* Si hoc argumentum cum facta obiectione contuleris, eandem omnino difficultatem contentam vtrobique comperies.

44. Videamus quid ad illud dixerit S. Thom. *Ad 1. ergo*, ait, *dicendum quòd ex hoc ipso quòd veritas est finis contemplationis, habet rationem boni appetibilis, & amabilis, & delectantis: Et secundùm hoc pertinet ad vim appetitivam.* Vides D. Thom. edocentem, veritatem, prout attactam à contemplatione, habere rationem *boni appetibilis, & amabilis, & delectantis*? In quonam rogo hoc differt ab eo, quod ego tradidi? An nè audebis reponere D. Thomæ, actum intellectus non posse respicere obiectum, nisi vt verum? Si habes aures audiendi, audi: Doct. Ang. non dicere, obiectum contemplationis, habere *rationem boni appetibilis &c.* Quod si diceret, verum diceret: sed maiori adhuc energia vsus non loquitur de obiecto, sed de veritate, quæ finis, aut obiecti *quod* contemplationis ratio formalis est; quæ veritas, inquit, *habet rationem boni appetibilis &c.* Hac ipsa phrasi vtitur multoties in illa quæstione, & alibi. In quo ni vehementer fallor, dicere voluit; contemplatio attingit quidem suum obiectum, sed sub ratione veritatis, nec aliter actus intellectivus procedere valet. Hoc tamen convenit contemplationi sub generali ratione actus intellectivi: vt autem à contemplatione philosophica secernitur, supra illam addit, quòd non attingit, vt illa, veritatem solitariè sumptam, sed veritatem prout induit *rationem boni appetibilis &c.* Vnde in contemplatione Divina verificatur, quòd veritatem cognoscat, in quo convenit cum contemplatione philosophica, & cum alijs actibus intellectus; & simul verificatur, quòd habeat distinctivum ab illis, quod aliud non est; nisi quòd illam ipsam veritatem, quæ est ratio formalis specificativa, attingit vt vestitam ratione *boni appetibilis &c.*

45. Nec hoc credendum à te intendo, vt à me dictum, sed vt à Doct. Angelico edoctum. Ipse enim S. Doct. in 3. d. 35. q. 1. art. 1. inquirit, resolvitque contemplationem non consistere in solo actu intellectus. Contra quod facit idem argumentum, ac præcedens, cui respondet in hunc modum: *Ad 1. igitur dicendum, quòd finis contemplationis, in quantum contemplatio* (nota formalitatum diversitatem, ac proprietatem) *est veritas tantùm; sed secundùm quod contemplatio accipit rationem vitæ, sic induit rationem affectati, & boni, vt dictum est.* Eamdem munerũ diversitatẽ, quam numero præcedenti fecimus, docet modò D. Th. loquutus de contẽplatione, vt cõtẽplatio est, & vt accipit rationem *vitæ*, hoc est, vt mystica est. Illi sub prima consideratione assignat pro fine aut obiecto, veritatem *tantùm*: sub secunda autem formalitate inquit, tale obiectum non esse veritatem *tantùm*, sed veritatem prout *induit rationem affectati, & boni.* Cavens tamen prudentissimè, nè aliquis ea intellectus agilitate gauderet, vt se in alatis verbis contemplationem, sub expressione mysticæ, non esse actum intellectus asseruisse putaret: propterea se remittit ad corpus art. ijs verbis, *vt dictum est*: vbi rem penitùs declarat. Authoritatem tametsi diffusam exscribere placet. Sic enim ait:

Respondeo dicendum ad 1. quæstionem, quòd vita, secundùm quod hic loquimur, consistit in operatione, cui aliquis principaliter mancipatur, cuius ratione omnia, quæ impedire possunt, dimittit; quæ autem adiuvant, quærit, & prosequitur: hoc autem non potest esse nisi per voluntatem, cuius est inter opera humana vnum præ alijs accepta-

re,

re, quidquid ſit illud. Voluntas autem, cùm ſit motor omnium potentiarum animæ, oportet, quod ad obiecta, & actus omnium potentiarum ſe habeat, prout habent rationem boni: quia vnuſquiſque actus debitus cuiuſcumque potentiæ eſt actus eius: & ideò vita contemplativa conſiſtit in actu cognitivæ virtutis præacceptatæ per affectivam. Sed cùm operatio ſit quodammodo media inter operantem, & obiectum, velut perfectio ipſius operantis, & perfecta per obiectum, à quo ſpeciem recipit, ex duplici parte poteſt operatio cognitivæ affectari. Vno modo in quantum eſt perfectio cognoſcentis; & talis affectatio operationis cognitivæ procedit ex amore ſui: & ſic erat affectio in vita contemplativa Philoſophorum. Alio modo in quantum terminatur ad obiectum; & ſic contemplationis deſiderium procedit ex amore obiecti, quia vbi amor, ibi oculus, & Matth. 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum: & ſic habet affectionem vita contemplativa ſanctorum, de qua loquimur: ſed tamen contemplatio eſſentialiter in actu cognitivæ conſiſtit præexigens charitatem ratione prædicta &c.

In hoc teſtimonio habetur quidquid pro præſenti materia deſiderari poteſt. In eo ſiquidem dividitur contemplatio in philoſophicam, & religioſam. Et ipſi ſub expreſsione religioſæ conceditur quidem, quòd veritatem reſpiciat, ſed ſub ratione iam dicta, à qua provenit affectatio ipſius contemplationis. Vnde licèt per illam affectationem non varietur ſpecies contemplationis; quia manet *eſſentialiter in actu cognitivæ conſiſtens*: attamen quia præexigit *charitatem ratione prædicta*; idcirco ab ipſa charitate, quam præexigit derivatur in ipſam contemplationem modus quidam illam in veritatem ſub ratione *boni appetibilis* tendere faciens, ab aliaque contemplatione, ſeu potiùs à ſe ipſa, prout non exprimit præexigere charitatem, diſtinguens. Vnde explorans rationem formalem conſtitutivam Theologiæ myſticæ ſub expreſsione myſticæ, hoc eſt, prout etiam à ſe ipſa, ſub alijs eiuſdem habitus expreſsionibus, differt, de hac ratione debet loqui, quam ex charitate influente habet veritas. Quòd ſi de ſola veritate *tantùm* loqueretur, nihil ageret ad munus Theologi myſtici ſpectans.

46. Quæſtione 2. ſequenti art. 1. quæſtiunc. 3. in corp. loquitur Ang. Doct. de Dono ſapientiæ, quod iuxta omnes Myſtas eſt principium contemplationis, ſeu Theologia myſtica habitualis, de illoque ait: *Sapientiæ donum dilectionem quaſi principium præſupponit, & ſic in affectione eſt: ſed quantum ad eſſentiam in cognitione eſt: vnde ipſius actus videtur eſſe, & hic, & in futuro divina amata contemplari &c.* Et ad 1. inquit: *Quòd ſaporem ſapientia importat, quantum ad dilectionem præcedentem, non quantum ad cognitionem ſequẽtem, niſi ratione delectationis, quæ ipſam cognitionem in actu exequitur.* Si ſapientiæ Donum habet dilectionem pro principio, aliquid debet influere in ipſam ſapientiam. Influit quidem ſaporem illum, de quo in 2. authoritate. Hunc ipſum ſaporem debet ſapientia communicare contemplationis actui: atq; adeò talis actus ſapidus eſt. Et actuī ſapido, prout ſapido, quis poterit denegare, quòd ad obiectū dicens rationē *boni appetibilis* terminetur? Vnde proprium eſt huius actus *& hic, & in futuro divina* (non vt cumque, ſed vt) *amata* contemplari. Si non vt cumque divina, ſed divina *amata* contemplatur: ergo non terminatur ad divina, vt dicunt veritatem *tantùm*, ſed ad divina dicentia veritatem, quæ illa denominet *amata*, atque adeò prout induit rationem *boni appetibilis*.

47. Denique nè in immenſum abeamus: loco citato ex 2. 2. art. 2. ad 1. docet D. Thom. *Quòd vita contemplativa habet motivum ex parte affectus: & ſecundùm hoc dilectio Dei, & proximi requiritur ad vitam contemplativam.* Si dilectio requiritur ad contemplationem, aliquid abs dubio imprimit contemplationi dilectio. Si contemplatio *habet motivum ex parte affectus*,

fectus, hoc motivum aliquid impertitur contemplationi: quod cùm sit de linea volitiva, etiam vt communicatum actui intellectus, manet de linea voluntatis, iuxta dicta num. 37. infrà forsan ampliùs explananda. Consequêterque facit, quòd contemplatio respiciat aliquid, quod attêtis ijs, quæ ad propriam lineam spectant, respicere non valebat; quod non potest esse aliquid aliud, nisi veritas, non *tantùm*, sed vt habet rationem *boni appetibilis &c.*

Ex dictis, innumerisque alijs, quæ omittimus, constat, quæ sit in præsenti controversia D. Thomæ mens, cui fideliter adhæret, qui rationem *sub qua* mystica Theologia sub expressione mysticæ, attingit suum obiectum, esse rationem *boni appetibilis, amabilis, & delectabilis*, adstruit. Quam veritatem, nisi tardus, bardusve sit, negabit nemo.

§. V. *Quid alij sancti, ac Theologi sentiant circa præsentem controversiam expono.*

48. Liceat mihi per vos, sapientiæ candidati, in explicatione rei nulla explanatione indigentis immorari, aliquot testimonia adijciens, quorum irrefragabili luce tenebræ dispellantur. Agmen agat in hoc §. N. Extat. Doct. qui lib. 2. noct. cap. 17. ait: *Contemplatio est scientia amoris, quæ est notitia infusa amorosa, & quæ simul illuminat, causatque amorem in anima, donec de gradu in gradu illam efferat in Deum, creatoremque suum.* Eadem repetit in Cant. illa 22. suæ mysticæ Eglog. & alibi sæpe. Sed dicta nobis offerunt sufficiens fundamentum pro sequenti reflexione.

Contemplatio, secundùm Theodidactum Parentem, *est scientia amoris*: contemplatio hæc, qua actus intellectus, convenit cum omnibus actibus potentiæ intellectivæ, differtque ab omnibus ijs, quæ actus intellectus non sunt. Insuper contemplatio hæc, quà scientia est, convenit cum omnibus scientijs naturalibus, à quibus discriminatur per hoc, quòd sit scientia de Deo. Per hoc tamen quod sit scientia de Deo, convenit cum Theologia scholastica, dogmatica, symbolica, & alijs. Rogo nunc: ab his Theologijs, seu, vt propriè loquar, ab his eiusdem Theologici habitus expressionibus differt mystica Theologia, qua mystica? Non differre, quis asserat? Ergo si differt: differt quidem per hoc, quòd illam in esse mysticæ constituit. Quod nihil aliud est, nisi quòd sit scientia, *quæ simul illuminat, causatque amorem in anima.* Seu, & est idem, per hoc, quòd *contemplatio est scientia amoris.* Si ergo per hoc in esse mysticæ constituitur: ergo hæc est eius ratio formalis: ergo disputans de ratione formali, per quam in esse mysticæ constituitur: non debet assignare rationem per quam constituitur in esse Theologiæ, convenitque cum alijs eiusdem habitus expressionibus; sed illam, per quam ab illis discriminatur: & hæc est, quòd sit *scientia amoris.* Hinc fit consequens, quòd si est *scientia amoris*, non respiciat veritatem *tantùm* (vt suprà docebat D. Thom.) sed veritatem, vt induit rationem *boni appetibilis, & amabilis, & delectantis.* Nè ergo vocibus inusitatis, quibus ob modestiam, parco, dicta à me in tomo 1. tenaciter mordeas: sed horum pondus iustè pondera, & ibi dicta bene esse dicta fatebere. Sin minùs, solve ista, *& eris mihi magnus Apollo.*

49. Melifluus Bernardus diffinies contemplationem lib. de Scala Claustr. ait: *Contemplatio est mentis in Deum suspensa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Ipsa contemplatio, quæ ad Deum elevatur, est quæ *æternæ dulcedinis* gaudia degustat: consequenterque ipsa *æternæ dulcedinis gaudia* attingit contemplatio: quod est idem, ac id, quod suprà dicebat D. Thom. videlicet, contemplationem attingere divina *amata.*

Ipse Doct. Sanct. serm. 85. in Cant. ait: *Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definiat.* Ecce definitur Theologia mysti-

ca,

tica, quæ, vt dictum est, est Donum sapientiæ, de quo ibi sermo est, per hoc quòd sit *sapor boni*. Vbi ly *boni* est differentia; consequenterque ratio formalis Theologiæ mysticæ, quâ mystica est.

50. D. Bonav. qui, vt vidimus num. 29. ponit contemplationem in actu intellectus, in lib. de Donis Spiritus Sancti tract. de Dono sapientiæ cap. 1. definit ipsum sapientiæ donum per hoc, quòd sit. *Contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate, & affectu.* Horum verborum sensus ex præcedentibus patet. Nec vltrà in adducendo Sanctorum Patrum testimonia progredimur, quia

Laturas poma Myricas
Speret, aut è medio flumine mella petat

Qui omnia illa præsumpserit recensere.

51. Paucorum tamen Mysticorum authoritates in medium adducam eamdem veritatem comprobantes. Magistr. Valgornera q. 4. Theologiæ mysticæ disp. 2. art. 11. ita loquitur: *Cognoscunt Deum Theologi scholastici, fateor, cognoscunt, & Mystici, idest contemplatione perfecti: sed non facile dictu est, quantum ista cognitio perfectione, & claritate (quæ tamen fidem non tollit, sed perficit illam) excedit. Cognitio Dei scholastica ad intellectum præcipuè pertinet; cognitio Dei mystica non tam cognoscere, quàm amare quærit, & ad astringendum Deum amoris affectibus se extendit.* Clarissima sunt verba hæc, nec alia indigèt expẽsione, nisi quòd in eis sermo est de ipsa cognitione mystica; ac de ea dicitur, quòd Deum cognoscit; sed non tam intendit hanc Dei cognitionem, quàm ipsius amorem. Si ergo Deum amare quærit: ergo respicit Deum, vt appetibilem.

52. P. Michael Godinez in sua praxi Theologiæ mysticæ in prologo ad lectorem sic fatur: *Theologica mystica, cuius praxim hìc ponimus, differt in multis à Theologia scholastica: hæc est scientia agens de Deo prout est veritas cognoscibilis: Mystica agit de Deo prout est veritas amabilis: Scholastica est perfectio intellectus; Mystica præsupponens perfectionem intellectus est perfectio voluntatis &c.* Posteà verò lib. 1. cap. 1. diffinit Theologiam mysticam conformiter ad hanc doctrinam, & ait: *Theologia mystica est sapientia practica, quæ agit de Deo, prout est bonus, & amabilis.* Theologiam verò scholasticam diffinit per hoc, quòd sit *scientia agens de Deo, prout est verus, & cognoscibilis.* In quo huius authoris doctrina differat ab asserto meo, tenuissimus captus meus non capit.

53. Vltimam Mysticorum sedem proprijs nostris Authoribus reservavimus. Omnes eos simul, & semel adduco: quia illi omnes in eandem veritatem conspirant: vnius tantùm verba refero: Hic est egregius Theologus Author disceptationis Mysticæ, qui tract. 3. q. 3. art. 1. num. 4. sic ait: *Dico 3. ratio sub qua contemplationis divinæ in caligine, seu mysticæ Theologiæ formaliter vt talis, est Deus sub ratione experti, seu gustati ab anima.* Hoc dicit perdoctus hic Theologus: quibus visis nihil ampliùs dico; quia hoc, & non aliud est, quod quæstione citata dico: ob quod quoties horum memoria occurrit, admiratio crescit.

54. Mystas alios non refero. Religioni tamen ducerem, si vnum, vel alterum scolasticum non adducerem. Maximè quia eos scholasticos adducturum promito, qui inter Mysticos ob suæ vitæ puritatem recenseri debeant. Eminet inter scholasticos, ac Mysticos omnes egregius doctrina, & virtute Mag. Ioannes à S. Thom; qui scribens in 1. 2. q. 68. disp. 18. art. 4. num. 4. Hæc ad nostrum intentum dictat: *Restat explicare quomodò cognoscat istas causas, & iudicet Donum sapientiæ?* Bene nota, quòd loquitur de dono sapientiæ, quod, vt multoties dictum est, est principium contemplationis infusæ, & etiam concurrit ad acquisitam, vti constat ex dictis disp. 7. q. 1. num. 28. de hoc ergo Dono loquitur, quærens sub qua formalitate attingat veritates, quas contemplatur, seu, quod est idem, causas altis-

altiſsimas, per quas procedit.

Cui dubitationi reſpondet num. 5. *Dicimus ergo, quòd ratio formalis, qua cognoſcit iſtas cauſas, eſt experimentum quoddam internum, quod habetur de Deo, & rebus divinis in ipſo guſtu, ſeu affectu, & delectatione, ſeu tactu interno voluntatis de iſtis rebus ſpiritualibus. Ex hac enim vnione quaſi connaturalizatur anima ad res divinas, & per guſtum ipſum diſcernit eas à rebus ſenſibilibus, & creatis in hac vita imperfectè, & per viam remotionis: in alia vita perfectè, & per poſitivam evidentiam: indeque movetur ad reddendam cauſam, & rationem eorum, quæ cognoſcere intendit per ſapientiam.* Hæc inſignis iſte Theologus Scholaſtica ſerietate, ac proprietate diſputans. Roborat hanc ſuam, communemque doctrinam clariſsimis D. Thom. authoritatibus, illamque per plures §. §. proſequitur; iam vt Doni ſapientiæ diſtinctivum ab alijs oſtendat; iam vt argumenta diſſolvat.

55. Celebre noſtrum Salmantic. Colleg. tract. 12 in arbore prædicam. num. 23. inquit: *Per cauſas altiſſimas dupliciter contingit iudicare: vel ratiocinando ex principijs aquiſitis, aut illuſtratis in intellectu: & hoc ſpectat ad ſapientiam acquiſitam, quæ eſt noſtra Theologia, & eſt virtus intellectualis. Vel ſine diſcurſu, & ratiocinio ex quadam vnione, & connaturalitate ad Deum, quam facit Divina charitas, & ex guſtu, ſeu ſapore, qui ex amore percipitur ſecundùm illud Pſalmi 33. Guſtate, & videte: Vbi viſus, & cognitio oritur ex guſtu, & ſapore. Vnde Dionyſ. 2. de Divin. nominib. ait de Hierot. quòd erat perfectus in Divinis, non vt addiſcens, ſed vt patiens. Qui ſanè eſt altior modus cognoſcendi, & iudicandi, dum affectus, & amor faciunt veriſsimas, & pulcherrimas apparere proprietates, & perfectiones obiecti amati. Sic ergo iudicare de divinis per cauſam altiſſimam ſpectat ad Donum ſapientiæ. Obidque diximus fundari, & radicari in charitate: de quo tota q. 45. eius actus ponitur contemplari &c.*

Quo nihil elegantius, propriuſvè pro materia præſenti dici potuit. Ex hac enim authoritate habemus, non ſolùm, quòd doctrina à me tradita eſt Salmanticenſium doctrina: ſed etiam habetur modus, quo rudes percipere valeant, quomodo actus intellectus, qualis eſt contemplatio, poſsit attingere proprium obiectum ſub ratione boni appetibilis. Etenim contemplatio, quæ Theologia myſtica eſt, non terminatur ad Deum, vt præciſè fide cognitum; ſed ad ipſum, vt à voluntate amatum, ac deguſtatum: ſecundùm illud *guſtavit, & vidit*: & illud *guſtate, & videte*. Hoc *videte*, quod cauſatur ab illo *guſtate* eſt cõtemplatio, quæ dicitur Theologia myſtica. Illud enim contemplationis obiectum eſt vtique veriſsimum, amabiliſsimum, pulcherrimum: hoc enim, media fide cognoſcimus, ſed non experimur. Accedit experientia voluntatis, quæ vnita media fervidiſsima charitate, illi ſuperno obiecto experitur ipſius ſuaviſsimas delicias. Et ex hac experientia reſultat, quòd *affectus, & amor faciunt veriſsimas, & pulcherrimas apparere proprietates, & perfectiones obiecti amati*. Et ad illud, quatenus ſic veriſsimum, amabiliſsimum, & pulcherrimum apparet, terminatur contemplatio; non aliter ad illud hæc contemplatio, quæ eſt Theologia myſtica, terminanda, niſi prout dicto modo apparet. Et propter hoc dicitur, quòd ratio *ſub qua* hæc contemplatio terminatur ad obiectum, eſt id, quod illud facit apparere pulchrius, verius, amabilius. In quo nec Momus, quid mordere valeret, inveniret.

Rem clariſsimam exemplo magis illuſtro: Viſus materialis obiectum eſt coloratum. Si lux non adeſt, videri non poteſt: ergo lux eſt ratio formalis &c. Rurſus: adeſt lux, ſed tremula quidem. Tunc videtur obiectum; ſed tremulè ac ſuboſcurè. Demum; adeſt clariſsima lux, qua media, terminatur viſus ad illud obiectum, non iam vt viſibile, ſicut priùs, ſed vt viſibilius, vt lucidius, vt formoſius. Rogo: quod obiectum appareat formoſius, debetur luci? Neutiquam: priùs enim

enim erat lux, & obiectum non adeò formosum apparebat. Debetur hæc maior formositas, sub qua obiectum apparet, maiori illi luci, seu lucis illius maioritati: quæ sicut est causa, ob quam obiectum appareat lucidius; ita etiam est ratio sub qua perfectior illa visio terminatur ad obiectum, vt sic pulchrius, ac visibilius apparens. Pariformiter in nostro casu. Adest D. Opt. Max. illum fide cognoscimus: sed obscurè, & innixi dicentis testimonio. Accedit vnio animæ ad hoc obiectum, media gratia sanctificante, & charitate: crescit perfectionis exercitio vnio hæc, vsque dum in hac vnione experitur anima, quàm suavis est Deus. Hoc experimento apparet Deus pulchrior: & ad ipsum: vt sic pulchrior apparet, terminatur contemplatio, quæ dicitur Theologia mystica. Huius contemplationis, prout ad hoc obiectum, quatenus pulchrius apparet, terminatur ratio, *sub qua* inquiritur? Ad quod respondetur: Id esse rationem *sub qua* quod facit obiectum illa maiori pulchritudine, ac visibiliori veritate apparere. Et quid est hoc? Iam Patres Salmantic. dixere: *Affectus, & amor faciunt verissimas, & pulcherrimas apparere proprietates, & perfectiones obiecti amati.* Vnde ille affectus, ille amor, sapor ille, illud experimentum est ratio *sub qua* illius contemplationis. Quod est idem, ac illud, quod suprà audivimus à D. Thom. videlicet, hanc contemplationem terminari ad divina *amata*, non ad veritatem tantùm: per quod patet, quòd cæcutit in luce meridiana, qui intelligit, talem contemplationem non terminari ad veritatem: terminatur quidem: sed terminatur ad illam, vt apparet visibilior, ac pulchrior. Et qui aliter sentiat, naviget Antyciras. *Per quæ*, si quæ forent, magni momenti obiectiones solverentur, quantò magis illa, quæ posita est num. 40. casu celebris, pro cuius enodatione dicta sufficiant.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrùm Divina contemplatio sit actus intellectus speculativi, aut practici?

PRæsentis controversiæ resolutio non parum conducit ad perfectiorem intelligentiam eorum, quæ in quæstionibus præcedentibus dicta sunt. Quamobrem rationi consentaneum visum est, illam non ommittere: sed quid in hac parte tenendum sit, brevissimè tamen, aperire.

§. I. *Non nulla circa intellectum speculativum, practicumque præmitto, & statuo bimembrem conclusionem.*

56. INtellectum speculativum, & practicum non esse duas potentias in præsenti supponit debet tamquam omnino certum: quam veritatem ratio Div. Thom. 1. p. q. 79. art. 11. convincit. Quippe; vt constat ex tertio de anima, intellectus speculativus extensione fit practicus: sed per sui extensionem intellectus speculativus non mutatur in aliam potentiam: ergo intellectus speculativus, practicusque sūt prorsus eadem potentia.

Similiter: Intellectus practicus, ac speculativus differunt solummodo ex parte finis, quatenus scilicet finis intellectus speculativi est veritatis contemplatio; finis autem intellectus practici, est opus exterius. Vnde à veritate contemplata dicitur intellectus speculativus, & ab opere exteriori dicitur practicus. Modò verò: cuicumque per intellectum cognito accidit, quòd ordinetur ad opus, vel non ordinetur; ergo si differentia inter intellectum

ſpeculativum, & practicum provenit à fine, & huic accidit ordinari, vel non ordinari ad opus; conſequens fit, quòd iſti fines ſolùm accidentaliter differentes, non poſsint refundere in intellectum niſi diverſitatem accidendentalem. Videatur Ang. Doct. art. citato, & etiam q. 3. de verit. art. 3.

57. Quia vero hoc, eſt ordinari ad opus, non bene ab omnibus intelligitur, placet quid circa hoc ſenſerit Div. Thom. referre. Ex his enim non modicam lucem accipiunt, quæ in hac diſputat. dicta ſunt: & etiam illa, quæ ſuprà diximus de vita contemplativa, & activa. Itaque Ang. Doct. q. 19. de veritate art. 4. agens de ſubiecto fidei refert opinionem aliquorum dicẽtium, *quòd fides eſt in intellectu, ſed practico: quia practicum intellectum, dicunt, eſſe, ad quem inclinat affectio, vel quem affectio ſequitur, vel qui ad opus inclinat, quæ tria inveniuntur in fide; nam ex affectione quis inclinatur ad fidem. Credimus enim, quod volumus. Ipſa etiam affectio fidem ſequitur, ſecundùm quod actus fidei generat quodammodò charitatis actum, ipſa etiam ad opus dirigit: nam fides per dilectionem operatur*, Galat. 5.

Relata ergo horum opinione, ait Doct. Sanct. *Sed hi non videntur intelligere, quid ſit intellectus practicus. Intellectus enim practicus idem eſt, quod intellectus operativus: vnde ſola extenſio ad opus facit aliquem intellectum eſſe practicum. Relatio autem ad affectionem, vel antecedentem; vel conſequentem non trahit ipſum extra genus ſpeculativi intellectus. Niſi enim aliquis ad ipſam ſpeculationem veritatis afficeretur, nunquam in actu intellectus ſpeculativi eſſet delectatio, quod eſt contra Philoſoph. in* 10. *Ethicor. qui ponit puriſſimam delectationem eſſe in actu intellectus ſpeculativi: nec quælibet relatio ad opus facit intellectum eſſe practicum: quia ſimplex ſpeculatio poteſt alicui eſſe remota occaſio aliquid operandi, ſicut Philoſophus ſpeculatur, animam eſſe immortalem, & exinde, ſicut à cauſa remota, ſumere poteſt occaſionem aliquid operandi. Sed intellectum practicum oportet eſſe proximam regulam operis, vt potè quo conſideretur ipſum operabile, & rationes operandi, & cauſæ eorum. Conſtat autem, quòd obiectum fidei non eſt verum operabile, ſed verum increatum, in quod non poteſt niſi actus intellectus ſpeculativi: vnde fides eſt in intellectu ſpeculativo, quamvis ſit, vt occaſio remota aliquid operandi: vnde ſibi non attribuitur operatio, niſi mediante dilectione.*

Hæc omnia vltroneus exſcripſi; quia ex ijs ſanè intellectis, intelligenda veniunt, plura, quæ circa vitam contemplativam, & activam dicta relinquimus, & aliqua, quæ in duabus quæſtionibus præcedẽtibus dicta ſunt. Inſimulque quæ in præſenti quæſtione dicẽda ſunt. Quibus ſuppoſitis, ad quæſiti reſolutionem accedentes

58. Sit noſtra concluſio. *Contẽplatio divina eſt eſſentialiter, & principaliter actus intellectus ſpeculativi; ſecundariò tamen pertinet ad intellectum practicum.* Aſſertio hæc eſt D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. & opuſc. 3. cap. 264. & 1. Ethic. lect. 10. & 1. 2. q. 3. art. 5. vbi in fine corp. ait: *Beatitudo autem imperfecta, qualis hic haberi poteſt; primò quidem, & principaliter conſiſtit in contemplatione: ſecundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actiones, & paſſiones humanas, vt dicitur in* 10. *Ethic.* Vbi clarè docet Doct. Sanct. quod beatitudo huius vitæ ſit ipſius vitæ contemplatio, quod iam diximus à num. 22. Vnde cum locis citatis aſſerat D. Thom. beatitudinem conſiſtere primariò in actu intellectus ſpeculativi; ad ipſum etiam docet contemplationem principaliter ſpectare: licèt ſecundariò, & minùs principaliter pertineat ad actum intellectus practici, quod ex dicẽdis notum fiet. Conſequenterque tantummodò prima aſſerti pars à nobis probanda eſt.

59. Probatur ergo ſic ratione D. Thom. loco citato ex 1. 2. Etenim contemplatio eſt operatio perfectior inter omnes operationes hominis: ergo eſt operatio intellectus ſpeculativi. Antece-

ced. inde patet quòd beatitudo eſt perfectior operatio inter omnes operationes hominis. Vnde cùm contemplatio huius viæ ſit beatitudo hominis viatoris, planè ſequitur, ipſam eſſe operationem perfectiorem. Hincque probatur conſequentia. Quia operatio perfectior eſt actus potentiæ nobilioris; ſed intellectus ſpeculativus perfectior eſt quàm practicus: ergo eſt actus intellectus ſpeculativi. Prob. min. Quia obiectum intellectus ſpeculativi eſt Deus; qui tamen eſſe non poteſt obiectum intellectus practici; cùm hic ſolùm ad operabile ordinetur, propter quod dixit D. Thom. num 57. relatus, quòd in verum increatum *non poteſt, niſi actus intellectus* ſpeculativi: ergo cùm illa potentia perfectior ſit, quæ nobilius obiectum habet; fit conſequens, quod intellectus ſpeculativus ſit practico perfectior.

60. Confirmatur hæc ratio: Contemplatio eſt actus potentiæ reſpicientis vltimum finem: ſed intellectus, non practicus, ſed ſpeculativus reſpicit vltimum finem: ergo non intellectus practici, ſed ſpeculativi actus eſt contemplatio. Conſeq. bona eſt. Et mai. ex dictis patet: Quia cùm contemplatio ſit beatitudo formalis, eſt ex natura ſua aſſecutiva beatitudinis obiectivæ, quæ eſt vltimus finis, in cuius aſſecutione ſtat omnis beatitudo, vel naturalis, ſi aſſecutio fuerit vltimi finis naturalis; vel imperfecta, ſi aſſecutio fuerit imperfecta: vel tandem perfecta, & conſummata; ſi aſſecutio fuerit perfecta, & conſummata. Quomodocumque hoc ſit; ſemper tamen verum eſt, quòd contemplatio eſt actus potentiæ reſpicientis vltimum finem, quem perfectè, vel imperfectè aſſequatur. Min. autem pro vtraque parte eſt expreſſa D. Thom. loco citato ex ſentent. vbi ait: *Secundùm hoc beatitudo hominis in actu intellectus conſtituitur, quod per ipſum eſt prima coniunctio hominis ad ſuum vltimum finem exteriorem, cui intellectus coniungitur in quantum cognoſcit ipſum: illud autem, quod eſt cognitum per intellectum practicum, non poteſt eſſe vltimus finis exterior; quia cognitio intellectus practici ordinatur ad cognitum ſicut cauſa ad effectum: effectus autem alicuius non poteſt eſſe vltimus eius finis; quia perfectio cauſæ non pendet ab effectu, ſed è converſo: & ideò impoſſibile eſt, quòd beatitudo in actu intellectus practici conſiſtat; ſed ſolùm in actu intellectus ſpeculativi: Et inde eſt, quòd omnis cognitio practica eſt propter aliquod aliud appetibile, ſed cognitio ſpeculativa magis appetitur propter ſe ipſam.* Conſtat ergo ex hoc D. Tho. teſtimonio, cognitum ab intellectu ſpeculativo, nempe Deum, eſſe vltimum eius finem: quod verificari non poteſt de cognito ab intellectu practico, quod, quia eſt ipſius intellectus practici effectus, eius vltimus finis eſſe non poteſt; alias perfectio cauſæ ab effectu dependeret, quod non eſt dicendum.

61. Vltima verba authoritatis alatæ nobis conferunt motivum, quo doctrina tradita roboretur in hunc modum. Operatio intellectus ſpeculativi eſt appetibilis propter ſe, & operatio intellectus practici eſt appetibilis propter aliud: ſed contemplatio eſt appetibilis propter ſe: ergo non eſt actus intellectus practici, ſed ſpeculativi. Mai. continetur in data authoritate, & min probatur, Tum quia contemplatio eſt honeſta, ac delectabilis, vtî fuſè probavimus diſp. 9. Tum quia, vt dictum eſt, eſt hominis beatitudo, de cuius ratione eſt, quòd propter ſe ipſam appetatur, ſitque omnium aliorum finis.

62. Contra rationem num. 59. poſitam, ac ſubindè contra ea, quæ in eius confirmationem dicta ſunt, dices: Ex ea ratione inferri contemplationem eſſe actum intellectus practici non ſecundariò, & minùs principaliter, ſed principaliter; quia intellectus practicus nobilior eſt ſpeculativo: ergo ſi contemplatio eſt actus intellectus nobilioris infertur &c. Probatur Anteced. Intellectus practicus legem ponit intellectui ſpeculativo; ſiquidem vt dicitur 1. Ethic. prudentia Legislatoris ordinat qualiter addiſcendæ ſint ipſæ ſcientiæ ſpeculativæ: ergo cum, qui legem ali-

cui

cui ponit, sit illo nobilior, habetur quòd intellectus practicus sit nobilior speculativo.

Respond. ex Div. Thom. loco citato ad 4. Intellectum speculativum esse simpliciter nobiliorem practico; cùm ille sit propter se ipsum, hic autem propter opus. Nec intellectus practicus legem ponit speculativo: sed ordinat qualiter volens addiscere scientias speculativas, se gerere debeat in earum acquisitione, quod non est legem ponere intellectui speculativo, sed illam in eius obsequium alijs imponere: quod, vt patet, non est illum in perfectione excedere; sed ipsi, vt nobiliori, famulari. Vide similem doctrinam disput. 10. num. 71.

§. II. *Argumentis respondetur.*

63. CONtra conclusionem argues 1. Contemplatio est actus illius potentiæ, per quam magis Deo assimilamur; sed per intellectum practicum magis assimilamur Deo, quàm per speculativum: ergo contemplatio actus practici intellectus. Maior est certa: Quia contemplatio, cùm sit actus perfectior, debet esse actus illius potentiæ, quæ magis assimilatur origini omnis perfectionis; in assimilatione enim ad talem originem consistit nostra perfectio. Min. autem probatur. Quia intellectus speculativus accipit à rebus, quod non habet practicus; quin potiùs est ipsarum causa; quod habet intellectus divinus: ergo tenet minor.

Respond. Intellectum practicum assimilari Deo assimilatione proportionalitatis, quatenus se habet ad suum cognitum, sicut Deus ad suum: at intellectus speculativus assimilatur Deo per intimam vnionem, quam cum ipso habet: quæ est maior, perfectiorque assimilatio. Vnde contemplatio est principaliter actus intellectus speculativi, licèt minùs principaliter ad practicum spectare, non negemus. *Adde* ex citato art. 5. ad 1. quod, vt ait D. Thom. *dici potest, quòd respectu principalis cogniti, quod est sua essentia, non habet Deus practicam cognitionem, sed speculativam tantùm.* Vnde intellectus practicus nullatenus assimilatur Dei intellectui, considerato relatè ad suum principale cognitum. *Plura alia* argumenta, quæ desumi possunt ex eo, quòd beatitudo dicatur actus intellectus practici, videri possunt apud D. Thom. locis citatis. Dum ad alia transimus.

64. Arg. 2. Contemplatio est oratio quædam contenta, vt pars subiectiva sub genere orationis: sed oratio est actus intellectus practici: ergo & contemplatio. Mai. certa videtur; Quia oratio dividitur in orationem discursus, & contemplationis, quæ eo ipso superior est ad quodvis ex his dividentibus. Min. autem est expressa D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1. vbi, vt asserat, orationem non esse actum intellectus speculativi, inquit: *Ad 3. dicendum, quòd illi tres actus pertinent ad rationem speculativam: sed vlterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperij, vel per modum petitionis, vt dictum est.* Vbi clarè docet, orationem non esse apprehensionem, judicium, aut discursum, qui sunt actus intellectus speculativi; sed esse actum imperij deprecativi, quod imperium ad intellectum practicum spectare, nullus Thomistarum dubitat.

Hoc argumentum difficultate non caret: sed quam superare conabimur, si advertamus id, quod disp. 2. q. 1. & 2. multoties diximus, videlicet, orationē posse sumi, vel prout est elevatio mentis in Deum: vel prout est petitio quædam. *Secundò* meminisse oportet eorum, quæ disp. 10. diximus, agentes de vita activa, & contemplativa: nempe quòd vita, prout ibi de illa loquebamur, & modò ad nostram considerationem spectat, significat illud studium, cui principaliter incumbimus: vnde si hoc studium fuerit contemplatio veritatis propter se ipsam, erit vita cōtemplativa: si verò studium illud dirigatur ad opus exterius, erit vita activa. Quocirca vita, prout ad nos attinet, abstrahit à contemplativa, & activa, in easque adæquatè dividi-

tur

tur: quæ ex dictis loco citato nota sunt. Sicut etiam; quod meditatio pertinet ad vitam activam, si secundùm se sumatur; si autem consideretur, quatenus media illa proportionatur anima ad contemplationem, tunc ex fine ad vitam contemplativam spectat. Ex his ergo

Respond. argumento disting. maior. quæ vera est, si loquatur de oratione absolutè, vel prout est elevatio mentis in Deum: seu vita abstrahens ab activa, contemplativaque. Sic enim contemplatio est species subiectiva orationis, sicut & vitæ. Aut si loquatur de oratione, prout petitio est, falsa est illa maior; sic enim sumpta oratio, non solùm non est superior ad contemplationem: quin potiùs ipsa oratio sic accepta, est pars contemplationis, vt tenet Hugo de Sanct. Vict. relatus à D. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. art. 1. quæstiunc. 2. in 1. argum. Est enim contemplatio divina vnum, idque præcipuũ inter ea, quæ per orationẽ, vt petitio est, à Deo petimus: iuxta illud: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam &c.* & illud: *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ.* Et illud: *Si quis indiget sapientia postulet à Deo.* Deinde ad minorem dicatur: Orationem, primo modo sumptam, non esse determinatè actum intellectus practici: præscindit enim, & est actus intellectus practici, quando est studium vitæ activæ, quale esse meditationem disputat. citata diximus: cùm autem est studium vitæ contemplativæ, est actus intellectus speculativi principaliter, & secundariò est actus practici intellectus. Si autem oratio sumatur 2. modo ad intellectum practicum spectat: sed tunc ipsa oratio est pars contemplationis, vt dictum est.

Ad probation. min. admittimus D. Thom. authoritatem: quia Sanct. Doct. ibi loquitur de oratione, vt petitio est, vt eius verba clarè ostendunt, dixeratque in corp. art. per hæc verba: *Nunc loquimur de oratione prout significat quamdam deprecationem, vel petitionem, secundùm quod Augustin. dicit in lib. de Verb. Dom. quod oratio petitio quædam est. Et Damasc. dicit in 3. lib. quod oratio est petitio decentium à Deo.* Et prout sic fatemur ad intellectum practicum spectare. Clariùs adhuc loquitur Sanct. Doct loco citato ex sententi. vbi explicans Damasc. definientem orationem per hoc, quod sit *ascensus intellectus in Deum* ait: *Ad 2. ascendum, quod ascensus intellectus in Deum est duplex. Vnus, quo ascendit in ipsum cognoscendum, & talis ascensus pertinet ad bonum intellectus: sed de hoc non loquitur Damasc. Alius est ascensus in Deum, vt in quo auxilium quærit, vt in Psalm. 122. dicitur: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis, & talis ascensus est oratio*, vtique vt petitio. Vide duplicem ascensum in Deum, quorum secundus est petitio; atque adeo actus intellectus practici. Primus autem est contemplatio in quo nihil petitionis, aut imperij deprecativi reperitur. Tendit enim in Deum, vt ipsum cognoscat, contempleturque.

65. Sed contra, & arg. 3. Actus intellectus speculativi sunt simplex apprehẽsio, iudicium, & discursus: contemplatio ad nullum ex his pertinet: ergo non est actus intellectus speculativi. Conseq. bene infertur Mai. est omnium Doct. calculo certa, & minor probatur simul quoad omnes suas partes: Etenim contemplatio est actus inter omnes intellectuales perfectissimus, vt constat ex hactenus dictis, ex quibus etiam habetur, esse quietum, pacificum, ac simplicem intuitum veritatis: sed simplex apprehensio est actus imperfectissimus, & iudicium est minùs perfectum quàm discursus; cùm ad illum, vt ad finem ordinetur: ac denique discursus non est quietus, pacificus, & simplex intuitus, sed potiùs inquietus & tumultuosus: ergo ad nullam ex his operationibus pertinet contemplatio.

Præsens argumentum tam ex se, quam ex ijs, quæ ex præcedenti imbibit, petit solutionem valde seriam, quæ dari non valet sine plurium quæstionum discussione.

QVÆS-

QUÆSTIO QUINTA.

Vtrùm contemplatio ſpectet ad primam operationem intellectus ſpeculativi?

LAtiſsimus campus ſe ſe offerebat, ni falcem paratam haberem, vt plurima, eaque ſubtilia, quæ Dialectici, & Metaphyſici diſputant, agentes de actibus intellectus, reſecarem. Ea tamen ex illis mutuabo, quæ hanc gravem difficultatem, ieiunè à paucis Myſticis tactam, & ab alijs, & ab alijs penitus omiſſam, aperiam.

§. I. *Ponuntur aliqua fundamenta pro hoc, & ſequentibus quæſitis.*

66. MEmento illius veritatis, quam à primo ſcientifico ingreſſu didiciſti; videlicet, triplicem eſſe operationem intellectus ſpeculativi. (de operationibus autem intellectus pratici, nihil modò: Tum, quia iam de illis egimus in noſtra Iſagoge lib. 1. Tum & præcipuè; quia ex præcedenti quæſtione conſtat, contemplationem eſſe actum intellectus ſpeculativi: vnde de illis ſolùm agere debemus.) Prima illarum operationum eſt ſimplex apprehenſio, qua res cognoſcitur, nihil de ea affirmando, vel negando. Secunda eſt iudicium: quo de ipſa re iam apprehenſa, aliquid enuntiatur, vel affirmando, ſi ſit rei apprehenſæ conveniēs; vel negando, ſi illi ſit extraneum, vel repugnans. Tertia eſt diſcurſus, per quem propter identitatem, vel repugnantiam extremitatum cum medio in præmiſsis vnum ex alio deducimus. Et hanc diviſionem intellectus ſpeculativi operationum continere omnes, & ſolas operationes talis intellectus; ita vt nulla deſit, aut redundet, concors eſt Doctorum ſententia, de quo videndus eſt Bergom. in tabula aurea dub. 43. vbi aliquot obiectiones, quæ ex doctrina Ariſtot. & D. Thom. fieri poterant contra præfatam diviſionem, ex mente ipſius Angelici Præceptoris diſſipat.

67. Vnum autem, quod omiſit, non præteream. Videlicet D. Thom. 1. perih. lib. 6. in princip. meminiſſe cuiuſdam actus, quo formamus perfectas orationes, ſed quæ dubitativæ ſunt, vel interrogativæ. Hic enim actus non eſt diſcurſus, vt patet: nec eſt ſimplex apprehenſio; ſiquidem eſt compoſitivus, quod ſimplici apprehenſioni repugnat. Nec tandem eſt iudicium; quia nihil affirmat, vel negat. Ex alia parte videtur iudicium, quia eſt verè propoſitio. Et etiam videtur ſimplex apprehenſio, quia de illis extremis, quæ conſiderat, nihil affirmat, vel negat, ſed dubius hæret.

Ad hoc reſpondent aliqui, dictum actum ſpectare ad lineam operationum practicarum, in qua plures alios actus dari falſi ſumus. *Sed melius* dicas: Actum illum eſſe iudicij: quia ex quo intellectus dubitet, an prædicatum conveniat; vel repugnet ſubiecto, iam aliquod iudicium efformat, anceps tamen de illa convenientia, vel repugnantia: ſi namque dubius non eſſet, non exploraret; ſed certò affirmaret, negaretvè. Vnde ſicut ad diſcurſum pertinent non ſolùm demonſtratio, ſed etiam ſyllogiſmus topicus, & ſophiſticus; ſic ad iudicium pertinent illi actus. Videatur Mag. Martin. de Prado in ſua metaph. controv. 12. art. 6.

68. Secundò ſcias, has dictas operationes deſervire, vt intellectus veritatem attingat, medio illo motu intellectuali diſcreto, qui dicitur ſyllogiſmus: in cuius præmiſsis cognoſcit quid-

dita-

ditatem, & per illam vt magis notam, venit in cognitionem ignoti; nempe veritatis, quam medio eo discursu acquirit. Per illud enim celebre artificium venit intellectus in notitiam illius, quod medio convenit, vel repugnat, propter repugnantiam, vel convenientiam, quam ipsum medium cum extremitatibus habere in præmissis cognovit.

69. Tertio scias: per hæc, quæ diximus, non finiri hunc motum intellectualem: est quippe motus iste circularis; idcirco tendit ab eodem in idem. Vnde idemmet intellectus, qui egressus fuit ab antecedenti in consequens; vt veritatem inveniret: inventa iam veritate, præ gaudio illius vadit, & regreditur à consequenti in antecedens; vt illam in ipsis principijs, ex quibus deducta fuit, contempletur. Mirè hæc docet Sanct. Thom. de verit. q. 15. art. 1. vbi inter alia ait: *Nec rationis discursus ad aliquid certum perveniret, nisi fieret examinatio eius, quod per discursum invenitur ad principia prima, in quæ resolvit; vt sic intellectus inveniatur rationis principium, quantum ad viam inveniendi, terminus verò quantum ad viam iudicandi.*

In quibus verbis plura observanda occurrunt. Primum est, quòd numquam intellectus in veritatis certam cognitionem perveniret, nisi veritatem deductam ex principijs, ad ipsa rediens, in illis examinaret. Et hæc est perfecta, ac scientifica veritatis cognitio. Vnde sicut ipsa principia priùs cognoverat intellectus, antequam ad discursum perveniret: sed illa cognitio non fuit principiorum sub formalitate talium, sed absolutè sumptorum: postea verò in illa rediens cognoscit, quatenus præcontinent veritatem deductam, illiusque causæ sunt. Ita veritatem deductam cognoscit quidem, dum deducit; sed imperfectè; nec posset de illa scientificè iudicare, nisi ad principia regrederetur, & in eis tamquàm in causa illam veritatem cognosceret. Quæ cognitio perfecta, & scientifica est: quippe cognoscit causam nõ solùm quoad entitatem, sicut priùs; verùm etiam secundùm virtutem causativam, ac præcontentivam illius veritatis, quam etiam hoc regressu cognoscit, vt effectum deductum, ac præcontentum in visceribus illius causæ: tunc enim verificatur dictum Aristot. lib. 1. post. cap. 2. *Scire autem putamus vnamquamque rem simpliciter, & non sophistico modo: cùm putamus causam cognoscere, propter quam res est, eius rei causam esse, neque posse eam aliter se habere.*

70. Secundum, quòd in data authoritate observandum occurrit, est, quòd illa cognitio, qua veritas prout in principio cognoscitur, appellatur à D. Thom. iudicium ijs verbis: *Terminus verò quantum ad viam iudicandi.* Ex quo scire debes 3. Iudicium esse duplex. Vnum affirmationis, & negationis: & est illud, quod de subiecto affirmat conveniens, & negat repugnans: quod dici solet iudicium inquisitivum; quia, eo medio, veritas inquiritur. Et nomine omnia dicta munera ambiente, dicitur iudicium enuntiativum: siquidem enuntiat prædicatum convenire subiecto, vel ipsi repugnare: & hac affirmatione, vel negatione, quem enuntiat, veritatem inquirit. Secundum est iudicium resolutionis, quo intellectus veritatem, iam per discursum inventam, in principijs, ad quæ, vt dictum est, regreditur, contemplatur.

71. Et nunc ipsa, quam prosequebamur, ennarratio nos constituit in campo, vbi inter Dialecticos, & Metaphysicos pugna viget, nullo vnquam fœdere terminanda. Motivum est: An hoc iudicium resolutivum spectet ad 2. an ad 3. operationem intellectus? De quo inter alios videri possunt Mag. Parra, & Froilan. in suis disputatis. Nobis autem hoc bellum inquietare non valet, qui, ad quam operationem intellectus contemplatio pertineat, exploramus. Vnde quod iudicium resolutivum sit 2. vel 3. operatio nihil obest. Vltra quam, quod nostri Complutens. nobis legem in hac parte dedere, dicentes in sua Logica disp. 17. q. 1.

num. 18. discursum non esse operationem entitativè diversam à iudicio: sed idem actus, qui, vt cognoscit vnionem prædicati cum subiecto, dicitur iudicium: quatenus assentitur eidem vnioni prædicati cum subiecto non absolutè, sed propter vnionem cum medio cognitam in præmissis, dicitur discursus. Vnde cum vel ij authores, qui tenent, iudicium resolutivum spectare ad 3. operationem, fateantur, & bene, non spectare ad ipsam sub formalitate, discursus, seu vnum ex alio inferente; sed sub alia formalitate: inde habetur, quòd si iudicium resolutivum est formalitas diversa à formalitate discursus: cùm hic solùm sit formalitas, vel munus; non potest ad ipsum pertinere: vnde debet sub secunda operatione collocari.

Et sane plures authoritates, quas ex Div. Thom. accumulant contrarij Authores ad probandum iudicium resolutivum ad tertiam operationem spectare, nullatenus persuadent, Sanct. Doct. in ea fuisse opinione, quod facilè ostenderemus; si nostri muneris esset. De his tamen satis. Vnum tamen addendum reor: videlicet, hac via melius quam ea, quæ num. 66. ostensa fuit, conciliari plures authoritates Philosophi, & D. Thom. qui iam dicunt, operationes intellectus esse duas: iam dicunt, esse tres. Hac ergo Complutensium doctrina sine vlla oppositione sunt testimonia illa: siquidem dictæ operationes, entitativè, ac substantialiter sumptæ, duæ sunt; scilicet simplex apprehensio, & iudicium, quod habet formalitatem iudicandi, & formalitatem discurrendi. Ex quibus formalitas iudicandi subalterna est, dividiturque in formalitatem iudicandi inquirendo, & in formalitatem iudicandi resolvendo. Prima est iudicium inquisitivum, seu enuntiativum: secunda autem est iudicium resolutivum. Vnde si entitativè, & substantialiter sumantur intellectus operationes, sunt duæ, apprehensio simplex, & iudicium: quæ operationes realiter, & essentialiter differunt. Si autem attendatur non solùm ad realitatem, sed etiam ad munera, sunt tres; quia additur discursus. Quòd si vltra hoc ipsa munera dividantur in alia, iam iudicium ipsum, sub munere, & formalitate iudicandi, bipartitur in iudicium enũtiativum, & resolutivum: atque adeò, si hæc subdivisio attendatur, quatuor esse dictas operationes, inveniemus. Et in qua ex istis cõsistat contemplatio disquirimus in his quæstionibus, in quarum hæc prima de sola simplici apprehensione loquimur.

§. II. *Relatis sententijs statuitur assertio.*

72. COmmunissimum est apud Mystas dicere, contemplationem esse apprehensionem simplicem, qua intellectus intuetur simplici intuitu veritatem, nihil affirmando, vel negando, nec vnum ex alio deducendo. An omnes isti Authores loquentur de simplici apprehensione, quæ sic propriè dicitur, an de alio actu perfectiori veritatem perfectissimè penetrante; ea tamen pace, qua simplex apprehensio fulget; dubium esse potest: quia ex vna parte actum contemplationis perfectissimum esse dicunt: & ex alia simplicem apprehensionem, nominant. Ex quo reor, tales Authores sub illo nomine alium actum longè perfectiorem, quàm sit apprehensio simplex, significare. Et hæc (si bene reor) est prima in hac parte sententia, quæ negat contemplationem esse simplicem apprehensionem.

73. Secunda sententia, ita clarè asserit, contemplationem esse apprehensionem simplicem, vt nullatenus explicari modo dicto valeat. Sic tenet schola veritatis, & quidam Fr. Ildefonsus à Sanct. Aug. & se explicant modo sanè mirabili, vt videre est in dicta Schola veritatis conf. 22. quæ ponit triplicem operationem intellectus, quarum prima, ait, est iudicium, secunda discursus, tertia denique apprehensio simplex, quæ, inquit, contemplatur veritatem, quam iam per discursum examinatam, & per iudicium approbatam supponit.

Vnde,

Vnde, vt patet, priùs attingit illam veritatem discursus eam examinans, postmodùm ingreditur iudicium illam approbans. Tertiò denique adest apprehensio simplex, quæ contemplatur. In qua metaphysica hic modus procedendi fundetur, latet. Vnum scio, quòd non meminit apprehensionis simplicis ante alias duas operationes: cùm impossibile sit, dari iudicium, & discursum, quin præcedat veritatis apprehensio. Itidem asserit, veritatis examen per discursum anteire approbationem iudicij: ac si posset discursus prædicare risibilitatem de Petro; quin præcederet cognitio ipsius Petri vt connexi cum rationalitate, quæ risibilitatem radicat. Ac denique post totum laborem syllogisticum cõsequitur intellectus frigidissimam illam veritatis cognitionem, quæ habetur per simplicem apprehensionem. Egregia sanè totius scientificæ structuræ inversio subversioque.

Pro hac etiam opinione adducimus Lucernã mysticam tract. 2. num. 75. dicentem, quòd simplex apprehensio *est actus regulariter contemplationis proprius*. Et priùs dixerat, apprehensionem esse duplicem: aliam simplicem, & simplicissimam aliam. Prima est, quæ cognoscit plura obiecta nihil de ijs affirmando, vel negando. Secunda est, quæ nihil etiam affirmando, vel negando, cognoscit vnicum tantum obiectum. Et hanc asserit, esse regulariter actum proprium contemplationis. Hæc sunt, quæ isti Authores tradunt circa præsentem controversiam. Semper tamen adest formido, an nomine simplicis apprehensionis intelligant actum intellectus, qui simplex apprehensio non sit. Tametsi alatus loquendi modus de ipsa apprehensione simplici loquutos fuisse testetur. Quidquid autem de hoc sit, claritate, cui in hoc opere elaborando studuimus, proponitur iudicium nostrum sequenti resolutione.

74. Sit nostra assertio: *Contemplatio est actus longè diversus à simplici apprehensione*. Hanc assertionem admittere debent omnes quotquot bene sentiunt: propterea quæ neminem in particulari affero; quamquàm ex progressu constabit de multis hoc sentire. Probatur ergo 1. conclusio ratione eruta ex D. Thom. citato, in hac ipsa disputat. num. 59. redigiturque ad hanc formam: Contemplatio est actus inter actus omnes naturæ rationalis perfectissimus: ergo non est simplex apprehensio. Anteced. constat ex dictis citato num. Et etiam ex eo, quòd vel Ethinici posfuerunt beatitudinem in contemplatione veritatis, fatentes illam esse actum inter omnes alios sublimiorem: atque adeò requirere potentiam altissimam, habitum nobilissimum, & obiectum dignissimum. Deinde probatur conseq. simplex apprehensio est actus inter omnes intellectuales imperfectissimus: ergo in illa non consistit contemplatio. Patet ista, & Anteced. est ita certum apud omnes bene sentientes, vt pudeat in eius probatione immorari.

Confirm. 1. & roboratur ratio facta ex doctrina ipsius Ang. Præcept. Contemplatio est actus ita perfectus, vt sit vltimus finis humanæ vitæ; eòque irreferibilis in alium eiusdem vitæ actum: ergo non est simplex apprehensio. Anteced. constat ex dictis num. 25. & etiam ex eo, quòd modò dicebamus, scilicet, contemplationem esse beatitudinem, de cuius ratione est, quòd non referatur in aliud: finamque datur aliud præter beatitudinem obiectivam, in quod referatur, iam illud erit perfectius: consequenterque in illo constituenda erit beatitudo. Hincque probatur conseq. simplex apprehensio ex natura sua ordinatur ad iudicium, sine cuius luce maneret intellectus ieiunus à veritatis luce: quia apprehensio non potest illum, nisi valde ægrè illuminare: ergo &c.

Conf. 2. Contemplatio est actus adeò perfectus, vt faciat voluntatem ardere, flammasque vsque ad Empyreum transcendentes emittere: ergo non est simplex apprehensio. Anteced. constat ex multoties dictis, præsertim in hac ipsa disputat. & conseq. probatur solida doctrina nostrorum Salmantic. tract. 7. disp. 10. num. 31. vbi do-

cent: *Voluntatem non moveri ad appetendum per ſimplicem apprehenſionem obiecti.*

75. Non eſt opus plus immorari in re adeò perſpicua. Placet tamen in lucernam myſticam tantiſper ſic diſputare. Primò: Quia ſine fundamento, & ſine fructu illam diviſionem apprehenſionis in ſimplicem, ac ſimpliciſsimam introducit. Sine fundamento quidem, quia non allegat authorem, cui revereri teneamur, immo nullum allegat, è cuius ſuggeſtu illam diviſionem accipiamus. Simili facultate poterit in omnibus alijs, quæ à doctrinæ Proceribus accepimus, innovare. Sed etiam ſine fructu: Quia vel apprehenſio ſimplex eſt contemplatio, vel apprehenſio ſimpliciſsima hoc non habet. Non enim, vt aſſeris, differunt, niſi in eo quòd iſta vnicum tantum obiectum apprehendit; illa verò plura. Rogo: Illa obiecta plura apprehenduntur ſimplici intuitu, vel non? Si ſecundum dicas: non erit ille actus apprehenſio: ſi primum aſſeras, erit contemplatio: quia contemplatio nihil aliud eſt niſi *ſimplex intuitus veritatis.*

Rurſus: Illa plura obiecta, vel apprehenduntur vt plura: & hoc eſt impoſsibile: quia intellectus, vt modò ex D. Thom. ſuppono, non poteſt intelligere plura, vt plura. Vel apprehendit illa ordine quodam: ſicque ibi non ſunt plura, ſed vnum: conſequenterque non eſt cur illa differentia apprehenſionis ſimplicis, ſimpliciſsimæque introducatur.

Itidem: Contemplatio eſt *ſimplex intuitus veritatis*: quin hactenus aliquis nobis dixerit, hanc diffinitionem non eſſe bonam, per hoc, quòd *intuitus* dicatur *ſimplex*, & non *ſimpliciſſimus.* Nec aliter diffinitur contemplatio, ſive terminetur ad ſolam veritatem increatam; ſive ad veritates creatas, per ordinem tamen ad primam veritatem terminetur. Semper eſt, & dicitur intuitus ille *ſimplex*: quod idem dicendum eſt de apprehenſione, vt ex ſe conſtat.

76. His tamen omiſsis, contra ipſam poſitionem ſic 2. diſputo: Vel apprehenſio illa ſimplex, ſeu ſimpliciſsima, antecedit iudicium, & diſcurſum; vel ſubſequitur. Primum eſt impoſsibile: Tum quia ſi ante iudicium, & diſcurſum habetur veritas: ad quid iudicium, & diſcurſus? Tum quia contemplatio eſt perfecta cognitio veritatis, & ante iudicium, & diſcurſum non datur veritatis perfecta cognitio; ſed talis cognitio datur, quæ veritatem, vt formaliter veritas eſt, non cognoſcat, vtî docent citati Prado, & Froilan. Tum denique, quia contemplatio non eſt ſemper actus apprehenſionis ſimpliciſsimæ, ſed, vt aſſeris, *regulariter.* Vnde aliquando pertinet contemplatio ad aliam operationem intellectus. Rogo: Quæ eſt hæc operatio? Nam iudicium, & diſcurſus eſſe non poſſunt, vt videbimus quæſtione ſequenti, conſequenterque erit alia operatio. Cur ergo ad iſtam aliam operationem non ſpectabit omnis contemplatio? Aut quis vnquam dixit, actum ſcientificum *regulariter* ſpectare ad hanc intellectus operationem, & non regulariter ad aliam? Tum denique; Quia ante diſcurſum non datur meditatio, vt cum omnibus tenet Lucerna myſtica, & alij prius nominati: ergo ſi apprehenſio præcedens diſcurſum eſt contemplatio, dabitur hæc ante meditationem: & meditatio non erit via ad contemplationem; ſed potiùs è converſo. Quæ omnia ſunt adeò manifeſtè abſurda, vt non poſsimus credere Authorem Lucernæ myſticæ illa voluiſſe devorare, dicentem apprehenſionem ſuam illam ſimpliciſsimam præire iudicium, ac diſcurſum.

Sed nec poteſt eſſe apprehenſio ſimplex, aut ſimpliciſsima ad diſcurſum ſubſecuta: Quia talis ſimplex apprehenſio non poteſt poſt diſcurſum dari. Nec, vt num. 73. inſinuavimus, fatigaretur intellectus in inquiſitione veritatis; ſi poſt omnem diſcurſuum ſolicitudinem, illam ſolam veritatis cognitionem obtineret, quam habebat ante tot diſcurſuum diſpendium. Ante illud per ſimplicem apprehenſionem cognoſcebat veritatem: & poſt illud nullam aliam veritatis cognitionem illi concedis;

dis: vt quid ergo diſpendium illud diſcurſuum? Quod ſi nomine ſimpliciſsimæ apprehenſionis ad diſcurſum ſubſecutæ ſignificare intendas, actum intellectus perfecta cognitione veritatem attingentem. Talis actus certè datur, vt patet ex dictis, conſtabitque ex dicendis: ſed falſum eſt, quòd talis actus ſit apprehenſio ſimplex: hæc enim nunquam poteſt pervenire ad perfectam veritatis cognitionem. Et ſimili facultate vſus, poteris actum fidei infuſæ, & etiam viſionem ipſam beatificam apprehenſionem ſimpliciſsimam nominare, collocareque inter actus ad primam intellectus operationem pertinentes.

§. III. *Argumentis reſpondetur.*

77. CONtra noſtram aſſertionem Arg. 1. ex D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 6. ad 2. dicente de operatione, ad quam pertinet contemplatio: *Et in hac operatione animæ non eſt error.* Ex quibus verbis hoc argumentum conficitur: In operatione, ad quam contemplatio ſpectat, *non eſt error*: ſed inter omnes operationes intellectuales ſola ſimplex apprehenſio eſt, in qua non eſt error: ergo ad iſtam operationem pertinet contemplatio. Minor, in qua poterat eſſe difficultas, eſt apud omnes certa: Nemo enim dubitat errorē poſſe multoties dari in iudicio, ac in diſcurſu: quod de ſimplici apprehenſione non eſt verum; illa enim incapax erroris eſt.

Reſpond. mentem D. Thom. clariſsimam eſſe pro noſtra aſſertione pluribus in locis; ſed nullibi clariùs, quam in iſto art. vt legenti conſtabit, oſtenduntque vel ſola verba antecedentia adea, quæ in nos afferuntur; ſic enim ait Sanct. Doct. *In anima verò antequam ad iſtam vniformitatem (ſcilicet contemplationis) perveniatur, exigitur, quòd duplex eius difformitas amoveatur. Primò quidem illa &c.* Ponit hìc quòd anima debet à viſibilibus ſegregari, vt valeat contemplari inviſibilia. Poſt quod proſequitur: *Secundò autem oportet, quòd removeatur ſecunda difformitas, quæ eſt per diſcurſum rationis. Et hoc idem contingit ſecundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad ſimplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et hoc eſt, quod ſecundò dicit* (D. Dionyſ.) *quòd neceſſaria eſt vniformis convolutio intellectualium virtutum: vt ſcilicet, ceſſante diſcurſu, figatur eius intuitus in contemplatione vnius ſimplicis veritatis. Et in hac operatione animæ non eſt error: ſicut patet quòd circa intellectum primorum principiorum non erratur, quæ ſimplici intuitu cognoſcimus.*

Hæc D. Thom. in quibus nec verbum eſt, quod nobis non faveat. Conſtat ergo ex hac authoritate, contemplationem ſubſequi ad diſcurſum: fit enim, ait mihi Caietan; *in termino diſcurſus abſque diſcurſu aliquo.* Vnde non poteſt eſſe ſimplex apprehenſio, quæ ex natura ſua diſcurſum præcedit. Nec obeſt illud, quòd in hac operatione, in qua contemplatio conſiſtit, *non eſt error*. Quia hoc, quòd eſt, quòd aliquis actus intellectus errorem non admittat, ſtat dupliciter: Primò, ita vt talis actus ob ſui perfectionem incapax ſit erroris. Secundò, ita vt hoc habeat ob ſui imperfectionem. Actus divinæ contemplationis eſt erroris incapax ob ſui eminentiſsimam perfectionem, vt poſteà videbimus, vbi iterum iſta reproducenda ſunt. Vnde non poteſt eſſe ſimplex apprehenſio, quæ ob ſui imperfectionem errorem non admittit. Non admittit errorem ſimplex apprehenſio: fateor: ſed nec veritatem: quia non iudicat de veritate: & actus, qui vel formaliter, vel eminenter non iudicat de veritate, veritatem non admittit: indidemque nec errorem. Vides nè, quomodò, quòd ſimplex apprehenſio erroris capax non ſit, non ipſius perfectioni; ſed imperfectioni, imputari debeat? Non ergo velis, quòd ad operationem adeò imperfectam ſpectet hominis perfectiſsima operatio. Puer antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum, eſt incapax peccandi: & ſomniaret, qui obiſtam incapacitatem repentem illam ætatem ſtatum perfectionem hominis doceret; quia licèt illa ætas dicat illam

incapa-

incapacitatem ad culpam, ſimiliter eſt incapax ad meritum: vnde non eſt incapax peccati ex perfectione, & virtute; ſed ex defectu, ac imperfectione. Vnde illa ætas imperfectiſsima eſt. Pariformiter in noſtro caſu.

Adde: quod ſimplex apprehenſio dicitur erroris incapax, quia eius obiectum eſt quidditas, quæ prorſus indiviſibilis eſt. Vnde vel tota, vel nihil illius apprehenditur. Quò circa ſi non attingitur tota, nihil apprehenditur: eòque non datur apprehenſio ſimplex, nec poteſt eſſe ſubiectum erroris. Si autem aliquo modo attingitur, tota apprehenditur: conſequenterque nullus error datur in tali operatione, vt dicitur in q. metaphyſ. videatur Caietan. ad citatum D. Thom. locum, & Mag. Froilan. & Parra priùs laudati.

Adde 2. Cum ipſis Thomiſtis dicentibus cum noſtro Doct. Ang. quòd licèt ſimplex apprehenſio ſit incapax erroris, eſt tamen capax inordinationis: quatenus definitionem vnius quidditatis poteſt alteri attribuere: vt ſi apprehendat, canem eſſe animal rationale: hic enim tota quidditas attingitur: ſed adeſt inordinatio in eo, quòd attribuatur, cui repugnat. Modò verò ad diuinam contemplationem tantum obeſt error, quàm inordinatio. Vnde ex hac parte non adeſt motivum, vt contemplatio dicatur pertinere ad actum, qui erroris incapax ſit: ſi attribuitur illi, qui eſt capax inordinationis.

78. Dices: hæc omnia ſunt de apprehenſione ſimplici, quæ iudicium, diſcurſumque præcedit; non autem de illa, quæ ad has operationes conſequitur: ergo ad iſtam pertinet contemplatio, tamquam relictam ex anteriori diſcurſu. Vel ſi non pertinet ad hanc apprehenſionem relictam ex diſcurſu anteriori; ſpectabit quidem ad ſimplicem apprehenſionem, procedentem ex habitu per anteactos diſcurſus comparato: in quavis enim ex his apprehenſionibus invenitur quidquid pro contemplatione requiritur.

Hoc effugium prævidit P. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. 6. illudque præoccupavit: noſque in antecedentibus refutavimus. Videri debet citatus Suarez, cuius impugnatio reducitur ad ea, quæ dicta ſunt. Conſiſtitque in eo, quòd contemplatio, quæ ſimplex apprehenſio ſit, ſive procedat ab habitu: ſive ſequatur ad diſcurſum: ſive quocumque alio modo figuretur, non poteſt eſſe perceptio veritatis formaliter talis; quia, vt dictum eſt, ſimplex apprehenſio de veritate non iudicat. Vnde ex eodem principio à quo provenit, quòd illa contemplatio dicatur incapax erroris, ita ex eodem oritur, quòd non ſit capax veritatis. Veritas enim, & falſitas verſantur circa idem.

Accedit, quòd, vt in multis locis dictum à nobis cum D. Thom. eſt contemplatio affert ſecum delectationem dulciſsimam: & hæc non eſt dabilis in actu ſimplicis apprehenſionis. Non enim valet delectatio adeò dulcis eſſe cum apprehenſione adeò frigida obiecti.

79. Arg. 2. Contemplatio eſt ſimplex intuitus veritatis: ſed tendere ſimplici intuitu in veritatem eſt ita proprium ſimplicis apprehenſionis, vt nulli alij ex operationibus intellectus convenire poſsit: ergo contemplatio eſt actus apprehenſionis ſimplicis. Min. duas partes habet: Prima aſſerit eſſe proprium ſimplicis apprehenſionis ferri ſimplici intuitu in veritatem. Secunda ait, hoc non convenire alijs operationibus. Probatur ergo 1. quoad hanc 2. partem: Quia iudicium, & diſcurſus occupantur in veritate inquirenda, non in ea contemplanda: ſed inquirere veritatem oppoſitum eſt cum hoc, quòd eſt, ſimplici intuitu in veritatem ferri: ergo.

Probatur quo ad 1. partem ipſa min. 1. Quia ſimplex apprehenſio ex ipſa ſignificatione nominis, oſtendit actum intellectus veritatem quieto, & ſimplici intuitu apprehendentem. *Probatur* 2. Si propter aliquam rationem ſimplex apprehenſio non foret ſimplex intuitus veritatis, maximè quia non attingit veritatem, vt formaliter veritas

tas est, vti ex supra dictis patet. At hoc est falsum: ergo, & illud. Probatur min. Actus intellectus attingit veritatem, vt formaliter veritas est: apprehensio simplex est actus intellectus: ergo. Maior, in qua poterat esse difficultas, probatur: Actus intellectus habet pro obiecto formali veritatem: ergo illam, vt formaliter est veritas, attingit: alias non discriminaretur ab actu voluntatis, quæ quidem veritatem, sed non vt formaliter veritas est, attingit.

Respondetur ex dictis: Contemplationem esse simplicem intuitum perfectè cognoscentem veritatem: quod iam diximus, simplici apprehensioni convenire haud posse. Vnde sicut iudicium, & discursus non sunt contemplatio; quia licèt veritatem perfectè cognoscant; non tamen cognoscunt simplici intuitu: sic nec simplex apprehensio contemplatio est; quia licèt simplici intuitu procedat, non cognoscit perfectè. Actus enim, qui contemplatio est, vtrumque habere debet, & veritatem perfectè cognoscere, & in eam simplici intuitu ferri. Per quod patet ad probationem primam min. pro 1. parte. Ad 2. dicas: Veritatem perfectè attingi in præsenti, seu illam, vt est veritas formaliter, cognoscere, est ita cognoscere veritatem, vt de illa iudicium feratur: quod simplici apprehensioni repugnat. Vnde licèt illa veritatem cognoscat, hæc enim est eius obiectum formale, quod attingi à voluntate non potest; tamen ita illam attingit, vt de ipsa iudicare non valeat. Et mirum est, adversarios ex vna parte fateri, simplicem apprehensionem fore incapacem erroris, & ex alia velint in ipsa inveniri veritatem: cùm veritas, & falsitas versentur circa idem.

80. Contra hanc tamen doctrinam dices: Veritas, vt formaliter talis, est adæquatio rei, & intellectus: dum intellectus simpliciter apprehendit quidditatem, datur dicta adæquatio: ergo datur perfecta cognitio veritatis.

Vrges: Intellectus per simplicem apprehensionem procedès dicitur prorsus intellectus: sed de ratione intellectus est, quòd perfectè veritatem cognoscat: ergo per simplicem apprehensionem cognoscit intellectus veritatem perfectè: ergo, & vt formaliter veritas est. Hæc 2. conseq. constat, Tum ex 1. tum quia nihil aliud est, cognoscere veritatem, vt formaliter veritas est, nisi illam perfectè cognoscere. Prima consequent. bene infertur ex præmissis, quarum mai. est certissima. Min. autem probatur ex D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 1. in corp. dicente: *Nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat. Dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Et hoc manifestè patet considerantibus differentiam intellectus, & sensus*: ergo tenet min or.

Respondetur ad obiectionem neg. mai. vel ea omissa, negatur min. Non enim datur illa adæquatio, seu cõformitas, donec intellectus incipiat aliquid proprium habere; quod non habet per simplicem apprehensionem. Tunc enim non habet nisi speciem obiecti. Quam speciem, seu obiecti similitudinem, & conformitatem cum illo non cognoscit per simplicem apprehensionem. *Sed quando* intellectus *incipit iudicare de re apprehensa*, ait D. Thom. q. 1. de verit. art. 3. in corp. *tunc ipsum iudicium intellectus est quoddam proprium ei, quod non invenitur extra in re. Sed quando adæquatur ei, quod est extra in re, dicitur iudicium verum esse: tunc autem iudicat intellectus de re apprehensa, quando dicit, quod aliquid est, vel non est, quod est intellectus componentis, & dividentis.* Videatur ipse Doct. Sanct. toto illo art. & art. 12. Eamdem doctrinam tradit 1. p. q. 16. art. 2. vbi inter alia inquit: *Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest: sed tamen non apprehendit eam secundùm quod cognoscit de aliquo quod quid est. Sed quando iudicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primò cognoscit, & dicit verum. Et hoc facit componendo, & dividendo.* Et post alia, quæ videri debent, addit: *Veritas qui-*

quidem igitur poteſt eſſe in ſenſu, vel in intellectu cognoſcente quod quid eſt, vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoſcente: quod importat nomen veri. Perfectio enim intellectus eſt verum, vt cognitum. Et ideò propriè loquendo, veritas eſt in intellectu componente, & dividente, non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quod quid eſt. Hæc D. Thom. Videndus tamen neceſſariò eſt Caietan. inibi, qui ſubtiliſsimè mentem Sanct. Doct. explanat removens ſuperficialem intelligentiam, in qua eius doctrina poſſet à minùs perſpicacibus accipi.

Per quæ patet ad vrgentiam, ad quam dicitur, quòd illa abſdubiò eſt ſignificatio intellectus, vt ratio, & intellectus eſt. Quod verificatur, quia vt ibidem docet Sanct. Thom. intellectus ad differentiam ſenſus non ſiſtit in accidentium cognitione: ſed penetrat vſque ad ipſam cognitionem veritatis; propter quod *intus legit*, vel ad intima penetrat. Verùm hæc ipſa quidditatis cognitio poteſt eſſe vno ex duobus modis, quos ad obiectionem reſpondentes dicebamus. Si eſt primo modo: eſt valde ſuperficialis cognitio: vnde licèt ſit perfecta relatè ad cognitionem ſenſus, & ex parte obiecti: non tamen eſt perfecta ex parte modi: cùm non valeat iudicium facere de ipſa quidditate, quam cognoſcit.

81. Arg. 3. Simplex apprehenſio eſt perfectior alijs operationibus intellectus: ergo ad illam ſpectat contemplatio. Patet iſta: Quia, vt ſæpe diximus, contemplatio attinet ad operationem perfectiorem. Anteced. verò probat. Illa operatio eſt perfectior, per quam dicimus convenientiam cum natura ſuperiori: ſed per ſimplicem apprehenſionem dicimus convenientiam cum Angelis, à quibus per iudicium, & diſcurſum diſcriminamur: ergo.

Confirmatur. Contemplatio divina viæ eſt actus fidei, & viſio beatifica inchoata, vt ſuprà dicebamus: ſed actus fidei, & viſio beata ſunt actus ſimplicis apprehenſionis; cùm ibi nihil enuntietur, aut deducatur: ergo contemplatio eſt actus ſimplicis apprehenſionis.

Reſpond. argumento neg. anteced. ad cuius probationem dicas: Angelos perfectiſsimè cognoſcere ſua cognita. Vnde per illam operationem intellectus maiorem convenientiam cum illis dicimus, per quam noſtra cognita perfectiùs cognoſcimus. Et hæc operatio non eſt ſimplex apprehenſio, vt ex dictis patet.

Ad confirm. negetur min. Ad cuius primam partem hæc ait Sanct. Thom. q. 14 de verit. art. 1. in corp. *Intellectus enim noſtri ſecundùm Philoſoph. in lib. de anima duplex eſt operatio. Vna, qua formatſimplices rerum quidditates, vt quid eſt homo, vel quid eſt animal. In qua quidem operatione non invenitur verum per ſe, nec falſum, ſicut nec in vocibus incomplexis. Alia operatio intellectus eſt ſecundùm quam componit, & dividit affirmando, & negando; & in hac iam invenitur verum, & falſum, ſicut & in voce complexa, quæ eſt eius ſignum: non autem invenitur credere in prima operatione, ſed in ſecunda: Credimus enim vera, & diſcredimus falſa. Vnde etiam, & apud Arabes prima operatio intellectus vocatur imaginatio, ſecunda autem vocatur fides, vt patet ex verbis Commentat. in 3. de anima.*

Ad 2. partem illius minoris dicito: Contemplationem divinam eſſe quoad præſens idem omnino cum viſione; quamobrèm noſtrum aſſertum dicit, contemplationem non ſpectare ad primam operationem intellectus. Audi Exim. Suar. de vtraque loquentem loco citato: *Eſt ergo, ait, intuitus ille contemplationis talis, vt intrinſecè, & eſſentialiter includat iudicium, & cognitionem veritatis contemplatæ: ſicut viſio beatifica, quæ eſt ſumma contemplatio eminentiſſimè, eſt iudicativa cognitio, ſimul & apprehenſiva.*

82. Dices: Hoc ipſum invenitur in apprehenſione ſimplici iuxta authorem Lucernæ myſticæ dicentem num. 76. *huic iudicio*, ſive actui intellectus principaliter tribuitur obiectum adæquatum

quatum illius, nempe verum, vel falsum, quamvis ab eo non excludatur simplex, nec simplicissima apprehensio; nam licèt cognoscere vt verum, vel falsum propriè pertingat ad affirmationem, vel negationem iudicij intellectualis, & simplex, & simplicissima apprehẽsio nihil affirment, aut negent; tamen eminenter in se ipsis continent affirmationem, aut negationem; nam si intellectui apprehendenti interrogaretur de obiecto, illico de veritate, vel falsitate illius *plura iudicia faceret.*

Hactenus author iste, quibus ostendit clarissimè se loqui de apprehensione, quam omnes primam intellectus operationem cognoscimus, dum ad illam contemplationem *regulariter* spectare asseverat. Constatque similiter loqui de apprehensione illa, quæ iudicium, & discursum antecedit, de hacque ait: *Eminenter* continere affirmationem, & negationem. Hoc tamen dicere difficile non est: arduum tamen foret, si id, quod sine difficultate dicitur, probaretur. Et quidem in hoc authore notatum habeo, multa dicere, quæ non probat; sed quæ Pythagorico silentio admittenda velit. Et in ipsa re, de qua loquimur, testis irrefragabilis est huius veritatis illa divisio apprehensionis in simplicem, ac simplicissimam, quam introducit, veluti fide sanctam, similique facilitate, ac facultate simplicem à contemplatione excludit, cuius principium asserit, esse *regulariter* simplicissimam. De quo iam suprà egimus: sicut etiam, quod ad illam simplicissimam apprehẽsionem spectet contemplatio, explosimus. Modò quia disputare in re adeò evidenti nolo, vnam, vel alteram observationem circa dicta dissimulare, non possum.

Observo 1. Quod suprà nobis dixit Lucerna mystica, quòd apprehensio simplicissima *est actus regulariter contemplationis proprius.* Et posteà tract. 3. cap. 6. num. 60. Contemplationem, cuius principium est donum sapientiæ (idem de dono scientiæ dicendum est) esse actum iudicij: Nota: principia contemplationis esse habitum Theologicum, Theologicam fidem, donum sapientiæ, donum scientiæ, & intellectus. Ex his actum habitus Theologici non dicet Lucerna, esse apprehensionem, sicut non dicit de actu fidei, nec de actu sapiẽtiæ, nec scientiæ. Videatur cap. 7. num. 66. ergo solùm remanet actus apprehensionis cõtemplatio, quæ est à dono intellectus. Quomodò ergo apprehensio est *actus regulariter contemplationis proprius*: si sola illa, quæ est actus doni intellectus, est apprehensio?

Observo 2. Habitum Theologiæ, & Theologicam fidem fore principia omnis contemplationis: (non loquor de contemplatione, quam elicit principium donis superius) si ergo contemplatio, quæ est à fide, & quæ à Theologia est, est actus iudicij: nulla contemplatio relinquitur, quæ sit simplex apprehensio. Vbi est ergo illa, quæ *regulariter* apprehensio est?

Observo 3. Id, quod ex modò dictis sequitur: videlicet Lucernam mysticam fundari in imaginatione, qua autumat, dona esse principia elicitiva divinæ contemplationis quoad substantiam sumptæ: hincque vnam contemplationem attribuere apprehensioni, aliam iudicio. Quod quidem fundamentum falsum est: siquidem contemplatio divina, si entitativè naturalis sit, elicitur ab habitu Theologiæ: si verò sit supernaturalis, est à fide, concurrentibus donis modificando actum contemplationis, & illustrando principium. De quo disputat. sequenti agemus. Vnde ad vnam, & eandem operationem semper spectat contemplatio. Quin pro libito nostro huic operationi hæc, & alij illa contemplatio attribuatur.

Observo 4. Ea, quæ suprà dicta sunt ad expungendam illam divisionem apprehensionis in simplicem, & simplicissimam, sine authoritate, & sine vtilitate introductam. Similiterque inconsequentiam in eo, quòd simplicissima, & non simplex contemplatio sit. Ac tandem ea, quæ diximus, vt ostenderemus repugnare contemplationem aliquam, antequam dentur actus iudicij, ac discursus.

Obſervo 5. Quòd dicere: apprehenſionem ſimplicem, & ſimpliciſſimam in ſe ipſis continere eminenter affirmationem, aut negationem: eſt dicere, quòd talis apprehenſio eſt eminenter iudicium. Quod error intolerabilis eſt: quandoquidem ex illo infertur 1. apprehenſionem, etiam ſimplicem, perfectiorem eſſe iudicio, ac proinde diſcurſu: cuius ea ratio eſt; quia id, quod eſt eminenter iudicativum, eſt ſimpliciter perfectius eo, quod ſolùm formaliter iudicativum eſt. Indidemque *infertur* 2. actum contemplationis, quæ eſt à dono ſapientiæ, minùs perfectum eſſe, quàm contemplatio, quæ eſt à dono intellectus: ſiquidem hæc ſpectat ad apprehenſionem; illa verò ad iudicium. Vnde *infertur* 3. Theologiam myſticam, quæ apud omnes, etiam apud Lucernam ipſam, eſt contemplatio doni ſapientiæ, minùs perfectam eſſe, quàm contemplatio, quæ propriſsimè myſtica Theologia non eſt, qualis eſt illa, quæ ad apprehenſionem ſpectat. Quæ omnia abſurda eſſe, nemo non videt.

Obſervo denique: Illam rationem, videlicet, *nam ſi intellectui apprehendenti interrogaretur de obiecto, illico de veritate, vel falſitate illius plura iudicia faceret.* Hæc, inquam, ratio eſt malæ cauſæ peius patrocinium. Tum quia multi bene apprehendunt, & non ita iudicant, ſicut nec ita diſcurrunt, vt notum eſt. Tum quia multi bene apprehẽdunt, & nullatenus iudicare poſſunt, vt de dormientibus docet. D. Thom. de verit. q. 28. art. 3. ad 6. Vnde non eſt verum, quòd *ſi intellectui apprehendenti interrogaretur de obiecto &c.* Tũ, & præcipuè, quia licèt demus, quòd illud omni apprehendenti eveniat, illa *iudicia*, quæ *illico faceret*, non eſſent actus apprehenſionis, ſed iudicij: & quòd iudicium valeat de veritate apprehenſa iudicare, nemo ignorat.

Maneat ergo ex dictis 1. Contemplationem non eſſe actum apprehenſionis. *Secundò*, quòd, etiam ſi aliquando foret actus apprehenſionis, non tamen hoc *regulariter* haberet. *Tertiò*, quòd ab hoc non excluderetur apprehenſio ſimplex. *Quartò*, quòd ſi aliqua ſimplex apprehenſio foret contemplatio, non eſſet illa apprehenſio, quæ iudicium, & diſcurſum præcedunt, ſed alia, ficta tamen, quæ ad illas operationes ſubſequeretur. *Maneat* denique 5. Quòd in omnibus, & maximè in myſticis, debent aſſerta iuxta facultatis Proceres ſtatui; non tamen pro ſcribentis arbitrio fabricari.

QUÆSTIO SEXTA.

Vtrùm contemplatio ſit actus iudicij, aut diſcurſus?

POſtquam diximus, contemplationem non eſſe actum ſimplicis apprehenſionis, ad explorandum, an ad ſecundam, vel tertiam operationem intellectus ſpeculativi ſpectet? Properamus. In quo valde difficilia, ſummè ardua ſe ſe offerunt, per quæ Myſtici curſu celeri, ac ſi indubitabilia, clariſsimaque forent, gradum faciunt.

§. I. *Prælibantur aliqua prorſus neceſſaria tam pro præſenti, quàm pro alijs quæſtis.*

83. AD dicendorum intelligentiam ſcias 1. ſeu potiùs memineris eorum, quæ quæſtione antecedenti §. 1. dicta ſunt. Ex ibi enim dictis conſtat, quid ſit diſcurſus, & quomodò à iudicio differat. Conſtat etiam iudicium dividi in enuntiativum, & reſolutivũ, & quid vnumquodque ex illis ſit. Nec intelligere debes: hanc diviſionem diviſum ipſum adæquare, quaſi alia iudicia

dicia non dentur: dantur quidem, & quæ ſummo ſtudio præ oculis habenda ſunt, vt ſine tenebris, & errore in materia hac admodùm ardua, & vtili procedamus. Vnde,

84. Scias 2. Vltra prædicta iudicia dari aliud, quod appellare poſſumus iudicium credulitatis. Hoc iudicium eſt actus, quo fides aſſentitur veritatibus revelatis. Fides enim veritatibus revelatis aſſenſum præſtans verè iudicium format; cùm impoſsibile ſit, iuxta inconcuſſam D. Thom. doctrinam, mox adducendam, dari aſſenſum; quin eo ipſo ipſe actus aſſentiens iudicet de illa ipſa veritate, cui aſſentitur.

Si dicas: Hinc ſequi, voluntatem iudicare; quia voluntatis eſt aſſentire, ſicut, & cõſentire. Reſpondet D. Thom. q. 14. de veritate. q. 1. art. 1. ad 3. *Dicendum quòd voluntas reſpicit aliquam præcedentem potentiam, ſcilicet intellectum, non autem intellectus, & ideò aſſentire propriè pertinet ad intellectum, quia importat abſolutam adhærentiam ei, cui aſſentitur: ſed conſentire eſt propriè voluntatis, quia conſentire eſt ſimul cum alio ſentire, & ſic dicitur in ordine, vel per comparationem ad aliquid præcedens.* Videatur idem Doct. Sanct. p. 1. q. 11. art. 1. ad 1. & 1. 2. q. 15. art. 1. ad 3. & q. 74. art. 7. ad 1. & 2. 2. q. 2. art. 1. ad 3. & in 3. d. 23. q. 2. art. 2.

Ex quibus habes: Aſſenſum non eſſe actum voluntatis; ſed intellectus: & ſimul habes, aſſenſum eſſe actum iudicij. Vnde cùm fidei actus ſit aſſenſus, non poteſt non eſſe iudicium. Quod iudicium dicimus *credulitatis*; quia eſt ipſe actus credendi; & etiam vt diverſum ſit in nomine ab alijs iudicijs, quod ex natura ſua diverſum eſt ab illis. Quæ veritas, valde notanda, perſpicua fiet; tum, ſi per omnes operationes intellectus ſpeculativi, ſive iudicia ſint, ſive non (& hoc ad maiorem abundantiam) ſpatiemur. Tum, ſi ea, quæ huius iudicij ſunt propria, intueamur.

Igitur iudicium credulitatis differt à ſimplici apprehenſione; quia hæc nullum aſſenſum præbet veritati, quam ſine affirmatione, ac negatione apprehendit, vt conſtat ex quæſtione præcedenti, mirèque docet D. Thom. loco citato ex ſententi; vbi plura circa hæc omnino videnda habet. Actus verò fidei aſſentitur, & iudicat, quia *hic eſt Chriſtus*, & in defenſionem huius veritatis paratus eſt, & in carcerem, & in mortem ire. A *diſcurſu* autem differt fidei actus ſeu iudicium credulitatis; quia hoc non quærit, ſicut ille veritatem; ſed illam præſentem habet, & credit. Et propter hoc fides diſcurſiva non eſt.

85. A iudicio enuntiativo differt propter eandem rationem: quia videlicet iudicium enuntiativum veritatem quærit, quam iudicium credulitatis præſentem habet, vt dictum eſt. Si *opponas* Auguſtin. lib. de prædeſtin. Sanctor. cap. 2. dicentem: credere eſſe *cum aſſenſione cogitare*: ſed cogitatio inquiſitionem importat, teſte D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 1. vbi ait, quòd cogitare dicitur, *quaſi ſimul cogitare*: ergo licèt actus fidei, per hoc quòd ſit *cum aſſenſione*, differat à ſimplici apprehenſione; per hoc tamen, quòd dicit cogitationem, inquiſitionem importat.

Reſpondetur cum eodem Ang. Doct. inibi in fine corp. dicente: *Actus iſte, qui eſt credere, habet firmam adhæſionem ad vnam partem, in quo convenit credens cum ſciente, & intelligente: & tamen eius cognitio non eſt perfecta per maximam viſionem, in quo convenit cum dubitante, ſuſpicante, & opinante: & ſic proprium eſt credentis, vt cum aſſenſu cogitet. Et propter hoc diſtinguitur iſte actus, qui eſt credere, ab omnibus actibus, intellectus, qui ſunt circa verum, vel falſum.* Vide quomodo actus fidei, qui ex hoc quòd cogitationem requirat, diverſus ſupponitur à ſimplici apprehenſione, etiam dicitur differre *ab omnibus actibus intellectus, qui ſunt circa verum, vel falſum*: atque adeò à diſcurſu, & à iudicio inquiſitivo

Vide etiam quomodò fides dicat firmiſsimum aſſenſum circa veritates creditas, & ex hac parte excludit cogitationem: quia tamen obiectum ipſum, quod credit, non videt intellectus, id-

circò motum cogitationis dicit: quæ cogitatio eſt fluctuatio quædam, qua ex parte inevidentiæ, non certitudinis, agitatur intellectus; vtî obſervat Mag. Joann. à Sanct. Thom. in 1. 2. diſp. 8. art. 3. num. 26. Quod perſpicuè habetur ex verbis adductis D. Thom. qui eandem doctrinam tradit de verit. q. 14. art. 2. vbi inquit: *Ad 2. dicendum, quòd fides dicitur non inquiſitivus aſſenſus, in quantum aſſenſus fidei, vel conſenſus non cauſatur ex inquiſitione rationis: tamen non excluditur per hoc quin in intellectu credentis remaneat aliqua cogitatio, vel collatio de his, quæ credit.* Quæ cogitatio remanet ex eo quòd intellectus non ſatiatur plenè illa veritate obſcurè cognita, vt dictum eſt.

86. Denique à iudicio reſolutivo differt iudicium credulitatis: quia illud analyticè procedit, reſolvendo res in ſuas cauſas, illaſque in ipſis cauſis perfectè cognoſcendo; & cognoſcendo etiam cauſas per effectus. Quæ in iudicio credulitatis inveniri non poſſunt: hoc enim veritati aſſentitur propter dicentis teſtimonium, & nihil aliud curat, aut facit: vnde totus noſtræ fidei aſſenſus reducitur ad extrinſecum teſtimonium revelantis.

Si opponas: *Videre* eſt actus ſcientiæ reſolventis viſa in ſua principia intrinſeca: ſed *videre* eſt actus fidei, iuxta illud 1. ad Corinth. cap. 13. *Videmus nunc per ſpeculum*: ergo iudicium fidei reſolvit veritates creditas in ſua intrinſeca principia, conſequenterque tale iudicium reſolutivum eſt.

Reſpondetur cum D. Thom. q. 14. de verit. art. 2. *Ad 15. dicendum, quòd cognitio duo poteſt importare, ſcilicet viſionem, & aſſenſum, & quantum ad viſionem contra fidem diſtinguitur:: Sed quantum ad certitudinem aſſenſus, fides eſt cognitio, ratione cuius poteſt dici ſcientia, & viſio, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 13. Videmus nunc per ſpeculum &c. Et hoc eſt, quod Aug. dicit in lib. de videndo Deum: ſi ſcire non inconvenienter dicimur, illud quod certiſſimum credimus, hinc eſt, vt credita rectè, & ſi non adſint ſenſibus noſtris, videre mente dicamur.* Ex quibus conſtat, fidem diſcriminari à ſcientia per evidentiam, quam hæc dicit, cum illa tamen in certitudine convenit; immo omnes ſcientias naturales in certitudine ſuperat. Hæc tamen infallibilis certitudo, quam fides habet, auferre non poteſt intellectus fluctuationem, & vlteriorem cogitationem ortam ex obiecti inevidentia.

87. Conſideravimus iudicium credulitatis relatè ad alios actus intellectus. Reſtat vt illud in ſe ipſo conſideremus; breviter tamẽ: Tum quia ex dictis haud obſcurè conſtat, quid dicendum ſit: Tum quia diſputat. ſequenti hæc ſunt longiori diſcuſsione tractanda. Tum denique, quia quod in præſenti deſiderari poteſt, breviſsimè, ac profundiſsimè traditum eſt à D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 6. in corp. & ad 2. Vbi iudicium credulitatis conferens cum dono intellectus, ſeu cum actu ipſius, ait: *Ad 2. dicendum, quòd donum intellectus eſt circa prima principia cognitionis gratuitæ; aliter tamen quam fides. Nam ad fidem pertinet eis aſſentire: ad donum verò intellectus pertinet mente penetrare ea, quæ dicuntur.* Per quæ conſtat, quod iudicium credulitatis aſſentit rebus revelatis propter ſolam dicentis authoritatem, quæ ipſis revelatis rebus extrinſeca eſt. Vnde prædicata intrinſeca rei revelatæ omnino incognita manent fidei, quæ rem ob ipſius motivum intrinſecum non cognoſcit: quamobrèm nihil circa id, quod rei intrinſecum eſt, explorat; cùm ſolum extrinſeco teſtimonio innitatur. Hincque oritur id, quod ſuprà dicebamus: Videlicet intellectum, quamvis certiſsimus ſit de veritate à ſe credita, manere tamen inquietum, ſeu non ſatiatum, fluctuantemque, propter inevidentiam creditæ veritatis. Nec hoc eſt aliquis defectus privativus fidei; ſed ſolum imperfectio ipſi non debita: quandoquidem fides ex ſua natura ſolùm reſpicit firmiſsimam certitudinem, quam intellectui communicat. Illam tamen fluctuationem auferre ad ipſam non ſpectat; ſed eſt effectus diſtincti habitus, licèt

ſibi

ſibi deſervientis; non vt ſit fides, habeatque illa, quæ fidei formaliſsimè, & cum præciſsione acceptæ propria ſunt; ſed vt ipſa fides illuſtretur. Vnde ſicut non eſt defectus fidei, quod non diligat obiectum; ſic proportionabiliter non eſt defectus ipſius, quòd obiectum propter ſibi intrinſeca non cognoſcat, & conſequenter quòd dictam fluctuationem non expellat. Quæ ex iam dicendis conſtabunt.

88. Scias 3. Aliud adhuc iudicium ſupereſſe, quod dicitur iudicium diſcretivum. Hoc iudicium datum nobis eſt ab indulgentiſsimo gratiæ authore, quò intellectui, vt diximus, fluctuanti ſuccurratur. Quandoquidem hoc iudicium cognoſcit rem, non iam inevidenter, & obſcurè ſicut priùs: ſed clarè, & evidenter, non claritate, & evidentia intrinſeca, & poſitiva (per fidem enim ambulamus) ſed evidentia extrinſeca, & negativa. Quatenus, ſcilicet, penetrat, & iudicat rem ſupernaturalem, quam cognoſcit, non eſſe ſicut in phantaſmatibus repræſentatur. Sicque diſcernit ſupernaturalia à naturalibus, & à materialibus ſpiritualia, iudicans multò ſublimiùs eſſe ſentiendum de ſupernaturalibus, quàm nos cognoſcimus. Quod quidem non eſt cognoſcere poſitivè, quid in ſe ſint ſupernaturalia. Eſt tamen cognoſcere, quin non ſint. Et hæc cognitio dicitur iudicium diſcretivum; quia inter increata, & creata, modo dicto, diſcernit, illam increatam veritatem ſegregans ab omni eo, quod illam obnubilare poteſt

Hoc iudicium diſcretivum eſt actus doni intellectus, cuius eſt, iuxta laudatum D. Thom. mentem acuere, & illuſtrare, vt procedat ſine admixtione errorum Quam veritatem docuit etiam ipſe Doct. Sanct. in 3. d. 34. q. 1. art. 2. per hæc verba: *In his autem, quæ ſupra rationem ſunt, perficit fides, quæ eſt inſpectio divinorum in ſpeculo, & in ænigmate: connaturalis enim modus eſt naturæ humanæ, vt Deum non niſi per ſpeculum creaturarum, & per ænigmata ſimilitudinum percipiat. Quod autem ſpiritualia quaſi nuda veritate capiantur, ſupra humanum modum eſt, & hoc facit donum intellectus.*

Eſt dicere: Vt homo poſsit cognoſcere divina, adeſt fides ſupernaturalis; quæ tamen ita in divina fertur, vt hominem non extrahat à connaturali modo, quem habet attingendi divina: videlicet in ſpeculo creaturarum, & in phãtaſmatum ænigmate. Per quem cognoſcendi modum, licèt habeat intellectus quantum ſibi eſt opus ad certitudinem; inſatiatus tamen manet; tum quia ſolo extrinſeco teſtimonio ducitur: tum quia per hoc non eſt liber ab erroribus. Ab erroribus, inquam, non hæreticæ pravitatis; ad hos enim eliminandos ſola fides ſufficit: ſed ab illis erroribus, quos ſimilitudinum ænigmata, ſeu phantaſmata cauſare ſolent. Hos omnes errores donum intellectus extirpat, faciens, quòd *divina quaſi nuda veritate capiantur*. Hoc eſt ſine phantaſmatum permixtione. Et hoc eſt cognoſcere evidentia negativa illud obiectum: prout ſcilicet cognoſcitur, eſſe aliquid longè ſuperius, quàm id, quod in phantaſmatibus repræſentatur. Vnde licèt donum intellectus non poſsit in hac vita pertingere ad cognoſcendum, quid in ſe ſit tale obiectum; pertingit tamen ad cognoſcendum, quid in ſe non ſit. Quocirca ſicut fides eſt principium contemplationis, quæ eſt per affirmationem: ita donum intellectus eſt principium contemplationis procedentis per negationem, aut remotionem, vtî cum citato D. Thom. tenent communiter Myſtæ.

89. Satis iam verborum eſt de ijs, quæ modò dicere poſſumus de iudicio diſcretivo, infrà penitiùs aperienda. Modo autem non nihil de eius differentia ab alijs dicemus. Ab alijs ergo actibus intellectus, quæ iudicia non ſunt, & à iudicio ipſo enuntiativo differt eo modo, quo iudicium credulitatis, in hoc enim conveniunt. Additque id, per quod ab illo diſcriminatur: quod conſiſtit in eo, quod iam diximus: nempe quòd iudicium diſcretionis non innititur extrinſeco teſtimonio ad cognitionem

nem, ſed penetrat prædicata intrinſeca obiecti, vel poſitivè, & quoad quid eſt in patria: vel negativè, & quoad quid non eſt in via. Ex quo diſcrimine tria apprimè notanda oriuntur.

Primum eſt: Quod fluctuatio illa, qua in conſpectu iudicij credulitatis angebatur intellectus, per iudicium diſcretivum exulat. Quia licèt intellectus non plenè ſatietur niſi in faciali intuitu Dei viventis. Nihilominus tamen relatè ad exilium, quo premitur, per hoc quòd ſpiritualia quaſi nuda veritate capiat, obiectumque ſecundùm ſua intrinſeca cognoſcat, ea fluctuatio ſedatur. Et ratio eſt manifeſta; Quia illius fluctuationis cauſa erat modus ille cognoſcendi obiectum propter extrinſecum teſtimonium. Qui modus non eſt proprius intellectui, qui, vt ſuprà dicebamus cum Div. Thom. tunc modo ſibi proprio procedit, quando *intus legit* obiectum, ſeu penetrat intima ipſius: hoc enim eſt intellectus, vtî diximus num. 80. Per donum intellectus hæc nobiliſsima potentia obiecta ſupernaturalia *intus legit*, eorum arcana profundiſsimè penetrando. Vnde quantum ſtatus patitur, fluctuatio ceſſat.

Secundum eſt: quòd iudicium credulitatis, ex quo obiectum propter extrinſecum teſtimonium cognoſcat, non procedit ex myſtica affectione, ac connaturalitate: immo ex captivitate procedit: aſſentire enim ob teſtimonium dicentis eſt captivare intellectum in obſequium fidei. Iudicium autem diſcretivum, non ſolùm non procedit cum illa captivitate; verùm etiam nec ex ſtudio, aut collatione procedit: ſed ex myſtica affectione, & experimento, & ex connaturalitate ad divina. Quod diſcrimen inter hoc vtrumque iudicium lucem magnam infrà nobis conferet.

Tertium denique eſt: quòd iudicium credulitatis eſt compatibile cum peccato: iudicium autem diſcretivum cum peccato incompatibile eſt. Fundamentumque conſtat ex dictis. Ex hoc enim quòd iudicium credulitatis non procedat ex vnione, ac connaturalitate ad ſupernaturalia, nihil habet, per quod repugnet dari in peccatore. Extrinſecum quippe teſtimonium Dei, non ſolùm iuſtos, ſed & peccatores movere valet, vt veritatibus revelatis aſſenſum præbeant. Cuius contrarium cernitur in iudicio diſcretivo ob oppoſitam rationem.

90. Scias denique recedendum à tua memoria non eſſe iudicium aliud principaliſsimum, quod vltra relata datur. Hoc eſt iudicium reſolutivum, quod num. 83. inſinuavimus, & §. 1. quæſtionis præcedentis, pingui licèt Minerva, explicuimus. Modo verò ſolummodo addere debemus: quòd ſi iudicium reſolutivum procedat per altiſſimas cauſas, eſt actus ſapientiæ: ſi verò procedat per cauſas inferiores, eſt actus ſcientiæ; vtriuſque tamen iudicium reſolutivum eſt.

Iudicium hoc reſolutivum differt à iudicio enuntiativo, & à iudicio credulitatis per id, in quo ab illis diſcriminatur iudicium diſcretivum. Ab hoc autem differt; quia iudicium diſcretivum analyticè non procedit; nec tradit cauſas; ſed ſimplicem terminorum notitiam, & penetrationem, vt dictum eſt. Iudicium autem reſolutivum facit, quod eius nomen exprimit, ſcilicet reddit rationem de eo, quod iudicat, illudque defendit: conſequenterque vltra rei cognitionem, cognoſcit etiam fundamentum, & rationem, propter quam obiectum ita cognoſcit. Quod eſt propriſsimè ſcire, vt ſuprà ex Philoſopho dicebamus.

His ergo ſic prælibatis, vt in ſequentibus expeditiùs gradiamur: in quæſtione hac non quærimus, an contemplatio ſit actus ad omnia prædicta ſpectans? Hoc enim fieri non poſſet ſine confuſione maxima, & diſpendio eorum, quæ dicenda ſunt: quæ proculdubiò vtiliſsima, & ſubtiliſsima ſunt. Vnde ſolùm inquirimus de iudicio inquiſitivo, ac de diſcurſu: qui actus priores ſunt, & ab illis non multum difficulter expediemur. De iudicio verò diſcretivo, & reſolutivo poſtmodùm in hac ipſa quæſtione tractabimus,

remit-

remittentes ad ſequentem diſputation. iudicium credulitatis.

§. II. *Duplex aſſertio ad quæſiti reſolutionem.*

91. SIt 1. concluſio: Contemplatio non eſt actus iudicij inquiſitivi. Aſſertio hæc eſt adeò certa, vt de illa prudenter dubitari non poſsit. Probatur ergo ratione fundamentali graviſsimis authoritatibus innixa. Etenim contemplatio formaliter, & eſſentialiter ſumpta eſt actus terminatus ad veritatem inventam: ergo non eſt actus iudicij inquiſitivi. Hæ duæ propoſitiones certæ ſunt; ſed in tali conſtitutione ſumus, vt vel certa probare compellamur. Et 1. probatur conſeq. Actus occupatus in inquirenda veritate, quam intellectus contempletur, non occupatur in contemplatione veritatis: iudicium inquiſitivum occupatur in veſtiganda veritate, quam intellectus contempletur: ergo non occupatur in contemplatione veritatis. Omnes propoſitiones ſunt innegabiles: vel dicant aliqui Myſtici, apud quos minor non eſt indubitatæ certitudinis; eo motivo ducti, vel vt propriùs loquar, ſeducti; quòd contemplatio dividitur in affirmativam, & negativam, de quo poſtmodùm. Iſti, inquam, myſtici dicant: cùm intellectus iudicio inquiſitivo vtitur habet veritatem, quam contemplandam inquirit, præſentem, vel non? Si non: ergo illam non videt; atque adeò nec contemplatur: contemplatio enim viſio eſt: ſi ſic: quid inquirit? Aut quo motivo ille actus dicitur inquiſitivus?

Anteced. autem conſtat ex illo Deuteronom. cap. 33. vbi dicitur: *Amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo quaſi thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Quibus verbis iuxta collectoris florum bibliorum intelligentiam, ſermo eſt de anima dedita contemplationi primæ veritatis, quam priùs inquirebat: qua inventa, in ipſa quaſi in dulciſsimo thalamo requieſcit, & inter humeros illius pace ſuaviſsima fungitur tota die. Non quia ſemper hac requie ſine ceſſatione fruatur: quandoquidem hoc incompatibile eſt cum miſera exilij conditione, vt alibi ponderavimus. Sed quia animæ ſponſus lux lucidiſsima eſt tenebras quaſcumque diſpellens, & diem ſplendidiſsimum cauſans inſtar lucidiſsimi Solis. Quo circa ſemper ac animæ præſens eſt, adeſt illi dies exultationis, & letitiæ, quibus orbatur, quoties Sol ille formoſiſsimus inter occulta ſapientiæ, ac providentiæ ſuæ reconditur. Tunc enim abſentem Solem de novo quærit in lectulo ſuo per noctes illius abſentiæ. Hocque exequitur interdum ſuſpiria ad ſuam abſentem veritatem mittens; interdum ipſam, ſimilis homini quærenti bonas margaritas, inquirens. Primum explicat Extat. N. Pat. in ſuo epithal. Cant. 1. ſic eiulans:

A donde te eſcondiſte
Amado, y me dexaſte con gemido,
Como el ciervo huiſte,
Aviendome herido
Sali tras ti clamando. y ya eras ido.

Secundum verò in alijs plurimis illius profundiſsimæ Eglog. cantionibus exprimit. Tertiam ſolummodò exhibeo.

Buſcando mis amores
Irè por eſſos montes, y riberas:
Ni cogerè las flores,
Ni temerè las fieras,
Y paſſarè los fuertes, y fronteras.

In harum Cant. explanatione mira Sanct. Doct. docet pro præſenti materia elucidanda.

92. Conſtat etiam idem antecedens ex illo Cant. cap. 3. vbi anima contemplatrix de ſe ipſa fatur in hunc modum: *Sub vmbra illius quem deſideraveram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Amore puro Sancta hæc anima ſaucia non vmbram Dei quærebat, ſed ipſum Deum ſummopere exoptabat. Hanc amoris puritatem eius verba teſtantur: ſiquidem non ait: *Sub vmbra illius, quam deſideraveram*; ſed *quem* deſideraveram. Hoc ergo puriſsimo amore Deum deſiderabat, & ipſo amo-

re

re impellente, illum maxima ſolicitudine quærebat. Invenit tandem; & quid ab ipſa factum invento Domino oſtendit, dicens: *Sedi, & fructus eius &c.* Non intelligas animam materialiter ſediſſe, ſicut nec quod ſponſum paſsibus materialibus quæreret. Quæſivit vicos, & plateas creaturarum mente luſtrans, donec inveniret. Et cùm invenit, illis actibus mentis, quibus quærebat, derelictis, ſedit, hoc eſt, requievit in contemplatione illius veritatis inventæ, qua guſtus eius dulciter recreabatur. Nec gloſſam vt proprij cerebri prolem cenſures, ſed vt maximæ authoritatis venerare. Audi D. Thom. inter alia in huius textus explanatione dicentem: *Fructus eius dulcis gutturi meo: ideſt divinitatis contemplatio, qua me ſatiari confido.* Idem docet Seraph. Ther. ſuper Cant. cap. 5. Idem Extatic. N. P. loco citato Cant. 34. vbi in perſona Sponſi dulciſsimè modulatur.

La blanca Palomica
A el arca con el ramo ſe ha tornado.
Y ya la Tortolica
A el ſocio deſeado
En las riberas verdes hà hallado.

In vltimi carminis explanatione ait inter alia Doct. Sanct. *Et quia hæc anima priuſquam ad hunc ſtatum perveniſſet, magno amore dilectum ſuum quæſivit, requiem ſine illo non habens, canit hic ſponſus ipſe finem ſui ſudoris, & ſui deſiderij adimpletionem dicens &c.* Repetit tres vltimos verſus cantionis datæ. Poſt quod ſubiungit: *Quod eſt idem ac dicere: Iam anima ſponſa ſedit delicias ex dilecti inventi præſentia percipiens, & iam hibit aquam claram altiſſimæ contemplationis, & ſapientiæ Dei.* Sic expertiſsimus iſte Doctor, qui in huius ſuæ doctrinæ comprobationem dicta verba ex 2. cap. Canticorum adducit.

Vide ergo quomodò aliud eſt quærere Deum, quem contemplemur, & aliud eſt contemplari Deum, quem quærebamus. Dum iudicium inquiſitivum adeſt, veritas non habetur, atque ideò non contemplatur: quia ad hoc debet eſſe præſens. Dum autem eſt præſens, contemplatur: ſed tunc ceſſat iudicium illud: quia motus in terminum, termino conſecuto finitur.

93. Oſtenditur vltimò veritas illius antecedentis ex definitione contemplationis, quæ iuxta D. Thom. ab omnibus ſecutum, *eſt ſimplex intuitus veritatis.* Cuius definitionis verba ſumenda ſunt in ſenſu omnino formali, & proprio, vt omnes docent loquentes de definitione. Vnde ly *intuitus* accipi debet in ſenſu omnino rigoroſo. Qua veritate ſuppoſita, deducitur hæc illatio: ergo contemplatio eſt actus terminatus ad veritatem inventam. Probatur: Quia contemplatio eſt *intuitus veritatis.* ſed non poteſt intellectus intueri veritatem, quæ ſibi præſens non ſit: ſicut nec viſus materialis videre poteſt rem abſentem: ergo.

94. Sit 2. aſſertio: *Contẽplatio non eſt actus ſpectãs ad 3. operationẽ intellectus.* Si aliquid probant omnia ea, quæ pro præcedẽti aſſerto ſtabiliẽdo dicta ſunt, illa ipſa, & præſens aſſertum ſuadent. Tum quia diſcurſus non terminatur ad veritatem præſentem, ſed illam abſentem hac illac vagans inquirit; vt de iudicio enũtiativo dicebamus. Tum quia diſcurſus non eſt actus ſubſtantialiter diverſus à iudicio enuntiativo, ſed ſolùm differt penes formalitatem ſuprà explicatam. Quæ formalitas deſtinata ex ſua natura eſt ad veritatem inquirendam. Tum quia datæ authoritates non loquũtur determinatè de iudicio inquiſitivo, ſed de omni eo, quo veritas inquiritur: quo circa poſſunt etiam diſcurſui applicari. Verùm

Probatur aſſertio ratione ex D. Thom. eruta: Contemplatio eſſentialiter accepta eſt ille actus, quo tamquàm forma conſtituitur vita contemplativa: ergo non eſt actus diſcurſus. Patet iſta: 1. Quia diſcurſus ſpectat ad vitam activam, vt alibi dictum eſt. Tum quia diſcurſus pertinet ad vitam contemplativam, vt diſpoſitio: implicat autem, quòd diſpoſitio ad aliquid ſit forma illud conſtituens. Tertiò denique, quia hoc magis conſtabit ex probatione antecedentis, quod planè eſt D. Thom. 2, 2. q. 180. art. 3. dicentis:

Con-

Contemplativa vita vnum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, à quo habet vnitatem. Habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc finalem, quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis: alij autem pertinent ad deductionem principiorum, cuius cognitio inquiritur. Vltimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis.

Quæ verba licèt clarissima sint, vt penitiùs calleas, placet adijcere illustre Caietani glossema: *Collige*, ait, *distinctè novem ad vitam contemplativam attinentia, quæ recitantur in littera. Et distinctè applica ad tria membra progressus in contemplatione in corpore articuli posita, scilicet acceptionem principiorum, deductionem ex principijs acceptis, & contemplationem ipsam. Et sic divide, ac distribue, vt auditio, lectio, & oratio ad acceptionem spectent: meditatio verò, speculatio, consideratio, & cogitatio ad deductionem. Contemplatio demum cum subsequente admiratione ad ipsam consummationem contemplationis.* Pondera verba hæc, & ex ijs antecedens positum; immo conclusionem ipsam affatim probatam esse cognosces. Quandoquidem vita contemplativa non constituitur per actus, qui ad acceptionem spectant: qui actus sunt simplicis apprehensionis, & propriùs iudicij inquisitivi. Vnde firmatur præcedens assertum. Nec constituitur per actus, qui spectant ad deductionem ex principijs acceptis, qui sunt propriſsimè actus discursus. Sed constituitur per alium vnicum actum, qui ad præiactos subsequitur, & ad quem alij actus iudicij, discursusque disponunt.

95. Confirmatur ratio facta ex definitione discursus, & contemplationis: Quia discursus est motus intellectus ab vna cognitione in aliam, quatenus ex aliquo priùs sibi noto procedit ad cognitionem alterius sibi ignoti: ergo contemplatio non est discursus. Hæc consequentia patet ex omnibus hactenus dictis: Siquidem si discursus tendit ad ostendendum id, quod intellectui discurrenti ignotum est, non potest esse contemplatio, quæ est actualis intuitus veritatis, seu actus, quo intellectus veritatem, iam notam sibi intuetur. Antecedens autem negari non debet, quia continet definitionem discursus, quam Div. Thom. docuit 1. p. q. 58. art. 3. hisce verbis: *Ad 1. ergo dicendum, quòd discursus quemdam motum nominat. Omnis autem motus est de vno priori ad aliud posterius. Vnde discursiva cognitio attenditur secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod priùs erat ignotum. Si autem vno inspecto, simul aliud inspiciatur, sicut in speculo inspicitur simul imago rei, & res, non est propter hoc cognitio discursiva.*

§. III. *Solvo argumenta dictas assertiones impugnantia.*

96. ARgumenta contra primam conclusionem pariter vt in plurimum impugnant secùdam. Sed claritatis gratia distinctè proponenda sunt. Contra 1. ergo arg. sic 1. Actus inquirens primam veritatem est contemplatio: ergo hæc est actus iudicij inquisitivi. Patet ista: Quia, vt dictum est, iudicium inquisitivum occupatur in inquisitione veritatis; & ob hoc dicitur inquisitivum. Anteced. autem est D. Greg. lib. 6. Moral. dicentis: *In contemplatione principium, quod est Deus, quæritur.* Quam authoritatem affert D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 4. in argument. *sed contra*, vt suam doctrinam confirmet: ergo ex mente vtriusque verum est illud antecedens.

Respond. Contemplationem absolutè sumptam non determinare contemplationem formaliter, & completivè acceptam. Dictum est suprà, contemplationem posse sumi pro ipso actu contemplationis, & etiam pro ijs actibus, qui contemplationem præcedunt. Medijs hisce actibus, sive iudicij inquisitivi, discursus, vtique prima veritas quæritur; sed quæ per ipsos actus con-

templanda non eſt; ſed per alium, qui ad ipſos ſubſequitur. Authoritas illa D. Greg. magnam energiam continet, facit enim hunc ſenſum: *In contemplatione*, non formaliter, ſed antecedenter ſumpta, *principium, quod es Deus, quæritur* contemplandum. Vnde *quæritur Deus*, vt contemplandus; conſequenterque quæritur contemplatio formaliter ſumpta ipſius Dei. Vide quæ diximus num. 94.

Hæc licèt congruè Gregorij mentem explanent, nobis neceſſaria non ſunt, qui aliunde ſenſum clarum datæ authoritatis venamur. Videlicet ex Ang. Doct. in contrarium adducto. Ibi enim Ang. Doct. decernit, Deum eſſe obiectum primarium cœleſtis contemplationis, alia verò ſecundarium. Quod vt ſuadeat, adducit verba illa Gregorij docentis, quòd *in contemplatione principium, quod eſt Deus, quæritur*: quia quodcumque obiectum contempletur, non debet ſumi, vt terminus, ſeu centrum, in quo contemplatio illa ſiſtat; ſed debet ad obiectum primarium, quod eſt Deus, elevari; in eoque veluti in centro requieſcere.

97. Arg. 2. Contemplatio dividitur in eam, quæ eſt per affirmationem, & in eam, quæ eſt per negationem: ergo eſt actus iudicij enuntiativi. Antecedens eſt omnium Myſticorum cum quibus in noſtra Ilagoge eo modo contemplationem diviſimus. Et conſequentia eſt ita certa, vt probari non debeat. Affirmationem, & negationem eſſe actus iudicij enuntiativi, quis negavit?

Breve argumentum. Sed quod nonnullos Myſticos fecit depromere mirabilia. Iam q. 2. huius diſp. vidimus aliquem dicentem, contemplationem eſſe actum ſimplicis apprehenſionis. Qui tamen ab hoc argumento ſe expedit dicens, motum affirmativum, & negativum mediare inter ſimplicem apprehenſionem, & diſcurſum; conſequenterque de vtroque extremo participare. Quocirca oratio, quæ eſt per affirmationem, & quæ eſt per negationem, participat naturam contemplationis, quæ eſt actus operationis primæ, & naturam meditationis, quæ ſpectat ad diſcurſum: quiaque, licèt hoc ab illis participet, eſt operatio ab eis diverſa. Propterea nec eſt propriè contemplatio, nec meditatio, ſed quædam oratio media à meditatione, & à contemplatione diſtincta.

Hic huius authoris diſcurſus mirabilis ſuæ lucindæ viſus eſt, quæ, vt inſcia reponere non valuit. Sub quo artifice fabricata eſt illa oratio media, quæ nec eſt oratio contemplationis, nec diſcurſus? Et etiam: an contemplatio, quæ ſemper, vt autumat ipſe, eſt actus ſimplicis apprehenſionis, ſit per affirmationem, vel negationem. Quòd ſit: eſt contra ipſum: quia aliàs (primò) omnis contemplatio erit oratio media. (ſecundò) Quia iam contemplatio omnis ſpectabit, & non ſpectabit ad primam operationem. Spectabit quidem, quia ſic opinatur author ille. Non ſpectabit: quia affirmatio, & negatio ad primam operationem non ſpectant. Quòd non ſit: non facilè ſuadebit. Quandoquidem qui Deum contemplatur, vel contemplatur ipſum ſub aliqua perfectione ab ipſo conceptibili, vel contemplatur cum, vt ſuperiorem cuicumque perfectioni ab ipſo imaginabili: nec hîc facile eſt medium aliquod invenire. Vnde cùm primus ille modus ſit affirmativus, & negativus ſecundus non poteſt non ad aliquem ex illis pertinere contemplatio, quam primæ operationis prolem facit. Sed aerem verbero, & litus aro.

Ad rem ergo devenientes reſpondetur ad factum argument. conceſſo anteced. negando conſeq. Itaque contemplatio per affirmationem, & negationem eſt propriè, ac rigoroſè contemplatio; ſed non eſt actus iudicij enuntiativi, ſed alterius iudicij actus eſt. Cuius ratio eſt clara: Quia qui de Deo affirmat aliquam perfectionem, vel negat, aliquem diſcurſum, vt minùs virtualem, habuit priùs. Qui enim ex cognitione alicuius perfectionis creatæ aſſurgit ad contemplandum perfectionem creatoris, hoc diſcurſu dirigitur:

Om-

Omnis perfectio, quæ est in Creatore, est infinitè perfectior, quàm in creatura: sed hæc perfectio quam in hac creatura admiror, est in Creatore: ergo est infinitè perfectior. Et hanc perfectionem, quam per hunc discursum invenit, affirmatque de Deo, contemplatur. Taliter tamen, quòd nec discursus, nec affirmatio est contemplatio; sed actus ad affirmationem, & negationem subsecutus. Nec talis contemplatio dicitur affirmatio, sed dicitur contemplatio per affirmationem: quia per affirmationem habetur. Quod adhuc clariùs cernitur in contemplatione per negationem: illam enim præcedit hic discursus: *Deus est supra omne id, quod ego cognoscere possum: ergo omne id, quod cognoscere possum, non est Deus.* Et ex hac negatione, qua vtitur sic procedens, dicitur contemplatio hæc negativa. Non quia ipsa negatio contemplatio sit. Contemplatio quippe actus positivus est, terminaturque, dum sic procedit, ad id, quod non posse in suam mentem cadere, percipit. Et ab hoc modo, quem habet: dicitur negativa, seu per negationem, quod sexcentis exemplis confirmari poterat earum rerum, quæ à modo, quo habentur, denominantur. Res enim, quæ per generationem habet esse, dicitur genita, & quæ per creationem dicitur creata: quin hæc sit creatio ipsa, nec illa in generatione, per quam habetur consistat.

98. Arg. 3. contra 2. concluſ. ex Epistola ad Rom. cap. 1. v. 20. vbi dicitur: *Invisibilia enim ipsius* (Dei) *à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quibus verbis edocemur, vtî vnanimiter docent P.P. ac Theologi, quòd per discursum à creatura in Creatorem Creatoris invisibilia contemplamur. De quo videri potest Mystic. N. Doct. loco citato à Cant. 4. vsque ad 7. vbi hoc clarissimè docet: ergo contemplatio est actus discursus.

Conf. hæc ratio: Quia omnes Mystæ dividunt contemplationem per tres illos motus rectum, obliquum, & circularem: sed hi motus planè sunt actus discursus: ergo & contemplatio.

Hoc argumentum simile est præcedenti, similique modo enodandum. Etenim à creatura procedit anima ad Creatoris cognitionem. Verùm processus ille non est contemplatio, sed meditatio: media qua meditatione ascendit anima ad contemplationem Dei. Vnde motus illi, qui in confirmatione recensentur, præter circularem, sunt actus discursus, quibus anima vel à creatura ascendit ad Creatorem, vel ab hoc descendit ad creaturam, vt iterum regrediatur ad Creatorem. Non tamen sunt contemplatio formalis; sed contemplatio formalis quæritur per illos motus, seu meditationes. A quibus denominantur contemplationes subsecutæ, vt in simili num. præcedenti dicebamus. Cum his tamen motibus numerandus non est circularis; quia hic est *ipsa simplex Dei contemplatio*, vt loquitur Caietan. 2. 2. q. 180. art. 6. vbi videndus est D. Thom. pro perfecta intelligentia horum motuum. Nobis enim non licet plenum articul. exscribere: sed nec potuimus lectorem ad illum non remittere, vt videat quidquid pro re præsenti desiderare valet.

99. Arg. 4. Ideò contemplatio non esset actus discursus, quia hic est motus; illa autem quies in termino: sed hæc ratio est nulla: ergo &c. Maior, seu sequela constat ex omnibus, quæ dicta sunt. Min. autem probatur: Quia *operatio intellectus, in qua contemplatio essentialiter consistit, motus dicitur*, ait D. Thom. modò citatus: ergo ratio excludens contemplationem à discursu; quia hic habet rationē motus, nulla est.

Confirmatur: Quia inibi ad 1. ait Doct. Ang. *Quòd motus corporales exteriores opponuntur quieti contemplationis, quæ intelligitur esse ab exterioribus occupationibus: sed motus intelligibilium operationum ad ipsam quietem contemplationis pertinent.* Quid clarius? Tunc sic: sed discursus non est motus corporalis exterior; sed motus *intelligibilium operationum*: ergo contemplatio est actus discursus.

Respond. argum. distinguo maio-

rem : *Quia eſt motus* ſecundum illam rationem generalem, qua omnis mutatio, etiam prorſus à materia independens, dicitur motus : neg. anteced. *Quia eſt motus* ex ſpeciali motivo, videlicet; quia tendit ad veritatem inveniendam ; concedo anteced. Solutio ex dictis patet, conſiſtitque in eo, quòd actus perfecti dicitur motus dupliciter. Primò ob generalem rationem omnem actum perfecti comprehendentem : Et prout ſic ipſa contemplatio dicitur motus. Volitiones, & intellectiones Angelorum dicuntur motus: Immo D. Tho. 1.p. q.9. art. 1. ad 1. ipſas divinas intellectiones, & volitiones appellavit motus. Quocirca diſcurſus non excluditur à ratione contemplationis, quia hoc modo dicatur motus. Excluditur tamen, quia eſt motus deſtinatus ad inquirendam veritatem : quod contemplatio ipſa non habet, cùm veritatem præſentem intueatur.

Ad conf. reſpond. Doctrinam illam D. Thom. dirigi ad oſtendendum contemplationem compatibilem non eſſe cum ſolicitudine, & adhæſione ad res viſibiles, à quibus ſegregari debet, qui contemplari deſiderat. Motus autem intellectuales, vt ſunt iudicia, & diſcurſus *ad ipſam quietem contemplationis pertinent*, non quia contemplatio ſint, ſed quia ijs medijs, invenitur veritas contemplanda, vt dictum eſt.

100. Vltimò arg. Quia vt conſtat ex dictis num. 95. diſcurſus eſt motus intellectualis, in quo ex cognitione vnius noti devenitur in cognitionem alterius priùs ignoti, per diſcurſum tamen noti: ergo cognitio diſcurſiva attingit veritatem, quæ eſt obiectum contemplationis, non vt abſentem, ſed vt præſentem, & iam inventam: ergo talis cognitio diſcurſiva eſt contemplatio. Anteced. patet ex ijs, quæ citato num. dicta ſunt. Et inde conſtat 1. conſequent. quia diſcurſus verè eſt, qui invenit veritatem : vnde illam vt præſentem intuetur. Et ex his probatur 2. conſequēt. Quia illa cognitio terminatur ad veritatem præſentem, vt eſt præſens, & vt eſt formaliter veritas: ergo eſt formaliter contemplatio. Anteced. eſt certum: Quia cognitio illa ſine inquietudine diſcurſus reſpicit veritatem inventam, quam perfectè cognoſcit ad diſtinctionem ſimplicis apprehenſionis. Et conſequent. probatur : Quia nihil aliud requiritur ad contemplationem formaliter talē, vt ex omnibus dictis notum eſt.

Reſpond. ſubtili Caietani loco citato doctrina : Ait enim quòd contemplatio ſimplicis quidditatis *fit in termino diſcurſus abſque diſcurſu aliquo*. Sicque omnis veritas diſcurſu inventa *contemplatur in termino diſcurſus abſque diſcurſu aliquo*. Quibus adde id, quod ſupra diximus, videlicet, iudicium, prout ambit omnia munera §. 1. dicta, & diſcurſum non eſſe operationes ſubſtantialiter differentes; ſed ſolùm quoad munera diverſas. Vnde cùm munus proprium iudicij inquiſitivi, & diſcurſus ſit quærere veritatem, hac inventa, ceſſat diſcurſus, & incipit alius actus. Nec hic actus, qui in termino diſcurſus incipit, contemplatur illam veritatem ibi, vbi illam, vt ſic dicamus, invenit: ſed regreditur ad principia, ex quibus deducta eſt, vt illam in ipſis principijs contempletur : ex quo apparet, quod non eſt diſcurſus, qui veritatem contemplatur. Iterum audiendus eſt D. Thom. num. 69. laudatus. *Nec rationis diſcurſus ad aliquid certum perveniret, niſi fieret examinatio eius, quod per diſcurſum invenitur ad principia prima, in quæ reſolvit, vt ſic intellectus inveniatur rationis principium quantum ad viam inveniendi ; terminus verò quantum ad viam iudicandi.* Nec aliter motus hic intellectualis circularis foret.

Vnde ad argument. in forma reſpondetnr diſting. primum conſequens: *attingit veritatem*, vt deductam ex alio, tranſeat ; vt reſolutam ad illud aliud, ex quo deducta eſt. Neg. conſequent. Et ſimiliter ſecunda conſequentia abſolutè negetur: Quia, vt verum foret illud conſequens, debebat cognitio illa diſcurſiva attingere illam veritatem, vt examinatam in principio, in quod reſolutio fit. Per quod patet ad alia, quæ in eodem argumento dicuntur.

QVÆS-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Vtrùm contemplatio divina ſit actus iudicij diſcretivi?

IVdicio credulitatis ad ſequentem diſputationem remiſſo, vt num. 90. præmonuimus, & etiam pluribus, quæ ad iudicium diſcretivum ſpectant, ad eamdem futuram diſputationem remiſsis: ea de hoc ſolummodò diſputabimus, quæ ſine iniuria præſentis diſputationis a nobis prætermitti non poſſent. Quid autem ſit iudicium diſcretivum conſtat ex dictis à num. 88.

§. I. *Duplex aſſertum dirimit controverſiam.*

101. SIT 1. concluſio: *Contemplatio divina, quæ eſt propriſſimè Theologia myſtica, non eſt actus iudicij diſcretivi.* Sic D. Thom. mox laudandus. Sicque omnes ſentire reor, quamquàm ſub his terminis non loquantur. Probatur ergo 1. concluſ. hac ratione. Contemplatio, quæ eſt propriè Theologia myſtica eſt actus doni ſapientiæ: ergo non eſt actus iudicij diſcretivi. Anteced. eſt apud omnes myſticos certum: omnes enim faciunt Theologiam myſticam actum illius ſuperni, ac nobiliſsimi doni, vt poſteà videbimus. Et inde probatur conſequentia. Iudicium diſcretivum eſt actus doni intellectus, vt conſtat ex dictis num. 88. ergo ad ipſum non attinet contemplatio, quæ eſt actus proprius alterius habitus omnino à dono intellectus diſtincti, qualis eſt donum ſapientiæ: ergo cùm contemplatio, quæ eſt Theologia myſtica, ſit actus proprius doni ſapientiæ, non poteſt ſpectare ad iudicium diſcretivum.

102. Probat. 2. concluſ. ratione fundamentali deprompta ex D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 1. quam ſub hac forma proponimus. Iudicium diſcretivum eſt id, à quo incipit motus ſcientificus: ergo ad ipſum non ſpectat contemplatio, quæ eſt propriè Theologia myſtica. Conſequentia bona eſt, quia contemplatio, quæ eſt propriè Theologia myſtica, eſt propriè ſcientia, vti diximus tomo 1. diſp. 1. q. 7. & ſcientia non habetur in principio ſcientifici motus, ſed in termino. Aliàs diſcurſus ſuperfluus foret. Et generaliter (vt ſic ſcientiam, quæ per diſcurſum non habetur, qualis eſt myſtica infuſa, comprehendamus) ſuperflua foret cognitio per cauſas, ſeu rationes à priori: ſi ab exordio motus intellectualis haberetur cognitio eorum, quæ per tales cauſas ſcitur. Anteced. autem probatur ſic: Iudicium diſcretivum, vt dictum eſt, eſt actus doni intellectus: ſed donum intellectus verſatur circa ea, à quorum cognitione incipit motus ſcientificus: ergo. Minor eſt D. Thom. art. citato per totum; ex ijs tamen, quæ ad 2. dicit, probatur ipſa minor. *Quia ita ſe habet lumen ſuper additum* (hoc eſt donum intellectus) *ad ea, quæ nobis ſupernaturaliter innoteſcunt, ſicut ſe habet lumen naturale ad ea, quæ primordialiter cognoſcimus*, verba ſunt Ang. Doct. ſed lumen naturale, nempe habitus principiorum, non verſatur circa ea, quæ cognoſcuntur per cauſas; ſed circa ea, à quibus incipit ſcientificus motus: ergo ſimiliter.

103. Confirmatur hæc ratio: Donum intellectus præbetur homini, vt attingat ea, quæ cognoſceret per habitum principiorum, ſi eſſet capax cognoſcendi res omnino ſupernaturales: ſed ſi habitus principiorum hac capacitate fulgeret, non eliceret actum ſcientificum; ſed actum, qui ad ſcientificum præſupponitur: ergo donum intellectus non elicit contemplationem ſcientificam. Conſeq. bona eſt. Et maior eſt D. Thom. citati dicentis in fine corporis: *Lumen autem naturale noſtri intellectus*

lectus est finitæ virtutis: vnde vsque ad terminatum aliquid pertingere potest. Indiget ergo homo supernaturali lumine, vt vlteriùs penetret ad cognoscendum quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Et illud lumen supernaturale homini datum, vocatur donum intellectus. Minor autem propositi syllogismi probatur sic: si illa virtute fulgeret habitus principiorum, attingeret intra ordinem supernaturalem ea solùm, quæ modò attingit intra lineam naturalem: sed modò intra lineam naturalem non attingit veritates per causas, nec eius actus scientificus est, sed præsupponitur ad illum: ergo.

104. Secunda conclusio: *Contemplatio, quæ non procedit per causas est actus iudicij discretivi.* Hæc assertio est D. Thom. quem omnes mystici sequuntur. Probaturque sic breviter ratione ex D. Thom. citata q. 8. art. 7. quæ ad hanc brevem formam reducitur. Actus proprius doni intellectus est perfectissima contemplatio: sed, vt dictum est, iudicium discretivum est actus doni intellectus: ergo iudicium hoc est contemplatio perfectissima. Maior, in qua poterat esse difficultas, probatur. Dei visio, sive perfecta in patria, sive inchoata in via, est perfectissima contemplatio: sed visio Dei, sive perfecta in patria, sive inchoata in via, est actus proprius doni intellectus: ergo. De bonitate consequent. sicut nec de veritate maioris dubitandum non est. Min. autem est expressa D. Thom. dicentis: *Duplex est Dei visio, vna quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia. Alia verò imperfecta, per quam & si non videamus de Deo quia est, videmus tamen quid non est: & tanto in hac vita Deum perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus, cum excedere quidquid intellectu comprehenditur. Et vtraque Dei visio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus consummatum, secundùm quod erit in patria: secunda verò ad donum intellectus inchoatum, secundùm quod habetur in via.*

105. Confirmat. 1. Iudicium discretivum in linea naturali est perfecta contemplatio: ergo & iudicium discretivum supernaturale. Consequentiam suadet paritas, & anteced. probatur. Iudicium discretivum naturale est actus habitus principiorum, qui intellectus dicitur: sed actus huius habitus est perfecta contemplatio: ergo. Min. constat: Quia talis actus est simplicissima, & profundissima cognitio veritatis, quæ est principium immediatum, ex qua mediatæ veritates deducuntur. Vnde nihil desideratur, quo minus perfectissima contemplatio sit. Non quæ per causas procedat; sed quæ principia respiciat.

106. Confirmat. 2. In linea naturali, vltra contemplationem, quæ est per causas supremas, & infimas, datur contemplatio, quæ terminatur ad veritates immediatas, discretivè de illis iudicans: ergo in linea supernaturali, vltra contemplationem, quæ est per altissimas, & infimas causas, estque propria donorum sapientiæ, & scientiæ, datur contemplatio, quæ discretivè iudicet de veritate. Conseq. ex paritate patet. Et anteced. constat. Nam vltra contemplationem, quæ est actus virtutum intellectualium sapientiæ, & scientiæ in linea naturali datur in eadem linea actus alterius virtutis intellectualis, quæ dicitur intellectus, & talis actus est perfectissima contemplatio, vt dictum est. Vnde hoc potiori titulo concedi debet in linea supernaturali ob sui perfectionem.

§. II. *Propono, solvoque argumenta contra vtramque conclusionem.*

107. CONtra 1. conclusionem plura opponi possunt: sed quæ hîc supponi debent nè speciebus peregrinis implicemur. Vnde ijs derelictis; contra ipsam primam conclusionem arg. 1. Iudicium discretivum penetrat perfectissimè veritatem, quam cognoscit: ergo cognoscit illam per causam, vel per effectum. Anteced. est cer-

certum, & conſeq. probatur: Quia cognitio, quæ non eſt per cauſam, vel per effectum, eſt cognitio ſuperficialis: ergo cognitio iudicij diſcretivi, quæ adeò penetrativa eſt, eſt per cauſam, vel per effectum.

Si dicas: Cognitionem iudicij credulitatis eſſe certiſsimam, & tamen non eſt per cauſas; fides enim per cauſas, vel effectus non aſſentit, ſed propter authoritatem revelantis: ergo non eſt verum, quòd cognitio, quæ non eſt per cauſas, vel effectus, ſit ſuperficialis.

Contra eſt 1. Quòd fides innititur teſtimonio divino, à quo certitudinem mutuatur, vel ipſam maximam certitudinem evidentiæ ſcientiarum naturalium ſuperantem: iudicium autem diſcretivum non innititur huic divino teſtimonio; aliàs enim foret iudicium credulitatis, ſeu actus fidei: ergo vt iudicium diſcretivum adeò profundè veritatem penetret, debet eſſe per cauſas, vel effectus eius.

Contra 2. Quia iudicium credulitatis, tametſi illa firmitate fulgeat, relinquit ſubiectum cum fluctuatione illa, quam diximus num. 85. & huius fluctuationis origo provenit ex eo, quòd cognitio fidei non eſt per cauſas: ſed iudicium diſcretivum aufert iſtam fluctuationem, vt diximus: ergo eſt cognitio per cauſas.

Reſpond. argum. conceſſo anteced. negando conſeq. Ad probation. diſting. anteced. *Cognitio &c.* ſi ad illam ſpectet procedere modo analytico, & reſolutivo: Concedo. Si hoc ſit extraneum naturæ illius cognitionis, neg. anteced. Eſt dicere: Quòd ſi ad iudicium diſcretivum attinere procedere reſolutivè; tunc imperfectè cognoſceret; ſi ſolùm cognoſceret diſcretivè. Ad lineã iudicij diſcretivi nullatenus ſpectat modus ille analyticè procedendi. Vnde licèt illud relatè ad iudicium reſolutivum, non ſit adeò perfectum; in ſe tamen perfectiſsimum eſt. Quod duplici exemplo comprobatur: Primum eſt habitus principiorum, cuius actus eſt iudicium diſcretivum naturale, eſtque actus perfectiſsimus, tametſi per cauſas, aut effectus non procedat; ſed ſolùm ex penetratione terminorum. Quo circa licèt ſit minùs perfectum, quam iudicium ſapientiæ: in ſe tamen perfectiſsimum eſt. Idem dicimus de iudicio diſcretivo ſupernaturali. Et ad hoc dicendum adeſt motivum vrgẽtiſsimum quod ſuprà dedimus, videlicet, quòd habitus principiorum verſatur circa principia, non circa ea, quæ inde derivantur: vnde totum ſuum munus eſt ex penetratione terminorum iudicium de veritatibus ferre. Sic ergo iudicium diſcretivum ſupernaturale, authore D. Thom. citata q. 8. art. 6. ad 2. *Eſt circa prima principia cognitionis gratuitæ*: eòque totum ſuum munus conſiſtit in hoc, quòd penetret terminos, ex quibus propoſitiones, quæ ſunt principia cognitionis gratuitæ componuntur.

Secundum exemplum eſt fidei, cuius iudicium perfectiſsimum eſt, quamquàm ex cauſis, vel effectibus non procedat. Et hoc, quia ad illam ſic procedere non ſpectat. Vnde ſolutionem inter arguendum datam approbamus. Ad 1. impugnationem, quatenus datæ doctrinæ ob eſſe poteſt, ſuppoſita ſuperioritate fidei Theologicæ ſupra omnia Spiritus Sancti dona, reſpondetur: quòd ſi fides innititur teſtimonio Dei dicentis, donum intellectus ducitur motione Spiritus Sancti ſpecialiſsimè, & efficaciſsimè moventis. Vnde ſi Deus illa ſua ſpeciali locutione refundit tam inſignem certitudinem: nihil mirum, quòd donum intellectus, quod procedit ex illa motione ſpeciali ipſius Dei ad penetrationem veritatis, illam penetret perfectiſsimè; quin per cauſas, aut per effectus procedat.

Ad. 2. impugnationem reſpondetur: Quòd, vt ſuprà diximus, fides ex ea parte, qua eſt de non apparentibus, patitur illam fluctuationem. Et verum eſt, quòd ſi fides analyticè procederet, illam ſecum fluctuationem non pateretur. Quam, etiam verum eſt, ſecum non permittere iudicium diſcretivum. Ratio huius ea eſt: Quòd inter iudicium credulitatis permittens illam fluctuationem, & iudicium analyticum illam

non

non permittens, mediat iudicium diſcretivum, quod cum analytico convenit in eo, quod illam fluctuationem eliminet. Vnde falſa eſt cauſalis illa maioris, videlicet, quòd origo huius fluctuationis eſt, quia fides non procedit per cauſas. Hæc enim cauſalis falſa eſt: Quia origo illa eſt, quòd fides eſt de obiecto obſcuro, & inevidenti. Quod non habet, non ſolùm iudicium reſolutivum, ſed nec diſcretivum, vtî ex ſuprà dictis conſtat.

108. Dices: Iudicium diſcretivum etiam attingit obiectum obſcurum: ergo non poteſt auferre illam fluctuationem; vel illam ſecum non patietur iudicium credulitatis. *Reſpond.* diſting. anteced. *obſcurum* obſcuritate poſitiva, & intrinſeca, tranſeat: obſcuritate extrinſeca, & negativa, nego anteced. Iudicium diſcretivum attingit obiectum evidentia extrinſeca, & negativa; quatenus licèt non cognoſcat, quid eſt; cognoſcit tamen quid non eſt. Et hoc ſat eſt, vt illam ſecum fluctuationem non patiatur, licèt per cauſas non procedat.

109. Replicabis: Non eſt intelligibile, quid hæc evidentia extrinſeca, & negativa conducat ad perfectionem iudicii diſcretivi ſupernaturalis: aut quomodò cum hac ſolùm evidentia negativa, quam dicit, poſsit eſſe cognitio adeò perfecta. *Reſpondetur*: prænotando ex D. Thom. dicta q. 8. art. 2. quòd inter obiecta fidei alia cadunt per ſe, & directè ſub fide, vt quod Deus ſit Trinus, quòd carnem pro mundi ſalute aſſumpſerit &c. alia verò cadunt ſub fide, quatenus ad illa prima ordinãtur ſicque ſub fide cadunt, quæ in divina Scriptura cõtinẽtur. Iterum ſcire debes: Quòd cognitionum aliæ ſunt abſolutè perfectæ; aliæ verò licèt abſolutè perfectæ non ſint, ſunt tamen perfectæ relatè ad ſtatum, in quo habentur. Hinc ergo:

Dicimus: Quòd iudicium diſcretivum, quod, vt ſupponimus, fide regulatur, cognoſcit perfectè cognitione abſolutè perfecta plura ex ijs, quæ ſecundo modo ad fidem ſpectant. Et ideò cognitio perfecta ſenſus Sacræ Scripturæ pertinet ad iudicium hoc, quarè Lucæ cap. 24. dicitur, Dominum aperuiſſe diſcipulis ſenſum, *vt intelligerent ſcripturas*. Et conatus ad horum perfectam intelligentiam, & quantum cum exilij miſeria compatiatur, omnium eorum, quæ ſub fide cadunt, huius nobiliſsimi iudicij actus eſt. Quo circa Angelo dixit Angelorum Domina: *Quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod non interrogavit, quia de auditis dubitaſſet, firmiſsima enim fide vera eſſe, credebat. Sed quia donum intellectus, ſuppoſito aſſenſu à fide præſtito ob revelantis teſtimonium, intima dictorum ſatagebat penetrare, & illa, quantum in via permittitur, comprehendere. *Ea verò*, quæ primariò cadunt ſub fide, non poſſunt in via per iudicium diſcretivum ſciri cognitione abſolutè perfecta: poſſunt tamen cognoſci cognitione perfecta relatè ad viæ ſtatum: in quo habetur cognitio illa. Et hæc cognitio eſt illa extrinſecè, ac negativè evidens, de qua multoties diximus. Quamque tradit Div. Thom. citatus dicens: *Alio modo contingit aliquid intelligi imperfectè, quando ſcilicet ipſa eſſentia rei, vel veritas propoſitionis non cognoſcitur, quid ſit, aut quomodò ſit: ſed tamen cognoſcitur, quòd ea, quæ exterius apparent, veritati non contrariantur, in quantum ſcilicet homo intelligit, quòd propter ea, quæ exteriùs apparent, non eſt recedendum ab his, quæ ſunt fidei.* Hoc eſt, quod facit iudicium diſcretivum ſupernaturale: & hoc eius nobilitatem oſtendit. Quia licèt hæc cognitio abſolutè imperfecta ſit, tamen pro hoc ſtatu eſt nobiliſsima.

110. Inſtas: Vtriuſque credibilis, primarij, ac ſecundarij cognitio tradita non eſt propria iudicij diſcretivi, ſed ſine illo dari poteſt: ergo ſi cognitio propria huius iudicij eſt adeò excellens, erit vtique alia, quæ ſcilicet per cauſas procedat. Conſeq. ſequitur, & anteced. facilè probatur. Quia, ſi loquamur de credibili ſecundario, Theologus perfectè callere poteſt ſenſus Scripturæ Sacræ, & ſive ſit, ſive non ſit in gratia, atque

que adeo etiam si non posit habere iudicium discretivum supernaturale, quod sanè in peccatoribus non datur, vt docet D. Thom. art. 5. similiterque Theologus, & si in peccato sit, cognoscit per suam Theologiam, & per fidem, ex qua illa Theologia procedit, Deum, qui est primum credibile, non esse intelligendum modo, quo à phantasmatibus repræsentatur, nec cum erroribus hæreticæ perversitatis. Et vt vnico verbo plura comprehendam: omnia, quæ dicimus fieri à iudicio discretivo supernaturali, faciunt in Theologo peccatore Theologia, & fides: Immo & fides sine Theologia facit ipsum in fideli non Theologo, qui, fide ductrice, scit, *quòd propter ea, quæ exteriùs apparent, non est recedendum ab his, quæ sunt fidei.* Vt ait D. Thom. qui clariùs loquitur art. 4. ad 2.

Respondetur; Evidentiam illam negativam ostendentem res divinas non esse capiendas ad instar rerum sensibilium, aut errorum hæreticæ perversitatis; tripliciter haberi posse. Primò ex proprio studio, ac industria. Secundò propter testimonium Dei revelantis. Tertiò denique ex instinctu speciali Spiritus Sancti res illas divinas penetrare faciente. Primo modo invenitur evidentia illa negativa in Theologo. Secundo modo invenitur in fideli: nec illa evidentia provenit à iudicio discretivo supernaturali. Vnde sine illo dari fatemur. Tertio verò modo est illa evidentia adeò propria iudicij discretivi supernaturalis, vt sine illo repugnet. Et de evidentia negativa hoc tertio modo accepta locuti fuimus. Consequenterque sine recursu ad cognitionem per causas habet iudicium discretivum suam sibi prorsus propriam cognitionem perfectissimam perfectione huius status.

111. Non quiescis: Quia in peccatore abominabili interdum invenitur illa evidentia negativa ex instinctu speciali Spiritus Sancti res, quas inspirat, penetrare faciente: ergo hæc evidentia non est propria iudicij discretivi supernaturalis. Probas antecedens: Quia Caiphas iniquissimus cùm esset, ex speciali instinctu Spiritus Sancti cognovit expediens esse Christum mori, ne tota gens periret, quod in alijs visum est: ergo.

Respondetur verum esse, Caipham prophetasse, dicitur enim Joan. cap. 11. sic: *Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine: cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis, vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat: Hoc autem à se metipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius prophetavit.* In operibus Div. Thom. occurrit quater hic textus, videlicet super citatum caput Joannis lect. 7. & in ad Corinth. cap. 12. & in 4. dist. 19. in vltima expositione textus. Et tandem quodlib. 9. art. 16. in corp: quibus si addamus, quæ ipse Doct. Sanct. locutus de prophetia in communi ait 2. 2. q. 172. & de verit. q. 12. art. 5. habebimus plura, quibus factam instantiam enodemus.

Respondetur ergo 1. Caipham vtique prophetasse, ad quod ad fuit specialis instinctus Spiritus Sancti, non tamen datus personæ, sed eius officio. Sic ait D. Thom. quodlib. citato, & super Joan. & constat ex ijs verbis textus: *Cùm esset Pontifex anni illius prophetavit.* Nos autem loquimur de instinctu præstito personæ, non officio, & hoc ratione alicuius habitus, qui est donum intellectus, petentis motionem illam Spiritus Sancti. Ex quo *Respondet.* 2. Caipham prophetasse, sed non fuisse Prophetam; quia illa motio Spiritus Sancti, quæ ibi adfuit, non fuit petita ab aliquo habitu in ipso existente; cùm potiùs eius habitus tali motioni opponerentur. Nec ex aliquo actu prophetandi potest quis propheta dici, sicut nec iustus dicitur ex aliquo bono opere, quod faciat, ait D. Thom. loco citato ex sententiarijs. *Respondetur* 3. Prophetasse, sed non fuisse Prophetam: quia nullam cognitionem habuit eorum, quæ dixit, quæ potiùs ad pravum suum intentum dirigebat. Propheta autem, ait D. Thom. loco citato ex 2. 2. & de verit.

verit. aliqua ad minus cognoſcit ex ijs, quæ dixit. Et nos loquimur de inſtinctu Spiritus Sancti faciente penetrare veritates, ad quarum cognitionem datur.

Reſpond. 4. Quòd & ſi Propheta fuiſſet, non infertur ex hoc, quòd fuiſſet iuſtus, vt probat D. Thom. locis proximè adductis. Nos verò loquimur de inſtinctu ſpeciali Spiritus Sancti iuſtis ſolummodò præſtito. Quia donum intellectus, vt docet Ang. Doct. eadem 2. 2. q. 8. art. 5. ſolùm datur in habentibus gratiam. *Reſpondetur* 5. Quòd licèt iuſtus fuiſſet; inſtinctus ille nullatenus illi erat debitus, quia nemini debetur Ptophetia, dicente D. Paulo: *Nunquid omnes Prophetæ?* Inſtinctus autem, de quo loquimur, debetur omnibus iuſtis, quantum ad ea, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, vt probat. D. Th. dicta q. 8. art. 4.

Reſpondetur tandem, & præcipuè, nos loqui de inſtinctu ſpeciali Spiritus Sancti regulante iudicium diſcretivum, quod procedit ex connaturalitate quadam, & myſtica vnione, ac guſtu ad veritates ipſas, quas penetrat, & diſcernit. Quæ in malevolis repugnant: ſiquidem *in malevolã animam non introibit ſapientia*, hæc myſtica. Immo nec dantur in iuſto operante ex ſtudio, vel ex fide, & non ex dono. His omnibus non adhuc prorſus evacuata eſt vis propoſiti argumenti. Illam tamen evacuabimus diſputatione ſequenti.

112. Arg. 2. contra 2. concluſ. Iudicium diſcretivum ſpectat ad ſimplicem apprehenſionem: ergo non eſt contemplatio. Conſeq. conſtat ex dictis tota quæſt. 5. & anteced. Prob. Actus doni intellectus ſpectat ad ſimplicem apprehenſionem: ergo iudicium diſcretivum, cùm ſit actus doni intellectus, ad ſimplicem apprehenſionem ſpectat. Prob. anteced. ex D. Thom. 1. 2. q 68. art. 4. vbi clariſsimè ait: *Pertinere ad donũ intellectus apprehẽſionẽ veritatis, quæ pertinet ad inventionem in parte ſpeculativa.* Et hãc ipſam doctrinã pluries repetit Doct. Sanct. in diverſis locis.

Contemplationem in frigida ſede ſimplicis apprehenſionis collocantes duplici motivo ducuntur. Primum eſt, verbũ illud *ſimplex*, quod eſt in diffinitione contemplationis, ob quod filiam eam faciunt operationis nomen habentis idem: ac ſi ab illa matre nomen ſortita fuiſſet. Hoc iam ſuprà explosum eſt. Secundum motivum, illudque aiunt graviſsimum, eſt data Div. Thom. authoritas. Eorum tamen cognitio procedit ex falſa apprehenſione, quam habere videntur de operationibus intellectus ſpeculativi, qua, nè decipiaris & ipſe, ſcias breviter: dictas operationes ita ordinatas eſſe, vt vltima habeat id, quod duæ anteriores habent, & addit aliquid. Secunda habet id, quod prima, cum additione tamen. Vnde diſcurſus verè iudicat, & addit hoc, quòd eſt diſcurrere. Siquidem diſcurrit iudicando, ſeu iudicat diſcurrendo. Iudicium verè apprehendit veritatem; ſed non fatuè iudicat, ſicut prima operatio, ſed de ipſa veritate, quam apprehendit, iudicat, diſcernitque. Quocirca ſimplex apprehenſio nihil aliud facit, niſi apprehendere veritatem. Iudicium autem ſub formalitate iudicij, non diſcurrit: iudicat tamen, & apprehendit. Diſcurſus denique apprehendit, & iudicat, & diſcurrit. Vnde

Reſpond. ad argument. neg. duo antecedentia. Ad authoritatem D. Thom. dicimus: Sanct. Doct. dixiſſe ad donum intellectus ſpectare apprehenſionem veritatis; quia reverà illam iudicando, ac diſcernendo apprehendit. Vnde ex hac authoritate nihil contra nos habetur. Et ſanè cùm Div. Thom. loquatur de apprehenſione veritatis, *quæ pertinet ad inventionem* planè oſtendit, ſe loqui de apprehenſione, quæ fit per iudicium. Tum quia ſimplex apprehenſio non reſpicit veritatem formaliter talem, vt ſuprà diximus. Tum quia veritas non invenitur per ſimplicem apprehenſionem, ſed per iudicium, & diſcretionem vnius ab alio. Nec ad hoc ſuadendum neceſſarium duximus Doct. Angelici authoritates, quibus præſens punctum abundat, afferre, cùm in re ſummè clara ſimus. Recole, & hæc

ſuf-

sufficiat, quam suprà dedimus num. 102. & 103. vbi Sanct. Doct. ait donum intellectus facere in linea supernaturali, quod in naturali habitus principiorum, qui absdubiò non simplici apprehensione cognoscit, sed perfectè iudicat, discernitque circa veritates, quas inspicit.

113. Dices: Et quid dicemus ad id, quod D. Thom. docet in 3. d. 35. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. per hæc verba: *Intellectus videtur nominare simplicem apprehensionem, sed sapientia nominat quamdam plenitudinem certitudinis ad iudicandum de apprehensis?* Hic enim non solùm nominat intellectum simplicem apprehensionem; sed illum contradistinguit à sapientia, quia hæc iudicat de apprehensis.

Sed facilè respondetur: Veritatem cognosci per simplicem apprehensionem, & *per quamdam plenitudinem certitudinis*, per quam iudicatur *de apprehensis*. Inter quos cognoscendi modos mediat cognitio iudicij discretivi, quæ est de veritate formaliter vt tali, & non dicit *plenitudinem certitudinis ad iudicandum de apprehensis*. Quandoquidem hanc certitudinem non dicit, nisi iudicium illud, quod fuerit per causas, & ex causis: hoc enim iudicium causat *plenitudinem certitudinis*. Iudicium autem discretivum, quamquàm verè iudicium sit, illam *plenitudinem certitudinis* non causat, cùm non procedat ex causis, & per causas. Quocirca comparato cum iudicio resolutivo videtur apprehensio: & sub hac comparatione locutus est D. Thom. qui non dixit: *Intellectus nominat simplicem apprehensionem; sed videtur nominare*. De iudicio autem sapientiæ non dixit: *Videtur nominare*, sed *nominat*: quia videlicet sapientia est verè iudicium, & eius actus procedendi hoc *nominat*. Intellectus autem licèt absolutè sit verè iudicium, collatus tamen cum sapientia *videtur* apprehensio.

QUÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm Divina contemplatio sit actus iudicij resolutivi?

HÆc est præcipua difficultas huius gravissimæ disputationis, sed quam breviter absolvemus. Tum quia plura, quæ ad ipsam spectant, ad sequentem disputationem reservari indispensabiliter debent. Tum quia ex dictis in q. q. præcedentibus ferè omnia, quæ in hac dici possunt, nota sunt. De contemplatione, quæ est actus intellectus doni locuti sumus quæstione antecedenti: modò autem loquimur de omni alia contemplatione divina sive infusa sit, sive acquisita.

§. I. *Pars affirmativa proponitur, ac probatur.*

114. SIt nostra conclusio: *Divina contemplatio est actus iudicij resolutivi.* Assertio hæc est omnium ferè Mysticorum, quamvis sub his terminis non loquantur. Probatur ergo conclusio 1. hoc discursu: Etenim contemplatio divina, quæ est per causas, & ex causis est actus intellectus speculativi: at non est actus simplicis apprehensionis, aut iudicij inquisitivi, credulitatis, aut discretivi: ergo est actus iudicij resolutivi: Consequentia constat à sufficienti partium enumeratione; non enim datur alius actus intellectus speculativi. Maior autem est certa: Quia contemplatio, de qua hîc loquimur, est actus illius intellectus, qui est principium omnis contemplationis, quem esse intellectum speculativum, constat ex tota quæstione 5. Minor autem quoad 1. partem probata à nobis est tota q. 6. quoad alias patet ex q. q. sequentibus. Vnde relinquitur, quod si actus iudicij resolutivi

115. Probat. 2. conclusio: Contemplatio, quæ non est ex iudicio discretivo est actus sapientiæ, & scientiæ: ergo est actus iudicij resolutivi. Patet

ista : Quia iudicium resolutivum est proprius actus sapientiæ, & scientiæ, vtpotè quæ procedunt per causas, & ex causis. Anteced. autem probat. 1. ex D. Thom. qui in 3. dist. 35. q. 1. art. 1. ad 1. ait : *Fides est cognitio simplex articulorum, quæ sunt principia totius humanæ sapientiæ. Procedit enim sapientiæ donum secundùm Deiformem contemplationem, & quodammodò explicitam articulorum, quæ fides sub quodam modo involuto tenet secundùm humanum modum.* Vbi clarissimè diuinam contemplationem, actum esse doni sapientiæ adstruit. Quod etiam dicit de dono scientiæ pluribus in locis : cum illa tamen differentia, quòd contemplatio, quæ est propria doni sapientiæ, est quæ procedit per causas altissimas; contemplatio verò doni scientiæ procedit per causas inferiores, & creatas. In hoc discriminantur sapientiæ, & scientiæ dona ; conveniunt tamen in eo, quòd per causas, & ex causis contemplentur. Videatur idem Ang. Doct. 2. 2. q. 9. vbi & speciatim art. 2. contemplationem esse actum huius vtriusque doni, cum discrimine tamen assignato, docet.

Probatur 2. idem anteced. ex D. Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 19. dicente : *Sapientia divinis, & æternis; scientia humanis, & temporalibus attributa est rebus.* Et lib. 14. cap. 1. ait: *Secundùm distinctionem, qua dixit Apostolus, alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ ista definitio dividenda est, vt rerum divinarum scientia propriè sapientia nuncupetur, humanarum autem scientiæ nomen obtineat.*

Probatur 3. idem anteced. Quia id ipsum faciunt in linea supernaturali, & infusa donum sapientiæ, & scientiæ, quod in linea naturali faciunt sapientia, & scientia, quæ sunt virtutes intellectuales ; sicut suprà de habitu principiorum, ac dono intellectus dicebamus ; sed sapientia, & scientia virtutes intellectuales habent pro actu contemplationem ; prima illam, quæ est per altissimas causas ; secunda verò illam, quæ est per causas inferiores: ergo pariformiter contemplatio diuina, quæ est per supremam causam est actus doni sapientiæ, & quæ est per causas creatas, est actus doni scientiæ.

116. Petes : Quid est procedere dicta dona per supremam, ac per inferiores causas ? *Respondet.* ex D. Thom. locis proximè citatis, ad sapientiam spectare iudicare de omnibus. Quod iudicium dupliciter potest fieri. Primò per studium, & collationem. Secundò ex affectuosa, & mystica connaturalitate. Primum iudicium est proprium sapientiæ, & scientiæ virtutum intellectualium. Secundum autem est propriũ sapientiæ, & scientiæ, quæ sunt Spiritus Sancti dona. Per hæc enim dona iudicat de omnibus Mysticus : *Spiritualis enim omnia iudicat.* ex 1. ad Corinth. cap. 2.

Vtrumque autem iudicium potest fieri vel per causas, & ex causis, vel per effectus, & ex effectibus. Tunc iudicium fit per effectus, quando effectus alicuius causæ assumuntur vt medium ductivum in causæ cognitionem; atque adeò contemplatur causa ex ijs, quæ effectus ipsi menti contemplantis obtulerunt. Secundùm illud : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Et illud Sapient. 23. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter potest Creator horum videri.* Tunc autem iudicium fit per causam, quando hæc est medium, quod assumitur, vt effectus cognoscatur.

Rursus: Hæc causa, quæ assumitur ad cognoscendum effectum potest esse suprema, vel infima : si causa sit inferior, iudicium, quod tunc de effectu fit, est actus scientiæ, doni, vel virtutis intellectualis pro qualitate iudicij facti. Si autem causa sit suprema, iudicium factum est actus sapientiæ virtutis intellectualis, vel doni. Hæc autem causa suprema est duplex : nam alia est absolutè, & simpliciter suprema, vt est Deus Opt. Max. & tunc iudicium est sapientiæ simpliciter, & absolutè talis. Alia autem est suprema in determinato genere : & tunc iudicium est sapientis in illo genere determinato.

Advertendum tamen hìc maximè

mè est cum D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. & q. 9. art. 2. ad 2. quòd istud iudicium resolutivum habet motivum, quod ducitur, & obiectum, quod contemplatur. Ad dignoscendum tamen an iudicium sit actus doni sapientiæ, vel scientiæ, non tam considerandum est obiectum, quàm motivum. Si namque per creatas cognoscitur Deus, iudicium non est sapientiæ, sed scientiæ: si verò per res divinas de creatis iudicemus, iudicium non est actus scientiæ, sed sapientiæ. Verba D. Thom. ex dicta q. 9. subijcio. *Cùm homo per res creatas Deum cognoscit, magis videtur hoc pertinere ad scientiam, ad quam pertinet formaliter, quàm ad sapientiam, ad quam pertinet materialiter. Et è converso cùm secundùm res divinas iudicamus de rebus creatis, magis hoc ad sapientiam, quàm ad scientiam pertinet.*

Hæc autem ad praxim pro divina contemplatione applicantes, exemplum adest, quo clarissimè percipiantur. Etenim videntes Apostoli cæcum illum, de quo Ian. cap. 9. mentio fit, interrogaverunt Dominum. Quæ causa inter infimas fuit, quæ illam cæcitatem causaret: *Rabbi, quis peccavit hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Quibus Dominus respondit: *Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei.* Huius cæcitatis, quæ res infima est, duplex causa potuit esse: Prima altissima, videlicet manifestatio operum Dei: secunda inferior, videlicet peccatum cæci ipsius, aut parentum eius, in cuius pœnam inflicta esset. Apostoli hoc secundum iudicantes interrogavere, an ipse cæcus, an parentes eius peccassent: quibus responsum est, causam illius cæcitatis non esse inferiorem, sed altissimam. Modò ergo pro exercitio nostræ contemplationis: accedit mens ad cognoscendam illam cæcitatem, & iudicat, causam illius fuisse peccatum; vel vt minùs potuisse esse. Hoc iudicium est actus doni scientiæ. Quod extemplò assurgit ad contemplandum iustitiam, & pietatem Domini. Iustitiam in inflictione pœnæ. Pietatem; quia cùm potuisset peccantem æterno suplicio destinare: attamen quia cùm iratus est, misericordiæ recordatur, non vult mortem illius peccatoris, sed magis quòd convertatur, & vivat: quocirca illum cæcitate percutit, vt eo suplicio monitus resipiscat. In quo plurima, eaque suavissima ac vtilissima habet, quæ contempletur de Deo per scientiæ donum tale iudicium efformans.

Aliter accedit mens, & videns cæcitatem illam iudicat esse effectum causæ altissimæ, videlicet manifestationis operum Dei, qui etiam sine speciali aliqua culpa præcedente, potest illam cæcitatem mittere, quia est absolutus Dominus: & sicut potuit hominem illum in chaos nihilitatis derelinquere, quin ei iniurius foret: sic potuit illum visu orbare obsolam sui absoluti dominij exhibitionem. Hoc autem iudicium est doni sapientiæ mentem sublimantis ad contemplandam innenarrabilem omnipontentis potentiam, aliaque quæ ipso dono inspirante se se offerunt. Hoc ergo est iudicium doni sapientiæ, & scientiæ: sicque ad contemplationis exercitium reducendum pro vtilitate animarum.

117. Dices: Si ita res ista se habet, donum sapientiæ, & donum scientiæ discursiva sunt; non enim valent illa omnia fieri sine ratiocinatione, ac discursu: at hoc est contra D. Thom. qui q. 9. citata art. 1. ad 1. ait de dono scientiæ, idem de sapientiæ dono intelligendum est: *Divina scientia non est discursiva, nec ratiocinativa, sed simplex & absoluta, cui similis est scientia, quæ ponitur donum Spiritus Sancti, cùm sit quædam participata similitudo ipsius:* ergo si, quæ diximus, vera sunt, dicta dona discursiva erunt.

Huic obiectioni Mag. Joann. à Sanct. Thom. admittere non renuit 1. 2. disp. 18. art. 4. num. 35. talia dona esse discursiva, non ex se, sed ex conditione subiecti, cui conceduntur, saltim pro hoc statu. Sicque obiectio facta solvitur sine oppositione ad illa, quæ D. Thom. docet: quia Sanct. Doct. loquitur de illis donis secundùm ea, quæ habent

bent ex se, & sic discursiva non sunt. Ex conditione tamen subiecti, cui infunduntur, ac ijs medijs operatur, non negat, quod sunt discursiva. Suadere que nititur hanc suam explicationem ex ipso Doct. Ang. Qui 3. p. q. 11. art. 3. docet: quòd Christus Dominus potuit vti, & de facto vsus est, scientia sua infusa cum discursu, & sine discursu. Sine discursu quidem, quia talis scientia de se discursiva non est. Cum discursu; quia habens illam scientiam est discursivus: ergo similiter.

Huius tamen præclari Thomistæ glossa non placet. Vnde contra illam disputo sic 1. Quia D. Thom. non loquitur ibi de dono scientiæ sine habitudine ad naturam, sui in abstracto; sed per ordinem ad naturam ipsam; verba eius sunt. *Ad 1. ergo dicendum, quòd certitudo cognitionis in diversis naturis invenitur diversimodè secundùm diversam cognitionem vniuscuiusque naturæ.* Hincque, natura humana, ac divina in exemplum suæ doctrinæ adductis, concludit, donum scientiæ nullatenus discursivum esse; quia natura, seu *divina scientia non est discursiva, vel ratiocinativa, sed absoluta, & simplex*: & tamen sic illam considerans denegat discursivam esse.

118. Si dicas: naturam, de qua D. Thom. loquitur, non esse naturam subiecti, in quo donum scientiæ recipitur, sed naturam, in qua radicatur. Per hanc naturam, in qua radicatur, discursivum non est, & hoc est, quod docet D. Thom. non tamen negat, quòd ex imperfectione subiecti discursivum sit *in hac vita saltem.* Quod allata paritate scientiæ Christi Domini animæ infusæ perspicuum est. Etenim illa scientia est perfectio, perfectiùsque participat divinam scientiam, quàm donum scientiæ: & tamen Christus Dominus vsus est discursu in exercitio illius scientiæ: ergo sic.

Contra tamen, & disputo 2. Nam si paritas illa aliquid suadet, convincit quidem donum scientiæ esse discursivum non ob imperfectionem subiecti, in quo recipitur; sed quia ipsum ex sua natura hoc dicit, vel permittit: at hoc non concedit perdoctus hic Theologus, cùm sæpe recurrat ad subiecti imperfectionem: ergo &c. Probatur mai. Quia quòd Christus Dominus vsus fuerit illa scientia cum discursu non fuit ob imperfectionem subiecti recipientis, sed aliunde, vt iam videbimus: ergo similiter.

Disputo 3. Quia & si Christus Dominus vsus fuerit cum discursu scientia illa, hoc fuit pro libito ipsius, & etiam, vt, quatenus illa scientia vtebatur, ostenderet, se esse naturæ discursivæ, attamen vsus regularis illius scientiæ non fuit per discursum, sed ex simplici intuitu, vt illa petit: ergo si paritas adducta tenet, probabit quidem contemplativum posse pro suo libito vti dono scientiæ cum discursu, & sine illo: at hoc non concedit hic Theologus: ergo nullum subterfugium habet in paritate, ad quam confugit. Antecedens est prorsus certum, de quo videri possunt nostri Salmant. tract. 21. disp. 20. dub. 2. Consequentiæ bonitas ex paritate infertur. Nam vel hoc probat illa paritas, vel nihil probat. Minor autem subsumpta probatur 1. Quia si hoc concederet, iam sibi ipsi contrariaretur toties recurrens ad imperfectionem subiecti: quandoquidem vti dono scientiæ iam per discursum, iam sine illo pro libito vtentis, non est huius imperfectio, sed superioritas magna Et ex hoc *probatur* 2. illa minor: Quia si hæc non est vera, poterit beatus vti etiam dono scientiæ cum discursu; quia id, quod perfectionis, & superioritatis est, potiori iure concedendum est beato, quàm viatori: at hoc renuit concedere author hic; cùm dicat, & repetat *in hac vita saltem*; cùm potius deberet dicere: In patria saltem vbi perfectius pro libito suo potest vti dono scientiæ, qui illud habet: ergo. *Probatur* 3. ipsa minor: Quia si non est vera; relatè ad illas occasiones, in quibus contemplatibus vtitur dono scientiæ sine discursu, reddit totum argumẽtum factum: consequenterque inquirendus est modus, quo solvatur.

Dis-

Disputo 4. Quia quòd Christus Dominus vteretur discursu in exercitio scientiæ infusæ, non fuit, quia hæc adæquatè sumpta, non sit essentialiter non discursiva; sed quia ipsa permittit, vt suum obiectum partiri valeat, attingique per diversos conceptus formales, quorum vnus sit prior, vt minus, natura, quàm alius, de quo videri debent laudati Salmantic. sed contemplativus non sic partiri valet obiectum doni scientiæ; & si illud sic partiri posset, non esset ob imperfectionem subiecti; sed potiùs ob sui perfectionem; eòque potiùs hoc posset facere Beatus, quàm Viator: ergo ex paritate illa non probatur, donum scientiæ esse discursivum.

Disputo 5. Quia si donum scientiæ est discursivum in viatore, ob huius imperfectionem, semper cum discursu procederet; quia semper talis imperfectio viget in via; immo, & in patria; consequenterque nunquam sine discursu erit, quod & nihil aliud requiritur, vt tale donum in homine dicatur essentialiter discursivum; sive differat essentialiter, sive non differat à dono scientiæ Angelorum: sicut patet à simili, quia intellectus hominis est essentialiter discursivus, & intellectus Angeli est essentialiter non discursivus; & tamen secundùm probatissimam opinionem non differunt specie hi intellectus.

Disputo denique: Quia hæc glossa non est multum conformis reverentiæ debitæ Ang. Magistro; quandoquidem ex illa sequitur, D. Thom. non bene solvisse argumentum. Hoc enim intendebat probare, scientiam in homine non posse esse *donum*, quia scientia in homine discursiva est: ad quod non respondet D. Thom. quod est donum, quia licèt ex imperfectione recipientis sit discursivum; ex se tamen discursivum non est: sed negat absolutè, hoc donum esse discursivum, redditque rationem consistentem in eo, quòd tale donum est participatio scientiæ Dei, *quæ non est discursiva, vel ratiocinativa, sed absoluta, & simplex.* Vbi nec vestigium adest discursus in dono scientiæ.

119. Sicque asserendum est: nullatenus fore discursivum cum nostris Salmantic. in arbore virtutum num. 24. ad obiectionē tamen ex num. 117. Respond. cum eadem, & cum laudato Joan. à Sanct. Thom. num. 34. Dona sapientiæ, & scientiæ omnia illa facere simplici intuitu, & sine omni prorsus discursu dicuntur tamen modo resolutivo procedere; quia ex parte rerum, quas cognoscunt, dabilis est discursus. Cognoscunt enim causas per effectus, & è contra. Et hæc obiecta attingibilia sunt per discursum: ast ex parte modi, quo dicta dona cognoscunt talia obiecta, nullus discursus adest, est enim simplex ille modus. In quo differunt hæc dona à dono intellectus, quod neque ex parte modi cognoscendi, neque ex parte rei cognitæ discursivum est; cùm eius obiectum sint prima principia, quæ ex eo, quòd sunt prima, in alia irresolubilia sunt.

§. II. *Respondetur argumentis.*

120. PRimum argumentum, cui in præsenti occurrere debemus est illud, quod proposuimus q. 4. num. 65. Ad quod ergo ex dictis respondetur: Contemplationem non esse actum simplicis apprehensionis, vt diximus quæst. 5. nec esse actum iudicij enuntiativi, aut discursus, vt diximus q. 6. esse tamen actum iudicij discretivi, & resolutivi cum data explicatione, videlicet, quòd contemplatio, quæ non est per causas, aut ex causis, nec per effectus, aut ex effectibus, est actus iudicij discretivi, vt diximus quæst. 7. contemplatio autem, quæ est per causas, & effectus est actus iudicij resolutivi, vt vidimus in hac q. 8.

121. Arg. 2. illa authoritate D. Thom. in nos obiecta num 77. Quia in apprehensione, ad quam spectat contemplatio, *non est error*: sed in iudicio resolutivo est error; est enim iudicium capax erroris, sicut & dubietatis, & suspicionis, & opinionis: ergo contem-

platio

platio non attinet ad iudicium resolutivum. Mai. est expressa D. Thom. in ea authoritate, quæ est ex 2. 2. q. 180. art. 6. ad 2. Minor autem solùm indiget explicatione. Etenim quandoque post multos discursus hinc, inde factos solet manere discurrens cum sola illa certitudine, videlicet, quòd in neutram contradictionis partem inclinari debeat, eòque dubius hæret. Interdum etsi habeat motivum, quo vni parti adhærere resolvat, est adeò debile, vt solùm generet suspicionem. Insuper potest vni parti ex gravi motivo adhærere, sed tamen cum formidine alterius: vnde generat opinionem: ex quibus constat, talem operationem erroris esse capacem; siquidem in illo, quòd suspicatur, & opinatur, errare potest; & vtinam non toties erraret: ergo &c.

Hoc argumentum aliquibus negotium facessivit propter illam authoritatem D. Thom. cùm tamen hæc difficultas omnes vrgeat: quandoquidem error, vt suprà diximus, etiam inveniri potest licèt, per accidens in prima operatione intellectus, vt docet D. Thom. 1. p. q. 17. art. 3. Vnde, si in operatione, ad quam pertinet contemplatio, *non est error*: ad nullam intellectus operationem contemplatio spectabit; siquidem omnes operationes intellectus capaces sunt, vt interdum in ipsis, sive per se, sive per accidens, error inveniatur. Quarè ad factum argumentum

Respondet P. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 10. num. 5. & 7. D. Thom. loqui de contemplatione religiosa tam acquisita, quàm infusa. Contemplatio infusa, ait, est actus fidei; quarè contemplatio hæc est incapax erroris; quia fidei non potest subesse falsum. Contemplatio acquisita est actus Theologiæ scholasticæ, vt diximus tom. 1. disp. 1. Vnde mediatè, & radicaliter est à fide: propterèaque incapax etiam erroris; quia si errorem admitteret, fidei mediatè influenti attribueretur. Quamobrèm verum semper est D. Thom. dictum, nec nostræ resolutioni contrariatur.

Hanc solutionem sufficientissimè argumentum dissipare, fatemur. Veremur tamen, si mentem D. Thomæ prorsus explicet. Non enim ait D. Ang. in hoc actu non est error, sed *in hac operatione animæ non est error*. Operatio siquidem latius quid est, quàm actus: quia plures actus pertinent ad eandem operationem: eoque videmus operationes intellectus speculativi esse tres, ad quas innumeri actus spectant, & plurimi essentialiter differētes: vt ad tertiam pertinet syllogismus dialecticus, & demonstrativus. Ad secundam iudicium inquisitivum, credulitatis, discretivum, & resolutivum. Bene video, quòd ly *operatione* per illud relativum *hac* refertur ad actum contemplationis, de quo ibi loquitur. Sed, si possumus datam authoritatem vniversaliùs exponere, quis prohibet, exponamus?

122. Quarè, data solutione non reiecta, proponimus D. Thom. verba, quæ hæc sunt: *Cessante discursu, figatur eius intuitus in contemplatione vnius simplicis veritatis, & in hac operatione animæ non est error, sicut patet, quia circa intellectum primorum principiorum non erratur, quæ simplici intuitu cognoscimus.* Est dicere: quòd quia iudicium resolutivum est actus intellectus regredientis ad prima principia, à quibus exijt veritatem quæsiturus, in illaque revertitur, vt in ipsis veritatem inventam contempletur, errorem non admittit. Loquitur enim Ang. Doct. de motu intellectivo scientifico; atque adeò recto: quiaque ex vero semper, & infallibiliter sequitur verum; propterea ex principijs iam sibi notis rectè procedens intellectus, non errorem, sed veritatem infert. Cùmque hæc ipsa veritas, quam infert, sit, quam iudicium resolutivum contemplatur: ideò *in hac operatione animæ*, hoc est in iudicio resolutivo, *non est error*. Estque hæc doctrina Aristotel. lib. 2. Post. cap. vltimo dicentis: *Cùm autem mentis habitum quibus verum perspicimus, quidam veri perpetuò sint, vt intellectus, atque scientia: quidam interdum falsum suscipiant, vt opinio &c.* Ecce, quòd sicut semper verus est intellectus, seu habitus princi-

pio-

piorum; ita ſemper verus eſt actus ſciẽtificus, de quo loquitur D. Thom.

Vnde, admiſſo illo P. Suarij Gloſſemate, illud extendimus, non ſolùm ad contemplationem religioſam infuſam, & acquiſitam, in qua error non poteſt eſſe, ob ea, quæ audivimus: ſed etiam ad contemplationem philoſophicam, quæ operatio ſcientifica eſt; quocirca in illa *operatione animæ non eſt error*. Vnde ad argument. in forma reſpond. neg. min: Ad eius explicationem dicas: Iudicium certum non compati cùm illo dubio, nec cùm ſuſpicione, nec cùm opinione. Et potiori titulo error eſt impoſsibilis ex ſuppoſitione quòd motus rectus ſit, verumque aſſumatur; ſic enim ſẽper ſequitur verum. De hocque iudicio loquitur D. Thom. noſque cùm ipſo loquimur. Videatur idem D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 1. & de verit. q. 14. art. 1.

123. Arg. 3. Contemplatio eſt principaliter actus intellectus ſpeculativi, & minùs principaliter practici: ergo non eſt actus iudicij reſolutivi. Anteced. conſtat ex dictis q. 4. & conſeq. probatur. Iudicium reſolutivum, vt eſt actus doni ſcientiæ, nullatenus pertinet ad partem ſpeculativam, & vt eſt actus doni ſapientiæ, nullo modo pertinet ad partem practicam: ergo non poteſt ad iudicium reſolutivum ſpectare contemplatio, quæ ſimul ad vtramque partem pertinet. Conſeq. bona eſt: & anteced. eſt expreſſum D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 4. vbi ait: *Ad rectè autem iudicandum ſpeculativa quidem per ſapientiam; practica verò per ſcientiam perficitur*: ergo actus doni ſapientiæ nullatenus ad partem practicam attinet; nec ad partem ſpeculativam actus doni ſcientiæ.

Reſpond. verum eſſe, quod D. Thom. in illa fuit ſententia in 1. 2. ſed illam expreſiſsimè retractavit 2. 2. q. 45. & 9. & 8. art. 1. vtî obſervat Caietanus, & omnes Sanct. Doct. interpetres. Hic enim communis Magiſter non ſolùm laboravit pro publica vtilitate tradens lucidiſsimum theſaurum ſuæ Angelicæ doctrinæ; ſed etiam corrigens nonnulla à ſe tradita, qui labor dubio procul ſuperat precedentem, dicente vulgari libro 3 de Ponto:

Scribentem iuvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens pectore fervet opus.
Corrigere ad res tantò magis ardua quantò
Magnus Ariſtarcho maior Homerus erat.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA.

De principio proximè elicitivo divinæ contemplationis.

POſtquam de potentia proximè eliciente divinam contemplationem diſputavimus, recta methodo ad diſputandum de principio proximè concurrente ad elicientiam ipſius divinæ contemplationis tranſimus. Principium quippe hoc eſt habitus potentiam proximè contemplatricem elevans, habilitans, ſeu complens, vt valeat contemplationem elicere. Sicut enim non poteſt anima ſine concurſu potentiæ proximæ contemplari: ſic nec potentia proxima valet ſine habitu complente divinam contemplationem elicere. Gravia ſunt, quæ in hac diſputatione occurrunt, pluraque de donis Spiritus Sancti dicere, neceſſe eſt: cæterùm ſeriò de illis agere, non poſſumus, ne ſeriem diſputationum exturbemus. Plures Myſtæ de donis ſignatè agunt; illos tamen imitari in hac parte non valemus: ſed ſupponenda à nobis ſunt ex Theologia ſcholaſtica omnia, quæ à D. D. ſcholaſticis diſputantur de exiſtentia donorum, de numero eorum, ac perfectione: de diſtinctione à virtutibus, etiam ſupernaturalibus, tum moralibus, tum

Theologicis: aliaque plura huc ſpectantia, quæ ſine cenſura tractari à nobis non poſſunt. Si namque hic inſereretur diſputatio de iſtis omnibus, ſeu de eorum aliquibus, iuſtiſsimè diſpliceret. Simili enim motivo diſputat. antecedenti poſſemus ad incudem controverſiæ vocare animæ potentias, earum ab illa, ac inter ſe diſtinctionem, obiecta, actus, & huiuſcemodi alia, quibus præpediremur, & rem affatim obſcuram tenebricoſa illa methodo confunderemus: nec per hoc Myſticos, qui de donis agunt, damnamus: Quia modus ille doctrinalis, quo procedunt, id patitur; ſed Scholaſticus rigor, quo myſtica verſamus, non permittit. Vnde illa à nobis ſupponenda ſunt, & ex illis, quod noſtra refert pro contemplatione divina deducendum. Vt autem quantum de donis ſciri oportet, comprehendas, vide Ang. Doct. q. q. citatis, vbi plena manu de illis agit. Vide etiam inter eius expoſitores Caietanum, Bañez, Bancel, & Mag. Ioan. à Sanct. Thom. qui ſemper magnus, in hac parte nulli ſecundus eſt. Inter Myſticos diſcipulos eiuſdem Sanctiſsimi Præceptoris vide N. V. Thomam a Ieſu, Mag. Valgorn. Lucernam myſticam, myſticam Diſceptationem, & alios, ex quibus omnibus nobis indiſpenſabilia libabimus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm fides Theologica ſit principium proximè eliciens divinam contemplationem?

SVmus in campo, quem ſæpe ſæpius nedum in hoc tomo, verùm etiam in præcedenti recuſavimus. Motivum fuit, quòd tempus pro hoc certamine opportunum nondum advenerat. Hoc tamen iam adeſt: Vnde citò deſcendere in arenam debemus; nè opportunitas, quam temporis præſentia diſpenſat, temporis offerentis rapida volubilitate evaneſcat. Quippe vt Virgilius 3. Georg. modulatur,

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Et Seneca in Hipol.

Volat ambiguis mobilis alijs Hora.

Tempore congruo omnia facienda eſſe, monemur multoties à ſacro oraculo. Nec huius dogmatis notitia abſcondita Ovidio fuit dicenti lib. 1. de remed.

Aggrediar meliùs, tunc cum ſua vulnera tangi
Iam ſinet, & veris vocibus aptus erit.

Et etiam, Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia, irriteſque vetando,
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.

Sin minus, ſi promiſsis ſtare nolim congruo hoc tempore, eiuſdem vulgaris epiſt. 6. iuſtam cenſuram incurram.

Mobilis Aeſonide, vernaque incertior aura,
Cur tua polliciti pondere verba carent?

Verùm enim vero non ſolùm cõgruam occaſionem ſperare diſtulit controverſiam; ſed etiam, ingenuè fateor, pondus difficultatis, quam retardare volui, vt vt valui. Amplius differe non poſſum, vltroneus dilaturus ſi valerẽ. Quocirca auxilio divini Numinis implorato ad bellum hoc ingens accingor.

§. I. *Supponuntur aliqua, quæ viam parant ad intelligentiam eorum, quæ dicenda sunt.*

1. VT conceptum incipias efformare præsentis controversiæ, scias 1. Quòd sicut præsens litigium non dirigitur ad habitum imperantem actum contemplationis, vt ex quæstionis titulo constat: sic etiam non est de elicientia impropria, seu in lata quadam acceptione, qualiter habitus existens in vna potentia elicit actum alterius potentiæ, sicut de actu intellectuali orationis, qui elicitur ab habitu existente in voluntate, diximus disp 2. q. 4. Sed procedit de elicientia omnino rigorosa, & formali, quæ dari non potest, quin habitus actum eliciens in illum influat sine omni prorsus mediatione, tam habitus, quàm potentiæ. Sicque aufertur omnis ambigendi occasio circa dicenda.

2. Secundò scias: Fidem Theologicam, de hac enim loquimur, vt sumitur ex D. Thom. in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. & de veritate q. 14. art. 7. ad 7. & 2. 2. q. 2. art. 2. in corp. Posse sumi, vel secundùm ea, quæ habet ab intellectu, vel secundùm illa, quæ habet à voluntate. Credere enim, quod est actus fidei, est actus intellectus moti à voluntate. Vnde iste actus, si consideretur iuxta ea, quæ fides habet ab intellectu, sic tendit in obiectum, prout hoc dicit rationem *quæ* à fide attingitur, & rationem *sub qua* illud obiectum attingit. Et secundùm hoc distinguitur in actu fidei hoc, quòd est *credere Deum*, & *credere Deo*: quatenus *credere Deum* designat materiale obiectum fidei, *& credere Deo* ostendit rationem *sub qua* Deus attingitur. Si autem fides consideretur secundùm illa, quæ habet à voluntate, charitate informata; tunc eius actus respicit Deum, prout habet rationem vltimi finis: sicque habetur ille actus, qui dicitur *credere in Deum*.

Ex quo patet, quòd licèt non possit dari actus fidei, qui *credat Deũ*; quin etiam *Deo credat*: potest tamen fides *Deo, & Deum credere*; quin *credat in Deum*: Quandoquidem peccator fidelis non habet charitatem, ex cuius imperio fides in Deum sub ratione vltimi finis ordinetur. Nec ad hanc separationem, aut in finem vltimum directionem intelligas, *credere in Deum* esse actum entitativè diversum à *credere Deo, & Deum*, vt malè intellexit Durand. in 3. dist. 23. q. 4. art. 3. non enim ibi datur duplex actus, nec actus, vt imperatus, est distinctus ab elicito: sed vt imperatus, addit illam formalitatem, quam non habet ab habitu eliciente. Vnde ibi, vt scitè advertit Caietanus, datur actus multiplex, sed non dantur multi actus. Quod idem cernitur in nostra contemplatione, est enim ab intellectu, & à voluntate; sed non propter hoc est multi actus, sed actus multiplex. Et aliquis Mysticus contrarium dicens in sententiam Durandi tenetur incidere, & idem de omni actu imperato affirmare.

3. Scias 3. Fidem secundùm ea, quæ habet ab intellectu, manere in peccatore fideli, qui tametsi, vt dictum est, non possit *credere in Deum*; Deo tamen revelanti assensum præstat. Hæc fides dicitur informis ob absentiam charitatis. Ast quamquam informis sit, est principium actuum nobilium, vt sunt abstinere se ab idolatria, & hoc per causam altissimam, abstinere ab homicidio secundùm causam creatam; videlicet, quia non est nocendum proximo, & etiam interesse missis, & concionibus. Hæc certe peccator fidelis facit, vtî observat. Caietanus 2. 2. q. 45. art. 1. Et hæc sunt opera donorum Spiritus Sancti, quæ licèt in peccatore non dentur, dantur tamen illa opera. Verùm sicut fides ipsa ob absentiam charitatis est informis, sic opera dicta, ob absentiam donorum sunt informia: ad illa tamen elicienda sola fides sufficit propter ea, quæ infra num. 69. dicemus.

Cæterùm licet illorum nobilium

actuum fides informis principum sit; non tamen potest esse divinæ contemplationis; quia hic nobilissimus actus est ex ijs, qui fidem formatam exposcunt: consequenterque charitatem, & dona Spiritus Sancti. Habet enim contemplatio principium, & terminum in affectu, seu charitate, vt suprà ex Div. Thom. dicebamus. Vnde nostra controversia non procedit de fide informi, seu sumpta secundùm ea, quæ habet ab intellectu, excluso illo, quod à charitate participat. Vanè quidem disputarem; si fidem sic sumptam ad controversiam admitterem.

4. Scias 4. Quòd fides sumpta secundùm ea, quæ habet à charitate, potest dupliciter considerari. Primò secundùm ea, quæ sibi sunt propria. Secundò iuxta ea, quæ habet à donis. Sive hoc fiat per puram expressionem, seu non expressionem vtriusque conceptus concurrentis in actu fidei formatæ: sive fiat, quia realiter fides formata potest operari, quin dona operentur. Primum illud à nemine negandum iri iudicamus; quia licèt fides formata dicat necessariò dona. Tamen actus fidei formatæ, ad quem dona concurrunt, est multiplex, vt dicebamus num. 2. Vnde potest considerari secundùm vnum conceptum, & non secundùm alium. Secundum autem, scilicet, quòd fides formata potest operari; quin dona operentur, est opinio Mag. Bañez 2.2.q.9. art. 4. vbi ait: *Dubium est circa hos artic. an & quotiescumque in gratia existens credit per fidem infusam, exerceat simul donum intellectus, & scientiæ? Respondetur: non esse necessarium &c.* Et licèt resolutio loquatur præcisè de dictis donis, probatio tamen loquitur etiam de habitu charitatis: consequenterque de omnibus donis. Sed quicquid circa hoc dicendum sit: negari tamen non debet, posse in actu fidei præscindi id, quod habet à fide, ab eo, quod à charitate habet, & à donis.

5. Scias 5. Fidem, idem est de alijs virtutibus Theologalibus, & de omnibus alijs virtutibus, & habitibus, non ex eo quòd sit in aliquo subiecto, posse suũ actũ cũ omni perfectione elicere. Quandoquidem ad hoc requiritur, quòd perfectè dominetur subiectum. Et quòd istud dispositum sit ad recipiendum plenè influxum fidei, seu habitus, quo informatur. Quod extra controversiam est. Et nostræ contemplationi applicatum concludit: quòd licèt non negemus, Deum aliquando gratiam contemplationis concedere imperfectis, ac denegare perfectis, vtî omnes Mystæ docent: attamen hæc contemplatio non est propria status contemplantis. Incipiens enim ex conditione proprij status contemplari non potest: quia adhuc non est proximè, ac completè perfectibilis, seu idoneus ad contemplationem: sed provenit à Deo ob fines speciales suæ providentiæ, qui ob ipsorum vtilitatem, gratiam incipienti dispensat, quam perfecto non concedit. Si autem vtriusq; cõditio, statusque considerẽtur, primus cõtemplationi proportionatus non est: quocirca licèt habeat virtutes Theologales, Spiritus Sancti dona, Sacrumque chorum eorum omnium, quæ simul cum gratia infunduntur; quia tamen non adhuc transivit per ignem, & aquam, nec alia fecit, quæ ad quietem contemplationis prærrequirũtur: propterea contemplari non potest. Quod intellectum de contemplatione infusa constat evidenter à paritate contemplationis acquisitæ, quam habere, aut exercere non potest, qui viam spiritualem ingreditur, vt constat ex dictis disp. 1. licèt habeat gratiam, virtutes, & ipsum habitum elicitivum acquisitæ contemplationis. Quæ tametsi ex se perspicua sint, plurieſque in superioribus inculcata, refricare modò placuit; quia sunt admodùm vtilia in præsenti.

6. Vt autem in sequentibus phrasibus vtamur, quæ vnico ferè verbo mentem ostendant: loquemur de fide sub illa distinctione, quæ Mysticis familiarissima est. Distinguunt enim fidem in illustratam, & non illustratam. Fides illustrata dicit dona Spiritus Sancti, quæ ad intellectum spectant, ipsam vividissimè decorantia, ac veluti obiecta videre facientia. Fides non illustra-

lustrata, vel non habet concursum donorum, vel illum non exprimit, iuxta dicta num. 4. Illustratio autem fidei crescit ad maiorem perfectionem, qua dona sunt in subiecto, iuxta dicta num. præcedenti. Cuius doctrinæ præter istam generalem radicem, aliam specialem assignare possumus ex traditis disp. præcedenti, consistitque in eo, quod donum intellectus illustrat mentem, vt sine errore procedat: ob quod D. Tho. adductus disp. 7. q. 1. ait: *Quòd autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est, & hoc facit donum intellectus, qui de auditis per fidem mentem illustrat, vt dicit Gregor.* Vnde actus huius doni est acuere mentem, vt sine erroris admixtione nec immersione ad phantasmata, & ad res materiales valeat intelligere. Sunt enim res materiales, phantasmatum immersio, & error, quibus obiectum obscuratur, nec claram eius cognitionem, etiam quæ cum statu viæ non pugnat, patiuntur: Quamobrèm intellectus, qui in his obstaculis amovendis occupatur, mentem, fidemque illustrat, vt spiritualia ipsa, non iam ad modum rerum materialium, nec prout in phantasmatibus repræsentantur, nec denique cum errorum permixtione, sed *quasi nuda veritate capiant.* Quinque in hoc quòd est, quòd spiritualia *quasi nuda veritate capiantur*, datur sua, & nunquam pro statu viæ finienda, latitudo: propterea quò magis donum intellectus accedit ad percipienda spiritualia *quasi nuda veritate*, eò magis mentem, fidemque illustrat. Consequenterque sunt magis habiles, eliciuntque actus perfectiores. His circa præsentem difficultatem prælibatis, ad alia transire oportet.

§. II. *Aliquot placita refero.*

TAm varij, diversique sunt modi, quibus Authores in hoc certamine se explicare contendunt, vt impossibile sit, illos omnes numerare. Alij dicunt, contemplationem non esse actum fidei infusæ: quod suadere admittuntur discursibus è vulva fallæ imaginationis deductis, ex authoritatibus perperam intellectis, & ex fundamentis ruinosis. Et quod angue, & cane perius feras in his authoribus, est, quòd postquam paginas pene innumeras oppleverunt, fusquè dequè contemplationem non esse habitus fidei actum blaterantes, nihil positivum adstruunt. Contemplationem non esse actum fidei dicunt; repetuntque vsque ad legentium nauseam: sed quis sit ille habitus, qui contemplationem elicit? Non dicunt, nec verbum circa hoc faciunt. Egregius sanè disputandi modus, summèque artificiosus, ob quem horum excogitatio digna non est, vt inter alias opiniones numeretur. Vnde

7. Prima opinio quæsito respondens ait, contemplationem infusam habere plures gradus. Ex quibus primi gradus contemplatio elicitur à virtute infusa religionis. Secundus ab Spiritu Sancto medijs suis donis. Tertius verò qui non *ab aliquo habitu, sed potiùs immediatè ab ipso Deo per modum actus dimanat, & gratia gratis data meritò nuncupatur.* Sic N. V. ac Sapientis. Thom. à Iesu lib. 1. de oration. supernat. cap. 4. sed non facilè dignosces; an per hoc excludat fidem à ratione principij contemplationis: quia author hic non solùm tres gradus illos, sed plures alios ibi ponit, & contemplationis eorum principium iam donum intellectus, iam sapientiæ, iam scientiæ esse, dicit. Vnde cùm impossibile sit, tot mysticas Theologias ab ipso concedi; adest fundamentum, vt ipsum de comprincipijs habitus principalis elicitivi contemplationis loqui, suspicemur. Verùm hoc desideramus: quòd iste principalis habitus non assignetur. Hæc dixerim recusans discussionem circa illam contemplationem, quæ *immediatè ab ipso Deo per modum actus dimanat.*

8. Secunda sententia docet, contemplationem esse actum fidei, & donorum spectantium ad intellectum; sed inter huius sententiæ patronos est dissidium: nam Discept. mystica tract. 3. q. 3. art.

art. 5. prudentiſsimè mentem ſuam revelat ſine tergiverſatione, quod idem facit tract. 2. q. 3. art. 7. circa contemplationem acquiſitam. Vnde ſine temporis diſpendio ſcimus, hunc authorem defendere, fidem eſſe principium formale propriè elicitivum contemplationis, ſive acquiſitæ, ſive infuſæ. Non autem ſic alij Authores, è noſtratibus loquuntur; ſed taliter plura principia pro contemplationis elicientia deſignant, vt vnumquodque indepēdēter ab alijs illam ſecundùm eius diverſos gradus elicere, opinari, videantur.

9. Tertia ſententia negat, fidem eſſe habitum elicientem contemplationem, ſive acquiſitam, ſive infuſam, licèt ad vtramque, & maximè ad infuſam ſpeciali modo concurrat. Habitus tamen propriè eliciens contemplationem eſt habitus quidam infuſus, qui dicitur habitus contemplationis. Sic à quodam Theologo eximiæ notæ in omni genere litterarum, & maximè in Theologia myſtica, ſcholaſtica, poſitiva, & morali, audivi. Motivumque ad ſuum hoc dictamen aperuit, quod ad hanc brevem formam reduco: Quia ſi habitus eliciens contemplationem non eſt ille habitus infuſus, erit fides, quæ eſſe non poteſt. Tum, quia alias omnes habentes fidem, poſſent contemplari. Tum, quia actus fidei eſt *credere*: ſed *credere* non eſt formaliter contemplari, nec è converſo: ergo non eſt fides: ergo cùm aſſignandus ſit aliquis habitus certus, qui determinatè eliciat contemplationem, nè ſpecies contemplationis; atque adeò myſticas Theologias, multiplicemus contra veritatis clamores; planè infertur, hunc habitum elicitivum contemplationis acquiſitæ eſſe Theologiæ acquiſitæ habitum: & habitum elicitivum contemplationis infuſæ, eſſe illum infuſum habitum, qui *habitus contemplationis* dicitur.

Hæ ſunt opiniones, quæ circa præſens quæſitum circumferuntur. Sed antequam iudicium noſtrum reſolutoriè proponamus, monendum ducimus: nos in præſenti quæſtione non loqui determinatè de contemplatione infuſa, aut de acquiſita; ſed de contemplatione divina præſcindente ab acquiſita, & infuſa. De his tamen contemplationibus determinatè ſumptis quæſtione ſequenti agemus. Sic enim claritati conſulimus, quæ ſēper nobis eſt pro cynoſura, & in præſenti eſt maximè neceſſaria.

§. III. *Duplex aſſertum dirimit controverſiam præſentem.*

10. SIt prima concluſio: *Fides non illuſtrata donis Spiritus Sancti non eſt habitus eliciens divinam contemplationem.* Quid ſit, vel dicat fides donis non illuſtrata, conſtat ex dictis num. 6. Aſſertio hæc communiſſima inter omnes eſt, ni vehementer fallor: nam ex ijs, qui fidem eſſe principium contemplationis tuentur, alij perſpicuè loquuntur de fide donis illuſtrata, vt ſunt Diſcept. myſtica citata; P. Suarez tom. 2. de relig. lib. 2. cap. 10. num. 9. & alij plures. Ex ijs verò, qui non ita clarè ſe explicant, credere ſemper renuam, niſi videam, loquutos eſſe de fide non illuſtrata. Quicquid autem de hoc ſit, probatur concluſio noſtra ſic breviter, & efficaciter.

Etenim contemplatio divina affert ſecum delectationem omnium maximam: ergo contemplatio divina non eſt actus fidei. Antecedens eſt omnino certum apud omnes Myſtas, conſtatque ex Philoſ. & D Thom. pluribus in locis. Quippe Doct. Ang. hoc adſtruit 1. 2. q. 3. art. 5. in corp & in 4. diſt. 15. art. 2. quæſtiunc. 2. ad 1. & 2. 2. q. 180. art. 7. vbi in argumento *ſed contra* probat hanc veritatem ex illo Sapient. 8. *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus eius, ſed lætitiam, & gaudium.* Et ex D. Greg. homil. 14. in Ezechiel. dicente: *Contemplativa vita amabilis valdè dulcedo eſt.* Iamque ſupra diſp. 9. q. 3. de hoc fuſè egimus. Et conſeq. probatur. Actus fidei non illuſtratæ affert ſecum anxietatem, fluctuationis ex parte inevidentiæ, vtî diximus diſp. præcedenti num. 85. atqui delectatio omnium maxima,

xima,

xima, non ſolùm non affert ſecum illam anxietatem; quin potius excludit: ergo contemplatio divina non eſt actus fidei. Maior conſtat ex dictis loco citato: vbi etiam diximus, donum intellectus ſuccurrere fidei illam illuſtrando ex ea parte, qua illam fluctuationem patitur, reddendoque obiectum evidens evidentia extrinſeca, & negativa. Minor autem conſtat tum ex ſe; tum etiam ex data authoritate ſapientiæ, vbi non ſolùm dicitur divina cõtemplatio cauſare lætitiam, & gaudium; ſed etiam excludere amaritudinem, tædiumque: ergo cùm anxietas, quam ſecum actus fidei affert, non poſsit non tædium, & amaritudinem cauſare, relinquitur, quòd contemplatio non ſit actus fidei non illuſtratæ.

11. Conf. divina contemplatio non dicit, immo excludit actualem cogitationem: ergo non eſt actus fidei. Patet iſta: Quia actus fidei diffinitur à D. Auguſtino per hoc quòd ſit *cum aſſenſione cogitare*, vt affert, & explicat D. Thom. de verit. q. 14. art. 1. & anteced. probat. 1. ex Richardo de Sanct. Vict. qui lib. 1. de contempl. loquitur de cogitatione, meditatione, & contemplatione, & ait: *Multum à ſe invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant:: cogitatio per levia quæque lento pede ſine reſpectu perventionis paſsim huc illucque vagatur &c.* Sed contemplatio eſt quietus, pacificuſque intuitus veritatis iam habitæ: ergo contemplatio excludit cogitationem. *Probatur* 2. idem anteced. ex Div. Thom. loco citato ex 2. 2. toto art. 3. vbi ad vitam contemplativam plures actus ſpectare docet, qui omnes diſponunt ad vltimum, in quo eſt vitæ contemplativæ conſtitutivum: ex ijs autem, qui præcedunt, vnus eſt cogitatio, quæ ceſſat adveniente vltimo actu completivo, qui *eſt ipſa contemplatio veritatis*: ergo &c. videatur Doct. Sanct. præſertim in reſponſione ad 1.

Illuſtrantur omnia dicta doctrinæ D. Thom. loco citato de veritate diſcrimen aſsignantis inter actum fidei, & actum ſcientiæ, & licèt ſermo ibi ſit de ſcientia, quæ eſt diſcurſiva, ea, quæ de illa dicit intelligi potiori titulo debent de ſcientia, quæ non ex ſtudio, ſed ex connaturalitate, aut myſtica affectione procedit. Verba Ang. Præcept. exſcribo: *Sciens verò habet, & cogitationem, & aſſenſum, ſed cogitationem cauſantem aſſenſum, & aſſenſum terminantem cogitationem. Ex ipſa enim collatione principiorum ad concluſiones aſſentit concluſionibus, reſolvendo eas in principia, & ibi figitur motus cogitantis, & quietatur. Inſcientia enim motus rationis incipit ab intellectu principiorum, & ad eundem terminatur per viam reſolutionis, & ſic non habet aſſenſum, & cogitationem, quaſi ex æquo, ſed cogitatio inducit ad aſſenſum, & aſſenſus quietat; ſed in fide eſt aſſenſus, & cogitatio, quaſi ex æquo. Non enim aſſenſus ex cogitatione cauſatur, ſed ex voluntate, vt dictum eſt: ſed quia intellectus non hoc modo terminatur ad vnum, vt ad proprium terminum perducatur, qui eſt viſio alicuius intelligibilis, inde eſt, quòd eius motus nondum eſt quietatus: ſed adhuc habet cogitationem, & inquiſitionem de his, quæ credit: quamvis firmiſſimè aſſentiat: quantum enim eſt ex ſe ipſo, non eſt ei ſatisfactum, nec eſt terminatus ad vnum: ſed terminat tantum ex extrinſeco. Et inde eſt, quòd intellectus credentis dicitur eſſe captivatus, quia tenetur terminis alienis, & non proprijs. 2. Corin. 10. In captivitate redigentes omnem intellectum. Inde etiam eſt, quòd in credente poteſt inſurgere motus de contrario huius, quod firmiſſime tenet, quamvis non in intelligente, vel ſciente &c.*

12. Hæc omnia præter morem exſcripſi; quia ex eis conſtat, aſſenſum fidei non illuſtratæ afferre ſecum cogitationem, quam aſſenſus contemplationis excludit: ſive contemplatio ſit illa, quæ diſcretivè, ſive illa, quæ analyticè, ſeu reſolutivè procedit. Conſtat etiam, quòd fides non illuſtrata habet aliquid, quod adhuc inquirat, videlicet, penetrationem illius veritatis, cui aſſentit ſolummodò ob extrinſecum teſtimonium

nium revelãtis: & vſque dum illa perfectam penetrationem aſſequatur, motus permittit contrarios illi veritati, quam firmiſsimè tenet. Cõſtat denique, intellectum, qui fide non illuſtrata ducitur, eſſe captivatum, quia donec terminetur ad vnum modo, quo ipſe intellectus petit, hoc eſt, illud cognoſcens evidenter, evidentia ſaltem negativa, *tenetur terminis alienis, & non proprijs*: quocirca captivus eſt. Et obſerva angelicam D. Thom. proprietatem. *Tenetur*, ait, *terminis alienis, & non proprijs*. Videtur redundare ſecunda pars huius clauſulæ: quia ſi *tenetur terminis alienis*: ergo *non proprijs*. Sed falleris; quia intellectus dupliciter fide ducitur. Cùm ducitur fide illuſtrata tenetur terminis proprijs; quia tunc penetrat, perfecteque, pro exilij conditione, cognoſcit veritatem. Vnde *tenetur terminis proprijs*. Tenetur etiam *terminis alienis*, quia verè ducitur fide, quæ denudari non valet ab hoc, quod eſt inniti extrinſeco teſtimonio revelantis. Atque adeò dicit hoc, quod ei, vt fides eſt, indiſpenſabiliter convenit: & addit illud, quod ipſa, vt illuſtrata dicit. Vnde nihil redundans continetur in illa phraſi D. Thom. quinimò emphaticè approbat, quæ hactenus dicta ſunt. Quandoquidem ſenſus eius eſt, quòd intellectus fide illuſtrata ductus *tenetur terminis proprijs, & alienis*; ſed fide non illuſtrata directus ita tenetur *terminis alienis*, vt *proprijs* non teneatur. Vnico verbo: ſi teneri terminis proprijs, & ſimul alienis incompatibile foret, vltima verba datæ clauſulæ redundarent. Sed non redundant; quia in fide illuſtrata compatiuntur. In fide autem non illuſtrata hoc non datur; Vnde idem eſt dicere, quòd intellectus fide non illuſtrata ductus tenetur terminis alienis, & non proprijs, ac aſſerere fidem illam ſecum afferre cogitationem, & fluctuationem; conſequenterque non afferre ſecum delectationem, qua nulla maior.

13. Probatur 2. Concluſio ratione alia fundamentali eruta ex D. Thom. quem omnes Myſtici ſequuntur, poteſtque ſub hac forma proponi. Actus fidei non illuſtratæ non terminatur ad divina ex affectuoſa, ac myſtica connaturalitate: ergo contemplatio divina non eſt actus fidei non illuſtratæ. Patet iſta: Quia divina contemplatio terminatur ad Deum ex connaturali, ac experimentali notitia, & affectu, vt docet D. Th. pluribus in locis alibi allatis, & ſpeciatim ſuper Pſalm. 33. ad illa verba: *Guſtate, & videte*. Eſt que hæc doctrina omnium Myſticorum calculo firma. Anteced. autem probatur 1. Actus, quo contemplatur Deus, ſubſequitur ad actum, quo ipſe Deus ab anima guſtatur, vt patet ex adducto teſtimonio: *Guſtate, & videte*: ſed actus fidei non illuſtratæ non ſubſequitur, ſed præcedit actum, quo Deus ab anima guſtatur: ergo. Probatur min. 1. Quia voluntas non accedit ad illum guſtum myſticum ſumendum, quin præcedat fides oſtendens, quæ guſtanda ſunt: ergo &c. *Probatur* 2. Quia cùm voluntas guſtat de Deo, charitas, ac donum ſapientiæ operantur: ergo implicat, quòd actus fidei ad dictum guſtum ſubſecutus ſit fidei non illuſtratæ. *Probatur* 2. Principale anteced. Actus procedens ex myſtica, & affectuoſa connaturalitate ingreditur ad intrinſeca obiecti ea penetrando, ac intus quaſi legendo; hoc enim eſt intelligere, vt diſp. anteriori ex D. Thom. didicimus, & in hoc talis actus dictum guſtum experitur: ſed actus fidei non illuſtratæ ſic non procedit, ſed ſolùm ob extrinſecum teſtimonium revelantis: ergo.

14. Ex dictis in hac aſſertione colliges, quid dicendum ſit de iudicio credulitatis, quod diſp. præcedenti num. 90. ad hunc locum remiſimus. Quia cùm iudicium credulitatis, ſub formalitate talis, non ſit actus fidei illuſtratæ; hæc enim, vt ex dictis patet, non ſolùm dicit iudicium credulitatis, quod ſibi, qua fides eſt, convenit; ſed etiam alia iudicia, quæ ad eam, vt illuſtratam, ſpectant: propterea ex quo fides non illuſtrata non ſit principium contemplationis divinæ habetur, quòd divina contemplatio non eſt actus iudicij credulitatis.

Sit

15. Sit 2. assertio: *Fides illustrata donis est habitus proximè eliciens divinam contemplationem, tam quæ per causas est, quàm illam, quæ non est per causas.* Explicatur conclusio. Etenim contemplationem, quæ non est per causas, illam dicimus, quæ est actus iudicij discretivi, de quo egimus disp. præcedenti q. 7. concluſ. 2. & contemplatio per causas ea est, quæ est actus iudicij resolutivi, de quo disputavimus dicta disp. q. 8. quæ omnino videnda sunt, vt hæc plenè percipiantur, & hîc dicenda in promptu habenda sunt, vt ibi dicta perfectè intelligi possint: illa enim, quæ in hac disputatione tradimus, & quæ in præcedenti, præsertim dictis duabus q.q. tradidimus, reciprocè se ad intelligentiam iuvant. Igitur de vtraque dicta contemplatione loquitur assertio nostra. Nos autem indiscriminatim de vtraque loquemur; quia nihil difficultatis est speciale circa vnam, quæ pariter non sit contra aliam. Hanc autem assertionem sic explicatam defendunt plures Doctores, quorum diffusum catalogum posse exhiberi, constat ex dictis num. 8. Verùm nè his chartas oppleamus: sat nobis fuerit, ostendere nostram resolutionem cõformem esse Scripturæ sacræ, à qua omnis bona doctrina habetur. Insimulque ferè omnes Mystæ asserunt, fidem esse principium divinæ contemplationis. Dicere autem, quod aliqui non renuunt affirmare, eos D. D. loqui minùs propriè: minùs decens à nobis reputatur. Nec percipere valeo, cur, aut quomodo omnes vnivocentur ad impropriandas voces in illa materia, de qua ferìò, & in propria ipsius sede agũt. Aliter nil firmum erit. Ast vel in istis immorari nolumus. Quare solùm dicimus, assertionem nostram doceri à Mysticæ Theologiæ Anteſignano D. Dionys. à D. August. à D. Thom. à N. Extatico Patre, & ab alijs P. P. Insuper illam tuentur Exim. Suarez adductus num 10. & N. Discept. mystica ibi, & num. 8. adducta. Hi Authores ita clarè loquuntur, vt de eorum mente prudenter dubitari non possit.

16. Probatur ergo 1. nostra conclus. ex Sacra Scriptura, ijs omnibus, quas dedimus disp. 7. q. 2. agentes contra Barambium, dari orationem fidei negãtem: ibi enim vidimus Samuelem, & Davidem contemplantes, & quod ipsorum contemplatio à fide ortum ducebat, vt ostendit verbum *audio*, quo vterque vtitur, quod ait Franciscus de Mendoza ibi adductus, idem est, ac *credere*. Rogo nunc: David cum eructabat: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*, contemplabatur? Ita planè affirmat Mystic. N. Doct. in flamma. cant. 2. vers. 3. §. 6. Vnde ipsum illud *audire* David erat contemplari: quiaque ipsum illud *audire* erat *credere* donis illustratum, relinquitur, quòd *credere* donis illustratum sit contemplari. Videantur ibi dicta, nè omnia reproducamus.

Et vt D. D. quos pro nobis adduximus, à nobis esse ostendamus, adest in primis Dionys. dicens epist. 9. quòd tunc contemplabimur divina, quando ipsa denudemus ab ijs, quæ sensum movent, *& ea per se nuda, & apperta oculo fidei intueamur*. Nil clarius dici potuit, vt fides illustrata principium contemplationis asseratur. Hac eadem phrasi vsus est August. libro medit. cap. 22. dicens: *Transeat ab his animus, & transcendat omne, quod creatum est: currat, & ascendat velociter: pertranseat, & in eum, qui creavit omnia, quantum potest, oculos fidei dirigat*. Scire vellem, qui sunt isti oculi fidei, quos ad Deum dirigit contemplativus, vt ipsum intueatur? Quia certè oculi fidei sunt actus huius virtutis, medijs quibus suũ obiectum, quod est Deus, contemplatur. Hæc ergo fides illustrata per donum intellectus suum obiectum attingit non iam vt â phantasmatibus repræsentatur, sed per se nudum, & apertum; sicque ad ipsum contemplandum dirigit oculos suos, qui ad intima talis obiecti ingressi, nec iam solo extrinseco testimonio revelantis contenti, altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei venerantur. Si autem hoc non sit affirmare, fidem illustratam esse principium elicitivum divinæ contemplationis, dicant adver-

adversarij, quibus verbis potuit hoc expressiùs tradi.

Ang. N. Doct. ab hac sententia esse non negabit, qui cùm docentem audiat in 3. d. 34. q. 1. art. 2. *In his autem, quæ supra rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio divinorum in speculo, & in ænigmate: connaturalis enim modus est naturæ humanæ, vt Deum non nisi per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinum percipiat. Quòd autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur supra humanum modum est, & hoc facit donum intellectus.* His verbis iam alibi ponderatis loquitur Ang. Doct. de vtraque divina contemplatione, acquisita, scilicet, & infusa. Quod autem ad præsens punctum spectat, est, quod fides dicitur *inspectio divinorum*, quod idem prorsus est, ac divinorum contemplatio. Vnde dubitandum non est, Div. Thomam docere, contemplationem fore actum fidei illustratæ. Idem constat traditum à Seraph. Matr. N. ex verbis, quæ dedimus disp. 7. num. 59. Et similiter Myst. N. Doct. vt patet ex dictis eadem disputatione à numero 55.

17. Probatur ergo assertio nostra sequenti discursu ex definitione contemplationis, & allegatis authoritatibus eruto: Actus fidei illustratæ est simplex intuitus divinæ veritatis: ergo est contemplatio. Conseq. est evidens; quia arguitur à definitione ad definitum. Et anteced. prob. 1. ijs authoritatibus, quas num. præcedenti retulimus, quæ omnes conspirant in hoc, quòd est, veritatem antecedentis aperire. Solummodò supra illam, quam ex D. Thom. adduximus, reflecto: Etenim Ang. Doct. ait: quòd fides est *inspectio divinorum*: ergo est simplex intuitus divinæ veritatis. Patet ista: Quia nihil aliud est intuitus divinæ veritatis, quam *inspectio divinorum*.

Prob. 2. Idem anteced. ex ijs, quæ loco citato tradit Theodidactus N. Parens; vbi divinam contemplationem dicit *scientiam fidei*. Si namque contemplatio est *scientia fidei*: erit vtique simplex intuitus veritatis divinæ; quia hoc est proprium cuiuscumque scientiæ, vt videlicet, sit simplex intuitus illius veritatis, quæ est obiectum talis scientiæ: atque ideò Metaphysica actualis est simplex intuitus veritatis Metaphysicæ; & sic de alijs: ergo pariformiter scientia actualis fidei est simplex intuitus veritatis divinæ, quæ est obiectum proprium fidei. *Hoc ipsum* ostendit Doct. Sanct. omnibus illis scripturis, quas à dicto num. 55. exhibuimus. Videantur ibi dicta, & illas scripturas, Sanct. que Doct. illas adducentem, exponentemque, contemplationem esse actum fidei illustratæ docere, non nisi violentissimè negabitur. Nihil enim aliud esse potest, quòd fides sit illuminatio contemplanti, delicijsque contemplationis fruenti; nisi quòd ipsa *nox*, seu fides eliciat contemplationis actum, qui contemplanti *illuminatio* sit: quandoquidem facit ipsum mysticè, & experimentaliter videre ipsas contemplationis, ac obiecti contemplati delicias. Et hoc est, quod D. Thom. docuit 2. 2. q. 180. art. 7. ad 1. dicens: *Et hæc est vltima perfectio contemplativæ vitæ, vt scilicet, non solùm divina veritas videatur, sed etiam vt ametur.* Vnde David in illis verbis, *Nox illuminatio mea in delicijs meis*, vnum illum simplicem actum expressit, quem *nox*, seu fides illustrata elicit, quo veritas divina videtur, & delicioßissimè amatur. Idem dicimus de alijs loco citato scriptis.

Prob. tandem idem Anteced. omnia verba prædicati ipsius transcurrendo, & illa subiecto eiusdem antecedentis applicando: etenim actus fidei illustratæ, quà actus fidei est, est *intuitus*; siquidem est actus intellectualis, de cuius ratione est, quòd sit *intuitus*, seu visio, & iste actus paulò ante à D. Thom. *inspectio* dictus est. Insuper actus fidei habet pro obiecto veritatem primam formaliter talem, seu divinam. Quare actus fidei, vt fides est, est intuitus divinæ veritatis. Denique: iste actus est *simplex*. Quod dupliciter intelligi potest. Primò ex parte firmitatis, & quatenus non innititur ratione, ac discursu credentis, sed testimonio infallibili

libili revelantis: & prout ſic eſt adhuc actus fidei divinæ, vt fides divina eſt. Secundò poteſt intelligi, quatenus etiam cogitationem, ſeu fluctuationem excludit, in quantum iam non ſolùm ob teſtimonium extrinſecum attingit veritatem, ſed etiam quia illam introſpicit intima ipſius penetrando, & myſtica evidentia illam cognoſcendo. Et prout ſic non eſt actus fidei divinæ, vt fides divina eſt: ſed eſt actus fidei, vt illuſtrata eſt. Ex quibus, quæ à nemine non admittenda ſuſpicamur, deducitur evidenter hæc illatio: ergo actus fidei illuſtratæ eſt prorſus ſimplex intuitus divinæ veritatis.

18. Confirmatur hæc ratio, quæ noſtro iudicio demonſtrativa eſt: ſi actus fidei non illuſtratæ cognoſceret Deum non ſolùm ob extrinſecum teſtimonium, ſed evidentia myſtica, & affectuoſa connaturalitate intima obiecti penetraret, talis actus foret abſdubio contemplatio: ſed actus fidei illuſtratæ ſic attingit Deum: ergo eſt contemplatio. Illatio calumniam pati non poteſt: quippe ſyllogiſmus in forma eſt. Mai. patet ex modò dictis. Tunc enim illi actui conveniret diffinitio contemplationis, quæ modò non convenit, quia talis actus non eſt *ſimplex* eo ſimplicitatis modo, quem contemplatio exigit. Inſuperque contemplatio non qualitercumque eſt intuitus veritatis; ſed eſt intuitus reapsè evidens, vt in ſcientia perfectum ſtatum habente: vel eſt evidens exactivè, vt in ſcientia non habente ſtatum perfectum: vel eſt evidens evidentia experimentali, & affectuoſa connaturalitate, vt in noſtra Theologia myſtica. Nullam ex his evidentijs habet ille actus; non primam, vt de ſe patet. Non ſecundam; quia quod ſic evidens eſt, dum advenit evidentia, quam petit, non perit, ſed perficitur, vt patet in noſtra Theologia, & in omni ſcientia ſubalternata. Fides autem claritatem illam non petit; cùm ſit eius deſtructivum. Sed nec vltimam evidentiam habet, nec petit. Non habet: Quia illa convenientia myſtica non convenit ei ex ſe, ſed aliunde. Non petit: Quia ipſa de ſe aſſentit veritati revelatæ ſolùm ob extrinſecam authoritatem dicentis, quin de alio curet, vt diximus diſp. præcedenti. Ob quæ omnia talis actus non eſt ſimplex intuitus divinæ veritatis. Eſſet tamen, ſi aliquam ex præiactis evidentiam haberet.

Iam vero prob. min. multipliciter, & breviter. Primò quidem, quia ſic ſentiunt omnes Theologi, etiam ipſi, qui negant, talem actum eſſe contemplationem. *Secundò*, quia ſic ſentimus, qui talem actum contemplationem eſſe, affirmamus. Et deberent adverſarij ab hac arce nos expellere, vt intentum ſuum conſequerentur. Quod nec faciunt: & quod admirandum eſt, nec aggrediuntur, alijs procedendi modis, diſcurſibuſque intenti: ſed nullum vidi nos ex hac parte invadentem. Vnde poſt tarda molimina, diſcurſuumque diſpendium, manent ſemper expoſiti ictui malè medicabili noſtri facti argumenti procedentis à diffinitione ad definitum. *Tertiò*: Quia fides illuſtrata addit ad non illuſtratam; quòd non poteſt eſſe ex parte certitudinis: ergo eſt ex parte obſcuritatis: ergo eſt evidentia illa myſtica. *Quartò* denique: Quia fides illuſtrata dicit, quod participat ab illuſtrāti; quod illuſtrans ſunt dona Spirit. Sāct. ergo à dono intellectus habet, quòd intimè penetret veritatē divinā: à ſapientia, quòd per cauſam altiſsimam iudicet, & per inferiores à ſcientia: & hoc omne ex connaturalitate myſtica, & affectuoſa: quandoquidem dona non aliter procedunt, vt vel ipſi adverſarij non audebunt negare.

§. IV. *Obiectio, qua communiter vtuntur adverſarij, proponitur, ac diluitur.*

19. IN authoribus contrarijs celebratam video obiectionem, qua ſola æquatam, ſolo ac funditùs everſam noſtram rationem, eiuſque confirmationem, putant. Reducitur-que ad brevem hanc formam. Actus fidei etiam illuſtratæ eſt formaliter *credere*

aere: ergo talis actus non eſt contemplatio. Anteced. eſt omnino certum, quia nihil aliud eſt actualis fides niſi *credere, quæ non vides*, vt ex Auguſtino tenent omnes Theologi. Et conſeq. probatur 1. Quia credere non eſt formaliter contemplari, nec contemplari eſt formaliter credere: ergo actus fidei illuſtratæ contemplatio non eſt. *Probat.* 2. Quia *credere* ſeparatur à *contemplari*: ergo non ſunt idem Patet iſta, quia ſine diſtinctione non eſt dabilis ſeparatio. Et probat. anteced. Quia fides informis, & etiam fides non illuſtrata credunt; non tamen contemplantur; nec poſſunt, manente ſecunda ſine illuſtratione donorum, & prima ſine hac, & ſine formatione charitatis: ergo.

20. Hæc obiectio eſt, quam adverſarij magnificãt, & qua, vt in duobus ex illis vidi, paginas plures ſuffarcinant; cũ tamẽ nihil ſucci cõtineant tot verba, niſi id, quod ad formam propoſitam à nobis redactum eſt. Et vt verum fatear, plures defectus cõtinet obiectio, quàm verba. Vnde contra illam diſputo ſic 1. Licèt *credere* non ſit formaliter cõtemplari, poteſt vtrumque ad eumdem habitum pertinere: ergo ex dato principio non habetur, contemplationem non eſſe actum fidei illuſtratæ. Conſeq. bona eſt. Probo anteced. Ad eumdem habitum pertinent diverſi actus; ſicut & ad eamdem operationem intellectus diverſa iudicia ſpectant: ergo. *Diſputo* 2. Quia licet *credere* non ſit idem, & ſeparetur à *contemplari*; hoc tamen ab illo poteſt eſſe inſeparabile, & reapſè inſeparabile eſt: ergo ſicut probatur ſeparatio *credere* à *contemplari*, debet probari huius ab illo diſtinctio, ac ſeparatio; aliter labor caſſus erit. Probo anteced. Quamquàm priùs non dependeat, ſitque ſeparabile à poſteriori; hoc tamen non eſt eo ipſo ſeparabile ab illo, vt patet in animalitate, quæ ſeparatur à rationalitate, & non è contra: & in intellectione, quæ ſeparatur à dictione, & non è converſo: ergo idem evenire poteſt inter *credere*, & *contemplari*. Conſequenterque per hoc quod *credere* ſeparetur à *contemplari*, non debet obijciens, rem ſe confeciſſe, gloriari.

21. Diſputo 3. Tametſi *credere* ſimpliciter, & abſolutè ſumptum ſit ſeparabile à *contemplari*; *credere* illuſtratum ſeparabile à *contemplari* non eſt: ergo malè infert obijciens, contemplationem non eſſe actum fidei illuſtratæ, quia *credere* ſimpliciter tale ſeparatur à *contemplari*. Prob. anteced. 1. Id dicit actus, vt actus, quod habitus eliciens dicit, vt habitus: ſed fides, quæ eſt habitus contemplationis, ſi abſolutè ſumatur, eſt ſeparabilis à conceptu eliciendi contemplationẽ, vt patet in peccatore, non autem fides illuſtrata: ergo pariformiter, ex quo *credere* abſolutè ſumptum ſeparetur à *contemplari*, malè infertur, etiam *credere* illuſtratum ſeparari. *Prob.* 2. *anteced.* Licèt intelligere ſimpliciter tale ſit ſeparabile à dictione; tamen intelligere fœcundum ſeparabile à dictione non eſt: ergo ſimiliter licèt *credere* abſolutè tale ſit ſeparabile à *contemplari*; non tamen *credere* illuſtratum.

Diſputo 4. Et radicem huius doctrinæ, vimque adductæ paritatis oſtendo. Ideò intelligere abſolutè ſumptum ſeparabile eſt à dictione, non autem intelligere fœcundum; quia intelligere correſpondet intellectui, vt intellectus eſt; *dicere* verò correſpondet intellectui, vt fœcundus eſt: ſed eodem modo *credere* abſolutè eſt actus fidei abſolutè talis, & *credere* illuſtratum eſt actus fidei illuſtratæ: ergo licèt *credere* abſolutè ſeparetur à contemplari; non tamen *credere* illuſtratum. *Diſputo* 5. & in eadem paritate ſubſiſto: Licèt in intellectione fœcúnda ſit alia expreſsio dicendi, & alia formalitas contemplandi; tamen intellectio ſecundùm vtrumque munus eſt actus eiuſdem potentiæ, earundem ſpecierum, & eiuſdem etiam habitus: ergo pariformiter de *credere* illuſtrato ſecundùm munus credendi, & ſecundùm expreſsionem contẽplandi: ergo ex quo formaliter *credere* non ſit formaliter *contemplari* malè infertur, *contemplari* non elici ab habitu, à quo elicitur *credere*,

Diſ-

22. Disputo 6. Fides illustrata diversa est à se ipsa, vt non dicit illustrationem: ergo vt illustrata debet elicere actum aliquomodò diversum ab actu quem elicit, vt non illustrata: ergo quòd *contemplari* non sit formaliter *credere*, vanum, ac ruinosum fundamentum est, vt inde contemplationem elici à fide illustrata, negetur. Hæc secunda conseq. constat ex 1. quæ ex antecedenti optimè deducitur; diversitas quippe se tenens ex parte principij debet in actu elicito à principio repræsentari. Ideòque videmus, quòd eadem fides credit Deum, & credit in Deum, vt præmisimus num. 2. & hi actus diversi sunt, & primus separatur à secundo, licèt non è converso. Quod inde evenit, quia fides, vt credit in Deum, dicit imperium charitatis, quod non dicit, vt credit Deum, quam differentiam ipsa fides communicat suis actibus. De antecedenti autem dubitandum non est; quia fides illustrata dicit ipsa Spiritus Sancti dona, quæ, vt non illustrata, haud dicit. Vnde deberent adversarij non totam efficaciam suorum discursuum collocare in aperiendo, quod vel cæcos non latet. Fatemur ante suos syllogismos, formalitatem credendi non esse formalitatem contemplandi. Cùm autem ex hoc principio colligunt, actum contemplandi non elici ab habitu credendi, miramur illationem insulsam, plura principia metaphysicè certa devorantem.

23. Disputo 7. Doctorem Seraph. adducens, qui in suo Breviloq. 5. parte cap. 4. 5. & 6. hactenus à nobis dicta confirmat, & omnem fugam adversariorum precludit ostendens futilitatem illius principij, nempe, *credere non* est formaliter *contemplari*. Referam D. Bonavent. sententiam, prout eam resumit V. N. Thomas à Jesu lib. 1. de orat. divina cap. 4. loco citato explicat Seraph. Doct. triplicem gradum fidei infusæ dicens sic: *Primus est credere simpliciter*. Ecce tuum *credere*, quod toties repetis. *Secundus intelligere, & penetrare credita*. Vides fidē, non iam solūmodò credentem, verùm etiam credita penetrantem? *Tertius* videre intellecta. Vides fidem non solum penetrantem, sed videntem? Audi, quomodò hæc ab eodem habitu fidei fieri valeant. *In primo gradu*, prosequitur Bonavent. *rea dificatur anima per virtutes morales, & Theologales: in secundo, per habitus donorum redditur expedita: in tertio verò per habitus beatitudinum dicitur videre intellecta, iuxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Hactenus Doct. Seraph. prout à dicto V. Authore adducitur. Et in his verbis sunt omnia, quæ in præsenti quæstione dicta à nobis sunt. Diximus enim primò: Fidem non illustratam non esse divinæ contemplationis principium; quia fides prout sic solum credit, tantumque dicit ea, quæ ex se, & ex propria quidditate habet. Et hic est primus gradus fidei, seu *credere simpliciter*, ad quod fides nihil participat à donis. Diximus 2. fidem illustratam fore principium divinæ contemplationis, quia prout sic dicit dona, à quibus habet, quòd credita introspiciat. Et hic est secundus fidei gradus, qui est *penetrare credita*, Et in hoc gradu fides *per habitus donorum redditur expedita*. Præmisimus etiam num. 6. quòd dona eò perfectiùs fidem illustrant, perfectioremque contemplationē elicere faciunt, quo perfectiori modo sūt in anima: vnde illā perficiunt, illustrantque adeò, vt faciant *videre intellecta*. Et hic est tertius gradus fidei infusæ, in quo non solùm perficitur per Spiritus Sancti dona; sed etiam per beatitudines ei correspondentes.

Ecce ergo omnia, quæ diximus, à D. Bonav. asserta: & omnia, quæ dicis; à D. Bonav. explosa. Habet enim eadem fides illos tres actus differentes. Primus correspondet fidei, vt fides est. Secundus fidei, vt illustrata simpliciter est. Tertius correspondet fidei, vt magis illustrata est. Primus actus est *credere simpliciter*, & hic non est contemplatio. Secundus est *credere* illustratum, & hic contemplatio est. Tertius est *credere* magis illustratum, & hic perfectior contemplatio est. De primo

locuti fuimus in 1. concluſione: de 2. & 3. in ſecunda. Quid contra hoc valeat propoſita obiectio à nonnullis celebrata, iudicent viri docti, dum omiſsis pluribus alijs,

24. Diſputo ſic vltimò, & præcipuè, quia vel obijciens concedit, quòd actus fidei illuſtratæ eſt ſimplex intuitus divinæ veritatis, vel negat. Si negat; oſtendere debet, quid deficiat, quod hactenus non fecit, occupatus in oſtendendo, quòd *credere* non eſt formaliter *contemplari*, ac ſi hoc ei ab aliquo negaretur. Nos enim num. 17. omnia, & ſingula ea percurrimus, & propriè actui fidei illuſtratæ convenire demonſtravimus. Si, vt debet facere, concedit: Inferam: ergo vel actus fidei illuſtratæ eſt contemplatio, vel diffinitio contemplationis convenit alijs à diffinito. Si primum; habeo intentum: ſi ſecundum; negatur principium ab omnibus admiſſum, videlicet, quòd illa contemplationis diffinitio ſit bona; atque adeò quòd alijs à diffinito non conveniat: & contra principia negantes non eſt arguendum. Debemus tamen eorum motiva diſpellere, ad quod iam properamus. Præſtat tamen factæ obiectioni in forma reſpondere.

Ad obiectionem ergo reſpond. Quòd actus fidei illuſtratæ eſt formaliter *credere*, & formaliter *contemplari*: quæ formalitates diverſæ ſunt, & prima correſpondet fidei illuſtratæ, vt fides eſt. Secunda correſpondet ipſi, vt illuſtrata eſt. Quæ formalitatum diverſitas non infert, entitatem actus fore diverſam, nec quòd habitus differentes expoſcat. Ad Auguſtini authoritatem dicimus, loqui de fide relatè ad ſuum actum primarium, qui eſt *ſimpliciter credere*. Et hæc pro anteced. Deinde negatur abſolutè conſequent. vel diſtinguatur conſequens: ergo *talis actus* ſub formalitate credendi *non eſt contemplatio* tranſeat: ſub alia formalitate, nego conſequent. Ad cuius primam probationem, dato tranſeat ad anteced. negatur conſequentia. Seu tradito modo conſequens diſtinguatur. Ad 2. probationem dicas: quòd licèt *credere* ſeparetur à *contemplari*; hoc tamen non ſeparatur ab illo. Et etiam, quòd *credere* non illuſtratum ſeparatur à *contemplari*; non autem credere illuſtratum; hoc enim, etſi ſeparetur ſeparatione formalitatis; non tamen ſeparatur ſeparatione entitatis. Vnde idem habitus eſt principium vtriuſque. Quæ omnia adducta paritate intellectionis, dictionis que nota ſunt.

§. V. *Occurrimus argumentis contra ſecundam aſſertionem.*

25. CONtra primam aſſertionem non eſt argumentum, cui opus ſit occurſum ire. Maximè, quia, quæ contra illam obijci poſſunt, magna ex parte præcluſa ſunt diſputat. præcedenti. Et ex dictis in hac quæſtione, dicendiſque in ſequentibus. Ex hoc tamen 1. aſſerto arg. ſic 1. contra 2. Fides non illuſtrata non eſt minùs perfecta ſe ipſa, vt dicit illuſtrationem: ergo ſi vt non illuſtrata non eſt principium contemplationis, pariter nec, vt illuſtrata. Conſeq. conſtat; Quia, vt dictum eſt præcipuè num. 5. & 6. fides, vt eſt principium contemplationis eſt perfectior ſe ipſa, vt non eſt principium talis actus. Anteced. autem probatur. Quia fides illuſtrata dicit id, quod habet à donis Spiritus Sancti: ſed id, quod fides habet à donis, ſicut & ipſa dona, ſunt minùs perfecta, quàm fides, ſecundùm ſe ſumpta: ergo fides ſecundùm ſe accepta, ſeu vt non illuſtrata, non eſt minùs perfecta, quàm fides, vt dicit illuſtrationem.

Reſpond. 1. Omiſſo anteced. negando conſeq. Non enim ſtat in maiori, ſeu minori perfectione actus, & habitus, quòd iſte ſit principium contemplationis: aliàs actus charitatis, qui fidei actu perfectior eſt, eſſet contemplatio. Requiritur ergo vltra perfectionem habitus elicientis contemplationem, quod ſit ille habitus talis conditionis, vt procedat in elicientia ſui actus ex myſtica connaturalitate, & evidentia ad res divinas, quorum neutrum habet

habet fides non illustrata, vt constat ex dictis. Vnde sive sit perfectior; sive æquè perfecta sit, ac fides illustrata, potest hæc, & non illa, elicere actum contemplationis.

Respond. 2. neg. anteced. Cuius probatio nulla est: Quia fides, vt illustrata, dicit se ipsam cum illa illustratione à donis proveniente. Et fides cum illa illustratione perfectior est se ipsa sine illa. Sicut generaliter qualitas, vt magis radicata perfectior est se ipsa, vt minùs intensa. Non quia modus maioris intensionis perfectior sit, sed quia qualitas cum illo modo perfectior est se ipsa sine illo.

26. Dices: Licèt dilectio inimici propter Deum expoſcat ſpecialiſsimum auxilium, quo non indiget dilectio ipsius Dei, qui nobis amiciſsimus est, & in quo nulla ratio apparet non diligibilis; tamen dilectio Dei ſemper perfectior est, quam dilectio inimici. Immo dilectio proximi amici magis meritoria est, quàm inimici iuxta D. Thom. 2. 2 q. 27. art. 7. ergo ſimiliter, quamquàm fides illustrata dicat illam ſpecialiſsimam motionem Spiritus Sancti, & ſuorum donorum illustrationem, non est magis perfecta se ipsa non dicente illam illustrationem.

Duplicem paritatem affert hæc obiectio. Prima dilectionis Dei, & proximi inimici Secunda dilectionis amici, & inimici. Ab hac ſecunda incipientes, dicimus: Quòd ideò D. Thom. præfert dilectionem amici, quia hic est melior; cùm ſupponatur non frangere præceptum charitatis, cuius inimicus tranſgreſſor est. Licèt ſub alia conſideratione præferatur dilectio inimici amici dilectioni. Ex hoc tamen nihil contra noſtram doctrinam ſequitur. Primò, quia paritas ponit duo obiecta illarum dilectionum. Primum bonum, & qui me ex charitate diligit; ſecundum malum, quia odio me habens frangit charitatis præceptum. (de his enim procedit D. Thom. reſolutio) In hoc autem nulla paritas est cum noſtro caſu: loquimur enim de eodem Deo à fide non illuſtrata credito ſimpliciter, & à fide illustrata credito, & contemplato. Vnde perfectior est fides ſub ſecunda conſideratione, quàm ſub prima. Sicut ſi daretur idem obiectum ſimul diligibile propter illas duas rationes, penes quas ſe excedunt dilectio amici, & inimici: tunc perfectior foret illa dilectio, quæ obiectum illud amaret ſub vtraque ratione, quam illa, quæ illud ſolum ſub prima ratione diligeret.

Secundò nihil infertur ex illa paritate contra nos: Quia ibi ponuntur duo obiecta, vnum bonum, aliud malum, vt dictum est. Nos autem non ſolùm loquimur de eodem obiecto, ſed de obiecto tali, quod ſive creditum, ſive contemplatum, est æquè bonum. Immo, ſi paritas aliquid ſuadet, est in noſtrum favorem: Quia Deus ipſe, eiuſque amabilitas, magis cognoſcitur ab eum fide illustrata contemplante, quàm ab illum fide non illustrata credente: & illa maior cognitio non poteſt non eſſe perfectior; cõſequenterque principium perfectius arguit.

Ad illud, quod dicitur de dilectione Dei, & inimici reſpondet. Div. Thom. dicta q. 27. art. 8. vbi loquutus de dilectione Dei, & proximi ſolvit id, quod nobis opponitur de dilectione Dei, & inimici; motivum enim & proximum, & inimicum comprehendit. Verba Ang. Doct. ſunt: *Reſpond. dicendum, quod comparatio iſta poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, vtrùm conſideretur vtraque dilectio. Et tunc non eſt dubium, quòd dilectio Dei eſt magis meritoria. Debetur enim ei merces propter ſe ipſam &c. Alio modo poteſt attendi ipſa comparatio, vt dilectio Dei accipiatur, ſecundùm quod ſolus diligitur: dilectio autem proximi accipiatur, ſecundùm quod proximus diligitur propter Deum: & ſic dilectio proximi includit dilectionem Dei: ſed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Vnde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit ſe etiam ad proximum, ad dilectionem Dei inſufficientem, & imperfectam: quia hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum: diligat, & fratrem ſuum: & in hoc ſenſu dilectio proximi præeminet.*

Se-

Secundùm quod ad obiectionem in forma reſpond. diſting. conſequens: Quia ſi id, quod fides illuſtrata habet à donis cum omni præciſione ſumatur, prout differt ab eo, quod eſt fidei proprium: tunc fidei actus perfectior eſt; eſt enim actus virtutis Theologalis, de cuius ratione eſt, quòd ſuperet donorum perfectionem. Si autem fiat comparatio cum actu fidei illuſtratæ ſecundùm ea, quæ à fide, & donis habet; tunc perfectior eſt fides illuſtrata, actuſque ipſius, quàm fides non illuſtrata, & actus eius.

27. Arg. 2. Non omnes, qui habent fidem illuſtratam poſſunt contemplari: ergo talis fides non eſt principium elicitivum contemplationis diuinæ. Anteced. conſtat: Quia omnes, qui habent gratiam ſanctificantem, habent Spiritus Sancti dona, à quibus fides illuſtratur. Cæterùm non omnes habentes gratiam ſanctificantem contemplari poſſunt. Aliter enim ſtatus contemplationem exercentium non foret adeò ſublimis; nec daretur ipſorum ſtatus ſpecialis; indidemque ſuperflua foret meditatio. Conſeq. autem probat. Quia ſtante habitu elicitivo diuinæ contemplationis, ſtat habilitas ad contemplationem: ſed ſtante fide illuſtrata, non eo ipſo ſtat habilitas ad contemplationem: ergo fides illuſtra non eſt habitus elicitivus contemplationis.

Reſpond. conceſſo anteced. negando conſeq. Ad probat. diſtingo mai. ſtante habitu cum requiſita expeditione, concedo; ſine illa; nego mai. Et ſub eadem diſtinctione minor: Nego conſeq. Licèt fides illuſtrata ſit habitus, à quo elicitur cõtemplatio, debet tamen adeſſe expeditio neceſſaria, vt actu detur contemplatio. Vnde cùm hæc expeditio non inueniatur in omnibus habentibus fidem viuam, propterea non poſſunt contemplari. Et ſanè contrarij, qui hoc argumento vtuntur, illoque ſe ſuperaſſe rentur, aliquem habitum aſſignare debent, qui ſit diuinæ contemplationis principium. Quod, vt minùs pro infuſa contemplatione, infuſum eſſe debet. De hoc ergo principio, ſiue ſit aliquod ex Spiritus Sancti donis, ſiue ille *habitus contemplationis*, de quo num. 9. loquuti fuimus, dicimus, quòd ſi infuſum eſt; comunicabitur animæ cum gratia ſanctificante: quocirca in omnibus habentibus gratiam inueniri debet ille habitus. De eoque fit idem argumentum. Quomodò enim aſſeritur contemplationis elicitivus; ſi non omnes, qui illo habitu decorantur, contemplari poſſunt? Videant, qui ad hoc reſpondeant; &, ſi placuerit, idem ad ſuum argumentum dicemus: ſin minus, ſtabimus traditæ ſolutioni.

28. Dices num. 23. dixit D. Bonav. Quòd anima ad contemplandum per habitus donorum redditur expedita: ſed in omni habenti gratiam dantur fides, & dona: ergo omnis habens gratiam habet expeditionem neceſſariam ad contemplandum. *Reſpondetur*, expeditionem animæ ex parte principij contemplationem elicientis haberi habita fide illuſtrata. Vt autem hæc poſsit illum actum elicere, debet anima habere expeditionem, quæ ex parte ipſius requiritur. Quæ autem ſit hæc? Conſtat ex D. Bonav. de itin. d. 4. art. 1. vt ſic textum Div. Bonav. qui in nos opponitur, ex ipſo Doct. Seraph. explicemus. Si enim ait Doct. Sanctus: *Oportet, quòd mens, quæ Deum vult contemplari, primùm purgetur, poſteà illuminetur, & deinde perficiatur: quia niſi præcederet purgatio, non ſequeretur illuminatio.* Vides quomodò non ſat eſt habere fidem illuſtratam, vt habeatur contemplatio? Quod ideò eſt: Quia non ſolùm requiritur expeditio ex parte principij elicientis; ſed etiam ex parte ſubiecti contemplantis.

Quæ vt probè calleas: meminiſſe debes, quòd, vt alibi tactum eſt, contemplatio diuina dupliciter conſiderari poteſt. Primò, vt eſt propria ſtatus contemplantis. Secundò vt non eſt propria talis ſtatus; ſed aliquid excedẽs ſtatum, & merita contemplantis. Secundo modo, poteſt vtique dari contemplatio per hoc, quod ſolummodò detur expeditio ex parte principij. Vt enim ſuprà diximus ex doctrina omnium Myſtic.

gra-

gratiam contemplationis aliquando imperfectis concedit Deus, qui illam solet perfectis denegare. Et de contemplatione hoc modo sumpta non loquimur. Sed de illa sub prima consideratione, sub qua non adest contemplatio, quin principij, ac subiecti expeditio adsit.

29. Instas: Per hoc, quod detur fides illustrata datur *credere* illustratum: ergo & contemplatio. Patet ista: Quia contemplatio, vt ex dictis constat, est credere illustratum. Probat. antec. 1. Per hoc solum, quòd detur fides simpliciter, datur *credere* simpliciter: ergo per hoc solum, quòd detur fides illustrata, datur *credere* illustratum. *Probatur* 2. anteced. Per hoc solum quod habens fidem illustratam habeat etiam spem, & charitatem, potest actus his virtutibus correspondentes habere: ergo similiter potest habere actum fidei illustratæ. *Probatur* 3. anteced. Per hoc solum quòd quis habeat fidem illustratam potest Deum intuitivè contemplari: ergo per hoc solum quòd habeat fidem illustratam, potest Deum contemplari obscurè. Conseq. constat ex anteced. Quod inde patet, quia habenti fidem illustratam solùm aufert, quòd Deum facialiter contempletur, misera hæc mortalitas; cuius signum est, quod mortalitate finita Deum intuitivè contemplatur: ergo cùm mortalitas non pugnet cum contemplatione obscura; per hoc solum quòd fides illustrata habeatur; obscura contemplatio habetur.

Omnia hæc debilitata iam à nobis sunt disp. 1. q. 2. à num. 24. vsque ad 28. & q. 1. num. 9. quæ videnda sunt: Quia modò illo supponentes brevissimè ad ista respondemus disting. anteced. *Credere illustratum* sive perfectum, sive imperfectum, transeat: Perfectum; nego anteced. *Credere illustratum perfectum* illud dico, quod non solùm est perfectum in se, sed etiam constituit statum perfectum contemplantium. Imperfectum illud dico, quod vel in se est imperfectum; vel licèt perfectum in se sit, est tamen in subiecto imperfecto, & tantæ perfectioni minimè proportionato: & hoc ideò evenit, quia non proportionatur cum meritis subiecti, sed procedit ex mera benignitate conferentis, vt diximus num. præcedenti. Hinc ergo dicimus, quòd per solum, quòd detur in subiecto fides illustrata, potest dari in illo *credere* illustratum perfectissimum, videlicet infusa contemplatio, de qua modò non loquimur; sed de illa, quæ est propria status contemplantis. Ac de ista dicimus, quòd non potest dari per hoc solum; quòd fides illustrata detur; sed vltra requiritur expeditio ex parte subiecti. Quod non negamus, posse habere aliquas imperfectas contemplationes, seu *credere* illustratum imperfectum, per hoc solum quòd habeat fidem illustratam. Ex iuxta hoc concedimus, quòd sicut per hoc solum, quòd habeatur fides simpliciter, habetur *credere* simpliciter: sic ex hoc, quod habeatur fides illustrata, habetur *credere* illustratum, hoc est, imperfectum, & quod non potest statum contemplativum constituere. Nec aliud ex illa paritate habetur.

Ad 2. probationem anteced. similiter respond. Spem, & charitatem suos gradus habere se in perfectione excedentes, vt constat ex locis citatis. Vnde ex quo habeatur spes & charitas, non infertur, dandos esse sine aliquo alio actus perfectos harum virtutum. Per hoc enim, quòd detur charitas, habetur quidem, quòd ab illam habente possit Deus diligi; sed erit dilectione proportionata statui diligentis. Dividitur charitas à Div. Thom. in charitatem propriam Incipientium, Proficientium, & Perfectorum. Vnde Incipiens non potest Deum diligere dilectione propria Proficientis; nec iste dilectione propria perfectorum. Pariformiter de *credere* illustrato dicimus.

Ad 3. probat. respond. ex doctrina Etxat. nostr. Doct. loco citato ex 1. quæstione, contemplationem nostram triplici interiecto velo impediri. Primum est temporale; secundum naturale; & tertium sensibile. Temporale est affectio ad creaturas. Naturale est propensio ad propriam operationem,

& ad inclinationes naturales. Senſibile denique conſiſtit in vnione animæ ad corpus mortale. Vela hæc non ſunt inter ſe connexa ad hunc ſenſum, quòd non poſsit abrumpi vltimum, quin præcedens perſeveret: ideòque, qui moritur, ad gloriam deſtinatur, ſi fidem illuſtratam habet; non tamen Deum clarè videbit; ſi perſeveret vt in plurimum evenit, velum præcedens. Quo circa ab ingreſſu in gloriam retardatur, quoadvſque igne purgatorio proportionetur ad illam ſublimem facialem contemplationem. Vnde licèt charitatem habeat, nequaquam Deum videbit, donec expeditio ex parte ſubiecti requiſita perficiatur. Sic ergo contemplatio obſcura non pugnat cum velo hoc ſenſibili, ſed eſt incompatibilis cum duplici alio velo: quocirca licèt ſubiectum habeat fidem illuſtratam, non contemplabitur Deum, vſque dum expeditionem ex parte ſui requiſitam habeat, quæ eſt abruptio veli tẽporalis, & naturalis. Quamobrem inſtantia poſita noſtram doctrinam non infirmat, ſed roborat, & cõfirmat. Et vellẽ ab adverſarijs diſcere; quod principiũ aſsignari contemplationi valeat, quod ex hac parte non eaſdem, & ex alijs maiores difficultates patiatur.

30. Arg. 3. Quia Extatic. N. Parens lib. 2. alcenſ. cap. 14. §. *la ſegunda*, docet, habitum cõtemplationis noſtris actibus acquiri: ergo iſte habitus contemplationis non eſt fides. Conſeq. patet: Quia fides eſt virtus per ſe infuſa. Et anteced. conſtat ex authoritate dicti Myſtici N. Doct. quam ad longum dedimus diſp. 8. num. 73. vbi in tali authoritate fundati diximus; Aſcetam manere in ſtatu meditationis, quoadvſque per frequentes actus meditationis acquirat habitum contemplationis: *Poſtquam autem*, addidimus, *iam habitum contemplationis acquiſivit ex frequentia, ac repetitione prædictorum actuum, tranſit ad ſtatum contemplationis.* Ex quo etiam intulimus: habitum, & actum contemplationis divinæ eſſe intrinſecè naturales: ergo cùm hæc omnia fidei infuſæ repugnent, planè habetur, ipſam fidem non eſſe habitum elicientem divinam contemplationem.

Hoc argumentum, quod ſuadere intendit falſum eſſe noſtrum aſſertum, & noſtram doctrinam inconſequentem, nihil horum facit; quin potiùs datam doctrinam fulcit. In primis ergo non poteſt habere locum in contemplatione infuſa, cuius elicitivus habitus eſt infuſus: conſequenterque inacquiſibilis, vt alibi demonſtravimus; docetque D. Th. 1. 2. q. 52. art. 4. dicẽs: *Ad 3. dicendum, quòd actus, qui producuntur ex habitu infuſo, non cauſant aliquem habitum, ſed confirmant, habitum præexiſtentem, ſicut medicinalia remedia adhibita homini ſano per naturam, non cauſant aliquam ſanitatem, ſed ſanitatem prius habitam corroborant.* Quod intelligi debet tam de habitu acquiſito, quam de infuſo. Non enim cauſant habitum infuſum, quia involvit manifeſtam repugnantiam, vel quòd habitus effective producens actum fiat per illum, ſi ſermo ſit de habitu efficiente actum, vel ſive de illo, ſive de alio ab ipſo diverſo ſermo ſit, implicat, quòd idem habitus ſit per ſe infuſus, & per accidens acquiſitus. Sed nec cauſant habitum acquiſitum, quia vt ſcitè arguunt P. P. Salmant. tract. 12. num. 55. diſp. 3. Actus non generant niſi habitus ſibi ſimiles: vnde actus infuſi habitus acquiſitos cauſare non poſſunt. Et licèt aliæ authoritates ſint; quibus hoc ſuaderi poteſt; hac tamen vtî voluimus; quia in ea confert nobis N. Ang. Doct. modum, quo intelligamus mentem Seraph. N. Doct. Maneat ergo, factum argumentum nihil probare circa contemplationem infuſam.

Loquendo autem de contemplatione acquiſita, certum eſt N. Myſtic. Doct. docere, fidem eſſe habitum, à quo elicitur, vt oſtendit Diſcept. Myſtica tract. 2. q. 3. art. 7. num. 26. Cur ergo dicit, quod ex repetitione actuum meditandi generatur habitus contemplandi? Hæc eſt tota difficultas. Ad illam reſpondeo dupliciter. Primò: quòd datur duplex contemplatio religioſa acquiſita. Prima eſt actus habitus

Theo-

Theologici, vtî tom. 1. disp. 1. q. 8, ostendere conati sumus, de hacque dicta disp. 8. loquebamur, ad illamque suadendam adduximus citatam authoritatem B. P. Nostri. Secunda est actus fidei infusæ, de qua hactenus nec verbum fecimus, reservantes de illa agere ad præsentem disputat. Eritque dissertatio hæc quæst. sequenti. Modò verò dicimus, quod Sanct. Doct. non intelligitur de hac 2. contemplatione acquisita; sed de illa prima, quæ in subiecto, in quo non supponitur habitus Theologicus, illum ex actuum repetitione causat. De hac loquentes intulimus ex dato testimonio, esse entitativè naturalem, & solùm remotè & ex obiecto supernaturalem.

Respondet. 2. prænotando, actus cuiuscumque habitus, sive infusi, sive acquisiti, esse in duplici differentia: nam alij sunt perfecti, & imperfecti alij. Rursus: vt detur actus, non solùm requiri adesse habitum, sed etiam expeditionem se tenentem ex parte subiecti. Sinamque hæc expeditio absit relatè ad aliquem actum, respectu illius est habitus, tamquàm si non esset: non ex defectu sui, sed propter in idoneitatem subiecti, vt constat ex dictis num. præcedenti. Ratioque huius ea est: Quòd actus perfectus non est vtcumque actus habitus, sed habitus perfecti, qui ex repetitione actuum præcedentium perfectè dominatur subiecto, redditque illud expeditum expeditione requisita ex parte ipsius subiecti. Sicque vt eodem num. præcedenti diximus, videmus, quòd in incipientibus datur habitus charitatis, sed qui nullatenus valet elicere actum charitatis ad perfectorum statum propriè pertinentem. Nec talem actum eliciet; quoadvsque ex repetitione actuum magis, ac magis ipse charitatis habitus radicetur, perficiatur que. Quod clarissimè docuit D. Thom. loco citato dicens, quòd actus qui producuntur ab habitu infuso *confirmant habitum præexistentem, sicut medicinalia remedia adhibita homini sano per naturam, non causant aliquam sanitatem; sed sanitatem priùs habitam corroborant.* Quid est habitum præexistentem confirmare, nisi illum expeditiorem facere, vt possit omnino proximè elicere illos actus: quos priùs non poterat? Sicut per medicamenta sanitas à natura habita vigorosior, stabiliorque redditur. Qua veritate suppositâ, sine improprietate potest dici, quòd tunc habitus datur, quando actus, quos priùs non poterat, elicit: quia licèt iste habitus præsuponeretur ad illum actum: non tamen præsuponebatur, vt perfectus, nec explicabatur eius præexistentia per illorum actuum perfectiorum elicientiam.

Ex quibus patet fundamentum, quod Mystic. N. Doct. habuit, vt habitum contemplationis acquiri per frequentiam actuum meditandi, edoceret. Quandoquidem non loquitur de acquisitione habitus quoad substantiam, si ille acquisitus sit; nec de vera acquisitione, si habitus sit infusus: sed loquitur de confirmatione, corroboratione, ac perfectione habitus præexistentis, quas habet ex actibus præcedentibus. Vnde tunc dicitur *fides illustrata* de novo haberi respectu actus contemplationis, cùm omni expeditione proxima potest contemplari, quod ante illas frequentes meditationes non habebat. Tunc enim actus imperfectos eliciebat; sed non perfectissimum contemplationis actum. Consequenterque relatè ad perfectissimum illum actum dicitur habitus ille habitus de novo; quia respectu illius erat priùs sine proxima expeditione, vt dictum est.

§. VI. *Solvitur argumentum difficile.*

31. ARg. vltimo contra eandem 2. concluſ. Actus contemplationis, qui dicitur Theologia mystica, est actus scientificus: ergo non potest elici à fide. Anteced. constat ex vnanimi assensu Mysticorum asserentium Theologiam mysticam esse scientiam, de quo fusissimè egimus tom. 1. disp. 1. q. 7. Vnde actus, qui est Theologia

mystica actualis, est scientia actualis, & habitus eliciens hunc actum est scientia habitualis. Et conseq. est adeò evidens, vt scientia, & fides simul sunt incomposibiles circa idem: quomodò ergo poterit ipse actus fidei scientiæ actualis rationem habere? Aut quomodò ipsa fides erit scientia habitualis?

Breve argumentum tibi proposui; sed quod diu me maximè terfit, & quod in præcedētibus sæpe sæpius contra voluntatem occurrebat, illudque ad hanc disputationem remittebam, non tam vtî initio huius quæstionis ingenuè fassus sum, vt illi sedem opportunam conferrem, quam vt congruam solutionem decursu ipso temporis invenirem. Advenit tādem tempus. Verùm verbis non est opus, sed factis.

Antequam argumento in forma respondeam, aliqua prælibanda sunt, quibus via paretur ad argumenti huius congruam solutionem.

32. Scias ergo 1. Aristotelem accepisse aliquando scientiam prout est idem, ac cognitio certitudinalis: aliquando verò prout est cognitio procedens ex cognitione principiorum, terminaturque ad conclusiones. Prima acceptio scientiæ nimis ampla est, comprehenditque cognitionem habitus principiorum ad ipsa prima principia terminatam. Secundo autem modo sumitur scientia omni proprietate, signatque cognitionem procedētem ex principiorum cognitione; atque adeò per causas, & ex causis. De quo videndus est D. Thom. lib. poster. lect. 7. & 44.

Scias 2. ex eodem D. Thom. de verit. q. 2. art. 1. argum. 3. *sed contra.* Vbi ait: *Ad scientiam non requiruntur nisi tria, scilicet; potentia activa cognoscentis, qua de rebus iudicat, res cognita, & vnio vtriusque.* Et ex hoc, quòd hæc tria inveniuntur in Deo, probat Sanct. Doct. in ipso dari scientiam. Vnde per hoc, quòd detur potentia intellectiva, qua iudicium feratur de rebus cognitis, & vnio inter ipsas res cognitas, & potentiam intellectivam, datur scientia; quin aliquid aliud desideretur: quandoquidem *ad scientiam non requiruntur nisi tria ista.*

33. Scias 3. eod. Ang. Doct. 2. 2. q. 45. art. 2. quòd dictum iudicium *cognoscentis* dupliciter potest fieri. Primò, ex rationis inquisitione, hoc est, ex discursu. Secundò, ex connaturalitate ad ipsas res, de quibus iudicium fertur. Verba D. Thom. iam alibi dedimus, sed modò reproduci debent. Ait enim: *Rectitudo iudicij potest contingere dupliciter. Vno modo secundùm perfectum vsum rationis: alio modo propter connaturalitatem quandam ad ea, de quibus iudicandum est. Sicut de his, quæ ad castitatem pertinent, per rationis inquisitionem rectè iudicat ille, qui didicit scientiam moralem: sed per quandam connaturalitatem ad ipsam rectè iudicat de eis ille, qui habet habitum castitatis. Sic ergo circa res divinas, ex rationis inquisitione rectum iudicium habere pertinet ad sapientiam, quæ est virtus intellectualis: sed rectum iudicium habere de eis secundùm quandam connaturalitatem ad ipsas, pertinet ad sapientiam, secundùm quod est donum Spiritus Sancti.* Ex hoc ergo duplici modo iudicandi de rebus divinis duplex modus eas sciendi; seu duplex scientia versatur circa ipsas. Prima est discursiva, & est nostra Theologia Scholastica. Secunda est affectiva, & experimentalis, diciturque Theologia mystica. Eandem doctrinam tradit in 3. dist. 35. art. 2. ad 1. Vbi loquutus de hac cognitione divinorum, ait, quòd illa *in quibusdam est per studium, & doctrinam adiuncta vivacitate intellectus, & talis sapientia à Philosopho ponitur virtus in 2. Ethic. sed in quibusdam talis sufficientia accidit per quandam affinitatem ad divina, sicut dicit Dionys. Quòd Hierotheus patiendo divina, didicit divina.* Hoc est, Hierotheus circa divina erat valde sapiens, non tantum ex discursu, ac studio, quantum ex eorum experientia, ac gustu, ex quibus profundissimam divinorum cognitionem lucratus fuerat.

Nec intelligas: Hoc ita proprium esse doni sapientiæ, vt nulli alij conveniat: convenit quidem alijs donis. Loquitur autem D. Thom. de dono sapien-

pientiæ; quia tunc de illo agebat. Idem etiam docet de dono intellectus, & scientiæ. Relatè enim ad illa omnia generale est, quod procedant ex illa connaturalitate ad res divinas, sicut etiam generale est, quod procedant ex motione speciali Spiritus Sancti, licèt cognitio doni intellectus, quia non est per causas, sed circa prima principia, non habeat rationem scientiæ, nisi iuxta illam acceptionem, quam vidimus num. 32. ex Aristot. Propriè tamen ratio scientiæ convenit donis sapientiæ, & scientiæ, quorum cognitio certissima est, & per causas procedit, non tamen ex studio, aut discursu, sed ex affectione ad ipsas res divinas.

34. Scias 4. De ratione scientiæ esse indispensabiliter evidẽtiam. Quod apud omnes indubitatum est. Verùm in hac evidentia adest eadem latitudo, seu diversitas, quæ datur in scientijs ipsis. Vnde pro diversitate scientiarum est huius evidẽtiæ diversitas. Quiaque, vt num. præced. vidimus, datur duplex genus scientiæ. Aliud, quod procedit metaphysicè, seu ex studio, ac discursu: & aliud, quod procedit mysticè, seu ex connaturalitate quadam, & affectione: propterea hoc idẽ dicendũ est de evidentia. Vnde sciẽtia, quæ procedit ex studio dicit evidentiã metaphysicã, sive cõsequẽtis, & exercitã; si scientia perfectum statum habeat: sive exercitam consequentiæ, & petitam consequentis; si scientia non habeat statum, ac perfectionem scientiæ. Vt videre est in sacra Theologia, quæ prout in nobis viatoribus habet evidẽtiam exercitam consequentiæ; sed evidentiam consequentis non habet actu, sed petit. Quæ ex traditis dicta q. 7. constant. Scientia verò, quæ procedit mysticæ, dicit evidentiam mysticam, quæ, vt multoties diximus, disp. præced. non est evidentia intrinseca, & positiva, videns quid obiectum sit, seu connexionem inter prædicatum, & subiectum; sed est evidentia extrinseca, & negativa quatenus de obiecto scitur, quid non sit. Et hæc evidentia licèt insufficiens foret ad actum scientificum metaphysicè procedentem; est tamen sufficientissima ad actum scientificum mysticè talem in hoc statu. Quod dicimus, quia in patria scientia ipsa mystica Deum quoad quid est cognoscet: sed semper ex connaturalitate, & experientia: non autem ex studio; aut metaphysico modo procedendi.

Diximus: Huiusmodi evidentiam non sufficere ad actum metaphysicè procedentem; & sat esse ad actum mysticè scientificum. Quorum primum satis notum de se est: quandoquidem actus scientificus metaphysicè procedens vtitur discursu, qui adnititur apprehendere quid est obiecti, & connexionem inter prædicatum, & subiectum, inter consequens, & antecedens. Vnde ad hunc actum non conducit evidentia illa negativa. Immo nec illam habere potest. Quippe vt evidentia illa habeatur, proprij discursus, & omnes intellectuales operationes, vt ait Div. Dionys. derelinquendæ sunt. Secundum verò, scilicet, quòd illa evidentia sufficiat, vt actus, qui illam habet sciẽtificus sit, constat ex diffinitione scientiæ, quam ex Clement. Alex. dedimus dicta disput. 7. estque huiusmodi: *Philosophi scientiam definiunt, vt sit habitus constans, qui ratione moveri, aut labefactari non potest.* Vnde si habitus elicitivus divinæ contemplationis fuerit adeò constans, vt nulla ratione moveri, aut labefactari possit; erit vtique ille habitus scientificus, actusque ipsius scientificus erit. Quòd autem Theologia mystica hoc habeat, patet ex dictis. Immo hoc est, quod modò difficultatem istam movet: ex eo enim quòd scientificus sit habitus mysticæ Theologiæ, videtur debere esse prorsus diversus à fide. Cæterùm hæc etiam prænotare voluimus, vt in promptu habeantur.

35. Scias tandem ex infrà q. 3. decidendis: dona Spiritus Sancti non esse habitus, qui suos actus eliciant, vel qui habeant aliquos actus sibi proprios, quos quoad substantiam eliciant: sed sunt habitus concurrentes cum virtutibus, quibus correspondent, ad modifica-

ficationem actuum earumdem virtutum. Vnde loquentes de illis donis, quæ ad nos modò spectant, donum intellectus, cuius actus est iudicare discretivè, vt patet ex superioribus, non elicit hunc actum sicut charitas, spes, prudentia, & alij habitus suos actus eliciunt : sed istud donum illustrat, elevatque fidem, vt illa, quæ ex se non poterat nisi credere simpliciter; vt illustrata tamen per tale donum, & ex eius modificatione ingreditur ad experiendum mysticè illud ipsum obiectum, quod ex se nunquam experiretur, sed solùm cognoscceret iudicio assensus, seu credulitatis. Similiter donum sapientiæ non elicit proprium actum, sed concurrit ad modum actus fidei faciēs, quod per causam superiorem fides ab eo illustrata iudicet ex mystica connaturalitate de ipsis divinis rebus, seu non divinis, quibus ipsa fides sine concursu sapientiæ assensum præbet ob extrinsecum testimonium revelantis. Similiter de dono scientiæ dicimus cum illa repetita diversitate procedendi per altissimam, vel non altissimam causam. Hæc discutienda postmodum, ex ibi dicendis, modò supponenda sunt. Quibus prælibatis, ad factum argumentum numero 30.

36. Respondetur disting. anteced. *est scientificus* mysticè experimentaliter, & ex quadam connaturalitate ad divina, conced. *est scientificus* metaphysicè, & ex inquisitione rationis, neg. & deinde negetur etiam absolutè conseq. Itaque actus ille, ex quo non ex inquisitione rationis procedat, sed ex affectiva connaturalitate, vti diximus in 3. prælibato, est actus donorum, quæ attingunt obiecta evidenter, non evidentia intrinseca, & quoad quid sunt, sed extrinseca, & quoad quid non sunt, vti diximus in prælibato 4. quæ evidentia incompatibilis cum fide non est. Immo actus elicitus ab ipsa fide hanc evidentiam dicit : Quia, vt vidimus in vltimo prælibato, actus donorum sunt eliciti à fide ipsis donis illustrata, vnde actus illi, qui dicta evidentia obiectum cognoscunt, eliciti à fide sunt. Et quia, vt detur scientia, nihil aliud requiritur, vt vidimus in prænotato 2. nisi potentia activa cognoscens, iudiciumque ferens de obiecto, & vnio inter ipsum obiectum, & potentiam; ideò actum fidei illustratæ scientificum dicimus, quia in illo ea reperiuntur: vnde non est, cur scientificus non sit, sivè eliciatur cum concursu sapientiæ, & scientiæ, sive cum concursu doni intellectus eliciatur; hic enim etiam scientificus est; si scientia sumatur in illa lata acceptione, quam dedimus in 1. præsuppositio. Si verò propriè loquamur, solùm scientifici sunt actus, ad quos dona sapientiæ, scientiæque concurrunt: actus autem doni intellectus non est scientificus: ast est evidens dicta evidentia negativa.

§. VII. *Datam doctrinam explico, ac roboro, & ab aliquot obiectionibus vindico.*

DVo sunt, quæ propositam solutionem labefactare possunt. Primum est, quòd actus obiectum cognoscens evidentia illa negativa, & quoad quid non est, scientificus sit. Secundum autem est, quòd sive ille actus sit scientificus, sive non; ex quo sit evidens, possit esse à fide, quæ est *argumentum non apparentium*, & eius actus est credere, quæ non videntur, vti constans est apud omnes. Verùm licèt hæc iam superata ex dictis sint vberioris tamen doctrinæ gratia alia addere non recuso.

37. Et in primis, quòd actus eo modo attingens obiectum sit mysticè scientificus, à nemine negari potest; siquidem in illo actu cōcurrunt tria illa, quæ num. 32. ex D. Thom. vidimus requiri, vt aliquis actus scientificus sit. Datur enim ibi actus potentiæ activæ de rebus iudicium ferentis, datur res cognita, & vnio inter vtrumque. Quod adeò clarum est, vt expensione non egeat. Insuper ille actus elicitur ab habitu, qui est *constans, & qui ratione moveri, ac labefactari non potest*, quæ

est

est definitio scientiæ, quam ex authoritate Philosophorum tradit Clemens Alex. vt vidimus num. 34. Hæc huius habitus constantia pluribus à priori ostendi poterat; sed superfluum reor, cùm res sit prorsus perspicua. Ab effectu tamen dignosci potest ex miris, quæ circa hæc visa sunt in viris planè rudibus, in fœminis prorsus litterarum expertibus, quarum circa divina certitudo, & constantia, nec à litteratissimis impugnata, nec à Potentissimis pariterque crudelissimis, ad mortem vsque vexata moveri, aut labefactari potuit: quin potiùs multoties ipsa potentissimorum tyranis, & litteratissimorum superbia ab ipsis rudibus, tenellisque virginibus in sanam frugem mota, ac redacta fuit. Non est ergo assignabile, quid illi actui deficiat, vt scientificus mysticè sit.

38. Dicis: Actus fidei non illustratæ scientificus non est: ergo nec dictus actus. De anteced. dubitari non debet. & conseq. probatur: Quia sicut in illo actu illa, quæ diximus reperiuntur; sic etiam in actu fidei non illustratæ: quãdoquidem illa est *habitus constans, qui ratione moveri, aut labefactari non potest.* Ac insuper in actu fidei concurrunt potentia activa iudicans, res cognita, & vtriusque vnio: ergo vel actus fidei non illustratæ est scientificus, vel dictus actus scientificus non est.

Resp. neg. consequent. Ad. primam probationem dicas: Per fidem non illustratam haberi quidem certissimum assẽsum, per quam etiam scimus, quòd à credendis nullo modo est deviandum, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. ad 2. Verùm hoc dupliciter evenire potest, vt inibi explicat Caietanus. Primò negativè: Secundò positivè. Tunc positivè fit, quando res ipsæ creditæ penetrantur à cognoscente: & hoc à fide provenire non potest: sed si hæc penetratio ex discursu sit, provenit à Theologia: si autem fiat ex connaturalitate ad ipsas res creditas, provenit à donis. Tunc autem negativè hoc scitur, quando sine dicta intrinseca penetratione dignoscitur. Et hoc à fide non illustrata provenit: sed non est sufficiens, vt actus, quo hoc cognoscitur, sit scientificus; sed requiritur ille alius cognoscendi modus, quo credita, sive ex discursu, sive ex connaturalitate penetrantur.

Ad 2. prob. dicendum: Quòd licèt in actu fidei non illustratæ concurrant potentia activa iudicans, res cognita, & vnio inter eas; non tamen datur ratio scientiæ: fundamentum est, quòd concursus potentiæ activæ iudicantis debet esse per modum resolventis, & intima obiecti penetrantis, ad quod, vt dictum est, indispensabiliter requiritur iudicium resolutivum, & vt minùs discretivum. Vnde cùm fides non possit sic iudicare de rebus creditis: propterea eius actus scientificus esse non potest. Nec de illo intelligitur dictum D. Thom. *Adde* id, quod ex dictis sequitur, videlicet, quòd vt diximus num. 34. actus scientificus petit indispensabiliter evidentiam, sive metaphysicam, sive mysticam: & D. Thom. intelligendus est de potẽtia activa cum aliqua ex his evidentijs procedente. Qualiter fides procedere non valet: siquidem evidentiam metaphysicam dicere, est omninò ipsi repugnans. Mysticam autem habere non potest nisi ex influxu donorum: quare eius actus neutiquam potest habere rationem scientiæ, præciso donorum influxu.

39. Explosa facta obiectione, ad inceptam materiam regredientes dicimus: quòd actus dictam negativam evidentiam dicens, ita certò scientificus est, quòd ab omnibus id fateri debeat. Quippe certum apud omnes est, dona sapientiæ, & scientiæ non aliam evidentiam habere in via nisi illam evidentiam negativam, qua cognoscunt de Deo quid non sit. Eodem modo est etiam apud omnes certum, actus illorum donorum esse scientificos; cùm vel ipsum habituum nomen hoc affatim perspicuè demonstret. Ex quo evidenter colligitur, scientificos esse illos actus, qui obiectum attingunt cum illa evidentia negativa.

40. Circa secundum autem, re-

nuens

nuens admittere, fidem posse attingere obiectum evidens illa negativa evidentia, cùm sit *argumentum non aparentium* : Iam ex dictis illam renuentiam imprudentem esse, constat. Quia fides est *argumentum non aparentium* intrinsecè, & propter connexionem prædicati cum subiecto: seu est *non aparentium* positivè : non autem est *non aparentium* extrinsecè, & negativè. Nec per hoc, quòd ad evidens extrinsecè terminetur, amittit suam ingenitam obscuritatem. Cuius ratio ea est: quòd, vt tradunt Doctores defendentes fidem, & scientiam non posse compati in eodem circa idem, de quo videri possunt P.P. Salmant. tract. 17. disp. 3. dub. 2. scientia, quæ incompossibilis cum fide asseritur, est scientia, quæ secum affert evidentiam intrinsecam, & hanc non solùm petitam, sed re ipsa habitam. Vnde videmus, quòd illi ipsi Authores excludunt Theologiam nostram, quam compatibilem cum fide fatentur; eò quòd eius assensus non facit evidentiam consequentis, sed solùm consequentiæ. Vnde cum Theologiæ assensus compossibilis cùm fide sit in hoc statu; eò quòd Theologia hîc non habeat evidentiam consequentis, licèt illam petat, & re ipsa habeat evidentiam consequentiæ, procedatque modo metaphysicè scientifico: potiori titulo non est repugnantia inter fidem, & Theologiam mysticam viæ : eò quòd hæc non terminatur ad apparēs intrinsicè, & positivè, sed solùm extrinsecè, & negativè.

41. Statuta ergo compossibilitate fidei cum mystica Theologia: non est difficile assentire, quòd eadem fides sit habitus elicitivus contemplationis obiectum, vt negativè, evidens, respicientis. Quod pluribus suaderi potest. Et primò ab exclusione propositi obstaculi. Si namque contemplatio scientifica compatibilis est cum fide, & aliunde modus procedendi ipsius contemplationis est adeò proprius fidei: non est cur ipsa fides principium non sit talis contemplationis. Etenim quòd fides non sit habitus eliciens contemplationem religiosam entitativè naturalem; sed requiritur habitus Theologiæ pro eius elicientia: causa est, quòd talis contemplatio est entitativè naturalis, vti disp. 8. q. 4. diximus, & actus entitativè naturalis non elicitur ab habitu infuso, qualis est fides. Insimulque illa contemplatio, quamvis simplex intuitus sit, petit terminare discursum. Vnde requiritur pro eius elicientia habitus à fide diversus, & iste habitus est Theologicus.

Nil horum invenitur in contemplatione supernaturali, quæ ob suam supernaturalitatem petit elici ab habitu supernaturali. Deindeque modus procedendi ipsius est proprissimus fidei: quapropter ex hac parte nihil obest, quo minùs actus fidei esse possit. Aliundè autem sic edocemur ab ijs, quibus assurgere, rationi consentaneum est.

D Dionys. Areopag. perpetuus est in hac doctrina tradenda. Iam alibi aliqua ipsius testimonia dedimus: modò autem, quæ cap. 2. Cœlestis Hierarch. loquutus de Deo docet, exscribimus: *Est enim*, ait, *super omnem essentiam, & vitam, nullo quidem lumine ipsam characterizante, omnique ratione, & intellectu similitudine ipsius incomparabiliter derelictis. Aliquando verò dissimilibus manifestationibus ab ipsis eloquijs supermundanè laudatur, eam invisibilem, & infinitam, & incomprehensam vocantibus: & quæ ex quibus non quid est, sed quid non est significatur. Hoc enim, vt æstimo, potentius est in ipsa. Quoniam quidem, vt occulta, & Sacerdotalis traditio subintroduxit, hoc quidem non esse secundùm quid eorum, quæ sunt, eam verè dicimus. Ignoramus autem super essentiale ipsius, & invisibilem, & ineffabilem infinitatem. Si igitur negationes in divinis veræ sunt, affirmationes verò incompactæ obscuritati arcanorum magis apta est per dissimiles formationes manifestatio.*

Similiter lib. de mystica Theolog. cap. 1. ait de ipsa Divina Essentia: *Oportet enim in ipsa, & omnes existentium ponere, & affirmare positiones,*

sicut

ſicut omnium cauſa, & omnes ipſas magis propriè negare, ſicut ſuper omnia exiſtente, & non negationes oppoſitas opinari eſſe affirmationibus, ſed multò priùs ipſam ſuper privationes eſſe, quæ eſt ſuper omnem ablationem, & poſitionem. Sicque docet poſtmodum: *Contemplator*, qui Deum vt contempletur negationibus vtitur, *manet ignoto vacatione omnis cognitionis ſecundùm melius vnitus, & eò quòd nihil cognoſcit, ſuper omnia cognoſcens.*

Ang. Doct. idem docet in 3. d. 34. q. 1. art. 4. dicens: *In ſtatu viæ Deum magis videmus cognoſcendo quid non eſt, quàm apprehendendo quid eſt. Et ideò quantum ad ſtatum viæ, ponitur cordis munditia, non ſolùm à paſſionum illecebris, ſed etiam ab erroribus, & phantaſmatibus, & ſpiritualibus formis. A quibus omnibus docet abſcedere Dionyſ. cap. 1. de myſtica Theolog. tendentes ad divinam contemplationem.*

42. Tempus deeſſet, ſi omnia, quæ hanc veritatem confirmant adducere vellem. Omnia tamen illa in id collineant, vt diſcamus, eſſe perfectiſsimam contemplationem illam, ſecundùm quam de Deo cognoſcimus quid non eſt: hoc de illo ex myſtica connaturalitate cognoſcentes, quòd ſit ſupra omnia, quæ in mentem noſtram cadere poſſunt. Modò ergo: Actus iſte, quo evidentia hac myſtica cognoſcitur Deus non eſſe quicquid cognoſcibile eſt, ſed aliud quid infinitè perfectius, à quo habitu elicitur? Omnem habituum ſupernalium ſacrum chorum luſtra, & videbis, hunc actum à nullo præter quam à fide elici poſſe. Ille habitus eſt cognoſcitivus, vt ſuppono; eſt & omnium habituum intellectualium perfectiſsimus, quandoquidem eſt principium actus omnibus alijs huius viæ præſtantis, qui eſt contemplatio Dei quoad quid non eſt: qui actus, vt patet ex adductis textibus, eſt perfectiſsimus inter omnes actus huius viæ. Inſuper ille habitus eſt, ſecundùm quem melius in hac vita Deo vnimur: ergo talis habitus eſt fides illuſtrata.

Hæc conſeq. probatur tranſeurrendo omnia, quæ in eius veritatem dici poſſent: etenim ille habitus non eſt religio infuſa, vtî ſententia num. 7. poſita dicebat: Tum quia religio infuſa non eſt virtus cognoſcitiva; coque actum cognoſcitivum, & ſcientificum, propriè elicere non valet: Tum etiam, quia religio non eſt capax eliciendi actum omnium perfectiſsimum; quia ipſa non eſt virtus omnium perfectiſsima: aliàs vel eſſet Theologalis, vel Theologales ſuperaret. *Inſuper* ille habitus non eſt aliquod ex donis Spiritus Sãcti. Primò, quia, vt diximus num 35. dona Spiritus Sancti non eliciunt aliquem actum quoad entitatem; ſed concurrũt ad modificandum actum ab alio habitu elicitum. *Secundò*: quia dicta dona ſunt inferiora virtutibus Theologalibus: atque ideò elicere actum omnibus perfectiorem, haud poſſunt. *Tertiò*, & hæc ratio communis eſt omnibus habitibus, qui adduci valeant, quia, vt conſtat ex citato Dionyſ. per habitum elicientem hanc ſupremam contemplationem melius Deo vnimur: ſed hoc, quòd eſt Deo nos vnire, eſt proprium virtutum Theologalium, quæ propterea perfectiores ſunt donis, alijſque virtutibus; ſuntque virtutum aliarum, & donorum finis: quia per horum, illarumque actus movemur, vt Deo medijs Theologicis virtutibus vniamur: ergo nullum ex donis Spiritus Sancti eſt habitus illius habitus elicitivus.

Deinde habitus iſte non eſt ille, de quo egimus num. 9. ab actuque dicitur habitus contemplationis. Primò propter modò dicta, videlicet, quia ille habitus non eſt virtus Theologalis: vnde illum actum elicere non poteſt. *Secundò*, quia de illo habitu nulla mentio fit apud Theologos; eoque videtur excogitatus ad effugiendam vim difficultatis, in cuius enodatione ſumus. *Tertiò*, quia vt diximus eodem num. 9. incidit in eandem ſalebram, quam fugit. Vnde non poteſt illa contemplatio à tali habitu procedere ob dicta, pluraque alia, quæ omittimus. *Tandem* talis habitus non eſt fides non illuſtrata; quia hæc omnem evidentiam excludit; conſequen-

ſequenterque non procedit ex affectu myſtico, ac penetrativo, vt ex dictis notum eſt. Ex quibus omnibus conſtat, talem habitum eſſe habitum fidei illuſtratæ, in quo omnia, quæ pro tali principio requiruntur, dari oſtenſum eſt: propterea que Div. Thom. citata quæſtione art. 2. docuit, quòd fides eſt *inſpectio divinorum*. Ex quibus, alijſque num. 16. traditis, conſtat, fidem illuſtratam eſſe habitum elicientem hunc ſcientificum actum contemplationis negativæ.

43. Dices: D. Thom. non dixit; quòd fides ſit habitus contemplationis per negationem procedentis; immo illam ab hoc excludit, vt patet ex ipſius verbis dicto num. 16. propoſitis, in quibus, excluſa fide, aſſerit, talem habitum fore donum intellectus.

Reſp. donum intellectus non poſſe elicere actum talis contemplationis propter illa, quæ ſæpe diximus, videlicet, quòd non concurrit niſi ad modificationem actus. Dicitur autem à D. Thom. principium illius perfectiſsimæ contemplationis, in qua ſpiritualia, quaſi nuda veritate capiuntur: quia illa contemplatio eſt actus fidei, prout illuſtratæ ſupra modum naturalem procedendi.

44. Replicabis: Duo inibi dici à D. Thom. Primum eſt, quòd fides eſt *inſpectio divinorum in ænigmate*; quæ contemplatio eſt affirmativa; poſteà verò dicit, quòd contemplatio negativa eſt actus doni intellectus: ergo hoc, non vt modificans fidei actum, ſed abſolutè elicit negativam contemplationem. Patet iſta; Quia ſi ſolùm modificativè ad illam concurreret; pariter diceretur principium contemplationis affirmativæ, quæ eſt *inſpectio illorum in ænigmate*; quia etiam ad hanc modificativè concurrit: ſed non dicitur principium huius, ſed illius: ergo. Minor conſtat ex verbis D. Thom. Mai. autem probatur: Quia fides non eſt principium contemplationis, niſi vt illuſtrata, vt conſtat ex duabus aſſertionibus ſuprà poſitis: ergo ad contemplationem affirmativam concurrit modificando donum intellectus.

Reſpond. ex dictis quæſt. 1. diſp. 7. num. 28. dona Spiritus Sancti dupliciter ad actus concurrere. Primò ſupra modum connaturalem operantis. Secundò iuxta ipſius modum connaturalem, exigentiamque ipſius. Inter quos modos concurrendi hoc intereſt: quòd dum concurrunt ſupra modum connaturalem ſubiecti, actus dicitur abſolutè ab ipſis eſſe. Quod non fit dum illo alio modo concurrunt. Vnde licèt ad vtranque contemplationem concurrant primus actus dicitur fidei ſine mentione aliqua donorum. Secundus dicitur donorum ſine mẽtione aliqua fidei. Quod fit, vt modus proprius donorum exprimatur; non autem quia negetur, dona concurrere ad primum actum modificando, & fidem ad ſecundum eliciendo. Conſequenterque fides eſt habitus attingens obiectum ſub dicta evidentia negativa.

45. Oppones: Quicquid repugnantiæ invenitur in eo, quòd fides, & ſcientia ſint ſimul in eodem circa idem, viget, in eo, quòd fides terminetur ad obiectum ſub illa evidentia negativa: ergo ſic non terminatur. Prob. anteced. Omnis illa repugnantia reducitur ad hoc, quòd obiectum eſſet ſimul viſum, & non viſum: ſed, ſi vera eſſent, quæ de illa evidentia negativa diximus, obiectum idem eſſet ab eodem ſimul viſum, & non viſum; & hoc non per diverſos habitus, & actus; ſed per eumdem actum ab eodem habitu elicitum: ergo.

Reſp. neg. anteced. Ad prob. dicas: totam illam repugnantiam conſiſtere in eo, quòd verificaretur de eodem, quòd ab eodem eſſet viſum quoad intrinſecam connexionem prædicati cum ſubiecto, & ſimul non eſſet viſum quoad ipſam intrinſecam connexionem. Quod manifeſtè implicatorium eſt. In noſtro autem caſu verificatur, quòd idem actus videat, quid non ſit obiectum, & ſimul non videat, quid ſit. In quo nec minima repugnantia adeſt. Quod, inter alia, evidens fit; quia Authores negantes compatibilitatem fidei, & ſcientiæ, ſupponunt, quòd ſermo

eorum

eorum non eſt de eodem obiecto ſecundùm diverſa prædicata: nihil enim obeſt, quòd ſecundùm vnum prædicatum ſciatur, & credatur ſecundùm aliud. Et hoc magis verum eſſe conſtat in caſu, de quo loquimur: quia non loquimur de eodem formaliter obiecto; ſed de eodem quoad quid eſt, & quoad quid non eſt, quæ ſunt rationes penitùs differentes. Vnde poteſt eadem illuſtrata fides illud, quoad quid eſt credere, & quoad quid non eſt videre, & ſcire; quia hæc ſcientia nihil aliud eſt, niſi cognitio certa, &, modo dicto, evidens de eo, quòd Deus eſt ſupra id, quod in hac vita cognoſcere poſſumus. Et loquendo de contemplatione affirmativa, in qua poterat eſſe maior difficultas, dicimus: quòd fides terminatur ad Deum abſolutè, & intrinſecè non viſum; viſum tamen myſticè ob experimentum ex voluntate deſumptum. Sicut panis in obſcuro poſitus non videtur; ſi tamen guſtatur, quin obſcuritas ceſſet, cognoſcitur. Sic fides illuſtrata cognoſcit Deum quoad quid non eſt, ex guſtu, quem de ipſo experitur. Et hæc de iſta obſcura ſatis quæſtione dixiſſe ſufficiat.

QUÆSTIO SECUNDA.

Vtrùm omnis religioſa contemplatio ſit actus à fide illuſtrata elicitus?

ADhuc finita non eſt præterita digladiatio, & per totam præſentem diſputationem durabit. Non enim comprehendi poteſt, niſi omnis illa luſtretur. Vidimus, fidem illuſtratam eſſe habitum elicitivum divinæ contemplationis. Et ſtatim occurrit dubitatio, an omnis contemplatio ſit actus elicitus à fide illuſtrata? An verò aliqua tantùm? Et hoc eſt quæſitum, quod modò aggredimur diſputandum.

§. I. *Brevis tituli explicatio, & dubij reſolutio.*

46. PRo tituli explicatione notandum eſt, divinam contemplationem aliam eſſe entitativè naturalem, & aliam entitativè ſupernaturalem. Habitus eliciens contemplationem intrinſecè naturalem eſt Sacra Theologia, quæ quia eſt habitus intrinſecè naturalis, & ſolùm radicaliter, & ex obiecto ſupernaturalis, vtî cum Selectioribus Thomiſtis docent P. P. Salmant. tract. 12. & 21. diſp. 20. dub. 2. num. 28. propterea eius actus eſt etiam naturalis intrinſecè, vt diximus diſp. 8. q. 4. Vnde de hac contemplatione non loquimur. Contemplatio autem ſupernaturalis viæ ſubdividitur in eam, quæ elicitur ab habitu in contemplativo permanenti: & in eam, quæ elicitur à principio tranſeunter communicato. Hæc ſecunda adhuc ſubdividitur in intuitivam, & obſcuram. Prima eſt ipſa clara Dei viſio, quæ alicui communicari poſſe in hac vita, non repugnat. Secunda eſt illa, cuius principium elicitivum eſt habitus ſcientificus ſuperior donis, & ipſa fide Theologica: qui quidem habitus ſolet etiam à Deo aliquibus eximiæ ſanctitatis conferri: per modum tamen tranſeuntis. Ac de his duabus contemplationibus modò non loquimur, nec in tota hac diſputatione, tametſi in illa idonea ſedes occurrat. Aſt ſublimitas, & irregularitas harum contemplationum, & principiorum ipſarum in cauſa eſt, vt illa reſervemus vſque ad tertium prædicabile.

Vnde tota difficultas præſens devolvitur ad illam contemplationem, cuius elicitivus habitus eſt permanenter in contemplativo, eique infunditur cum gratia ſanctificante. Hæc autem contemplatio eſt duplex: alia infuſa, & acquiſita alia. De infuſa bene intel-

ligitur, quòd ſit intrinſecè ſupernaturalis. De acquiſita verò non eſt ita clarum: quia videtur contrariari ijs, quæ loco citato, dicta relinquimus. Verùm enim verò ex dicendis in hac quæſtione conſtabit, quòd abſque ibi dictorum præiudicio datur contemplatio acquiſita entitativè ſupernaturalis. Quod revelare in ſuperioribus noluimus; quia illud ad hanc diſputationem reſervavimus. Nec modò neceſſarium iudicamus de hoc ſpecialiter diſputare: quia ex dicendis circa formalem deciſionem quæſiti huius conſtabit. Quamobrem tota præſens difficultas comprehendit illam omnem, & ſolam contemplationem intrinſecè ſupernaturalem, quæ à principio gratiam ſanctificantem indivulſè concomitante elicitur.

47. Sit noſtra aſſertio: *Fides illuſtrata eſt habitus elicitivus divinæ contemplationis infuſæ, & acquiſitæ.* Duplici parte aſſertio conſtat, & quoad vtramque non dubitamus eſſe de mẽte D. Dionyſ. D. Thom. & aliorum D. D. quos inſinuavimus quæſtione præcedenti num. 8. Probaturque quoad vtramque partem ſimul ratione deducta ex Ang. Præcept. doctrina, qua multoties in ſuperioribus vſi fuimus, reduciturque ad hanc formam: Contemplatio ſive acquiſita, ſive infuſa eſt actus inter omnes actus perfectiſsimus: ergo elicitur ab habitu inter omnes perfectiſsimo: ergo elicitur à fide. Anteced. continet doctrinam à D. Thom. vbique aſſertam; qui conſtituit contemplationem vltimum finem humanarum actionum, de quo iam pluries in antecedentibus egimus. Prima conſeq. conſtat, tum quia eſt eiuſdem D. Thom. Tum quia illam expreſſè docet Philoſoph. 10. Ethicor. cap. 8. & 9. vbi ait, contemplationem veritatis eſſe actum habitus nobiliſsimi. Tum etiam, quia hoc ipſum ratio ſuadet: quippe proportio, quæ adeſſe debet inter habitum elicientem, & actum elicitum, petit, vt actus nobiliſsimus à nobiliſsimo habitu eliciatur. Iam verò ſecunda conſeq. probata manet num. 42. Vbi vidimus, nullum adeſſe habitum, in quo inveniantur ea, quæ ad elicientiam divinæ contemplationis requiruntur, niſi fidem infuſam. Et ibi dicta, ne dum contemplationi infuſæ, verùm etiam acquiſitæ convenire, nullus ambigere poteſt, conſtatque ex dictis num. 44.

48. Confirm. Actus fidei illuſtratæ ſive procedat iuxta modum connaturalem contemplantis; ſive ſupra illum, eſt ſimplex intuitus divinæ veritatis: ergo eſt contemplatio: ergo contemplatio acquiſita, & infuſa eſt actus elicitus à fide illuſtrata. Hæc ſecunda conſeq. patet ex prima; Si namque actus fidei illuſtratæ eſt contemplatio acquiſita, & infuſa, iuxta diverſos modos, quibus procedit; non adeſt motivum, vt aliqua divina contemplatio à fide illuſtrata non eliciatur. Conſequenterque omnis divina contemplatio eſt actus à fide illuſtrata elicitus. Prima conſeq. ex antecedenti nota eſt, quia proceditur à definitione ad definitum. Anteced. autem probatur: Quia ſive dona concurrant cum fide attemperando ſe modo connaturali contemplantis: ſive iuxta propriam ipſorum naturam, ſemper actus fidei intuetur veritatem formaliter talem quietè, & ſine fluctuatione, quam fides non illuſtrata ſecum affert, vt ſuprà diximus: ergo talis actus illuſtratæ fidei eſt ſimplex intuitus divinæ veritatis.

49. Confirmatur 2. Contemplatio divina, ſive acquiſita, ſive infuſa eſt inchoatio beatitudinis, quæ in vita futura perficietur: ergo habitus illam eliciens in via, eſt ille qui ſupplet vices elicientis illam in patria: ergo eſt habitus fidei infuſæ. Secunda conſeq. ex prima patet: Quia pro lumine gloriæ, qui eſt habitus eliciens illam divinam contemplationem, qua Deus in patria videtur, confertur nobis in via habitus infuſæ fidei. Anteced. autem eſt expreſſum D. Thom. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. in corp. vbi ait: *Vita enim contemplativa non ordinatur ad aliquid aliud in ipſo, in quo eſt, quia vita æterna non eſt niſi quædam conſummatio contemplativæ vitæ, quæ per vitam contem-*

templativam in præsenti quodammodò prælibatur. Prima verò conseq. probatur: Quia si habitus fidei illustratæ non omnem divinam contemplationem eliceret, vices luminis gloriæ non propriè suppleret; cùm non eliceret illum actum, qui, dum non obscurè procedit, elicitur a lumine gloriæ: ergo omnis contemplatio supernaturalis viæ elicitur ab habitu fidei illustratæ.

50. Dices: Contemplatio acquisita non elicitur â lumine gloriæ: ergo si discursus factus tenet, non elicitur modò ab habitu fidei. *Respondetur*, omis. anteced. negando conseq. Ratio est: Quia ex quo fides suppleat pro lumine gloriæ in elicientia contemplationis infusæ; etiam acquisitam elicere posse, non est dubium: Quia cùm contemplatio acquisita differat ab infusa per hoc, quòd sit nostra industria comparata; & habitu fidei possimus pro nostro libito vti: propterea cùm iste habitus procedit ex speciali motione Spiritus Sancti, elicit infusam contemplationem: cum autem nostra industria vtimur illo, elicit contemplationem acquisitam: quin pro hac elicientia alius habitus necessarius sit.

§. II. *Respondetur argumentis.*

51. COntra nostram concluſ. quatenus asserit, fidem illustratam esse habitum elicitivum divinæ contemplationis infusæ, nihil pro nunc opponere decernimus; sed quæstione sequenti cum alijs illuc spectantibus, ea, quæ hîc opponi possent, afferemus. Contra ipsã tamẽ cõclusionẽ, quatenus de contemplatione acquisita loquitur, Arguitur sic 1. Contemplatio acquisita est actus elicitus à Theologia scholastica, vtî diximus citata disp. 8. ergo non elicitur à fide. Probatur consequentia: Quia non sunt ponendi plures habitus pro eodem actu.

Si dicas: Non esse eumdem actum, sed diversum; quia contemplatio, quam elicit habitus Theologiæ, est entitativè naturalis; contemplatio verò, quam fides illustrata elicit est intrinsecè supernaturalis: vnde requirunt habitus distinctos. *Contra* est: Quia iuxta sensum communem D. D. contemplatio divina adæquatè dividitur in acquisitam, & infusam: vnde omnes, qui illam divisionem admittunt, non cognoscunt nisi duplicem contemplationem: si autem daretur contemplatio acquisita à fide elicita, iam contemplatio esset triplex. Prima infusa: secunda acquisita supernaturalis: & tertia naturalis acquisita. Immo Authores dicentes, contemplationem acquisitam esse intrinsecè supernaturalem, hoc dicunt, quia habitum Theologicum esse intrinsecè supernaturalem opinantur: de contemplatione alia Evangelica acquisita nullam memoriam facientes.

Respond. incipiendo ab hoc vltimo: Quòd licèt Authores agentes de divina contemplatione, non hac expressione de activa loqui videantur, vt illam dividant in naturalem, & supernaturalem; hoc factum est, vt nobis hæc solicitudo committeretur inter immensas alias, quæ passim in hoc opere occurrunt. Nec quòd ita expressè non loquuti sint, culpæ illorum vertendum esse, ostendit eorum modus procedendi purè mysticus. Nec desunt, qui hac eadem expresione, ac nos loquimur, processissent. Exim. enim Suarez, & Discept. Mystica locis suprà citatis, eadem perspicuitate loquuntur. Supponens quippe, seu non negans, habitum Theologicum esse entitativè naturalem, docet P. Suarez, contemplationem esse actum eius, si sit de veritatibus deductis ex principijs fidei: si autem sit ex veritatibus fidei, actum ipsius fidei esse docet. Quod est idem, ac nos dicimus, quoad hoc, quod est, dari contemplationem ab vtroque illo habitu elicitam: quamquàm non quoad omnia dicta mihi cum illo conveniat, vt iam videbimus.

52. Igitur ad factum argument. disting. anteced. Quod verum est de contemplatione activa intrinsecè naturali; non autem de ea, quæ intrinsecè supernaturalis est. Vnde solutionem

inter

inter arguendum datam approbamus. Eaque quoties in antecedentibus occasio occurrit, vsi fuissemus, si mens suspensa non fuisset circa præcipuam controversiam, videlicet, an fides infusa sit omnis contemplationis elicitivus habitus? Revelatio iam iudicio circa hoc: consequenter affirmamus, dari duplicem illam activam contemplationem. Quia si fide ex speciali motione Spiritus Sancti vtentes, infusè contemplamur: non est cur, ipsa fide ex nostra industria, communibus gratiæ auxilijs adiuti vtentes, non contemplemur. Vnde datur contemplatio activa supernaturalis intrinsecè. Quod inter plura alia, planè evincit obiectio illa posita disp. 8. q. 4. num. 50. Videlicet, quòd in alijs generibus datur triplex actus: vnus entitativè naturalis, & supernaturalis extrinsecè, hoc est à charitate imperante, à qua etiam eo ipso habet, quòd salutaris sit. Alius intrinsecè supernaturalis; sed qui fit iuxta nostrum connaturalem modum, & pro nostro libito: vnde & si principium elicitivum sit infusum; ipse tamen actus acquisitus est. Et denique alius ita intrinsecè supernaturalis, vt fiat ex motione speciali Spiritus Sancti, atque adeò non solùm habitus illum eliciens; sed etiam ipse actus infusus est. Hæc, inquam, in alijs generibus dantur, vt cernere est in actu V. g fortitudinis; qui alius est intrinsecè naturalis elicitus à fortitudine acquisita: alius est intrinsecè supernaturalis elicitus à fortitudine infusa: & alius infusus, elicitus à dono fortitudinis. Similiter de sapientia, scientia, prudentia, & alijs. Vnde rationi valde consentaneum est, vt idem de contemplatione asseramus, dicentes dari actum contemplationis infusæ, qui est à fide ex speciali instinctu Spiritus Sancti procedentis: & actum contemplationis activæ supernaturalis, qui à fide infusa, nostra tamen industria, elicitur: & actus contemplationis activæ naturalis, qui elicitur ab habitu Theologico, quem fidem acquisitam appellat P. Vasq. 1. p. cap. 1. à num. 8.

Quòd si à paritate, quam fecimus, aliarum virtutum ad ipsos fidei actus transeamus, idem ex illis monstrari reperiemus. Quippe datur *credere* infusum, & *credere* supernaturale acquisitum, & etiam *credere* acquisitum naturale, quod non à fide infusa, sed ab acquisita fide elicitur. *Credere*, vt ex quæstione præcedenti patet, & *contemplari*, adeò intimè vniuntur, vt *contemplari* formaliter tantùm differat à *credere*. Si ergo hoc triplicitate dicta fulget; nil mirum est, quòd eadem triplicitate fulgeat *contemplari*. Vnde datur *contemplari* infusum, & *contemplari* naturale ab habitu Theologiæ, seu fide acquisita: & *contemplari* inter vtrumque medium, quod elicitur à fide infusa. Estque supernaturale, sicut primum, & acquisitum sicut secundum Vide, quæ dicta sunt citata quæstione. 4. & in hoc, quod modò dicimus, nihil ipsis contrarium invenies; quia hîc nihil aliud facimus, nisi quòd proprium iudicium circa hæc revelamus, à quo inibi, & alibi, abstinuimus.

53. Ad probationem autem, quæ contra illam solutionem inter arguendum fit. Respondetur, Authores dividentes contemplationem Evangelicam in acquisitam, & infusam rectè procedere, & sine diminutione. Dividitur enim ibi contemplatio divina in esse talis; & prout sic adæquatè dividitur: quia non datur divina contemplatio, quæ vel infusa, vel acquisita non sit, vt dicta disp. 8. q. 2. latè vidimus. Quod autem autem acquisita subdividatur in naturalem, & supernaturalem, nec illi divisioni, nec nostræ resolutioni officit. Sicut non officit, quòd contemplatio infusa in plures alias infusas contemplationes dividatur. Nec verum est, quòd nullus meminerit huius duplicis activæ contemplationis; cùm iam, quid circa hoc P. Suarez, qui pro pluribus valet, dixerit, viderimus. Authores asserentes, contemplationem ab habitu Theologiæ elicitam esse supernaturalem, tenentur admittere duplex genus contemplationis supernaturalis acquisitæ, & negare contemplationem Evangelicam intrinsecè naturalem: qui absdubio

absdubio efficacissimè premi possunt quo ad primum ab impugnatione fundamenti, cui innituntur de supernaturalitate habitus Theologici: & quoad secundum ex dictis num. præcedenti à paritate aliorum actuum, aliarum virtutum, & ipsius fidei.

54. Arg. 2. Fides non elicit contemplationem, quam habet fidelis peccatum habens: ergo nullam. Patet ista: Quia si fides foret principium elicitivum divinæ contemplationis, vbicumque daretur fides, & contemplatio; hæc ab illa eliceretur. Et antecedens probatur: Quia vt fides eliciat divinam contemplationem, requiritur influxus charitatis: ergo cùm in illo contemplante non sit charitas, pariter nec illam contemplationem eliciet fides.

Circa suppositum huius argumenti video Authorem discept. mysticæ duo facere: Primum est, negare, quòd peccator ille possit veram cõtemplationem habere; sed hoc ipsum, quod negat nonnulla formidine negat. Secundum, quod facit, est, ex admissione casus procedere ad docendum influxum charitatis ad contemplationem non esse essentialiter exactum, sed solùm connaturaliter. Vnde potest suppleri, *vel per piam affectionem ad actum contemplationis simul cum fide concurrentem: vel per aliquod auxilium gratis à Deo concessum.*

55. Sed vtrumque prorsus displicet, & contra vtrumque simul procedo, respondens ad argument. negando suppositum antecedentis sine aliqua, vel minima formidine. Implicat enim peccato gravi implicatum posse divinam contemplationem maximè supernaturalem habere. Dictum enim est suprà, contemplationem non esse actum fidei informis; immo nec formatæ; si formatio sumatur cum præcisione ab illustratione donorum. Cuius ratio à priori est. Quòd contemplatio Evangelica est actus Theologiæ mysticæ: vnde debet attingere Deum non solùm, vt veritas est; sed vt induit rationem boni appetibilis, & gustabilis: vt patet ex dictis tom. 1. disp. 1. q. 7. & in hoc tomo disp. præced. q. 3. Ad quod non solùm requiritur charitas; sed etiam Spiritus Sancti dona. Charitas enim facit quidem, quòd cõtemplatio Deum attingat, vt est vltimus finis. Quòd autem illud attingat ex connaturalitate mystica provenit indispensabiliter à donis, quorum privativè proprium est, sic procedere. Et quævis contemplatio, quantumvis perfectissima assignetur; si donorum influxus præscindatur: erit quidem perfectissima physicè, & etiam moraliter; mysticè tamen non erit; quia nemo est, qui mysticè illam perfectam faciat, nisi donum Spiritus Sancti, à quo est modus procedendi ex mystica connaturalitate, & affectione. Vnde non solùm concurrunt dona ad contemplationem infusam, sed etiam ad acquisitam supernaturalem; immo, & naturalem, vt suo loco dictum est. Potest enim cõtemplatio esse perfectissima intra lineam entis, & etiam intra lineam virtutis; & tamen non adhuc concipitur perfecta intra lineam mysticam, quoadusque dona illam faciant procedere ex gustu, & experientia.

Huius rationis radix iam alibi detecta est. Consistitque in eo, quòd contemplatio divina non est vtcumque cognitio primæ veritatis; sed est cognitio ipsius procedens ex gustu præcedenti voluntatis, in primamque veritatem, vt sic à voluntate degustatam terminatur. Ad quod indispensabiliter requiritur influxus donorum, & speciatim doni sapientiæ: propterèaque hoc donum dicitur præcipuum principium sapidæ illius cognitionis, quæ est Evangelica contemplatio. Quòd si hinc inferas: ergo visio beatifica non est contemplatio mystica. Extemplò concedo consequent. rationem reddam quæstione sequenti. Modò verò pro facti argumenti completa solutione dico, quòd, vt ex dictis patet, sine donorum influxu, vel supra, vel iuxta connaturalem modum contemplantis, non adest mystica contemplatio. Quocirca implicat, quòd existens in peccato mortali, quacumque potentia spectata, contempletur: Quia donorum influxus in-

ſuplebilis eſt à quocumque auxilio. Immo etiam inſuplebilis eſt præcedens influxus charitatis: quia, vt quæſt. 3. citata vidimus ex D. Thom. contemplatio Evangelica reſpicit primam veritatem, vt habet rationem vltimi finis. Et notum eſt, implicare converſum ad bonum commutabile, & à Deo averſum, eſſe ſimul in ipſum vltimum finem converſum.

56. Arg. 3. Contemplatio acquiſita, quæ eſt de veritatibus fidei, ac de veritatibus inde deductis, eſt actus habitus Theologici: ergo nulla contemplatio acquiſita eſt actus fidei infuſæ. Patet iſta: Quia non eſt contemplatio Evangelica, quæ non ſit vel de veritatibus fidei, vel de ab illis deductis. Et anteced. probat. Quia Theologia non ſolùm attingit concluſiones, quas ex revelatis à fide infert, ſed etiam attingit ipſas fidei veritates, quæ ſunt principia, à quibus procedit, & in quæ regreditur, vt veritatem inventam contempletur: ergo ſicut in illis principijs contẽplatur ipſã veritatem: pariter, & ipſa principia illam præcontinentia contemplari poteſt. Declaratur hoc ſequenti exemplo: Etenim ex hoc antecedenti de fide, *Chriſtus eſt homo*, infert Theologia: ergo *eſt reſibilis*. Quam veritatem poſt quam ab illo antecedenti deduxit, in illud regreditur, vt cõtempletur illam: quare ergo ſicut contemplatur veritatem in illo principio, non poterit contemplari principium illud continens talem veritatem?

Hoc argumentum nullam difficultatem habet, niſi quam ei conferunt aliquorum ſolutiones, breviter tamen iudicium ferre par eſt. In primis enim P. Suarez num. 41. laudatus, concedit habitum fidei, & Theologiæ elicere Evangelicam contemplationem: primum, illam, quæ eſt de veritatibus fidei: & illam, quæ eſt de veritatibus per ipſum deductis, ſecundum. Quæ doctrina eſt, quam defendimus. Sed id in illa nobis arridere non poteſt, quòd hic Theologus aſſererè videatur, habitum Theologicum præciſè veritates illatas contemplari. Cùm etiam contemplari poſsit ipſa principia, in quibus continentur, vt affatim convincit propoſitum argumentum, & conſtat ex exemplo illo, quo vtitur: magiſque vrget, cùm vtraque præmiſſa eſt de fide. Quamobrem nè vires, quibus deſtituitur, à nobis habeat, aliter ſolvendum eſt argumentum.

57. Ad illud reſpondet Diſcept. myſtica citata, concedens, quòd aliæ ſcientiæ contemplentur veritates, quas inferunt: Theologia verò hoc facere non poteſt, ait, ob diſcrimen manifeſtum, quod intervenit. Conſiſtitque in eo, quòd in alijs ſcientijs tam principia, quam concluſiones pertinent ad eamdem ſcientiam; vnde nil mirum, quòd talis ſcientia poſsit veritates illatas contemplari. Concluſio verò Theologica procedit ex principijs fidei: eòque non poteſt Theologia illam contemplari; quia talis concluſio non eſt adæquatè intra ipſius Theologiæ habitum; ſed magis ad fidem attinet. Vnde negat hic Author, quòd detur contemplatio acquiſita Evangelica, quæ à fide non ſit.

58. Contra cuius doctrinam facit primò: Quòd concluſio Theologica deducatur ex principijs fidei, non obeſt, vt à Theologia ex ipſis principijs deducatur: ergo nec obeſt, vt illam in ipſis contempletur. Anteced. negari non debet, & conſeq. probatur: Quia principia illa non minùs pertinent ad fidem, vt ex illis deducitur concluſio, quàm vt in illis cognoſcitur: vel ſic: principia illa non minùs pertinent ad fidem, vt principia ſunt, quàm vt terminant motum intellectivum: ſed vt formaliter principia, poteſt Theologia concluſionem ex illis deducere: ergo vt formaliter terminant, poteſt illam in ipſis contemplari.

59. Diſputo 2: Veritas Theologica poſtquam inventa eſt, magis ſpectat ad Theologiam quàm priùs: ſed priùs à Theologia inquiritur: ergo poſtmodum ab ipſa contemplatur. Cõſeq. legitima eſt, & minor certa. Mai. autem probatur: Quia poſt inventionem eſt veritas illa effectus ipſius Theologiæ, quæ eam, vt inveniret, laborabit,

vit, fudavitque; quod ante inventionem non habebat: ergo vera est illa maior.

60. Disputo 3. Motus discursivus est circularis: ergo est ab eodem in idem. Ergo eadem Theologia, quæ descendit à principio in conclusionem, ascendit à conclusione in principium. Anteced. est indubitatum, ex quo constat bonitas illationis primæ, & probatur 2. Quia si non esset eadem Theologia, quæ descendit, & ascendit; iam tunc (primò) motus ille non esset idem; siquidem ad vnitatem motus requiritur inter alia vnitas mobilis, vt cum Arist. & D. Thom. docent nostri Complut. lib. 3. physicor. disp. 23. q. 2. *Secundò* iam motus discursivus Theologicus non esset circularis; siquidem finiretur in ipsa conclusionis inventione. Et tunc inciperet actus fidei. Ex quo vlterius fieret ipsam Theologiam non esse scientiam: implicat enim, quòd sit scientificus ille habitus, qui incapax est regrediendi ad principia, in quibus veritatem proprio sudore deductam intueatur.

61. Disputo 4. scientia subalternata in absentia subalternantis proprias conclusiones contemplatur: ergo & Theologia. Anteced. videtur certum: Quia scientia subalternans abest: vnde si subalternata non contemplatur illas conclusiones, incontemplatæ manebunt. Conseq. autem probatur: Quia sicut veritas Theologica deducitur ex veritate fidei; sic etiam scientiæ subalternatæ conclusio deducitur ex veritate ad subalternantem pertinente: ergo.

62. Disputo denique. Quia conclusio Theologica non est intrinsecè supernaturalis: ergo ad sui contemplationem non exposcit habitum infusum: ergo illam contemplatur ipsa Theologia. Anteced. etiam apud authorem, quem impugnamus, est certum. Secunda conseq. constat ex prima, quæ adeò legitima est, vt in illius probatione superfluum sit immorari.

63. Quare ad factum argumentum respondendum est: habitum Theologicum elicere contemplationem, quæ est de conclusionibus Theologicis, & etiam non esse ei denegandum, quòd ipsas veritates fidei, à quibus, & in quas tendit, contempletur. Est enim omni sapientiæ proprium, quòd principia, ex quibus procedit, attingat, vt explicet, & defendat, quod de nostra Theologia clarè D. Augustin. docet, prout refert D. Thom. 1. p. q. 1. art. 2. his verbis: *Secundùm Augustinum huic scientiæ* (nempe Theologiæ) *attribuitur illud tantummodò, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Ob hoc tamen non est denegandum, quòd ipsa fides illustrata eliciat actum contemplationis acquisitæ. Nec hoc superfluit: quia contemplatio elicita ab habitu Theologico est naturalis, & quæ elicitur à fide supernaturalis est. Vnde sicut non superfluit contemplatio supernaturalis infusa, & supernaturalis acquisita; sic non superfluit duplex contemplatio acquisita, vna naturalis, & supernaturalis alia.

QUÆSTIO TERTIA.

Qualiter Spiritus Sancti dona concurrant ad contemplationem?

PRæ manibus habemus quæstionem difficilimam, tum ob ea, quæ ipsi propria sunt. Tum ob ea, quæ implicat: dependet enim ab huius quæsiti resolutione quicquid in quæstionibus præcedentibus dictum est. Vnde manet adhuc pene indecisa difficultas illa de elicientia fidei illustratæ relatè ad actum divinæ contemplationis.

§. I. *Aperitur ſtatus controverſiæ, & iſta reſolvitur.*

64. DOna Spiritus Sancti exiſtere, ſeptem eſſe, realiter à virtutibus infuſis, & inter ſe diſtingui, eorumque vt minùs aliqua concurrere ad contemplationem, & alia, quæ ex dictis inferuntur, adeò certa ſunt, vt non expoſcant ſpecialem aliquam ſolicitudinem. Vltra quam, quòd non multum ad Theologum myſticum ſpectat huiuſmodi labor. Sed debet à Theologia ſcholaſtica ſupponi, à qua mutuandum nobis eſt omne, quod huiuſcemodi controverſijs deſervire ſolet. Quare præſens reducitur ad modum, quo talia dona in contemplationem divinam influant.

65. Hic modus duplex eſſe poteſt. Primus eſt, quòd dona eliciant totam entitatem actus contemplationis divinæ, ſicut charitas elicit ſuum actum, & fides etiam, & ſic de alijs. Ad hunc ergo ſenſum poteſt intelligi, quòd dona contemplationem eliciant: ſive omnia, ſive aliqua ſimul concurrant ad elicientiam eiuſdem actus contemplationis: ſive vnum concurrat ad vnum, & aliud ad alium. De quo nihil modò; nè præſentem controverſiam alijs miſceamus, & magis obnubilemus.

Secundus modus, quo intelligi poteſt influxus iſte donorum, eſt, quod concurrant ad modum actus divinæ contemplationis; ita vt actus, qui ab alio habitu elicitur ab ipſis modificetur, per ipſaque dona induat talem, vel talem elevationem, quam nunquam ab habitu eliciente haberet, circunſcripto donorum influxu in talem actum. Et quali ex his duobus modis ad contemplationem concurrant dona, veſtigat præſens quæſitum.

66. Sit noſtra aſſertio: *Dona Spiritus Sancti non eliciunt actum divinæ contemplaiionis; ſed contemplationem à fide illuſtrata elicitam modificant.* Aſſertio bimembris eſt: ſed idem per vtrumque membrum ſignificatur. Ex eo enim quòd dona ad contemplationem concurrant, vtî ab omnibus edocetur; ſi non concurrunt ad ſubſtantiam actus, ad modum ipſius concurrere neceſſum eſt: aliter ſalvari non poſſet concurſus iſte formalis. Concluſ. hæc eſt D. Thom. vt ait Auth. Diſcept. myſticæ iam adducendus, qui illam etiam docet, ac probat tract. 2. q. 3. art. 7. & tract. 3. q. 3. art. 5. loquutus de vtraque contemplatione. Eamdem ſententiam docet Exim. Suarez ſuprà citatus, qui num. 9. ita expreſſe loquitur, vt de ipſius mente prudenter dubitari non valeat. Idem clariſsimè tenet Dom. Caietan. 2. 2. q. 45. art. 1. & quidem ſi ad ſenſum dictorum attendamus, alios plures Doctor. adduci poſſent, vt ſunt Mag. Joan. à Sanct. Thom. Mag. Valgorn. alijque innumeri. Verùm quia non in plurium authorum recenſione vim noſtrarum aſſertionum collocamus: propterea eos ſolummodò referimus, qui doctrinam noſtram expreſſè docuerunt: relinquens ad lectoris placitum, quòd alios, vel pro nobis, vel contra nos, prout libuerit ei, interpretetur. Et quia in hac parte non ſat eſſe; Authores nominare, remur: propterea ordine propoſito eorum verba ſubijcimus, Div. Thom. ad vltimum locum reſervantes.

67. Diſcept. Myſtica art. 7. citato ſic ait num. 29. agens de contemplatione acquiſita: *Reſpondeo ad 1. Dona Spiritus Sancti non concurrere ad ſubſtantiam actus contemplationis acquiſitæ, iuxta communem providentiam (quicquid ſit, an ex eo, quòd prædicta dona pertineant ad lineam intellectualem, poſſint de providentia inſolita concurrere ad ſubſtantiam contemplationis) ſed concurrunt tantùm ad modum, vel quaſi modum eiuſdem actus.* Hæc dictus Author, qui alia ſubiungit; quibus ſuam illam doctrinam ſuadeat, tum ab authoritate D. Thom. quem ibi laudat, tum à ratione, quam à Div. Thom. authoritate deducit.

Poſteà citato art. 5. ex tract. 3. agens de contemplatione infuſa ait num. 25. *Hoc ſupoſito dicimus*: Actum con-

contemplationis in primo gradu mysticæ Theologiæ fieri quoad substantiam à virtute Theologica fidei: quoad modos autem à donis, iuxta *proportionem dictam.* Quod ibi probat discursu in D. Thom. authoritate fundato. Nec offendas in verbis illis: *In primo gradu mysticæ Theologiæ*: ac si in alijs eiusdem mysticæ Theologiæ gradibus detur contemplatio infusa, quæ à fide non sit; sed à donis quoad substantiam eliciatur: quippe num. 27. se explicat dicēs: *Causatur igitur actus contemplationis infusæ in primo gradu eius, seu prout est actus donorum, hoc ordine &c.* Vbi primum gradum infusæ contemplationis appellat illam contemplationem, quæ à fide est cum donorum concursu. De alia autem contemplatione, de qua art. sequenti loquitur, quæque à scientia infusa dona, & fidem superante elicitur, non est ibi sermo; sicut nec nos de illa modò loquimur, vt diximus num. 46. Vnde contemplatio omnis, de qua quæstione præcedenti diximus, elici à fide, & etiam illa, quæ est ab habitu Theologico, elicitur cum concursu donorum perficientium, vel iuxta contemplantis modum, vel supra illum, actum ipsum contemplationis.

68. P. Suarez eadem claritate procedit dicens allegato num. 9. *Cooperantur autem, vt existimo* huic contemplationi tria Spiritus Sancti dona, intellectus, sapientia, & scientia; intellectus ad concipiendas res fidei altiori modo, quàm per solum discursum proprium, vel apprehensionem naturalem homo posset, hoc enim est propriè munus illius doni &c. Donum sapientiæ, & scientiæ cooperantur demonstrando aliquo modo *veritatem illam &c.* Hactenus Exim. hic Theologus, qui numeris præcedentibus docuerat, illam contemplationem esse actum propriè elicitum à fide, vel habitu Theologico, pro diversitate veritatis contemplatæ: Vnde cum modo inquit, dona ad illam cooperari, non potest intelligi de alio modo concurrendi, nisi de illo, quem verbum ipsum *cooperari* signat, videlicet, non quo ad substantiam actus contemplationis, sed quo ad modum ipsius.

69. Eminent. Caietan. sic ad rem præsentem loquitur citato loco: *Inter fidem ergo*, & sapientiam hæc est differentia, quòd fidei primò est assensus, sapientiæ verò primò est iudicium. Dico autem primò, tum quia vnum infert reliquum; tum quia non intelligo, dona Spiritus Sancti sic distingui à virtutibus Theologicis, vt perficiant ad actus disparatos, sed vt perficiant inchoationem bonitatis, quam actus, qui non primò, sed secundariò sunt Theologicarum virtutum, ab illis sortiuntur. V. G. fidei actus primò est assentire, & eiusdem est etiam percipere, & iudicare, & secundùm Deum, & secundùm causas creatas, & applicare ad singularia, vt patet in homine existente in peccato mortali, cavente tamen se ab idolatria, homicidio, furto, eunte ad prædicationes, & Missas. Talis enim absque donis Spiritus Sancti, quæ non possunt esse informia, per fidem percipit divina, iudicat cavendum ab idolatria secundùm altissimam causam, & ab homicidio etiam secundùm causam creatam, quia non est nocendum proximo, & applicat se ad particulares executiones obsequij fidei in Missis &c. Qui tamen actus spectant ad dona intellectus, sapientiæ, scientiæ, & consilij: sed hi actus non perfecti sunt ita à fide, quin egeant donorum perfectione, à quibus cùm eliciuntur, non alij, sed alio modo, vt scilicet oriuntur ex instinctu Spiritus Sancti, eliciuntur, vt de dono sapientiæ in proposito dicitur, quod à sapientia elicitur iudicium secundùm quandam connaturalitate *ad divina.*

Hæc Caietanus docet, quæ omnia maxima voluptate exscripsi, quia præter perspicuitatem, & proprietatem, quibus procedit, fundamentum vrgens exhibet, quo veritas à nobis pro assertione statuta comprobetur. Scito ergo, quòd cùm actus donorum à donis elicitur, non elicitur alius actus ab actu fidei; sed elicitur idem fidei actus sub illa perfectione, ac excellentia,

quibus ab habitu fidei, donorum influxu circunſcripto, neutiquam eliceretur.

§. II. *Authoritatibus D. Thomæ, rationibuſque inde deductis, propoſitum aſſertum probo.*

70. EX vltimis Caietani verbis conſtat noſtrum aſſertum eſſe de mente D. Thom. qui illud ipſum iudicium, quod elicitur à fide, elici etiam à dono ſapientiæ, ſecundùm quandam connaturalitatem ad divina, clarè docet. Vnde illi ipſi iudicio fidei accedit ſapientiæ donum, & addit, quod procedat *ſecundùm quandam connaturalitatem ad divina*: Et per hoc ſine nova entitate actus, actus ille, qui erat præciſè fidei, fit actus doni ſapientiæ. Idem oſtendunt teſtimonia, quæ ex eodem Doct. Ang. affert Diſcept. myſtica, circa qnæ poſtmodum nonnihil forſam dicemus.

Modò verò probamus concluſionem aliquibus D. Thom. authoritatibus, prima eſt exſcripto ſuper Eſaiam cap. 11. vbi ait: *Dona dantur in adiutorium virtutum, quibus perficiuntur animæ potentiæ ad actus proportionatos, ſecundùm modum humanum, ſicut fides, quæ facit videre in ſpeculo, & ænigmate. Eſt autem duplex defectus virtutis. Vnus per accidens, qui eſt ex indiſpoſitione habentis, ex qua indiſpoſitione manet in ſubiecto, & iſte defectus tollitur per augmentum virtutis. Alius defectus eſt per ſe, ex parte ipſius habitus. ſicut fides ſecundùm ſuam diſpoſitionem eſt in continente imperfecta, quia ænigmatica. Et iſte defectus tollitur per altiorem habitum, qui vocatur donum: quia quaſi excedit modum humanæ operationis à Deo datum, ſicut donum intellectus, quod facit aliquo modo limpidè, & clarè intueri, quæ ſunt fidei. Operatio autem procedens à virtute perfecta donò dicitur beatitudo, quæ nihil aliud eſt, quàm operatio, ſecundùm virtutem perfectam, vt dicit Philoſoph.* Quibus verbis clariſsimè docet D. Thom. actus donorum eſſe actus ipſos virtutum iuxta donorum perfectionem illos elicientium. Quam perfectionem habere ſine donorum auxilio virtutes ipſæ non poſſunt, quamtumvis perfectiſsimæ in ſe ſint, perfectiſsimèque ſubiecto dominentur.

Secunda authoritas ſumitur ex diſputata de charitate, vbi art. 2. inquirit Doct. Sanct. *Vtrùm charitas ſit virtus?* Et contra reſolutionem affirmativam ponit hoc argumentum. *Amor eſt excellentior timore: ſed timor propter ſui excellentiam non eſt virtus, ſed donum, quod eſt excellentius virtute: ergo nec charitas eſt virtus, ſed donum.* Ad hoc argumentum reſpondet ſic: *Ad 17. dicendum, quòd dona perficiunt virtutes elevando eas ſupra modum humanum, ſicut donum intellectus virtutem fidei, & donum timoris virtutem temperantiæ in recedendo à delectabilibus vltra humanum modum: ſed circa amorem Dei non eſt aliqua imperfectio, quam oporteat per aliquod donum perfici: Vnde charitas non ponitur donum virtutis, quæ tamen excellentior eſt omnibus donis.*

Similiter in 3. diſt. 34. q. 1. art. 1. ſimile argumentum ſolvens ait: *Ad 5. dicendum, quòd voluntas non habet aliquam imperfectionem de ratione ſui in nobis, quantum ad modum ſuæ operationis, ſicut intellectus, qui cognoſcit accipiendo à phantaſmatibus. Vnde in ſtatu viæ Deum per eſſentiam amamus, non autem videmus. Et ideò non poteſt accipi ſupra illam virtutem, quæ eſt in voluntate aliquod donum perficiens ad agendum nobiliori modo, quàm ſit modus virtutis. Et ideò cùm donum non ſit ſupra virtutem, niſi de ratione modi, non erit inconveniens, quòd virtus perficiens voluntatem, quantum ad ſui ſupremum, dignior ſit quolibet dono.* Ex quibus teſtimonijs

71. Probatur ſic noſtra concluſ. à ratione primò. Munus donorum eſt elevare virtutes, vt operentur ſupra modum humanum: ergo dona non eliciunt actum quoad ſubſtantiam diverſum ab actibus virtutum, quas elevant: ergo contemplario divina eſt actus

tus fidei quoad ſubſtantiam, & donorum quoad modum. Hæc ſecunda conſeq. ex prima evidens eſt, & anteced. conſtat ex datis verbis ſecundæ authoritatis in principio, quibus dicitur, quòd dona *perficiunt virtutes elevando eas ſupra modum humanum, ſicut donum intellectus virtutem fidei.* Eſt dicere; quòd virtutes, etiam Theologicæ, habent duplicem modum operandi. Primus eſt, iuxta modum illas habentis: ſecundus autem ſupra talem modum. Vnde fides primo modo procedens, cognoſcit iuxta modum humanum, hoc eſt *accipiendo à phantaſmatibus* vt dicitur in tertio teſtimonio; ſicque fides *eſt inſpectio divinorum in ſpeculo, & in ænigmate*, vt ſuprà dixit nobis idem Doct. Sanct. Aſt quòd in hac vita quaſi nuda veritate capiantur divina, *hoc facit*, ait idem D. Thom. *donum intellectus.* Non quia donum intellectus eliciat ſubſtantiam illius actus, quo divina quaſi nuda veritate capiuntur, ſed quia elevat fidem, vt *ſupra modum humanum* operetur.

Deinde probatur conſeq. Quia ſi dona elicerent actum quoad ſubſtantiam, iam non influerent elevando virtutes *ſupra modum humanum*, nec ille actus, ad cuius elicientiam virtutem elevant, eſſet actus virtutis, ſed doni: Cõſequens eſt prorſus diſſonum: ergo. Cætera conſtant, & mai. ſeu ſequela quoad primam partem probatur: Quia influens elevando aliquam virtutem non elicit ſubſtantiam actus, pro cuius elicientia virtutem elevat, vt ex ipſis terminis notum eſt: ergo ſi dona concurrunt cum virtutibus ipſas elevando, non eliciunt ſubſtantiam actus, pro cuius elicientia elevant. *Pro 2. parte* probat. eadem maior: Quia nec modus, nec ſubſtantia talis actus eſſet à virtute: ergo talis actus non eſſet actus virtutis. Pateſt iſta, & probatur anteced. pro 2. parte: Quia à duplici habitu elici non poteſt eadem actus entitas: ergo ſi entitas illius actus eſſet elicitivè à dono, non poſſet eſſe elicitivè à virtute. Pro prima parte non indiget probatione idem anteced. Quia modus illius actus eſt ſupra virtutes, vt docet D. Thom. in 3. teſtimonio ijs verbis: *Cùm donum non ſit ſupra virtutem, niſi de ratione modi.*

72. Probat. 2. Concluſ. ratione alia eruta ex datis teſtimonijs, per quamque præcedens diſcurſus roboratur: Non datur donum, quod ſit charitas: ergo non eſt de ratione doni elicere ſubſtantiam actus contemplationis. Anteced. patet ex datis authoritatibus, & conſeq. probatur ex ratione, quam ibi aſsignat Div. Thom. vt non detur donum charitatis. Etenim quia *circa amorem Dei non datur aliqua imperfectio, quæ debeat per donum perfici*; ideò charitas non eſt *donum virtutis*, ſed virtus ſuperans omnia dona: ergo donum concurrens ad actum virtutis ſolùm perficit modum imperfectum virtutis; conſequenterque non elicit ſubſtantiam actus, ſed modum; atque adeò entitas divinæ contemplationis non eſt à dono, ſed à fide. Anteced. continet verba laudati Div. Thom. & conſeq. probatur. Quia id, quod præſtat modum formaliter perficientem actum, non elicit ipſum actum quoad ſubſtantiam, nec elicit alium diverſum actum; quia ſi ipſum actum quoad ſubſtantiam eliceret, non concurreret ad ſolam perfectionem actus; tuncque poſſet charitas habere rationem doni. Si autem eliceret alium actum diverſum, non poſſet per id, quod præſtat, perfici formaliter actus virtutis: abſurdum eſt enim dicere, quòd per vnum actum alius formaliter perficiatur: ergo donum ita cum virtute cõcurrit, quod ſolùm præſtet modum, quo formaliter perficitur actus virtutis. Hincque conſtat efficacia rationis, ob quã D. Thom. docet, non dari charitatem, quæ ſit donum: quia videlicet, *circa amorem Dei non datur aliqua imperfectio &c.*

73. Dices: Sicut non datur charitas, quæ ſit donum, ita nec fides: ergo vel ratio D. Thom. non convincit; vel fides per nullum donum perficitur. Anteced. eſt Div. Thom. adducendi, & conſeq. probatur: Quia licet fides habeat modum imperfectum procedẽdi,

non

non tamen datur donum, quod sit fides: ergo quòd non detur charitas, quæ sit donum, non provenit ex eo, quòd *circa amorem Dei non datur aliqua imperfectio, quæ debeat per donum perfici.*

Respond. fidem, & charitatem dupliciter considerari posse. Primò, vt sunt virtutes Theologales. Secundò, quatenus vna afficit intellectum, & alia voluntatem. Sub prima consideratione conveniunt in eo, quòd non detur donum, quòd fides, aut charitas sit. Ratioque desumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 4. dicente: *Ad 3. dicendum, quòd animus hominis non movetur à Spiritu Sancto, nisi ei secundùm aliquem modum vniatur: sicut instrumentum non movetur ab artifice, nisi per contactum, aut per aliquam aliam vnionem. Prima autem vnio hominis est per fidem, spem, & charitatem: vnde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum. Vnde omnia dona pertinent ad has tres virtutes, sicut quædam derivationes prædictarum virtutum.* Vnde habes motivum, ob quod nullum detur donum, quod sit fides, spes, aut charitas: quia videlicet, non potest homo moveri à Spiritu Sancto, ad quod dona deserviunt, nisi præsupponatur ipsi vnitus. Vnio hæc fit per virtutes Theologales, eòque virtutes Theologales præsupponuntur ad dona. Consequenterque non potest dari donum, quod sit fides &c. Quod inde manifestum est; quia si daretur fides donum, esset donum, & simul non esset donum: esset quidem, vt supponitur: & non esset, quia fides, & aliæ virtutes Theologales *præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum.* Videatur D. Sanct. art. 8 in corpore.

Si autem fides, & charitas considerentur, quatenus actus vnius est actus voluntatis, & actus alterius est actus intellectus. Tunc conveniunt etiam in eo, quòd non detur donum, quod sit charitas, aut fides: sed discriminantur, quia charitas nec ex se, nec ratione voluntatis, cui inest, requirit donum perficiens actum. Non requirit ex se, vt dictum est, quia *circa amorem Dei non est aliqua imperfectio, quam oporteat per aliquod donum perfici.* Non requirit ratione voluntatis: quia voluntas de se nullum donum nominat, vti docet D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 1. dicens: *Ad 3. dicendum, quòd voluntas nominat simpliciter appetitivum motum absque determinatione alicuius excellentiæ: sed intellectus nominat quandam excellentiam cognitionis penetrandi ad intima. Et ideò supernaturale donum magis nominatur nomine intellectus, quàm nomine voluntatis.* Vnde discursus D. Thom. convincit: quia cùm amor Dei nec ratione habitus elicientis, nec ratione potentiæ indigeat dono perficienti; propterea non datur donum, quod sit charitas, & ad amandum nobiliori modo conducat. Ast fidei actus est actus intellectus, qui pro hoc statu imperfectè de se intelligit, & accipiendo à phantasmatibus: vnde datur donum, quod de eius nomine dicitur intellectus, & huius doni munus est perficere actum fidei, vt sine phantasmatum erroribus procedat, divinaque quasi nuda veritate capiat.

Per quæ ad obiectionem in forma respond. neg. conseq. & paritatem. Ad probationem dicas: Quod licèt non detur fides donum; quia fides est virtus Theologalis. Datur tamen donum intellectus, cuius est actus fidei perficere. Non tamen datur donum, quod sit charitas, aut voluntas, quia actus charitatis nullam perfectionem accipere à dono potest, nec ea indiget. Vnde ex facto nobis argumento concluditur, dona Spiritus Sancti non concurrere ad entitatem actuum virtutum, quibuscum concurrunt. Quod

74. Probatur vltimò ex diffinitione donorum. Etenim donum, vti ex D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 1. & 3. ait Mag. Valgorn. q. 3, disp. 2. art. 1. num. 1. *Est habitus quidam, quo homo disponitur ad exercenda opera virtutum secundùm quod homo est mobilis à Spiritu Sancto.* Vbi vt clarissimè vides, donum dicitur habitus ille, quo homo idoneus redditur ad elicienda opera, non ipsius doni, sed virtutum. Vnde sola doni definitio

finitio est irrefragabilis asserti nostri probatio. Disponit enim donum hominem, vt per virtutem ad hoc destinatam, ex influxu ipsius doni contempletur. Vnde donum perficit actum illum contemplationis, quem virtus potest quidem elicere, sed perficere non potest. Quod est idem, ac id, quod citato art. 8. docet D. Thom. in argumento *sed contra* per hæc verba: *Dona dantur in adiutorium virtutum contra defectus.* Hoc est, quod num. 79. nobis elegantissimè tradidit Caietanus. Videlicet, quòd ex concursu donorum actus virtutum non eliciuntur *alij* sed *alio modo.* Hoc est, quòd fides, vt est principium contemplationis, non sit fides simpliciter, & absolutè sumpta, sed fides, vt illustrata, aut à donis, ad contemplationem concurrentibus, elevata: Quocirca sicut fides, vt reduplicativè illustrata, dicit modum, qui est donorum effectus; sic in ipsum fidei actum, seu contemplationem imprimitur iste modus donis correspondens. Hoc est, quòd homo, qui sine donis idoneus est, vt virtutes exerceat ex dictamine rationis: ipsis donis indigeat, vt exerceat ipsas virtutes ex instinctu Spiritus Sancti. Cæterùm, sicut cùm homo ex dictamine rationis virtutes exercet, exercitium illud, seu ij actus non eliciuntur à dictamine rationis, sed à virtutibus: sic etiam cùm tales virtutes exercentur ex instinctu Spiritus Sancti, actus illi non à donis, sed à virtutibus ipsis eliciuntur.

§. III. *Nonnulla argumenta solvo.*

75. CONtra conclus. arg. 1. Contemplans ex speciali instinctu Spiritu Sancti est instrumentum: ergo actio illa, seu contemplatio non attribuitur contemplanti, sed Spiritui Sancto medijs suis donis concurrenti. Conseq. nota est: Actio enim instrumenti principaliter elicitur à virtute illa, quam principale agens in ipsum derivat, quaque illud elevat. Anteced. autem, in quo est præcipua difficultas, est expressum D. Thom. d. q. 68. art. 3. vbi inquit: *Ad 2. dicendum, quòd ratio illa procedit de instrumento, cuius non est agere, sed solùm agi. Tale autem instrumentum non est homo, sed sic agitur à Spiritu Sancto, quod etiam agit, in quantum est liberi arbitrij.* Vbi clarè loquutus de motione donorum, de qua ibi sermo erat, concedit hominem esse instrumentum, quamquàm non inanime.

76. Confirmatur. Non potest fides elicere actum divinæ contemplationis, nisi à donis elevetur: ergo fides est instrumentum donorum; atque ideò actus eius eliciuntur principaliter ab illis. Anteced. constat ex verbis D. Thom. positis num. 70. ex disputata de charitate ibi: *Dona perficiunt virtutes elevando eas supra modum humanum.* Et conseq. probatur: Quia id, quod ita ab alio perficitur, vt simul elevetur, est instrumentum elevantis; aliter nihil habebit rationem instrumenti: sed dona ista perficiunt fidem ad actum contemplationis, vt illam elevent *supra modum humanum*, vt patet ex citato D. Thom. ergo.

Argumentum hoc molestum valde est, non propter difficultatem, quam habeat, sed quia in quamcumque materiam introduci ab aliquibus solet: vtî in præsenti faciunt, qui ex eo probari volunt, hominem, vt à Spiritu Sancto specialiter motum, operantem esse instrumentum, quibus respondetur: quòd si instrumentum sumitur in lata quadam significatione, sic *omnia, quæ sunt post Deum, sunt quædam quasi instrumenta ipsius*, ait Div. Thom. 3. cont. Gent. cap. 100. in 2. Quocirca omnis causa secunda instrumentum est causæ primæ; siquidem operari non valet, nisi ab ipsa prima causa mota, & præmota. Et hoc non solùm verum est relatè ad effectus supernaturales ad quos speciali concursu, & auxilio indigere certum est: verùm etiam relatè ad effectus naturales. In hacque acceptione sumitur à D. Thom. instrumentum loco in argumento citato. Ibi enim

inten-

intendebat arguens, quòd dona Spiritus Sancti non erãt habitus existẽtes in iusto; sed passiones, aut motiones ipsi per modum transeuntis communicatæ. Et hoc: quia iustus ex illis operans est instrumentum, quod virtutem agentis principalis non habet per modum habitus. Ad quod ait Ang. Doct. quòd iustus ex instinctu speciali Spiritus Sancti procedens, non est instrumentum inanime, de quo verificatur illa ratio: sed est (illa lata acceptione iam dicta) instrumentum, quod ita à Spiritu Sancto agitur, vt etiam agat: eòque virtutem, qua operetur, debet permanenter habere. Et per hoc solvitur à D. Thom. illud argumentum: quin ex hoc inferre liceat, quòd in eius sententia, hi, qui spiritu Dei aguntur sint rigorosè instrumenta. Non enim sunt nisi causæ principales: & eò principaliores, quò spiritui, à quo aguntur, subiectiores. Per quod patet ad argumentum.

Ad confirm. concess. ant. neg. conseq. Ad cuius probation. dicas: multum, & valde absurda probare; atque adeò nihil probare. Si namque verum contineret probatio illa, nullus actus salutaris daretur, quem homo, vt causa principalis, produceret: vnde ob eorum elicientiam nulla retributione dignus foret. In forma tamen respondeo ad dictam probationem disting. mai. Quæ vera erit, si operatio, ad quam elevatio datur, non sit intra latitudinem obiecti adæquati principij elevati: vel si in ipso non supponatur forma, cui connaturalis sit talis operatio. Falsa verò est omnino illa maior; si dicta operatio sit intra obiectum adæquatum principij elevati: vel si in eo adest forma, cui connaturalis sit operatio illa. Et sub eadem distinctione min. negetur conseq.

Explicatur solutio: Actus contemplationis divinæ est actus fidei, qui, vt supponimus, est actus intellectus, cuius obiectum comprehendit, nedum Deum sublimiter contemplatum; verùm etiam ipsum clarè visum. Vnde quamquam elevari debeat, vt Deum videat, & contempletur, nunquam tamen verum est, quòd ad talem contemplationem, sive obscuram, sive claram instrumentaliter concurrat. Tunc enim instrumentaliter concurreret; cùm non solùm non diceret proportionem efficacitatis proximæ, vt de facto non dicit, relatè ad Deum videndum, seu contemplandum: sed nec etiam diceret proportionem essentialem. Hanc secundam proportionem vere dicit noster intellectus: vnde etiam si elevetur, vt proximè possit Deum contemplari, non propter hoc est instrumentum. Vide circa hæc P. P. Complutens. de anima disp. 17. q. 2. & P. P. Salmant. tract. 2. disp. 1. dub. 1. & disp. 4. dub. 5. num. 60. Insuper in iusto dàtur gratia sanctificans, cuius connaturalis operatio est Deum videre: consequenterque omne illud, quod iustum approximat, seu proportionat ad Deum videndum, non adimit ab illo rationem causæ principalis; sed illum magis, vel minùs proximè expeditum reddit, vt illum actum tamquam causa principalis eliciat.

77. Arg. 2. Quia licèt habitus elevans potentiam non auferat ab illa rationem causæ principalis, vt dictum est num. præcedenti elicit tamen substantiam actus, ad quem elevat: ergo dona ad contemplationem concurrentia eliciunt entitatem contemplationis. Conseq. infert. anteced. quod probatur: Quia ex eo quod perficit, & elevat, ex potentia elevata constituitur vnica causa actus: ergo tale elevans actus substantiam producit.

Si dicas: Vnam quidem causam constitui; sed taliter, quòd entitas actus correspondeat potentiæ, & modus eam elevanti. *Contra* est 1. Quòd dona Spiritus Sancti sunt habitus: ergo taliter concurrunt ad contemplationem, quòd non solùm eius modus, ipsis correspondeat. Anteced. docetur à D. Thom. quem alij sequuntur. Et conseq. probat. Si solùm ad modum concurrerent, sat esset, quòd communicarentur per modum transeuntis, cùm contemplatio exercenda esset. Vt quid ergo habitus illi permanenter in anima iusti; cùm per motionem transeuntem suppleri

potest

potest quicquid ab illis fit? *Contra* 2. Quia habitus ipse fidei infusæ (idem est de alijs habitibus) taliter perficit potentiam intellectivam, vt ex fide, & intellectu confletur vnica causa actus fidei, quem ipsa fides elicit quoad substantiam. Similiter procedunt spes, charitas, & alij habitus supernaturales: ergo hoc ipsum donis denegandum non est.

Vrgetur hoc: Quia dona Spiritus Sancti non solùm elevant intellectum fidem illustrando, & non solùm elevant vt habitus, vt dictum est; sed sunt habitus prorsus supernaturales: ergo taliter constituunt cum intellectu vnicam contemplationis causam, vt substantiam contemplationis eliciant. De anteced. dubitandum non est. Et conseq. probatur: Quia hæc est differentia inter habitus acquisitos, & infusos, quòd illi concurrunt ad facilitatem actus, & ideò non dant *posse* sed *facilitatem*: isti verò dant *posse*; atque adeò concurrunt ad substantiam actus. De quo videri possunt nostri Salmant. tract. 12. disp. 3. dub. 2. à num. 35. ergo dona Spiritus Sancti præbent intellectui *posse* ad divinam contemplationem, eòque contemplationis entitatem producunt.

Resp. anteced. esse verum, si id, quod elevat potentiam, non supponat in potentia omne, quod requiritur ad elicientiam substantiæ actus: tunc enim ita elevat, vt præstet *posse* ad actum; consequenterque substantiam eius elicit. Si autem in potentia supponat, quicquid requiritur ad substantiam actus: tunc solùm concurrit vel ad facilitatem actus; vel ad eius intensionem; vel ad maiorem ipsius perfectionem. Quod vnico verbo explicatur: concurrit ad modum illius actus, non ad ipsius substantiam. Vnde licèt constituat vnam vnicam causam cum potentia, ex parte tamen actus diversum est, quod ipsi, & quod potentiæ correspondet. Et iuxta hæc admittenda est solutio inter arguendum data, quam non labefactant impugnationes adiectæ.

Ad primam enim respond. neg. conseq. Ad cuius probationem dic, multum probare; Quia si id, quòd concurrit ad modum actus non potest esse habitus, non dabuntur habitus acquisiti, qui iuxta communem intelligentiam, concurrunt ad præbendam facilitatem. Cùm autem interrogatur: ad quid illi habitus in anima, si hæc media Spiritus Sancti motione potest facere quicquid cum illis facit: Immo & nunquam facit cum illis, nisi adsit illa motio?

78. Resp. cum Mag Joan. à Sanct. Thom. hoc procedere ex non recta intelligentia donorum Spiritus Sancti, & motivi, ob quod iustis conferuntur. Etenim dona Spiritus Sãcti non dantur in anima iusti propter motionem Spiritus Sancti, sed propter iusti obedientiam, & promptitudinem, quam semper habere debet dicens cũ Davide Psal. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quod non per modum transeuntis, sed permanenter, & alta mente repostum debet habere iustus. Omnibus enim dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Lumbos præcingere est signum ad iter se se accingentis: lucernarum lux ostendit notitiam claram ad comprehensionem lucidam, quam in suis gressibus habent illi, qui ad dictum iter præparantur: vltra quod debent esse vigiles, veluti servi, qui expectant Dominum suum. Vt quid ergo? *Vt cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* Ecce dona Spiritus Sancti, huiusque divini Spiritus motionem, & effectus ad vivum expressa. Effectus donorum est illa iustorum præparatio ad iter, ipsiusque itineris notitia: quæ permanenter in illis est, vt subitæ, & transeunti pulsationi respondeant cordis ianuas referantes, & promptissimam obedientiam exhibentes. Vnde patet ad quid sunt illi habitus in anima. Et etiam patet, quòd talia dona sunt necessaria ad consecutionem salutis: Quia licèt ipsorum actus perfectissimi sint, & extra communem, ac regularem modum: tamen, quòd homo sit promptus,

tus, vt Deo pulsanti aperiat, non est extra communem cursum, sed apprimè necessarium, vt valeat salutem obtinere.

Ad 2. impugnationem respond. ex habitibus supernaturalibus alios esse totam rationem agendi suis potentijs; alios verò non esse rationes formales agendi, sed modificandi. Habitus primi generis eliciunt entitatem actus: Habitus verò generis secundi actus, & habitus eum elicientis, entitatem perficiunt. Primi generis sunt virtutes Theologicæ, & lumen gloriæ: an verò hoc etiam alijs habitibus supernaturalibus conveniat, vel non? Nostra disputare non refert. Videbis P. P. Salmant. citatos num. suo 39. secundi autem generis sunt dona Spiritus Sancti. Nec est fundamentum aliquod, vt eo ipso quòd habitus sit supernaturalis, dicamus, esse rationem agendi: Cùm suppetant motiva plurima, vt dicamus, aliquos habitus prorsus supernaturales, qualia sunt dona, non esse rationes agendi, sed perficiendi.

79. Per quod patet ad vrgentiam, quin aliud addere opus sit: præterquam, quòd vltra dicta in probatione nostræ assertionis, considerandum est, quòd dona non afficiunt immediatè potentiam; sed media fide infusa formata: vnde totum suum munus dirigitur, vt docet Discept. mystica, *ad hoc, quòd anima facilè moveatur à Spiritu Sancto ad elicientiam actus fidei Theologicæ*. Et sic ad contemplationem concurrunt. Quocirca ex sua datura isti habitus destinati sunt ad modificandum habitum fidei illum illustrando, vt sic valeat actum contemplationis elicere. Ex quo planè habetur, talia dona non esse rationes agendi, sed perficiendi. Habetur etiam, quòd cùm dicitur de ratione habitus supernaturalis esse, quòd sit tota ratio agendi, non debet intelligi de omni supernaturali habitu; sed de illo, de quo verificatur quæsiti suppositum: videlicet, de eo, qui est ratio agendi. De hoc, inquam, disquiritur: an sit *tota* vel *partialis* ratio agendi?

§. IV. *Proponitur difficile aliud argumentum.*

80. ARg. vltimo: Dona Spiritus Sancti, quæ concurrunt ad contemplationem, eliciunt illam quoad substantiam in patria: ergo & in via. consèq. est innegabilis; quia si in patria sunt ratio agendi contemplationem; non est cur eis denegetur hoc ipsum in via. Probo anteced. Visio beata est contemplatio patriæ: visio beata elicitur à dono intellectus: ergo. Difficultas est in sola minori, quam evidenter docet D. Thom. 2. 2. q. 8. art. 7. hisce verbis: *Duplex est Dei visio, vna quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia. Alia verò imperfecta, per quam etsi non videamus in Deo quid est, videmus tamen quid non est: & tantò in hac vita Deum perfectiùs cognoscimus, quantò magis intelligimus, eum excedere quicquid intellectu comprehenditur. Et vtraque Dei visio pertinet ad donum intellectus. Prima quidem ad donum intellectus consummatum, secundùm quod erit in patria. Secunda verò ad donum intellectus inchoatum, secundùm quod habetur in via.* Similiter in 3. d. 34. q. 1. art. 4. ait: *Donum intellectus, cuius est spiritualia apprehendere, in patria ad divinam essentiam pertinget eam intuendo.* Pluribus alijs locis, tradit hoc ipsum Doct. Sanct. dicta tamen, quæ clariùs contra nos loquantur, sat sint: quia omnium illorum eadem expositio est.

81. Mag. Joan. à Sanct. Thoma 1. 2. q. 68. disp. 18. art. 8. non paucis vtitur, vt datos textus exponat: eius explicatio reducitur ad hoc, quòd D. Thom. non loquitur de actu doni intellectus formaliter tali, sed regulativè: quiaque visio beata, ait, est, quæ regulat actum doni intellectus in patria; propterea inquit Sanct. Thom. quòd donum intellectus pertingit ad videndam divinam essentiam: non quia visio formalis divinæ essentiæ sit actus doni intellectus: sed quia donum intellectus regu-

regulatur à visione divinæ essentiæ. Ad hoc reducuntur plura, quæ sapientissimus hic Theologus ibi docet. De quorum veritate non disputo. Semper tamen mihi durum erit, D. Thomam, in ipso loco vbi de dono intellectus, tamquam in sede propria, loquitur, & eius quidditatem vestigat, & contemplationem proprium ipsius doni actum in præsenti, & in futuro esse docet: in ipso, inquam, loco non loqui D. Thom. de doni intellectus actu formaliter, sed regulativè; hoc, repeto, semper mihi durum erit. Et si ita textus interpretari liceat, authoritatum pondus possum ibit. Hac tamen interpretatione relicta.

82. Fatemur, D. Thom. loqui de dono intellectus formaliter tali, & etiam de visione divinæ essentiæ, quæ est formaliter talis. Visio ergo divinæ essentiæ est multiplex in Beatis: modò verò de duplici mentionem faciam. Prima est ipsa visio beata, in qua Beatorum gloria consistit. Et hæc nullatenus est doni intellectus actus, nec tale asserit D. Thom. sed est actus elicitus à lumine gloriæ, quod est Beatorum Theologia. Secunda visio propriè talis divinæ essentiæ est actus doni intellectus. Cuius actum visionem esse nemo negare audebit: quandoquidem vel in hac vita Deum videt, non quoad quid est, sed quoadquid non est, vt ex multoties dictis patet. Vnde in patria, remoto velamine fidei, Deum clarè videt visione propriè, & formaliter tali, & quæ iam non terminatur ad quid non est, sed ad quid est. De hacque visione locutum D. Thomam, inde inter alia constat: quòd eo loci de dono intellectus, ac de actu sibi proprio, sermo illi erat. Quocirca si Ang. Doct. loquitur de visione, quæ sit actus doni intellectus, cur de illa prima est intelligendus, & non de hac secunda interpretandus?

83. Inter has autem divinæ essentiæ visiones hoc interest. Quòd, vt subtiliter discutit præfatus Magister, lumen gloriæ elicit actum visionis beatæ, antequam charitas amorem eliciat: quia ille intellectualis actus non præsupponit actum voluntatis; quin potiùs præsupponitur ad ipsum, illumque regulat, & excitat. Ad illam visionem beatam subsequitur amor Dei; sicque Deus perfectè possidetur à beatis, habentque isti suam fœlicitatem omnimode perfectam, completamque, dicente D. Thom. 2. 2. q. 180. art. 7. ad 1. *Hæc est vltima perfectio contemplativæ vitæ, vt scilicet non solùm divina veritas videatur, sed etiam vt ametur.*

Hactenus non adest actus doni intellectus, nec alicuius alterius ex septem donis, nec adesse potuit. Tum quia illi diviniſsimi actus altiora principia expoſcunt, quàm sint dona Spiritus Sancti. Tum quia dona, dum suos actus habent, supponunt animam Deo vnitam, quæ vnio fit medijs virtutibus Theologalibus, quæ ex hoc donis præstare, demonstratur, docetque D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 8. dicens: *Virtutes Theologicas præferendas esse donis Spiritus Sancti, quia per eas vnitur mens Deo, & subijcitur illi.* Vide dicta num. 73. Tum denique, quia actus donorum, v. g. intellectus, de quo loquimur, non terminatur ad Deum prout est in se cognoscendum; sed ad ipsum prout degustatum: vnde ad eius actum debet præsupponi actus gustans Dei delicias, & suavitatem. Actus iste est actus voluntatis, quæ Deo tota sua activitate copulata suavitate illius pascitur, & saginatur. Tuncque apparet actus doni intellectus cognoscentis Deum, non, vt diximus, in se ipso, aut quidditativè; sed quatenus communicat gustum illum, saporemque voluntati. Et in hoc sapore, quem voluntas experitur, qui sanè quid creatum est, videtur Deus à dono intellectus, & ab alijs donis cognoscitivis, præsertim à dono sapientiæ. Ex quibus habetur, D. Thom. loqui de hac visione Dei mystica, & quæ ad Deum, vt degustatum terminatur: non de illa, quæ ipsum in se, & prout in se existit, intuetur.

84. Mente D. Thom. explanata, gemimus adhuc sub hasta totius obiectæ difficultatis. Quia si D. Thom. loquitur de visione illa mystica, eamque

dicit, esse actum doni intellectus, vrget dubium: vel ille actus elicitur quoad substantiam à dono intellectus; vel tantùm quoad modum; & quoad substantiam ab alio habitu? Si primum dicas: ergo etiam in via erit actus ille à dono intellectus quoad substantiam. Si secundum asseras: debes assignare habitum, à quo substantia illius actus eliciatur. Quod haud facilè consequare: Quia summè arduum est, talem habitum invenire. In primis enim non potest esse lumen gloriæ; quia absurdum prorsus est concipere, lumen gloriæ à donis perfici posse. Fides, tametsi entitativè perfectior, est quoad modum minùs perfecta donis, vt suprà dictum est cum D. Thom. Quamobrem possunt dona fidem illustrare, eiusque actum perficere. Sed lumen gloriæ quam perfectionem lucrabitur ex donis? Itidem recurrere ad sciẽtiam infusam, vanum erit; quia vel in via illa scientia, dum transeunter alicui communicatur, donis non eget, vt contempletur. Quantò magis hoc in patria eveniet, vbi illa scientia permanenter, ac plenè possidetur.

Vides difficultatem gravissimam, quam tamen dissimulare nolui: nè modò exequerer, quod nunquam à me factum potes credere. Ratus melius esse, iudicium proprium exponere, vt à sapientibus emendetur: quàm tumulo silentij reponere, ex quo publica vtilitas nullum emolumentum habet. Expositò ergo, quod propria exilitas dictat, resultat, vt iam alibi dictavi, quòd sapientes, errata vt extirpent, ignaros instruant: & rem adeò vtilem, & extemplò se se cuivis de his tractanti, offerentem, non tam profundo silentio prætereant.

85. Igitur ad propositam difficultatem videtur posse responderi: Quòd in patria donum intellectus elicit substantiam illius mysticæ visionis. Nec in patria vrgent motiva, ob quæ illam illi elicientiam denegavimus. Et aliunde ipsi dono hic modus operandi non repugnat, vt prudenter vidit nostra Discept. mystica loco citato. Ex dictis enim ab initio huius quæstionis constat: in via non elicere dona actum contemplationis, quia D. Thom. Caietanus, Suarez, & communiter alij, & ipsa diffinitio doni num. 74. posita, docent, dona perficere fidem pro actu contemplationis, & actum cõtemplationis esse actum perfectissimum fidei: & insuper, quòd actus perfectior non est attribuendus habitui minùs perfecto: & alia his similia. Quæ omnia disparent, si de contemplatione mystica patriæ sermo sit. Illa enim non est perfectior actus illius fœlicissimi status: quippe visio beata omnes alios longè superat; donorum actus non est perfectissimus actus luminis gloriæ, nec hoc per ipsa dona perficitur, aut perfici valet. Vnde si dona sunt aliunde, vt dictum est, capacia eliciendi substantiam contemplationis: neutiquam absonum videtur, asserere, quòd hanc capacitatem in patria exerceant, vbi inconvenientia cessant.

Verùm nec modus procedendi D. Thom. nec tradita donorum diffinitio quietem invenire in data solutione patiuntur. Non primus, quia D. Thom. eodem modo ait, contemplationem patriæ esse actum doni intellectus consummati, ac contemplationem viæ esse à dono intellectus non consummato: sed hoc non elicit substantiam contemplationis viæ: ergo nec illud elicit substantiam contemplationis patriæ. Mai. constat ex verbis Ang. Doct. num. 80. datis, & minor ex dictis in tota hac disputatione. Sed nec donorum tradita definitio hoc patitur; quia illa definitio describit nobis donorum quidditatem, quæ in omni statu eadem semper est. Vnde cohærenter ad hactenus dicta aliter respondere oportet, ad quod

86. Supponendum est: quod sicut contemplatio viæ est veluti vicaria contemplationis patriæ. Sicut enim in hoc consistit fœlicitas patriæ; sic etiam in illa vitæ huius fœlitas sita est: ita fides infusa est vicaria luminis gloriæ, vt omnes docent. Quocirca sicut contemplatio, seu fœlicitas consummata subsequitur ad contemplationem, seu fœlicitatem inchoatam; sic ad fidem sub-

ſubſequitur lumen gloriæ. Lumen hoc eſt Theologia Beatorum, quo conſequuntur vltimum ſuum finem illos beantem, ad quam conſecutionem ſubſequitur delectatio voluntatis, & quies in ipſo vltimo fine conſecuto. Si autem hoc lumen poſſet eſſe Theologia myſtica Beatorum, nil nobis deſiderandum ſupereſſet, vt factum argumentum ſolveretur.

87. Secundo ſupponendum eſt cum Mag. Ferre in 1. p. tract. 1. q. 3. §. 4. quòd ſicut intellectus Dei ob ſui eminentiam eſt intellectus, ſapienria, & ſcientia; ſic etiam lumen gloriæ hæc omnia ſimiliter habet, formali quadam participatione: vnde ſecundùm quod participat rationem intellectus divini, habet pro obiecto omnia divina, quæ formaliter conveniunt Deo: ſecundùm quod ſapientia, habet iudicare de omnibus divinis per ipſam divinitatem: ſecundùm quod ſcientia eſt, tantùm habet inclinare in attributa Dei &c. Hæc datus Author ex quibus conſtat, lumen intellectus multa adunare, quorum non omnia ſeorſim, ac præciſivè ſumpta, ſunt ipſa beatitudo formalis: hæc quippe ad omnia, quæ in Deo ſunt, terminatur. Quod non obeſt, vt in illo ſublimi actu, & in habitu ipſius præſcindamus ea, quæ habet ex ſua primaria, & adæquata ratione, & illa, quæ ſecundùm conceptus ſibi inadæquatos, ac veluti ſecundarios dicit.

88. Supponend. eſt 3. Theologiam acquiſitam, quam in patria manere, certum eſt, ibi poſtquam Deum modo ſibi proprio attingit, regreditur ad cognoſcendum ipſum Deum, prout à voluntate deguſtatum; ſicque datur Theologia myſtica acquiſita concurrentibus donis modo, quo in antecedentibus dictum eſt Hoc tamquam certum ſupponimus, ab omnique calumnia immune. Tum, quia ſi in via hoc fit, non eſt cur in patria ſimiliter nõ eveniat. Tum, quia iuxta D. Thom. 1. p. q. 89. art. 5. & 1. 2. q. 67. art. 2, ſcientiæ acquiſitæ in hac via, in patria ablatis imperfectionibus, conſervantur. Vnde debet id ipſũ concedi de Theologia Myſtica naturali, quæ acquiſita eſt. Ex his ergo, quæ certa ſunt, lux aliqua incipit apparere, quæ viam, qua facto argumento occurramus, oſtendat.

89. Reſpond. ergo: Actum primarium luminis gloriæ eſſe intueri Deum prout eſt in ſe ipſo, & quidditativè, ex qua cognitione, vt vidimus num. 83. reſultat ineffabilis rogus voluntatis in illo ſummo bono quieſcentis, innerrabileſque delicias deguſtantis. Et Deum, vt ſic deguſtatum, & in illo ſapore, quo deliciatur voluntas, ſplendentem, obiectum digniſsimum eſſe cognitu, quis negabit? Hoc ergo digniſsimum obiectum cognoſcit per actum ſuum ſecundarium lumen gloriæ. Sed non ſe ſolo; quia lumen gloriæ, vt dictum eſt, attenta ſua natura, reſpicit Deum quidditativè, non myſticè: reſpicit Deum prout eſt in ſe, non prout in illo ſapore relũcet: vnde ad ſic attingendum Deum requirit influxum donorum. Quorum eſt privativè proprium Deum non metaphyſicè, non quidditativè, ſed myſticè, & experimentaliter attingere. Nec ex hoc inferre licet, quòd dona perficiunt lumen gloriæ, ſicut de fide diximus. Fidem enim perficiunt, quia illam elevant ad ſuperiorem modum operandi, ſcilicet, ſupra modum humanum, vt ſuprà docuit nos D. Thom. lumen autem gloriæ non elevant: nec ibi adeſt aliqua elevatio. Sed potiùs depreſsio: quatenus lumen ipſum, cuius actus primarius fertur in Deum, prout eſt in ſe, deprimitur, vt per actum ſecundarium cognoſcat ipſum obiectum, vt ſplendet in dicto ſapore. Vnde nihil aliud in hac modificatione evenit, niſi quòd lumen illud, quod ex natura ſua cognoſcitivus eſt; ſed non myſticè: ex connotatione autem influxus donorum myſticè cognoſcat. Quod ſexcentis exemplis comprobari poteſt. Quorum omnium eadem ratio eſt, videlicet, quòd non omnis modificatio perfectio eſt: nec connotatum, eo ipſo, quòd connotatum ſit, perficit rectum: ſed facit, quòd rectum faciat, id, quod ſine ipſo non faceret: ſive illud, quod facit ex connotatione

tione illa, sit magis, vel minùs perfectum, quàm id, quod sine illa connotatione facit. Hoc enim aliunde pensandum est.

Quamobrem sicut Theologia acquisita Deum, concurrentibus donis, contemplatur in patria, vt diximus num. 88. Sic etiam ipsum Deum sublimiùs contemplatur Beatorum Theologia, lumen, scilicet, gloriæ, quod in illos conceptus, quos dedimus num. 87. aliosque dividitur, vt non solùm sibi apropriet elicientiam contemplationis, quæ est actus doni intellectus; sed illas etiam, quæ sunt actus donorum sapientiæ, & scientiæ. Quatenus ex cognitione elicita ab vnoquoque ex his conceptibus habet voluntas, quod in obiecto degustet, & iterum ipsum lumen, quod novo modo, hoc est, mysticè cognoscat. Sicque servatur in omnibus cohærentia, quæ est signum magnum veritatis. Atque adeò fides, quæ, vt diximus, num. 86. est vicaria luminis gloriæ, invenitur hoc munus habere non solùm in actu suo primario; sed etiam in secundario, qualem esse divinam contemplationem, seu actus donorum, suprà dixit nobis Caietanus: siquidem subsequitur lumen gloriæ, quod per actum suum secundarium ex connotatione influxus donorum contemplatur Deum non contemplatione illa intuitiva, & quidditativa, sed contemplatione mystica, affectiva, & experimentali.

90. Dices: Ipsa beatifica visio est cognitio experimentalis Dei: ergo lumen gloriæ non elicit aliam cognitionem experimentalem Dei. Antecedens est omnino certum, & conseq. probatur: Quia in conspectu primæ illius cognitionis experimentalis perfectioris superfluit prorsus cognitio alia experimentalis minùs perfecta.

Resp. disting. anteced. *est cognitio experimentalis* intuitivè, seu per modum visionis, conceditur; mysticè, seu ex affectuosa connaturalitate, negatur. antecedens. Etenim omnis visio intuitiva est cognitio experimentalis; ipsa enim visio experimentum est: ast est experimentum, quod non nascitur ex tactu, seu ex degustatione obiecti, sed ex faciali præsentia ipsius. Hæc secunda experientia non est mystica, vnde licèt illam dicat beatitudo formalis, non sequitur, quòd sit contemplatio mystica cognitio experimentalis ex degustatione obiecti est mystica contemplatio, & hanc provenire à lumine, connotato influxu donorum, asserimus. Nec hæc cognitio superfluit in conspectu primæ: quia est ab illa multum diversa. Quandoquidem prima est cognitio obiecti prout est: secunda autem est cognitio obiecti prout sapit. Prima terminatur ad divina, vt vera, & secunda terminatur ad *divina amata*, vt dixit D. Thom. suprà disp. præcedenti numero 46. Et sicut non repugnat, quòd Beatus cognoscat Deum per scientiam beatam, per infusam, & per Theologiam acquisitam: ita nec datur repugnantia in eo, quòd idem lumen illo duplici experientiæ genere Deum cognoscat. Similiter Beatus cognoscit mysticè Deum per Theologiam acquisitam, modo, quo diximus num. 88. & eodem proportionali modo cognoscitur mysticè à Beato Deus per scientiam infusam: quin istæ mysticæ cognitiones, seu experientiæ superfluant propter diversum modum procedendi habituum illas elicientium: ergo similiter non superfluit in lumine gloriæ experientia mystica, licèt detur experientia illa intuitiva; quia vtraque experientia habetur modo diversissimo.

Replicabis: Actus luminis gloriæ est visio Dei: sed experientia mystica non est formalis visio Dei: ergo non est actus luminis. Mai. certa est, & min. constat: Quia experientia mystica fundatur super aliquo creato, nempe super sapore, & gustu, quos voluntas experitur; & hæc est ratio, ob quam dona Spiritus Sancti non sunt virtutes Theologales, videlicet, quia eorum obiectum non est Deus in se ipso; sed dictus ille sapor, & gustus.

Resp. disting. maiorem *est visio* sive mystica, sive intuitiva, concedo; determinatè intuitiva, subdisting. uo:

Actus

Actus primar. luminis, conced. ſecundarius, quem habet ex influxu donorum connotativè, neg. maiorem. Indidemque diſtinguatur conſeq. *luminis* primarius, & quem ipſum lumen, circunſcripta quacumque connotatione, producat, concedo. Secundarius, & quem ex connotatione donorum producat lumen, neg. conſeq. Solutio ex dictis patet. Nec inconveniens aliquod eſt, quòd habitus eliciat actum primarium perfectiſsimum, & ſecundarium minùs perfectum: quin potiùs contrarium foret inconveniens maximum. Et in præſenti caſu ſalvatur ſemper, quod actus ſecundarius luminis ſit obiecti viſio; quandoquidem actus ille eſt viſio intuitiva regulativè, quia per viſionem intuitivam regulatur. Eſt etiam formaliter viſio myſtica: quia actus ille eſt cognitio clara; non tamen quæ ad Deũ, prout eſt, terminetur, ſed quæ Deum, vt ſapidum, contemplatur.

92. Non quieſcis: Cognitio myſtica eſt perfectior quàm cognitio non myſtica: ergo ſi aliqua luminis gloriæ cognitio eſt myſtica erit prior illa, qua Deus intuitivè cognoſcitur. Hæc non: ergo nulla. Omnes propoſitiones ſunt innegabiles. Prima quidem, vt conſtat ex ijs, quæ diximus tom. 1. diſp. 1. q. 10. Indidemque intulimus Theologiã myſticam eſſe perfectiorem ſcholaſtica. Secunda propoſitio deducitur legitimè ex antecedenti. Tertia patet ex ſuprà à nobis dictis. Ac tandem vltima ex præcedentibus notiſsima eſt.

Reſp. Comparationem inter cognitiones Theologicas, ipſaſque Theologias quoad perfectionem ipſarum regulandam eſſe relatè ad omnium earum vltimum finem, qui eſt beatitudo formalis, ſive Theologia Beatorum. Quapropter Theologia hæc non eſt extremum illius comparationis; ſed finis, per ordinem ad quem regulari debet perfectio aliarum. Vnde cùm Theologia ſcholaſtica cum præciſione ſumpta non ſit conſecutio huius fœliciſsimæ Theologiæ: quandoquidem invenitur in peccato mortali catenato: quod minimè invenitur in Theologia myſtica, quæ in malevolam animam non intrabit, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; eòque eſt via certa, & regalis ad adeptionem illius Theologiæ divinæ: propterea eſt perfectior ſcholaſtica. Ex quo nihil contra doctrinam traditam inferre licet.

§. V. *Colliguntur aliquot corollaria.*

93. EX dictis in hac diſp. colligere placet plura, quæ ſcitu digna ſunt, poſſentque plurium quæſtionum dignum argumentum eſſe. A quo labore abſtinemus, tum quia de his in authoribus initio huius quæſtionis adductis, invenies, quæ deſiderare valeas. Tum quia talis labor valde ſcholaſticus eſt, & vt ea, quæ myſtico noſtro inſtituto deſervire poſſunt, libemus, corollaria ſufficiũt. Tum denique, quia vt ex dictis patet, dona Spiritus Sancti de quibus modo loquimur, non ſunt principium elicitivum ſubſtantiæ divinæ contemplationis: quare non debemus de illis agere ea ſolicitudine, ac de principio ipſo ſubſtantiam contemplationis eliciente.

Colliges ergo 1. dona Spiritus Sãcti eſſe inter ſe connexa quoad ſe; ſed non quoad actus ipſorum. Secunda pars huius corollarij inde patet; quòd poteſt aliquod donum, ac de facto ſic evenit, operari, quin alia operentur: quod fieri neutiquam poſſe; ſi eſſent quoad actus connexa. Tunc enim, vno influente, & alia pariter influerent. Hocque eſt fundamentum illius doctrinæ, quam tradunt communiter Myſtici, videlicet, diverſos effectus, & conditionem habere contemplationem, quæ eſt à dono ſcientiæ, ac illam, quæ eſt à dono intellectus, & ab vtraque diſcriminari, quæ eſt à dono ſapientiæ. Aliunde autem, & à priori conſtat hæc veritas: quia actus doni intellectus eſt iudicium diſcretivum, & actus doni ſapientiæ, & ſcientiæ eſt iudicium reſolutivum, illius per cauſam altiſsimam, & huius per cauſas

crea-

creatas. Est autem manifestum, quòd hæc iudicia separari possunt. Immo dum res per causam creatam cognoscitur, tunc non potest simul cognosci per causam increatam : ergo hæc dona quoad actus non sunt connexa.

Prima autem pars est doctrina D. Thom. 1. 2. q. 68. art. 5. vbi in corp. art. concludit, quòd dona Spiritus Sancti sunt sibi invicem connexa in charitate, quatenus nulli habenti charitatem desunt dona Spiritus Sancti, nec illa omnia, aut eorum aliquod, inveniuntur in non habente charitatem. Aliqua sunt, quibus hæc veritas impugnatur : eorum tamen solutionem habes apud citatum Div. Thom. & eius expositores ibi. Nobis autem satis sit, hæc insinuare, addentes, quòd hanc donorum connexionem neque mors, neque vita separabit. Quandoquidem in patria permanent ipsa dona inter se connexa, vt docet Ang. ipse Doct. art. sequenti, estque in via D. Thom. indubitatum.

94. Dices : Licèt in patria sint Spiritus Sancti dona, non sunt eadem, ac illa, quæ in viatoribus dantur, sed alia specie diversa : ergo non est indubitatum in via D. Thom. quòd dona Spiritus Sancti, quæ sunt in via reperiantur in patria. Prob. anteced. Eadem est ratio donorum, ac nostræ Theologiæ, quoad hoc, quòd est perseverare, vel non perseverare in patria : sed nostra Theologia ibi non perseverat, sed alia specificè diversa : ergo pariformiter.

Resp. cæcum esse, qui non videat, Div. Thom. docentem dona Spiritus Sancti in patria perseverare, loqui de ipsis donis, quæ in via dantur. Nec hoc dignum est, vt in eius ostensione tempus aliquod insumatur. Vnde ad obiectionem negatur anteced. Ad probation. respondet Illust. Palanco 1. part. tract. 1. disp. 1. q. 4. num. 43. neg mai. assignatque discrimen inter nostram Theologiam, & dona consistens in eo, quòd nostra Theologia regulatur per fidem, ex cuius obscuris principijs essentialiter discursiva est : dona autem non regulantur per fidem ; ideòque dona possunt eadem perseverare, non autem Theologia.

Sed hanc solutionem admittere non possumus; quia falso innititur fundamento. Videlicet, quòd in via dona non regulantur per fidem. Contrarium enim ita clarè docetur à D. Thom. in illa ipsa quæstione, quam citat, vt mirum sit, quòd illam non viderit gravissimus hic Theologus. Vereor, nè rem adeò evidentem subticuerit, vt sine clarissimi testimonij gravamine assertum Thomistis iam pene invisum defenderet. De illo fusè egimus tomo 1. disp. 1. q 9. Modò vero vt huius Authoris discrimen nullum esse constet, verba D. Thom. adducam citata q. 68. art. 8. in corp. vbi ait: *Sicut virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus, & regulant eas; ita virtutes Theologicæ præferuntur donis Spiritus Sancti, & regulant ea. Vnde Gregor. dicit in* 1. *Moral. quòd neque ad denarij perfectionē septē filij, id est septem dona perveniunt nisi in fide, spe, & charitate fiat omne, quod agunt.* Hæc D. Thom. cum quibus ægrè componet Illustr. Palanco suum illud discrimen inter Theologiam, & dona.

Vnde eo relicto, concedimus mai. illam, & negamus min. de quo loco citato actum à nobis est, dictumque Theologiam nostram manere in patria; quia licèt fide reguletur in via, regulatur, quatenus fides est vicaria luminis : non est autem fides luminis vicaria per id, quod fidei est proprium, nec lumen potest illud communicare: sed est vicaria luminis, prout dicit ea, quæ potest ipsi lumen impertire. Duo dicit fides; nam dicit certitudinem, & obscuritatem. Obscuritatem habet à se, non à lumine, cuius ob certitudinem, quam dicit, vicaria est. Ex hac ergo fide sic certa procedit nostra Theologia. Vnde obscuritas illi essentialis non est, atque adeò potest, & re ipsa coniungitur claritati in futura vita. Quod idem, & propter eamdem rationem dicimus de Spiritus Sancti donis. Vide, quæ loco citato dicta sunt.

Se-

95. Secundo colligitur ex dictis, non omnia Spiritus Sancti dona ad contemplationem concurrere. Septem esse dona Spiritus Sancti docent communissimè Theologi istum donorum numerum desumentes ex Sacra Scriptura: nam Esaiæ 11. dicitur de Christo Domino: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Hoc ipsum aliis scripturis comprobatur. Ex his autem septem donis quatuor perficiunt partem intellectivam: hæc sunt donum intellectus, donum sapientiæ, donum scientiæ, & donum consilij. Tria autem perficiunt vim appetitivam. Hæc sunt donum fortitudinis, pietatis, & timoris. Quæ tria dona in contemplationem non influere, certissimum est. Quandoquidem loquimur de elicientia propriè tali, vt initio disputationis monuimus: & quæ sic concurrunt, sunt in potentia eliciente. Vnde cùm potentia eliciens contemplationem sit intellectus, vt dictum iam est: propterea ex parte ipsius debent se habere virtutes cum illa potentia concurrentes. Consequenterque dona, quæ subiectantur in appetitu, influere in contemplationem non possunt: atque adeò devolvitur hic influxus ad illa 4. dona, quæ partis intellectivæ perfectiones esse diximus. Sed non est exploratum, an omnia illa dona intellectiva ad elicientiam divinæ contemplationis concurrant. Ex dictis tamen haud obscurè constat, quid dicendum sit circa hæc.

96. Infertur 3. donum intellectus influere ad contemplationem divinam. Hoc patet ex disp. præcedenti, vbi asseruimus, iudicium discretivum esse actum contemplationis. Vnde cùm iudicium discretivum ex speciali motione Spiritus Sancti procedens sit actus doni intellectus; ideò influxus in contemplationem illi convenit. Modus autem, quo donum illud concurrit, duplex est. Primus communis est ipsi, & alijs donis: de quo in tota hac quæstione actum est. Secundus est specialis, nec in alio dono, aut virtute reperitur. De quo egimus disputatione præcedenti, q. 7. quibus nihil addere opus est, vt perfectè intelligatur, in quo consistat. Non erit tamen superfluum, nonnulla dicere de distinctione actus huius doni ab aliorum donorum, habituumque actibus, vt sic perfectiùs eius quidditas dignoscatur.

Igitur à donis affectivis differt; quia cognoscitivum est. A dono Consilij; quia huius actus est circa agibilia, & directionem humanorum actuum. Actus autem doni intellectus est *circa prima principia cognitionis gratuitæ*, quæ à fide credita, ipse intellectus penetrat, de illisque iudicium fert, ipsa quoad quid non sunt videns. Sic D. Thom. 2. 2. q. 8. Ab actibus donorum sapientiæ, & scientiæ differt; quia horum donorum actus procedunt analyticè, seu resolutivè; actus verò doni intellectus resolutivus non est; sed versatur circa prima principia, illa intimè ex mystica connaturalitate cognoscendo. Ac per hoc cognoscitur diversitas actus doni intellectus ab omnibus alijs habitibus cognoscitivis, qui dona non sunt. A lumine gloriæ differt, tum ob maiorem luminis gloriæ perfectionem. Tum quia, vt dictum est, actus luminis gloriæ præcedit voluntatis actum, quem indispensabiliter supponit actus doni intellectus. Differt à fidei actu; Quia hic innititur solummodò extrinseco dicentis testimonio, & non procedit ex mystica affectione. Ac insuper, quia actus fidei est cognitio per ænigmata. Doni verò intellectus cognitio, præter quam, quod est ex connaturalitate mystica, consurgit ad capienda divina quasi nuda veritate: propterèaque, vtî observat laudatus D. Thom. apud Matth. cap. 5. attribuitur dono intellectus prima beatitudo, quæ est munditia cordis, qua lucratur Dei visio; dicitur enim loco citato: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hanc cordis munditiam causat donum intellectus, faciens actum ipsum fidei non immiscere phantasmatibus: non quia sine conversione ad phantasmata detur contemplatio huius vitæ: hoc enim, vel numquam

vel rarò datur, vt ſuo loco dicemus; ſed quia facit cognoſcere, Deum non eſſe, prout in phantaſmatibus repræſentatur. Sedat denique fluctuationē, quam actus fidei patitur ex obiecti inevidentia: propter quæ ei correſpondet Dei viſio, inchoata ſcilicet, in hac vita, & in futura conſummata.

97. Dices: Multi, qui in peccato ſunt, ſunt firmiſsimi in fide, profundèque divina penetrant: è contra autem multi iuſti, in quibus abſdubio datur donum intellectus, maximam hebetudinem habent circa res fidei, contra quam etiam plures tentationes patiuntur. Aliunde etiam, ſi munditia, ſeu limpiditas cordis eſt propria doni intellectus, non egebunt iuſti purgationibus, tum activis, tum paſsivis, vt ad divinam vnionem habilitentur: quandoquidem purgationes illæ ad hanc habilitatem conferendam ordinantur. Non ergo habet actus doni intellectus ea, quæ diximus.

Reſp. Ita eſſe, quòd multi in peccato exiſtentes ſunt firmi in fidei veritatibus: nec hanc firmitatem, quam iſti habent ex divino teſtimonio, dicimus eſſe actum doni intellectus, ſed aliam, quæ obtinetur ex notitia experimentali, quam Myſtici habent de rebus ipſis divinis. Hæc certitudo eſt, quam dicimus, eſſe actum doni intellectus, quæ ex conſequenti non poteſt ſine ipſo reperiri. *Quod* autem peccatores illi multa divinorum ſapientia fulgere poſsint, neutiquam diffitemur. Verùm illa ſapientia habetur ex ſtudio, aut diſcurſu, non autem ex divinorum experientia, qualiter ſine dono intellectus non reperitur.

Ad 2. partem propoſitæ obiectionis dicimus: Habentem donum intellectus poſſe quidem hebetudine laborare circa cognitionem eorum, quæ non ſunt de neceſsitate ſalutis. Illa verò, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis probè ſcit: cùm ſcriptum ſit de Spiritu Sancto apud Joan. cap. 16. *Ille docebit vos omnem veritatem.* Et in 1. epiſt. eiuſdem cap. 2. dicitur: *Vnctio docet vos de omnibus.*

Inſurgis: Si hoc ita eſt, nullus iuſtus indigebit, Magiſtrum pro ſua inſtructione adire: conſequenterque Aſceta, etiam illiteratus, Directore non indigebit, contra ea, quæ ex diverſis ſcripturis, alijſque fundamentis ſtatuimus tom. 1. diſp. 2. *Reſpond.* Quòd in horum remedium datum à Deo eſt aliud donum, & eſt donum conſilij. Cuius munus non eſt ſolùm, vt illud habens eo ipſo inſtructus ſit de ijs omnibus, quæ ſunt ipſi de neceſsitate ſalutis, ſine eo, quòd alium adeat, vt audiat. Eſt etiam munus doni conſilij movere ignorantem, vt doctum conſulat, cuius inſtructione de neceſſarijs ad propriam ſalutem ſibi conſtet. Vnde docet Div. Greg. quòd *donum intellectus de auditis mentem illuſtrat.* Hoc eſt *de auditis*, ſive per fidem, quæ ex auditu eſt: ſive à Magiſtro ediſſerente, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Videatur citatus Mag. Joan. à Sanct. Thom. hæc docens, eruditèque ex Scriptura, & Patribus, probans in de dono conſilij.

Proſequentes enodationem obiectionis dicimus: Habentem donum intellectus pati quidem poſſe tentationes circa fidem; ſed ad quarum ſuperationem ex ipſo dono inſtruatur ex illa ipſa penetratione, quas res ipſas fidei myſtica evidentia cognoſcit, quam evidentiam ex ſola fide non habet. Similiter per ipſum donum intellectus habet, quòd videat quid ſibi faciendum ſit in purgationibus activis, & qualiter debeat tolerare paſsivas, vt ſic ex ipſis conſurgat idoneus, vt Deum quaſi nuda veritate contempletur. Et propter hoc munditia, ac limpiditas cordis ponitur ad donum hoc ſpectare.

98. Habetur ex dictis, quis ſit actus doni intellectus, & qualiter ab omnibus alijs ſecernatur, & etiam quomodo ad contemplationem concurrat. Sic non tibi opus erit illa doctrina, quam offert Lucerna myſtica tract. 3. cap. 6. in fine. Vbi docet, contemplationem, quæ eſt actus doni intellectus, in hoc ab alijs aliorum donorum contemplationibus diſcriminari, quòd illa, quæ eſt doni intellectus altiſsimè Deum cog-

noſcit,

noſcit, *nihil affirmando, vel negando.* Bene, & optimè: ſed oſtendendum illi authori erat, quæ contemplatio aliquid affirmet, vel neget. Quod non facilè conſequetur; cum contemplatio formaliter ſumpta ſit ſimplex intuitus veritatis, de quibus iam actum eſt.

99. Infertur 4. ex dictis: Dona ſapientiæ, & ſcientiæ cõcurrere ad contemplationem divinam. Quod ex aſſertis diſputatione præcedenti notum etiã eſt: quippe dictum ibi eſt, iudicium reſolutivum eſſe contemplationem: atque ideò cùm actus horum donorum ſit hoc iudicium; ipſa enim iuxta vnanimem Doctorum ſenſum analyticè procedunt: propterea ipſorum actus contemplatio eſt. Horum donorum actus differt ab actibus donorum partis appetitivæ in eo, in quo actus doni intellectus ab ipſis diſcriminantur. Similiter dicimus de lumine gloriæ, de fide, ac de omnibus actibus habituum cognoſcitivorum, qui dona non ſunt. Ab actu doni intellectus differt: quia eius iudicium reſolutivum non eſt. Ab actu doni conſilij num. ſequenti dicem, in quo differat. Inter ſe autem differunt dona hæc ob illud, quæ multoties diximus. Videlicet, quia contemplatio ſapientiæ eſt per altiſsimas cauſas, & contemplatio doni ſcientiæ per cauſas inferiores. Modò verò ſolùm addendum duximus id, quod iam alibi dictum eſt, videlicet, contemplationem perfectiſsimam eſſe actum doni ſapientiæ. Tum quia ipſum perfectius eſt inter omnia dona; eòque debet ei correſpondere actus perfectior. Tum quia hoc donum tametſi in intellectu ſubiectetur, *cauſam tamen habet in affectu*, ex quo maiorem perfectionem ſibi vendicat, & ſapidiſsimam delectationem habet contemplatio, quæ ab ipſo eſt. Ex quibus cognoſcere debes, quàm omni fundamento deſtitutus Author Lucernæ myſticæ deneget tract. 3. cap. 7. donum ſcientiæ eſſe principium proximum divinæ contemplationis.

100. Inferrur 5. ex dictis: Donum conſilij non concurrere ad elicientiam divinæ contemplationis. Sic N. Philip. p. 2. tract. 3. diſc. 3. art. 1. ratioque ipſius eſt evidens: Quia contemplatio eſt actus intellectus ſpeculativi, vt vidimus diſp. antecedenti: ergo cùm donum conſilij ſit practicum; ſiquidem eſt circa hîc, & nunc agenda, non poteſt eſſe principium formale contemplationis. Et mens dicti Authoris, ſenſuſque, in quo loquitur, adeò perſpicuè manifeſtantur, vt ſine prudenti motivo ductum putemus quẽdam è noſtratibus, qui de ipſius mente dubitat. Id verò quod Author hic dubitans ait, donum, videlicet, conſilij præviè, & ſubſequenter contemplationi deſervire: nec Authorem, de quo dubitat, tangit; ipſe enim loquitur de principio formali contemplationis, vt eius verba manifeſtant: nec aliquid docet, quod dono conſilij ſpeciale ſit. Quãdoquidem omnia Spiritus Sancti dona ſe invicem iuvant, vtî docet Ang. Doct. 1. 2. q. 68. art. 5. in arg. *ſed contra*, vbi ait: *Dona Spiritus Sancti ſunt connexa per hoc, quòd ſe invicem reficiunt.* Et ſimiliter art. 8. ad 3. ait de his donis, quòd *vnum ab altero iuvatur.*

Actus huius doni, vt dictum eſt, reſpicit agenda, vt hîc, & nunc exequẽda ex motione Spiritus Sancti; & per hoc cognoſcitur diſtinctio huius doni ab alijs omnibus donis. De quibus nihil iam ampliùs dicemus. Ex dictis enim habentur, quæ pro myſtica Theologia tradenda neceſſaria eſſe, videntur.

DISPUTATIO DECIMA QUARTA.

De ſpeciebus concurrentibus ad elicientiam Divinæ contemplationis.

SPeciem impreſſam activè concurrere ad contemplationem, ſententia eſt inter Thomiſtas communis, vt teſtatur Gonzales 1. p. q. 12. art. 2. diſp. 25. ſect. 5. & meritò, cùm ſit expreſſa ſententia D. Thom. in 4. diſt. 49. q. 2. art. 1. & de verit. q. 2. art. 6. & 1. p. q. 36. art. 1. & q. 85. art. 2. & lib 2. de anima lect. 12. vbi textu 60. illam etiam docet Ariſtot. De quo videri poſſunt noſtri Complut. lib. 3. de anima diſp. 18. q. 4. Quocirca cùm in præſenti de cauſa effectiva divinæ contemplationis agamus, non poſſumus ſpecies ad ipſam deſervientes prætermittere; ſine illis enim truncus proculdubio foret præſens tractatus de cauſa efficienti. Accedit, quòd inter diſputationes, quæ ad dictum tractatum ſpectant, in quibus hactenus occupati fuimus, nulli præſens cedit in vtilitate, in ſubtilitate, ac gravitate, vtî dicenda monſtrabunt. Quæ etiam vel cæcis obtutibus exhibebunt, nos neutiquam quæſtionibus merè ſcholaſticis immiſceri; ſed eas ſolummodò, quæ ad noſtram myſticam Theologiam pertinent, diſputare. Vnico verbo: non reperies in tota hac diſputatione quæſitum, quod à myſticis ſcriptoribus non tractetur.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm ſpecies deſervientes ad contemplationem fidei ſint entitativè ſupernaturales?

COnſtat ex tota diſp. præcedenti, quæ ſit contemplatio fidei. Non enim per hoc gradum aliquem ſpecialem contemplationis intelligimus; ſed omnem illam contemplationem ſupernaturalem, cuius fidem principium elicitivum eſſe conſtat, comprehendimus. Vnde loquimur tam de contemplatione acquiſita, quàm de infuſa. Et conſultò loquimur de ſupernaturalitate entitativa, & non de modali: quia certius eſt, quam vt diſputari debeat, ſpecies activè influentes in contemplationem intrinſecè ſupernaturalem, debere eſſe ſupernaturales, vt minùs modaliter. Quamobrem, hoc tamquam ſine dubio ſuppoſito, entitatem talium ſpecierum exploramus, an naturalis ſit, vel ſupernaturalis? Inquirentes.

§. I. *Proponitur vera ſententia.*

1. SIt noſtra Aſſertio: *Ad contemplationem fidei non requiruntur ſpecies intelligibiles entitativè ſupernaturales; ſed ſufficiunt ſpecies entitativè naturales; modo tamen ſupernaturali coordinatæ.* Trimembre eſt aſſertum: ſed prima, & ſecunda pars idem omnino ſunt: quia ſpecies intelligibiles ſunt prorſus pro contemplatione neceſſariæ. Quocirca ſi illa contemplatio, cuius fides principium eſt, non indiget ſpeciebus entitativè ſupernaturalibus; erunt vtique entitativè naturales ſpecies ei deſervientes. Tertia autem pars, & quomodò ſit coordinatio illa, ex progreſſu conſtabit. Aſſertio propoſita eſt communiſsima: illam docet D. Thom. locis referendis, & noſtri Salmantic. tract. 7.

& 14. disp. 3. dub. 1. & 3. & tract. 21. disp. 17. 19. & 21. & tract. 24. disp. vlt. dub. 1. Docent etiam eandem veritatem Caietan. 2. 2. q. 173. art. 2. & N. Philip. in sua mystica Theolog. tract. 3. p. 2. disc. 2. art. 4. Probatur ergo assertio ex D. Thom. 2. 2. q. 173. art. 3. vbi ait: *Ad 3. dicendum, quod quascumque formas imaginatas naturali virtute potest homo formare absolutè huiusmodi formas confingendo; non tamen, vt sint ordinatæ ad repræsentandum intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum excedunt; sed ad hoc necessarium est auxilium supernaturalis luminis.* Vbi, vt vides, non requirit Ang. Doct. ad attingentiam intelligibilium veritatum, hominis intellectum excedentium, species novas; sed sat esse præexistentes; si per *auxilium supernaturalis luminis* confortentur: per hoc enim species illæ, quæ entitativè naturales sunt, possunt obiecta supernaturalia repræsentare, modo pro contemplationis actu requisito.

2. Probatur insuper conclusio discursu in clarissima eiusdem D. Thom. authoritate fundato. Etenim contemplatio à fide elicita non requirit species entitativè supernaturales, quia actus supernaturalis est, nec quia actus fidei est, nec quia actus fidei illustratæ, hoc est, actus donorum est: ergo species deservientes illi contemplationi non sunt entitativè supernaturales. Patet ista: Quia in antecedenti recensentur capita omnia, ob quæ illæ species deberent esse entitativè supernaturales. Anteced. triplici parte constat, & quævis seorsim, & seriò probanda est; ex ijs enim pendet totum fundamentum veritatis assertæ. Probatur ergo 1. quoad 1. partem: Quia actus prophetiæ est entitativè supernaturalis: talis actus non requirit species entitativè supernaturales: ergo ex quo fit intrinsecè supernaturalis contemplatio elicita à fide, non requirit species entitativè supernaturales. Conseq. est omnino legitima. Et mai. certa, constatque ex 2. epist. D. Petri cap. 1. vbi dicitur: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.* De quo videri potest D. Thom. 2. 2. q. 172 art. 1. & de verit. q. 12. art. 3. Minor autem est eiusdem Ang. Doct. q. 8. de potentia art. 9. ad 5. vbi ait: *Intellectus sine hoc, quòd acquirat novas formas intelligibiles, potest aliquod de novo intelligere per hoc, quòd intellectus confortatur aliquo fortiori lumine: sicut ex ijsdem formis in phantasia existentibus, superveniente lumine prophetiæ, aliqua cognitio accipitur, quæ accipi non poterat per lumen naturale intellectus agentis.* Ergo ad actum supernaturalem prophetiæ non requiruntur species entitativè supernaturales; sed solùm, quod naturales existentes in phantasia confortentur, modificenturque per lumen supernaturale adveniens: ex hac enim modificatione habent eæ species, quòd influant in cognitionem intrinsecè supernaturalem, in quam influere non poterant *per lumen naturale intellectus agentis.* Ex quo manifestè deducitur, quòd actus, ex hoc præcisè quòd intrinsecè supernaturalis sit, non requirit species supernaturales, nisi quoad modum.

Quoad 2. partem probatur eadem minor: Quia ad assensum fidei Theologicæ non requiruntur species entitativè supernaturales: ergo ex quo contemplatio eliciatur à fide Theologica, species entitativè supernaturales non requirit. Conseq. bona est; & anteced. prob. Quia supernaturalitas intrinseca assensus fidei desumitur immediatè à lumine potentiam elevante, & species confortante: ergo tametsi requiratur, quòd istud lumen sit entitativè supernaturale; hoc tamen non requiritur ad speciem. Conseq. bene infertur. Et anteced. probatur: Quia ex eo quòd à principio immediato habeat actus ille intrinsecam supernaturalitatem, non est ad illam necessaria supernaturalitas entitativa speciei; sicut nec quòd potentia sit supernaturalis: ergo.

Expenditur vis huius rationis in hunc modum. Etenim species influentes in assensum fidei sunt eædem, quæ influunt in apprehensionem terminorum

rum, quæ ad assensum necessariò præsupponitur: sed illæ species deservientes apprehensioni sunt entitativè naturales: ergo etiam prout deserviunt assensui. Patet ista: Quia aliàs non essent eædem. Maior autem constat: Quia iudicium correspondet apprehensioni, quatenus de illo iudicatur, quod supponitur apprehensum: vnde non sunt necessariæ novæ species pro iudicio, sed illæ influunt, quæ apprehensioni deserviunt. Minor, in qua poterat esse difficultas, est doctrina Caiet. & P. P. Salmant. locis citatis, quam etiam docent Arauxo 2. 2. q. 6. art. 1. dub. 1. & q. 45. art. 6. dub. vnico. Et Mag. Joan. a Sanct. Thoma 1. 2. q. 19. disp. 20. art. 1. Ac insuper probatur: Quia apprehensio præsupposita ad assensum, quo credimus, leonem de Tribu Juda vicisse, mundumque à Dæmonis tyrannide liberasse, est actus intellectus cognoscens leonem animal fortissimum, tribum Juda, ac Dæmonem mundi dominium tyrannicè possidẽtem; qui omnes termini naturales sunt; eòque non requirunt, vt apprehensioni repræsententur, species entitativè supernaturales: ergo tenet illa minor, cuius veritas clariùs ex dicendis §. sequenti constabit.

3. Dices: Si ratio facta aliquid probat, convincit quidem assensum fidei Theologicæ esse intrinsecè naturalem, & species ad ipsum concurrentes, nec modaliter supernaturales esse: at vtrumque est falsum: ergo. Prob. mai. quoad vtramque partem simul: Quia apprehensio terminorum præcedens iudicium illud est actus naturalis; & species in illam influentes sunt naturales, nedum entitativè, verùm etiam modaliter; vt enim apprehendatur leo, tribus Juda, ac Dæmon, humanumque genus, non requiritur actus supernaturalis, nec species ad ordinem supernaturalem elevatæ: ergo si servanda est proportio inter iudicium, & apprehensionem, erit iudicium fidei naturale, & species ad ipsum concurrentes non erunt supernaturales, adhuc modificativè.

Resp. neg. mai. quoad vtramque partem. Ad prob. negatur conseq. cum citatis Salmantic. præcipuè loco citato ex 1. 2. num. 54. Quia proportio, quam concedimus inter apprehensionem, & iudicium, non consistit in eo, quòd si iudicium est actus supernaturalis, etiam apprehensio supernaturalis sit; vel è converso: nec similiter consistit in eo, quòd si species pro apprehensione nullatenus supernaturales sunt; sic nec species deservientes iudicio: sed consistit dicta proportio in eo, quòd iudicium terminatur ad extrema priùs apprehensa; de illis enim, & non de alijs iudicium fertur. *Duo* diximus. Vnum, in quo consistat dicta proportio, & aliud, in quo non consistat. Primum fundatur in ipsa natura harum operationum: quandoquidem omnes illæ complent eundum motum intellectualem. Non esset autem idem motus; si vnum apprehenderetur, & de alio iudicaretur. Itidem; vt iudicium feratur de aliquo, debet præcedere ipsius notitia, quia de prorsus incognito nullum iudicium positivum fieri potest: quocirca regulatur, & proportionatur iudicium cum apprehensione, quoad hoc, quòd est terminari ad id, quod apprehensum est.

Secundum, quod diximus, est, in quo non datur proportio inter apprehensionem, & iudicium. Et ratio illius discriminis ea est: Quod obiectum formale assensus, & specierum sunt omnino diversa: quia motivum illius iudicij fidei est sola revelatio divina, quod motivum est omnino supernaturale. Obiectum verò specierum sunt res ipsæ naturales, ad cuius similitudinem connotantur obiecta supernaturalia, quæ per fidei iudicium attinguntur. Vnde obiectum proprium relucens in illis speciebus est naturale. Et illud ipsum obiectum est, quod apprehenditur: vnde nec apprehensio, nec species supernaturales sunt. Quia verò illæmet species deserviunt iudicio, quod, vt dictum est, est intrinsecè supernaturale; propterea & ipsæ supernaturalizantur vel à lumine tunc communicato; vel ab ipso habitu fidei, vt sic modificatæ valeant in assensu supernaturalem influere. De quo iterum acturi sumus,

Quo-

4. Quoad 3. partem prob. anteced. positum num. 2. Nam species eodem modo deserviunt actus fidei, prout est iudicium credulitatis, ac ipsi, prout est iudicium discretivum, & resolutivum, estque contemplatio; sed pro actu primo modo sumpto, solummodo quoad modum, sunt supernaturales eæ species: ergo pro ipso secundo modo considerato non requiritur, quòd sint entitativè supernaturales. Cætera constant, & maior probatur: Quia ad fidem illustratam donis concurrunt eæ species proponendo illud ipsum obiectum, quod primario repræsentāt, & ad cuius instar cognoscitur obiectum supernaturale: ergo species fidei illustratæ, seu iudicio discretivo, ac resolutivo deservientes, non requiritur, quòd sint entitativè supernaturales.

Ad hæc: Id ipsum cognoscunt ex connaturalitate dona, quod propter Dei revelationem credit fides: sed, vt fides credat ob divinam revelationem, sufficiunt species entitativè naturales, vt dictum est: ergo etiam sufficiunt, vt dona, vel fides, illis illustrata, contempletur. Quocirca P. P. Salmant. loco citato ex tract. 21. disp. 21. num. 2. cum D. Thom. q. 9. de potent. art. 5. docent, ad actum Prophetiæ sufficere species naturales, ex quo inferunt, quòd idem *dicendum est de speciebus requisitis ad cognitionem, & operationes tam prudentiæ infusæ, quàm donorum Spiritus Sancti.*

5. Probatur denique conclusio ratione à priori, quæ ex iam dictis sic formari potest. Contemplatio elicita à fide est cognitio non quidditativa obiecti supernaturalis: ergo species in illam influentes non sunt entitativè supernaturales. Anteced. est omnino certum, & conseq. prob. Quia species est eiusdem ordinis cum eius obiecto motivo: sed cognitionis fidei non est obiectum motivum ens supernaturale: ergo. Maior constat: Quia species est eiusdem ordinis cum obiecto, quod illam potentiæ immittit; cuiusque est vicaria: & hæc non conveniunt obiecto terminativo, sed motivo. Deinde prob. min. Nam cognitionis procedentis per conversionem ad phantasmata obiectum motivum non est entitas supernaturalis, sed id ad cuius similitudinem cognoscitur tale ens supernaturale: sed contemplatio fidei procedit per conversionem ad phantasmata: ergo. Minor, in qua dissidium esse poterat infrà disputanda est, & modò supponenda cum D. Dionys. Div. Thom. ac Philosoph. de quo interim, si placet vide P. P. Complutens. lib. 3. de anima disp. 21. quæst. 7.

6. Confirm. hæc ratio: Quia species influens in cognitionem est eiusdem naturæ cum obiecto motivo: ergo species contemplationi supernaturali deservientes non sunt entitativè supernaturales. Anteced. continet doctrinam inter iuniores Thomistas communem, vt testantur dicti Complutens. disp. 18. q. 3. Et inde prob. conseq. Quia obiectum motivum talium specierum est ens naturale, vt dictum est num. præcedenti: ergo & ipsæ species.

§. II. *Solvuntur argumenta.*

7. CONTRA concluſ. arg. 1. Species naturalis nequit influere in cōtemplationem supernaturalem: ergo species deservientes contemplationi sunt supernaturales. Patet conseq. Quia species illæ influūt activè in supernaturalem contemplationem, sicut generaliter species intelligibilis in cognitionem influit, vt initio disputationis dicebamus. Anteced. autem prob. Quia virtus naturalis nequit influere in actum supernaturalem: ergo cùm contemplatio à fide elicita sit actus supernaturalis, nequit species naturalis in illam influere.

Conf. Nam id, quod contemplatio elicita à fide haberet ab specie naturali non esset naturale, nec supernaturale: ergo in illam non influit species naturalis. Prob. anteced. quoad 1. partem: Quia in actu intrinsecè supernaturali, qualis est contemplatio à fide elicita, nihil naturale est; aliàs ex parte effectus supernaturalis daretur aliquid

cor-

correſpondens virtuti naturali, & aliquid correſpondens ſupernaturali virtuti, contra id, quod noſtri Thomiſtæ tuentur. Pro 2. parte conſtat ex dictis dictum anteced. Quia à virtute naturali nequit effectus ſupernaturalis haberi.

Reſp. argumento diſting. anteced. *Nequit influere* proximè, & immediatè, conc. mediatè, ſubdiſt. *Species naturalis*, vt naturalis, concedo, vt elevata ad ordinem ſupernaturalem, nego anteced. Cuius probatio eadem diſtinctione, ac ſubdiſtinctione reſolvatur. Et deinde reſpond. ad confirmationem, quòd ſpecies naturalis, vt modificata, elevataque, poteſt aliquid ſupernaturale cauſare, vt dictum eſt: vnde in effectu ſupernaturali nihil naturale eſt; nec datur partialitas illa, quæ iure merito apud noſtros Thomiſtas malè audit. Modus autem, quo hæ ſpecies ad actum ſupernaturalem concurrunt, quadruplex eſt, ſicut egregiè obſervat Caietanus 2. 2. q 173. art. 2. ex Ang. Præcept. & inter illos continetur modificatio, de qua nobis ſermo eſt. Quia verò omnes illi fœderantur, vt eorum, quæ ad præſentem controverſiam conducunt, intelligentiam clarè exhibeant, propterea eorum reſumen offeram.

Primus ergo modus, quo ſpecies intelligibiles ſunt in nobis, eſt per novam earum impreſsionem in imaginativa, vel à ſenſu, vel à Deo. Quòd Deus poſsit illas ſpecies imaginationi imprimere, quis dubitet? Senſus etiam imprimit, & ipſe intellectus accipit à ſenſibus; quandoquidem phantaſmata ſpeculatur; & phantaſmata ſpeculari, eſt à ſenſibus accipere. *Secundò* ſunt in nobis iſtæ ſpecies ex diverſa diſpoſitione eorundem phantaſmatum. Vnde phantaſmata, quæ hac diſpoſitione hanc ſpeciem producunt; ſub alia diſpoſitione non illam producunt, ſed diverſam. Quod evenit, *vel propter aliquã tranſmutationem corporalem, ſicut accidit in dormientibus, & furioſis: vel etiam ſecundùm imperium rationis diſponuntur phantaſmata in ordine ad id quod eſt intelligendum*, ait D. Thom. loco citato. Et ſanè dormienti, & phrenetico miræ res repræſentantur ab eiſdem phantaſmatibus, & ſpeciebus priùs habitis. Quod adhuc magis conſtat exemplo, quo inibi vtitur D. Thom. *Sicut enim*, ait, *ex diverſa ordinatione earundem litterarum accipiuntur diverſi intellectus, ita etiam ſecundum diverſam diſpoſitionem phantaſmatum reſultant in intellectu diverſæ ſpecies intelligibiles.* Hoc exemplo perſpicuè oſtendit, quomodo ex diverſa ordinatione phantaſmatum diverſæ ſpecies reſultent. Quippè litteræ eædem ſunt; & tamen ex diverſa coordinatione diverſiſsima ſignificant. Ex diverſa coordinatione earundem litterarum reſultat *logica*, & *caligo*, vt 1. tomo ex Caramuele dicebamus. Sic ergo diverſitas coordinationis phantaſmatum cauſat diverſitatem ſpecierum. *Tertiò* autem ſunt in nobis dictæ ſpecies ſine novitate ex parte phantaſmatum; ſed ex adiutorio, & confortatione divini luminis, vi cuius phantaſmata illa faciunt, ſpecies repræſentare obiectum, quod priùs non repræſentabant. Et hic modus ſufficientiſsimus eſt, vt actus ſupernaturalis evadat, ſupernaturalitate refuſa à lumine phãtaſmata confortante, & à principio proximè eliciente. *Quartò* demum ſunt in nobis iſtæ ſpecies ex immediata impreſſione a Deo. Hi ſunt modi, quibus in nobis datur novitas ſpecierum: *Specierum inquam*, ait Caietan. *in toto, vel in parte novarum, vel noviter ordinatarum ad aliquam cognitionem.* Per quæ patet ad argumentum, & confirmationem. Videndi tamen ſunt D. Thom. & Caiet. loco citato.

8. Arg. 2. & contra proximè dicta replicatur: Præcipuum munus ſpeciei eſt repræſentare obiectum: ſed, quòd ſpecies obiectum repræſentet, non poteſt provenire à lumine elevante: ergo quamvis ſpecies poſsit elevari ad influendum activè in actum ſupernaturalem; non tamen elevari poteſt, vt obiectum repræſentet: ergo ad repræſentationem obiecti ſupernaturalis, quale eſt obiectũ contemplationis à fide elicitæ, requiritur ſpecies entitativè ſupernaturalis. Hæc 2. cõſeq. cõſtat ex 1. quã

inferunt præmiſſæ. Harum maior inde patet, quòd munus cauſæ formalis ſeparari non poteſt à ſpecie, à qua ſeparabile eſt munus activè ad intellectionem concurrendi, vtî docent P. P. Salmant. tract. 1. diſp. 2. à num. 93. & tract. 7. diſp. 7. num. 21. Minor autem, in qua eſt difficultas probatur multipliciter. Primò quidem: Quia ſpecies non habet à lumine, quod ipſa ex ſua natura habet, ſed quòd ſpecies ſit repræſentativa obiecti, habet ex natura ſua: ergo hoc non habet à lumine. *Probatur* 2. Illa minor: Elevatio non facit, quod ſpecies ſit in actu primo, nec in actu ſecūdo obiecti repræſētatio: ergo elevatio nullo modo facit, quòd ſpecies repræſentet obiectum. Patet iſta: Quia non eſt alius modus, quo ſpecies poſsit obiectum repræſentare. Anteced. pro prima parte conſtat: Quia, vt dictum eſt, ſpecies ex natura ſua habet, quòd ſit in actu primo obiecti repræſentatio: ergo non à luminis elevatione. Pro 2. parte etiam conſtat: Quia in eo caſu ſpecies impreſſa expreſſa foret, quod implicat. *Probatur* 3. Species expreſſa, ſeu verbum nequit elevari, vt ſit actualis obiecti repræſentatio: ergo nec ſpecies impreſſa elevari poteſt, vt ſit habitualis repræſentatio obiecti. Anteced. eſt omnino certum, & conſeq. conſtat à paritate. *Probatur* 4. Nam ante elevationem, vel ſpecies repræſentabat obiectum; vel illud non repræſentabat? Si ſic: ergo ſuperfluit elevatio. Si non: ergo non erat ſpecies; hæc enim eſt vnio obiecti cum potentia.

Vrgentur iſta: Semel admiſſa elevabilitate ſpecierum ſuperfluunt ſpecies entitativè ſupernaturales, etiã pro ſcientia infuſa; immo & pro ſcientia beata ſuperfluerent, caſu, quo Deus media ſpecie creata poſſet intuitivè contemplari. Probatur hoc: Quia ſi ſpecies entitativè naturalis elevari poteſt ad attingendum obiectum ſupernaturale minùs perfectum, ſeu minùs perfectè; non eſt cur non poſsit elevari ſuperiori elevatione, vt obiectum magis perfectum repræſentare poſsit: ſicque creſcente perfectione elevationis, creſcet etiam vis repræſentativa ſpeciei ita vt ipſum Deum clarè videndum poſſet repræſentare. Ex quo ſuperfluas eſſe ſpecies entitativè ſupernaturales, clarè conſtat. Quod inconveniens vitatur, excluſa illa ſpecierum elevabilitate, vtî illam explodunt P. P. Salmant. tract. 7. diſp. 6. dub. 4. §. 1.

Ante ſolutionem huius argumenti ſcire debes: Duplex obiectum cognoſci media ſpecie; videlicet obiectum motivum potentiæ, & obiectum terminativum ipſius. Obiectum motivum eſt, quod illam immittit potentiæ, eſt eius vicaria, cum illo convenit in gradu immaterialitatis, & illud eſt, quod ex natura ſua repræſentat, vnitque potentiæ. Horum autem nihil habet relatè ad obiectum terminativum, ſeu ſecundarium, cuius nec vicaria eſt, nec ipſum quidditativè repræſētat; ſed tantùm connotativè, & ad inſtar obiecti primarij. Quæ præterquam quòd perſpicua ſunt, clariſsimè conſtant ex modo, quo potentia ipſa cognoſcit dicta obiecta. Obiectum ſiquidem motivum cognoſcit potentia directè; terminativum verò connotativè. Primum per ſe: ſecundum per primum, ad inſtarque illius. Vnde licèt pro hoc ſtatu immaterialia cognoſcamus; cognoſcimus tamen ad modum quidditatis materialis, quæ eſt obiectum motivum intellectus noſtri pro hoc ſtatu. Quamobrem ſpecies illa, quæ eſt propria quidditatis materialis, ad duo obiecta cognoſcenda deſervit, quorum primum eſt ipſa materialis quidditas, & hoc obiectum ex natura ſua, vt dictum eſt, repræſentat: atque ideò, illud vt repræſentet, elevatione non indiget. Extenditur etiam ad obiectum terminativum; hoc tamen non repræſentat ex natura ſua; ſed ſolùm ex accidentaria, & ſibi adventitia elevatione, aut modificatione. Vnde patet, quòd cùm Salmantic. & nos cum illis dicimus, ſpeciem elevatione non indigere; immo, & repugnare, quòd elevetur, vt repræſentet obiectum: loquimur de obiecto motivo ipſam ſpeciem immittente potentiæ. Dum autem de obiecto

terminativo sermo est, non negant dicti P. P. talem elevationem; quin potiùs locis à nobis relatis illam adstruunt. Et iuxta hæc intelligenda sunt, quæ docent tract. 24. disp. 6. num. 201. Ex his ergo

Resp. argumento distinguendo min. *Obiectum* motivum, seu primarium, concedatur: *Obiectum* terminativum, seu secundarium, neg. min. Termini ex proximè dictis noti sunt. Et hac eadem distinctione resolvantur omnes illius minoris probationes. Prima quidem, quia eius minor vera est de obiecto primario, non determinativo. Ad 2. dicas: Elevationem facere, quòd species repræsentet connotativè obiectum terminativum. Ad 3. distinguatur eodem modo consequens. Et semper adesse discrimen inter speciem impressam, expressamque, inde constat, quod impressa præcedit intellectionẽ, ad quam expressa subsequitur. Vnde cùm intellectio, quæ est productiva speciei expressæ, supponatur entitativè supernaturalis, non potest non ipsa species expressa repræsentare illud obiectum, cuius attactio est ea intellectio, de quo infrà iterum agendum est: interim videantur P. P. Salmant. tract. 21. disp. 19. dub. 4. Ad 4. probationem dicendum est: Ante elevationem repræsentare speciem obiectum primarium: terminativum autem virtute elevationis.

Ad vrgentiam similiter negatur assumptum; ad cuius probationem dictum est, quòd elevatio non facit, quòd species repræsentet quidditativè, & per modum naturalis similitudinis. Vnde, vt obiecta supernaturalia sic repræsententur, requiruntur species, quæ hoc ex natura sua faciant: Et tales species debent esse entitativè supernaturales.

9. Sed contra, & arg. 3. Quia virtus elevans non facit speciem esse perfectiorem intensivè, nec extensivè: ergo non facit quòd obiecta supernaturalia repræsentet: ergo ad hanc attingentiam requiritur species entitativè supernaturalis. Hæc 2. conseq. constat ex 1. quæ infertur ex anteced. Cuius prima pars probatur. Quia id, quod à lumine elevante habet species, est de linea supernaturali, vt constat ex dictis: sed maior intensio perfectionis speciei entitativè naturalis, non est de linea supernaturali: ergo à lumine elevante non est species intensivè perfectior. Prob. min. Quia intensio cuiuscumque perfectionis est *ipsum magis* ipsius perfectionis, vt ex Philosophia suppono: ergo intensio perfectionis entitativè naturalis non est supernaturalis. Quoad 2. partem probatur idem anteced. Quia id, quod perficit entitatem in se, non est extensio entitatis: sed quod species entitative naturalis habet à lumine, perficit speciem in se; quandoquidem illam elevat ad ordinem supernaturalem: ergo.

Resp. Intensionem propriè ad qualitatem spectare per ordinem ad subiectum, cui inhæret. Quæ omnia relatè ad species intelligibiles impropria sunt: siquidem in illis entitas, cuius est intendi, & remitti, de materiali se habet; institutæ enim sunt ad repræsentandum; sed quia per analogiam ad intensionem, & extensionem qualitatum, vult arguens ostendere, non benè convenire speciebus elevationem à lumine provenientem; propterea dicimus, virtutem elevantem communicare phantasmatibus modum supernaturalitatis illa illustrantem; ex qua illustratione vel resultant novæ species, vel præexistentes ita coordinantur, vt iam species illæ, & ipsa phantasmata, vt illo modo elevata, non spectẽt ad lineã naturalẽ, sed ad supernaturalẽ: atque adeò medijs illis, prout sic elevatis, cognoscuntur veritates supernaturales, ad quarum veritatum cognitionem nunquam sat foret lumen nostrum naturale. Sic docet D. Thom. loco citato ex 2. 2. vbi ad 2. ait: *Similitudo intelligibilis in revelatione prophetica quandoque immediatè à Deo imprimitur, quandoque à formis imaginatis resultat secundùm adiutorium prophetici luminis: quia ex ijsdem formis imaginatis subtilior conspicitur veritas secundùm illustrationem altioris luminis.* Nec in hoc speciale aliquid est in specie, aut phantasmate, quod in alijs pluribus

non

non reperiatur: ſiquidem, vt egregiè docent P. P. Salmant. tract. 14. diſp. 6. dub. 3. §. 5. dantur cognitiones entitativè naturales, quæ perficiuntur per modum ſupernaturalem, qui aliquomodo ſit fidei. Et generaliter tract. 12. & 13. diſp. 20. dub. 1. & tract. 16. diſp. 4. dub. 4. docent dicti P. P. omnem operationem naturalem honeſtam hominis fieri ſalutarem per modum ſupernaturalem intrinſecum, qui eſt participium quoddam fidei, & charitatis. Vnde adeſt optima conſonantia inter ordinem entitativum, & intelligibilem: quatenus actus, & virtutes ad vtrumque illum ordinem ſpectantes elevabiles ſunt per dictum modum ad ordinem ſupernaturalem. Nec per hoc, quòd actus ille modo illo ſupernaturali elevetur, intenditur, vt bene probat argumentum: ſed perficitur perfectione ordinis ſuperioris, quæ perfectio actus intenſio non eſt. Et ex hac perfectione provenit, quòd ſpecies obiecta ſupernaturalia modo dicto repræſentet.

10. Dices cum Mag. Ferre tomo 1. in 1. p. tract. 3. q. 6. §. 15. doctrinam traditam habere locum in ſpecie conſiderata ſecundùm conceptum activum, quem habet, ſic enim ſumpta elevatur, vt influat in actum ſupernaturalem, in quem ſibi relicta influere non valeret. Aſt ſi conſideretur munus repræſentandi, quod ipſa ſpecies habet, non elevatur à lumine ſuperiori: ergo, ſi loquamur de hoc munere repræſentandi, ruit data doctrina. Prob. anteced. 1. Quia ſpecies naturalis ſemper repræſentat obiectum naturale modo naturali; eſt enim naturalis ſimilitudo obiecti: ergo quoad iſtud munus non elevatur. *Probatur* 2. Quia ſpecies impreſſa nunquam poteſt attingere obiecta ſupernaturalia, niſi per connotationem ad res naturales: ergo nunquam poteſt elevari ad repræſentandum ſupernaturaliter. *Probatur* 3. Quia non poteſt ſpecies naturales repræſentare obiectum ſupernaturale, quin intrinſecè, & eſſentialiter varietur: ſed per dictam elevationem non variatur intrinſecè, & eſſentialiter; ſiquidem illa elevatio eſt extrinſeca, & accidentaria ſpeciei, vt dictum eſt; eòque inſufficiens ad cauſandam illam variationem: ergo. *Probatur* tandem: Quia virtus in ordine entitativo non elevatur niſi ſecundùm munus activè influendi in actionem, non autem ſecundùm alia munera: ergo ſimiliter ſpecies intelligibilis.

Reſp. neg. anteced. Quod nulla ex ijs probationibus ſuadetur. Ad 1. ergo dicitur, quòd ſpecies ex ſe ſemper repræſentat obiectum naturale, & naturali modo: elevata autem extenditur ad obiectum ſupernaturale, illudque repræſentat. Et licèt ſolius obiecti motivi ſit ſimilitudo naturalis; poteſt tamen elevari, vt obiectum, cuius naturalis ſimilitudo non eſt, repræſentet. *Ad* 2. probationem reſpond. Speciem naturalem ſemper, & ſub quacunque elevatione, repræſentare obiectum naturale; elevata tamen extendi per connotationem ad illud naturale obiectum ad attingendum obiecta ſupernaturalia; ita taliter, qùòd, prout ſic, poteſt influere immediatè in actum entitativè ſupernaturalem, qualis eſt actus fidei, in quem ſibi relicta, nunquam immediatè influere poſſet. *Ad* 3. probationem concedimus illam variationem in ſpecie; cui abſolutè, & entitativè ſumptæ accidentaria prorſus eſt elevatio: aſt ſi conſideretur, prout ad ordinem ſupernaturalem ſpectat, eſt illi eſſentialis. Quod idem invenitur in ipſa ſpecie, prout dicit munus influendi effectivè; quandoquidem in illa prout ſic debet Mag. Ferre hanc ipſam intrinſecam variationem concedere; ſicut, & quòd proveniat ab elevatione, quæ quidem extrinſeca, & accidentaria eſt illi muneri abſolutè ſumpto; non tamen ei vt ſupernaturalizato. Hoc etiã concedere debet in quavis operatione naturali honeſta, quæ, vt diximus num. præcedenti, medio intrinſeco ſupernaturali modo redditur ſalutaris. *Ad vltimam* probationem omiſſo anteced. negetur conſeq. Diſcrimen eſt, quòd ſpecies fœcundat potentiam, vt obiectum cognoſcat, nec poteſt intellectus

cognoscere obiectum, nisi ipsi ab specie repræsentetur. Quamobrem vt intellectus valeat obiecta supernaturalia connotativè cognoscere, debent talia obiecta eo modo repræsentari in specie, ad quod, vt dictum est, requiritur elevatio. Paritas autem inter speciem, & virtutem operativam degenere entis consistit in eo, quòd sicut entitas illius virtutis manet semper intra ordinem naturalem, tametsi ad actus salutares elevetur in esse virtutis; sic etiã entitas speciei naturalis in ordine naturali manet, quamquàm in esse speciei, hoc est ad repræsentandum, & activè influendum elevetur. Nec aliter paritas servaretur: quia inter munia illius virtutis, quòd potentiæ inhæreat, illam actuet, & informet, est prorsus materiale, & secundarium: quia instituta est illa virtus, non vt sit; sed vt operetur: & hoc est præcipuum munus eius. Sic ergo inter munia speciei munus essendi est penitùs materiale: immo & munus activè concurrendi non est præcipuum; quia licèt formale ei sit, est tamen ab ipsa, vt diximus num. separabile. Quod autem est prorsus proprium, ac inseparabile, est munus repræsentandi: propterèaque communiter circumfertur, species institutas esse ad repræsentandum. Vnde secundùm hoc munus elevabiles sunt, sicque paritas sine calumnia tenet.

QUÆSTIO SECVNDA.

Vtrùm species deservientes contemplationi, quæ est actus scientiæ infusæ, sint entitativè supernaturales?

OMissimus disp. præcedenti, vbi de principio proximè elicitivo divinæ contemplationis egimus, de scientia infusa, quæ sublimissimæ cõtemplationis principium est, pertractare; eò quòd ad 3. prædicabile de illa disputare reservamus. Non autem hoc idem facere possumus circa species illi contemplationi deservientes, sine doctrinæ dispendio. Vnde postquam vidimus, quæ species concurrant ad contemplationem, sive acquisitam, sive infusam, quam fides illustrata elicit; de speciebus influentibus in contemplationem, quæ est actus scientiæ infusæ, agendum exposcit doctrinæ ordo.

§. I. *Status quæstionis aperitur, & vera sententia eligitur.*

11. DAri hanc sublimissimam scientiam, quam infusam dicimus, res est omnino certa, modòque supponenda ex 3. p. q. 9. & 11. & ex ijs, quæ cum Theologis tum scholasticis, tum mysticis, dicemus, loco insinuato. Actus autem huius scientiæ eminentissimæ quidditativè cognoscit entia supernaturalia, v. g. fidem, charitatem, visionem beatificam &c. ex quo perfectio huius scientiæ cognoscitur, quæ superat vel ipsius Theologicæ fidei perfectionem. Sic ergo pro nunc supposita scientiæ istius possibilitate, & etiam ad dictum locum reservantes examinare, in quibus subiectis, & quomodo in illis sit: vestigamus in præsenti, quibus speciebus vtatur scientia hæc, an entitativè supernaturalibus, an verò naturalibus? Qua in re Medina, Vasq. & alij, quos suppresso nomine refert Alvarez disp. 65. tenent, species contemplationi elicitæ à scientia infusa deservientes, fore naturales entitativè. Loquuntur autem hi authores de scientia infusa Christo Domino, idem omnino dicturi de quovis alio, in quo ea ipsa scientia reperiatur. Insuper monendum est, eos authores sic sentire, vel de omni actu talis scientiæ, vel vt minùs, de contemplatione, qua obiecta naturalia cognoscit.

Re-

Reſolutio igitur eorum reducitur ad hoc, quòd ſcientia hæc infuſa, eò quòd talis ſit, non requirit ſpecies entitativè ſupernaturales. Illas tamen neceſſariò poſtulare defēdit ſecunda ſentētia, quæ eſt inter Thomiſtas, & alios, cōmunis: de quo conſulendi ſunt P. P. Salmantic. tract. 21. diſp. 21. dub. 1. Cum quibus ſentio; eòque

12. Sit noſtra aſſertio: *Species deſervientes ad contemplationem, quæ eſt actus ſcientiæ infuſæ, ſunt entitativè ſupernaturales.* Concluſio hæc non obſcurè edocetur à D. Thoma citata 2. 2. q. 173. art. 2. ijs verbis: *Sic igitur patet, quòd prophetica revelatio quandoque fit per ſolam luminis influentiam; quandoque autem per ſpecies de novo impreſſas, vel aliter ordinatas.* Vbi, ſecundùm diverſos gradus ſupernaturalis prophetiæ diverſas ſpecies eſſe concedendas, docet. Ita vt ad prophetiam omnino perfectam, qualis eſt illa, in qua obiecta clarè, & quidditativè cognoſcuntur, ſpecies entitativè ſupernaturales requirantur, vtî obſervant P. P. Salmant. loco citato num. 2. in fine. Ex quibus conficitur prima ratio probativa noſtræ concluſionis in hunc modum. Etenim actus prophetiæ, quo quidditativè cognoſcuntur obiecta ſupernaturalia, prærequirit *ſpecies de novo impreſſas*, ſeu entitativè ſupernaturales: ergo ijſdem ſpeciebus vtitur contemplatio, quæ eſt actus ſcientiæ infuſæ. Anteced. conſtat ex dictis. Et conſeq. prob. ex inducta paritate: Quia idcirco prophetia illa perfectiſsima prærequirit dictas ſpecies, quia attingit obiecta ſupernaturalia quidditativè, & non per connotationem ad alia obiecta, ad inſtarque illorum: ſed contemplatio, quæ eſt actus ſcientiæ infuſæ, attingit eodem modo obiecta ſupernaturalia: ergo vtitur ſpeciebus entitativè ſupernaturalibus.

13. Prob. 2. aſſertio noſtra. Species deſervientes contemplationi ſcientiæ infuſæ repræſentant connaturaliter obiecta ſupernaturalia: ergo ſunt entitativè ſupernaturales. Patet iſta: Eò enim, vt diximus tota quæſt. præcedenti, ſpecies contemplationi fidei famulantes ſunt entitativè naturales; quia licèt repræſentent obiecta ſupernaturalia, non tamen illa connaturaliter repræſentant; ſed virtute luminis illas elevantis. Anteced. autem prob. Quia illa obiecta, quæ ſpecies quidditativè repræſentant, repræſentantur connaturaliter ab ipſis ſpeciebus; ſed dictæ ſpecies repræſentant quidditativè obiecta ſupernaturalia: ergo & connaturaliter illa repræſentant.

14. Conf. ac declaratur hæc ratio: Dictæ ſpecies repræſentant obiecta ſupernaturalia, vt ſibi propria: ergo ſunt ſupernaturales ſicut illa. Vtraque propoſitio probanda eſt. Et primò probatur 1. anteced. Quia per ſpeciem propriam obiecti nihil aliud intelligunt D. D. niſi ſpeciem, quæ ex natura ſua, & non ex accidentaria elevatione, repræſentet obiectum; ſed dictæ ſpecies ex natura ſua repræſentāt obiecta ſupernaturalia: ergo obiecta ſupernaturalia ſunt propria obiecta illarum ſpecierum. Min. in qua poterat eſſe diſſidium, edocetur communiter à Myſticis D. D. & etiam ab Scholaſticis. *Probatur* 2. anteced. ſpecies repræſentat, vt ſibi proprium, illud obiectum, quod illam immittit potentiæ, cuiuſque ipſa vicaria eſt; ſed dictæ ſpecies immittuntur ab obiectis ſupernaturalibus, eorumque vicariæ ſunt: ergo. Prob. minor: Quia obiecta illa ſupernaturalia ſunt obiecta motiva potentiæ ij ſpeciebus vtentis, eiſque medijs contemplantis. Quod omnes, aut ferè omnes admittunt: in hocque conſiſtit eminentia huius ſcientiæ infuſæ: videlicet quòd non per ſpeciem alienam cognoſcat obiecta ſupernaturalia. *Iam verò* ex dictis notum eſt, legitimam eſſe conſequentiam: Quandoquidem ſpecies eſt eiuſdem ordinis cum obiecto illam immittenti, per illamque potentiam moventi. Vnde non poteſt non eſſe entitativè ſupernaturalis ſpecies, quæ eiuſdem naturæ eſt cum obiecto ſupernaturali.

15. Conſultò in factis diſcurſibus ſolùm nominamus obiecta ſupernaturalia,

ralia, non distinguentes, an de obiecto supernaturali suo omni supernaturalitatis modo loquamur, an sub aliquo tantùm: vt sic clariùs procederemus. Modò verò dicimus: nomine obiecti supernaturalis, quod per scientiam infusam contemplatur, non solùm intelligi obiecta secundùm se, & entitativè supernaturalia; sed etiam obiecta naturalia quoad suum esse; supernaturalia tamen in esse attingibilium. Esseque sic attingibilia obiecta naturalia inficiabitur nullus; cùm totus ordo naturæ substernatur ordini gratiæ: quamobrem ens spectans secundùm suam entitatem ad ordinem naturalem; si consideretur secundùm potentiam obedientialem, per quam ordinem naturalem transcendit, est in esse attingibilis supernaturale. Vnde quoad hoc idem iudicium ferendum de illo est ac de ente entitativè supernaturali: vtrumque enim petit virtutè supernaturalè, vt attingatur, & supernaturales species, vt in ipsis repræsentetur. Nec incõveniẽs aliquod est, quòd res inferior nõ possit cognosci nisi à facultate superiori: licèt res superior non possit cognosci ab inferiori facultate. Et ratio ea est, quòd licèt in facultate cognoscitiva inferiori detur potentia obedientialis, sicut datur in re inferiori cognoscibili. Cæterùm cognoscibilitas est quid passivum; sicut & esse cognoscitivum dicit activitatem: quiaque potentia obedientialis non est proximè activa, sed passiva; propterea res inferior potest, prout dicit illam capacitatem, exigere facultatem superiorem ad sui attingentiam: sed inferior facultas non potest, media ea capacitate, rem superiorem contemplari. Vnde semper verum est, quòd species deservientes contemplationi scientiæ infusæ sunt entitativè supernaturales; quia sive obiectum supernaturale, sive naturale contempletur, semper dictas species prærequirit. Immo semper obiectum supernaturale contemplatur; quia etiam ea, quæ in esse entis naturalia sunt; in esse attingibilium sunt supernaturalia, vt dictum est. De quo videri possunt P. P. Salmant. loco citato disp. 19. dub. 1.

§. II. *Respondetur argumentis.*

16. CONtra conclusion. Arg. 1. Non potest viator contemplari nisi medijs speciebus à rebus acceptis: ergo etiam cùm media scientia infusa contemplatur, non vtitur speciebus entitativè supernaturalibus. Patet ista, quia species entitativè supernaturalis non est accepta à rebus sed à Deo menti contemplantis impressa. Et anteced. prob. Non potest viator contemplari sine phantasmatum speculatione: ergo non potest contemplari nisi accipiendo species à rebus. Conseq. est bona, quia idem prorsus est intelligere à rebus accipiendo, ac contemplari phantasmata speculando. Anteced. vero probatur 1. ex D. Dionys. cap. 1. Cœlest. Hierarch. dicente: *Impossibile est nobis aliter lucere diuinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Vbi per ly *impossibile* planè excluditur omnis contemplatio, quantumvis sublimis sit, à principioque sublimissimo proveniat, quæ phantasmata non speculetur. *Probatur* 2. idem antecedens ex D. Thom. qui pluribus in locis hanc ipsam authoritatem Dionys. affert, & amplectitur dicens, non posse in via dari contemplationem sine conversione ad phantasmata. Cuius doctrinæ radicem offert ipse Doct. Sanct. 1. p. q. 12. art. 13. in corp. his verbis: *Cognitio enim, quam per naturalem rationem habemus duo requirit: scilicet phantasmata ex sensibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cuius virtute intelligibiles conceptiones ab eis abstrahimus. Et quantum ad vtrumque iuvatur humana cognitio per revelationem gratiæ. Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti: & interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis formantur diuinitùs magis exprimentia res divinas, quàm ea, quæ naturaliter à sensibilibus accipimus, sicut apparet in visionibus prophetalibus.* Ex qua doctrina habes, quòd

in

in conſpectu cuiuſcunque luminis gratuiti ſemper contemplatio habet phantaſmata ſpeculãda, ſive a ſẽſibilibus accepta, ſive interdũ, quod non frequẽter evenire ſolet, divinitus in hominis imaginatione formata. Conſequenterque *impoſſibile eſt, aliter nobis lucere divinum radium &c.* vt docet D. Dionyſ.

Hoc argumentum ſummè difficile eſt, nec pro meritis ſolvi poteſt niſi integram quæſtionem excitãdo, in qua, an contemplatio viæ indiſpenſabiliter fiat cum converſione ad phantaſmata, diſputemus. Quod in 3. prædicabili exequemur. Modò vero reſpond. neg. antec. Licèt enim modus naturalis, quo noſter intellectus procedit, ſit accipiendo à ſenſibilibus; poſſe tamen ex Dei impreſsione procedere, certum eſt: ſicque procedit, cùm media ſcientia infuſa contemplatur. Immo nec requiritur tam ſupereminens ſcientia, vt intellectus contempletur ſine ſpeciebus à ſenſibilibus acceptis, quod apud Myſtas indubium eſt, patetque ex inducta D. Thom. authoritate. Sed quia etiam ſi à ſenſibilibus non accipiat, nihilominus poteſt phantaſmata ipſa, quæ in imaginatione divinitus formantur, ſpeculari: ideò oportet ad probationes ante cedentis reſpondere.

Ad 1. probationem explicamus Dionyſium ipſum ipſo Dionyſio lib. de myſtica Theol. cap. 1. dicente: *Omnibus ipſa* (cauſa prima ſeu Deus) *ſuperſubſtantialiter eſt ſuperpoſita, & non ſolum non velatè, & verè apparet his, qui immunda, & munda tranſeunt &c.* Ecce Dionyſium clariſsimè docentem, viros contemplativos Deum cognoſcere non *velatè*. Quod cùm intelligi non poſsit de remotione velaminis fidei; loquitur enim de contemplatione viæ: evidens fit, ſe loqui de velamine phantaſmatum, quo ipſa veritas obvelatur, nè nudè ſumpta, vt eſt in ſe ipſa, contempletur. Vnde D.D. teſtimonio illo ex lib. de Cœleſt. Hierarch. obiecto vtentes debuiſſent, hoc quod nos adducimus conſiderare: & ſic non adeò celeriter, Dionyſium negare poſsibilitatem divinæ contemplationis ſine converſione ad phantaſmata, prædicarent. Verùm quia de hoc, vt dictum eſt, modò non diſputamus: ideò abſtrahendo ab opinione eo loci à nobis eligenda;

Permittimus mentem Dionyſ. in Cœleſt. Hierarch. eſſe, quòd in via non eſt dabilis contemplatio, quæ non ſit per converſionem ad phantaſmata: quia hic eſt modus operandi noſtræ animæ dum corporis gravitati vnita gemit. Aſt per hoc non habetur, quod ſemper debeat contemplari accipiendo à ſenſibilibus: quandoquidem ab ipſo Deo ſpecies aliquando infundi, conſtat ex dictis num. 17. & 22. Species, inquam, quæ aliter haberi non poſſunt niſi per infuſionem. Vnde non ſunt infuſæ per accidens; ſicut ſcientiæ naturales primò homini infuſæ fuerunt; ſed ſunt tales ſpecies per ſe infuſæ; eòque entitativè ſupernaturales. Quare ſive detur aliqua phantaſiæ cooperatio; ex eo quòd illæ ſpecies debent recipi ad modum recipientis, qui in hoc ſtatu eſt intelligere phantaſmata ſpeculando; ſive hæc aliqualis phantaſiæ cooperatio non detur, nihil modò nobis obeſt: ſemper enim ſpecies illæ ſunt entitativè ſupernaturales; vt potè obiecta ſupernaturalia quidditativè repræſentantes, vt dictum eſt. Per quod patet, authoritatem Dionyſ. ex Cœleſti Hierarch. non petere tantam phantaſiæ cooperationem, quæ compati non poſsit cum hoc, quòd eſt primam veritatem contemplari *non velatè*, vtî docet idem ſanctus in de myſtica Theologia.

Ad 2. anteced. probationem reſpond. mentem D. Thom. clariſsimam eſſe, quantum ad hoc, quòd intellectus non ſemper contempletur accipiendo à ſenſibilibus; ſed quod habeat ſpecies à Deo infuſas: & hoc eſt, quod in præſenti ſufficit. Et quod ipſo art. 11. docet haud obſcurè Doct. Sanct. artic. enim ille inquirit: *Vtrùm aliquis in hac vita poſſit videre Deum per eſſentiam?* Et contra reſolutionem negativam conſtruit primum argumentum ex verbis Jacob apud Geneſ. 32. dicentis: *Vidi Deum facie ad faciem*, quod ſolvit Ang.

Doct.

Doct. per hæc verba: *Hoc dicit Iacob ad designandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis supra communem statum.* Quæ est ergo contemplatio *supra communem statum*? Absdubio non est contemplatio, quæ per acceptionem à sensibilibus procedat. Non est contemplatio, quæ speciebus naturalibus vtatur. Hæ enim contemplationes non sunt *supra communem statum.* Vnde hæc eminens contemplatio communem statum transcendens illa est, cuius species supernaturales sunt. Illa est, quam sola facialis Dei contemplatio superat, dicente eodem D. Thom. 1. 2. q. 98. art. 3. ad 2. *Per visionem faciei intelligitur quædam eminens contemplatio infra essentiæ divinæ visionem.* Et contemplatio, cui sola visio essentiæ divinæ præstat, illa est, cuius species supernaturales sunt. Hæc contemplatio illa est, de qua idem Sanct. Doct. 2. 2. q. 174. ad 1. docet: *Manifestum est, quod manifestatio divinæ veritatis, quæ fit per nudam contemplationem veritatis, potior est, quam illa, quæ fit sub similitudine corporalium rerum: quia magis appropinquat ad visionem patriæ, secundùm quàm in Essentia Dei veritas conspicitur.* Hæc denique est contemplatio, de qua idem D. Thom. q. 18. de verit. art. 2. ait: *Inde est, quòd nec Deum, nec alias substantias immateriales cognoscere possumus naturaliter, nisi per res sensibiles: sed ex perfectione gratiæ hoc habebat homo in statu innocentiæ, vt Deũ cognosceret per inspirationem internam ex irradiatione divinæ sapientiæ, per quem modum Deum cognoscebat non ex visibilibus creaturis, sed ex quadam spirituali similitudine suæ menti impressa. Ita igitur in homine duplex cognitio erat, vna, qua cognoscebat Deum conformiter Angelis per inspirationem internam: alia, qua cognoscebat Deum conformiter nobis per sensibiles creaturas.* Ex his duabus contemplationibus secunda non est, *supra communem statum* eorum, qui spectant ad statum naturæ reparatæ: sed est *supra talem communem statum* illa prima: Vnde non solum lumen; sed etiam species entitativè supernaturales requirit: sive procedat sine conversione ad phantasmata; sive cum adeò tenui conversione procedat, vt sit veluti imperceptibilis, de quo aliàs loco citato, vbi dicta maiorem lucem accipient.

17. Arg. 2. per scientiam infusam cognoscuntur obiecta naturalia: ergo species deservientes huic cognitioni sunt naturales. Anteced. certum est, & conseq. prob. Pro actu naturali non requiritur species entitativè supernaturalis; sed actus, quo scientia infusa attingit obiectum naturale, est naturalis; quia actus specificatur ab obiecto, & obiectum, vt supponimus, naturale est: ergo talis species etiam est naturalis. Mai. de qua posset aliquis dubitare, certissima est; quia pro actu entitativè supernaturali sufficiunt species entitativè naturales, & solùm modaliter supernaturales, vt de assensu fidei diximus quæstione præcedenti: ergo potiori iure pro actu naturali sat erunt species naturales.

Conf. Quia facta suppositione, quòd species, qua infusa scientia vtitur, & species naturalis repræsentent idem obiectum, non adest fundamentum, vt prima illa species supernaturalis asseratur; sed hoc ita evenire potest ex eo, quòd scientia infusa cognoscit obiecta naturalia: ergo species, qua scientia infusa talia obiecta cognoscit, est naturalis. Conseq. est bona, & Min. certa. Mai. verò probatur: Quia vtraque illa species ex parte obiecti sunt idem, cùm idem obiectum sit, vt supponimus: ergo non est fundamentum, vt prima dicatur supernaturalis.

His movetur P. Vasquez, vt neget, species correspondentes scientiæ infusæ animæ Christi Domini fore entitativè supernaturales. Sed valde levia sunt, eorumque solutio constat ex dictis num. 25. ex quibus respond. argumento disting. anteced. *Obiecta naturalia*, vt naturalia, neg. anteced. Sub ratione superiori talia naturalia obiecta elevanti ad ordinem supernaturalem, conc. anteced. termini ex dictis num. citato noti sunt. Deinde negetur absolutè

lutè conſeq. Ad cuius probat. diſtinguo min. *obiectum naturale*, vt tale, nego ſuppoſitum, videlicet, quòd ſcientia infuſa cognoſcat obiecta ea, prout naturalia ſunt. *Obiectum naturale* ſub illâ alia ratione ſuperiori iam dicta, nego min. Ad inſertam probationem dicas: Actus ſpecificari ab obiecto formali, non autem ab ipſo in eſſe rei ſumpto. Obiectum autem naturale, vt repræſentatur in ſpecie infuſa licèt in eſſe rei ſit naturale, in eſſe tamen obiecti per talē ſpeciē repræſentati ſupernaturale eſt.

Ad confirm. reſpond. Quòd obiectum materialiter idem poteſt repræſentari in ſpecie infuſa, & in naturali ſpecie; ſed non idem obiectum formaliter tale. Vnde ſi minor loquatur de identitate formali, eſt prorſus falſa: ſi autem loquatur de identitate materiali, nihil probat. Nec ſuppoſitio illa obeſt; quia ſi ſuppoſitio illa procedit de obiecto materiali, dictum eſt, nihil probare. Si verò de formali obiecto procedat, eſt impoſsibilis; eòque ſequitur quodlibet. Per quod patet ad probationem maioris.

18. Dices: Taliter repræſentantur obiecta naturalia in ſpecie ſcientiæ infuſæ, qualiter ab ipſa infuſa ſcientia contemplantur: ſed ab ipſa ſcientia infuſa contemplantur, vt naturalia: ergo vt talia repræſentantur in ſpecie. Cætera conſtant, & minor probatur: Scientia infuſa contemplatur obiecta naturalia, prout ſunt in ſe ipſis: ſed in ſe ipſis ſunt naturalia: ergo.

Reſpond. Quòd in hoc, quòd dicitur, ſcientiam infuſam contemplari obiecta, prout ſunt in ſe ipſis, duo nobis oſtenduntur. Primum exprimit perfectionem illius ſciētiæ: ſecundum autem defectū perfectionis. Primum eſt, quòd ſcientia infuſa non contēplatur obiecta, quæ cognoſcit, per ſpecies aliorū obiectorum, nec per connotationem ad illa. Vnde ſive illa obiecta ſint naturalia, ſive ſupernaturalia ſint, ſemper illa per proprias ſpecies; ſubindeque quidditativè contemplatur. In quo eminet hæc ſcientia ſupra donorum, & cuiuſcumque alterius luminis ſupernaturalis cognitionem, quia hæc horum luminum cognitio non eſt quidditativa, ſed tantùm connotativa, & obſcura obiecti contemplatio. Secundum eſt, quòd per hoc deſignatur, quòd ſcientia hæc infuſa non contemplatur res in verbo; ſicut ſcientia beata, ſed extra verbum. In quo ſcientiam beatam infuſæ præſtare edocemur. Hæc ſunt, quæ in illo effato nobis dantur intelligi: quorum ſecundum nihil continet contra nos; ſed nec primum quidem; quia per hoc, quòd obiecta naturalia quidditativè contempletur, non aufertur, quòd illa cognoſcat ſub illa ratione, per quam ordini gratiæ ſubſternuntur: hanc quippe rationem dicunt illa obiecta in ſe ipſis conſiderata. Vnde illa ſub hac formalitate cognoſcit.

19. Replicabis: Cognoſcibilitas obiecti ſequitur indivulſè ipſius entitatem; ſed entitas talium obiectorum eſt naturalis: ergo & cognoſcibilitas. *Reſpondetur* diſtinguendo mai. *entitatem* nudè ſumptam, negetur; *entitatem* cum modis, & reſpectibus, quos ipſa entitas ſecum affert, concedatur. Et ſub eadem diſtinctione minor. negetur abſolutè conſeq. Itaque entitas obiecti naturalis nudè ſumpta cognoſcibilis vtique eſt: aſt ſicut entitas ſic accepta non determinat ordinem, ad quem determinatè ſpectet; ſed poteſt conſiderari ſecundùm id, quod illam elevat ad lineam ſupernaturalem: ſic etiam cognoſcibilitas, prout ſequitur entitatem ſic nudè conſideratam non determinat lineam, aut ordinem. Entitas autem ipſa obiecti naturalis, conſiderata prout correſpondet virtutibus inferioribus, fundat cognoſcibilitatem naturalem. Prout autem correſpondet ſuperiori virtuti ſupernaturali, dicitque potentiam obedientialem, per quam ordini ſupernaturali ſubordinatur, eiuſque ſupernaturali Authori ſubditur, fundat cognoſcibilitatem ſupernaturalem. Et prout ſic contēplatur à ſcientia infuſa. De qua modò nihil ampliùs. Videantur P.P. Salmant. loco citato ex tract. 21. diſp. 19. & Illuſtr. Godoy in 3. part. diſp. 35. à num. 28.

QUÆSTIO TERTIA.

Vtrùm in contemplatione vniatur Deus in ratione ſpeciei intelligibilis menti contemplantis?

PRo tituli intelligentia ſciendum eſt, nos in præſenti non loqui de contemplatione determinata; ſed de quavis divina contemplatione ſermo eſt. Verum quidem eſt, quòd, ſi Deus gerit munus ſpeciei intelligibilis ad aliquam contemplationem, non poteſt hæc non eſſe ſublimiſsima, expoſcetque lumen perfectiſsimum, à quo eliciatur. Nobis autem hoc obeſſe haud poteſt, qui de omni contemplatione divina loquimur, præterquam de illa, quæ immediatè elicitur à lumine gloriæ: hæc enim eſt clara Dei viſio, ſive habita permanenter in patria; ſive tranſeunter in via. Quæſitum autem noſtrum procedit, non de clara Dei viſione; ſed de contemplatione obſcura.

§. I. *Eligitur vera ſententia.*

20. SIt noſtra concluſio: *In nullâ contemplatione vnitur Deus menti contemplantis in ratione ſpeciei intelligibilis.* Aſſertio hæc eſt D. Thom. Quem multi alij, tam myſtici, quàm Scholaſtici ſequuntur. Nec diſſentit N. Philip. in ſua Theolog. myſt. p. 2. tract. 3. diſc. 3. art. 6. §. *Contemplatio ſupernaturalis ſumma* ibi enim neutiquam inclinatur ad partem affirmantem, Deum vniri per modum ſpeciei impreſſæ menti obſcurè contemplantis, vt putavit Diſceptatio myſtica: ſed loquitur de contemplatione faciali, quam dari poſſe in hac vita, ait dictus Author, *Affirmant aliqui authores, negant alij: valde ad partem affirmativam inclinamur, de qua nihil amplius in præſenti, cùm de ea differamus alibi.* Videlicet eodem tract. diſc. 2. art. 5. Hancque eſſe ipſius mentem, omnia, quæ inibi ſubjicit, ſuadent, & verba, quæ datis immediatè annectit, demonſtrant: ait enim: *Saltem in patria datur hæc ſumma, & perfectiſſima contemplatio, quæ eſt viſio beatifica.* Vnde recuſans ibi illam controverſiam, ſcilicet, an in via poſsit dari contemplatio adeò perfecta, vt in illa Deus vniatur per modum ſpeciei impreſſæ menti contemplantis, de qua iam egerat dicto art. 5. dari contemplationem, in qua hoc eveniat, concedit, probatque exemplo viſionis beatificæ, quæ eſt contemplatio patriæ. Quo exemplo perſpicuè comprobatur, dari contemplationem, ad cuius elicientiam vnitur Deus per modum ſpeciei impreſſæ menti contemplantis; atque adeò, quæ immediatè Deum attingat, omneque medium excludat. Hoc tamen ſolùm concedit de contemplatione illa faciali. De contemplatione autem illa, de qua quæſitum præſens procedit, hoc non docet.

Probatur ergo aſſertio noſtra authoritate D. Thom. q. 18. de veritat. art. 1. incorp. vbi ait: *Quidam dixerunt, quòd Deum per eſſentiam videre non ſolum contingit in patria, ſed in via, quamvis non ita perfectè in via, ſicut in patria. Secundùm hoc homo in ſtatu innocentiæ mediam habuit viſionem inter viſionem beatorum, & viſionem hominis poſt peccatum: quia minùs perfectè vidit, quam beati, perfectiùs autem quàm homo poſt peccatum videre potuit.* Hæc eſt poſitio aſſerto noſtro contraria: quia loquimur de contemplatione, ad quam divina natura tamquàm ſpecies impreſſa concurrat, quæ, vt ſupponimus, non poteſt non eſſe perfectiſsima, ſimiliſque fœliciſsimæ illi contemplationi, qua homo in ſtatu innocentiæ fulgebat. Hanc autem poſitionem ſic excludit D. Thom. ſubiungens: *Sed illud*

illud dictum est contrarium scripturæ testimonijs, quæ concorditer in divina visione beatitudinem vltimam hominis ponunt. Vnde ex hoc ipso, quòd aliquis Deum per essentiam videt, beatus est. Et sic nullus adhuc in via ad beatitudinem existens Deum per essentiam videre potuit, nec ipse Adam in statu innocentiæ, vt communis opinio tenet.

21. Dices: Hominis beatitudo consistit in visione perfecta Dei, quæ vtique dari non potest sine lumine gloriæ. Homo autem in statu innocentiæ, & etiam extra illum; quamtumvis sublimissima contemplatione rapiatur, non videt Deum visione perfecta, sed media inter visionem patriæ, & communem, seu non ita perfectam visionem hominis post peccatum. Vnde licèt illa contemplatio sit talis, quòd essentiam ipsam Divinam per modum speciei impressæ vnitam menti contemplantis supponat; non tamen ipsum cōtemplantem beatum facit; hoc enim visioni omnino perfectæ reservatur.

Quod roborari potest ex eo, quod ipse Ang. Doct. verbis citatis docet ex scripturæ testimonijs, quæ *concorditer in divina visione beatitudinem vltimam hominis ponunt.* Ex quibus verbis constat, quòd hominis beatitudo consistit in visione Dei: vnde eo modo, quo fuerit beatitudo, erit & Dei visio: sed Damascen. lib. 2. orth. fidei cap. 12. inquit: *Quòd homo in statu innocentiæ beatam vitam habuit, & omnem beatitudinem*; ergo etiam habuit Dei visionem, non quidem perfectam, & consummatam, sed aliam minùs perfectam.

Hoc tamen nihil est. Et primum explosit D. Thom. in fine corp. dicens: *In hoc igitur vnaquæque rationalis creatura beata est, quòd essentiam Dei videt, non ex hoc quod ita limpidè, vel plùs, vel minùs eam videt. Non igitur visio beati à visione viatoris distinguitur per hoc, quòd est perfectiùs, & minùs perfectè videre: sed per hoc, quòd est videre, & non videre: & ideò cùm Adam fuerit adhuc in via ad beatitudinem, Deum per essentiam non vidit.* Ex quo patet, Dei intuitivam visionem divisionem illam visionis magis, aut minùs perfectæ non subire: ad hunc sensum, quòd visio perfecta beatum faciat, & non visio imperfecta. Ex quo enim Deus videtur clarè, absdubio perfecta beatitudo possidetur. Vnde nec cum statu innocentiæ compati potuit illa Dei visio, nec suprema huius viæ contemplatio esse potest immediata visio Dei.

Ad 2. in authoritate Damasc. fundatum respond. Div. Thom. loco citato sic: *Ad 11. dicendum, quòd dictum Damasceni non est intelligendum, quòd Adam simpliciter beatus esset: sed beatus erat quadam beatitudine, quæ illi statui competebat, sicut in statu miseriæ aliqui dicuntur secundùm quid beati ratione alicuius perfectionis in eis existentis, vt Matth. 5. beati pauperes spiritu.* Fuit ergo primus homo in statu innocentiæ beatus, beatitudine illa, *quæ illi statui competebat*, sicut D. Petrus beatus dictus est à Christo Domino, & etiam apud Luc. cap. 14. dicitur: *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem.* Ad hanc tamen beatitudinem habendam visio Dei non requiritur: propterèaque cap. 5. D. Matth. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Vbi beatitudo ponitur de præsenti, sed visio de futuro. Quocirca Div. Thom. verbis obiectis non dicit, in visione Dei consistere quamcumque hominis beatitudinem, *sed beatitudinem vltimam.* Vnde licèt beatitudo vltima, & visio Dei idem sint; non tamen beatitudo non vltima visio Dei est: quia non datur visio Dei clara, quæ cum tali beatitudine coincidere valeat; eò quòd *visio beati à visione viatoris non distinguitur per hoc, quòd est perfectiùs, & minùs perfectè videre: sed per hoc, quòd est videre, & non videre.* Ex quibus omnibus formatur hæc ratio, qua

22. Prob. 2. concluſ. Etenim contemplatio illa, ad quam Deus speciei impressæ munus gereret, vel esset visio Dei; vel non esset, sed per viam fidei procedens: neutrum potest dici: ergo

nec, quòd detur contemplatio, ad quam eliciendam Deus vniatur per modum ſpeciei impreſſæ menti contemplantis. Conſeq. conſtat, maiorque eſt omnino certa. Min. autem quoad 1. partem probatur ſic 1. ex citato D. Thom. Quia illam contemplationem eliciens non diſtingueretur à beato per hoc, quòd minùs perfectè videret Deum, ac ille videt; ſed per hoc, quòd beatus videt, & illam contemplationem habens non videret: ergo talis contemplatio non eſſet viſio Dei. Conſeq. negari non debet, & anteced. conſtat ex datis verbis D. Thom. qui licèt de homine in ſtatu innocentiæ loquatur; ratio verò de omni viatore loquitur, vt de ſe notum eſt: quod ampliùs ex ſequenti probatione conſtabit. *Probatur* 2. Illa 1. pars: Quia Adam in ſtatu innocentiæ erat *adhuc in via ad beatitudinem, Deum per Eſſentiam non vidit*: ſed qui eliceret contemplationem de qua loquimur, foret *adhuc in via ad beatitudinem: ergo Deum per Eſſentiam non videret.* Conſeq. nota eſt, & mai. eſt expreſſa Div. Thom. min. autem inde conſtat, quòd præſens diſputatio non procedit de homine conſtituto in termino, ſed de illo, qui in beatitudinem movetur, etiam ipſa contemplatione, de qua loquimur, quod nullus ſententiæ adverſæ negabit. *Probatur* 3. Illa 1. pars min. Quia ſine lumine gloriæ non videtur Deus: ergo qui dictam contemplationem eliceret, Deum non videret. Conſeq. eſt legitima, quia homo de quo loquimur, non haberet lumen gloriæ, nec tale aſſeruit adhuc ſententia oppoſita. Anteced. autem conſtat ex 1. p. q. 12. art. 5. Vbi expreſsè edocetur à D. Thom. Videantur inibi Caietan. Salmant. & communiter noſtri Thomiſtæ.

Quoad 2. partem, videlicet, quòd talis contemplatio non poteſt non eſſe viſio quidditativa Dei, probatur eadem min. Quia illam viſionem elicit intellectus ſpecie fœcundatus, in quam ſpecies nata eſt influere: ſed eſſentia divina, vnita per modum ſpeciei intelligibilis menti contemplantis nata eſt influere in viſionem intuitivam Dei: ergo contemplatio, quam eliceret intellectus illius contemplativi foret viſio Dei intuitiva. Omnes propoſitiones notiſsimæ ſunt. Vnde: *Probatur* 2. eadem 2. pars: Eſſentia divina vnita per modum ſpeciei nequit influere in cognitionem obſcuram: ergo ſi influeret in talem contemplationem, ea contemplatio eſſet viſio clara Dei. Conſeq. infertur, & anteced. probatur: Eſſentia divina vnita per modum ſpeciei nequit influere in contemplationem, quæ eſt motus ad ipſius divinæ eſſentiæ poſſeſſionem: ſed omnis contemplatio obſcura eſt motus, quo mens tendit ad poſſidendam divinam eſſentiam; ergo tenet anteced. Min. certa eſt. Probatur mai. Motus ad poſſidendum Deum implicat cum poſſeſſione Dei: ergo ſi ille intellectus iam poſſidet Deum ſibi vnitum per modum ſpeciei intelligibilis, non poteſt tendere ad illum poſſidendum. Aliàs daretur ſimul motus ad terminum, & terminus ipſe, ſpes, & poſſeſsio, deſiderium, & fruitio, præſentia, & abſentia eiuſdem obiecti.

23. Dices: Tametſi eſſentia divina gerens munus ſpeciei nata ſit influere in contemplationem comprehenſivam; vnita tamen intellectui limitato illam contemplationem adeò perfectam non elicit; ſed aliam minùs perfectam, licèt intuitivam: ergo pariformiter, quamquam ipſa eſſentia divina per modum ſpeciei vnita menti Beati influat in contemplationem claram Dei; vnita tamen menti viatoris, non claram, ſed obſcuram contemplationem eliciet. Quo vtraque probatio illius minoris quoad 2. partem corruit.

Reſp. neg. conſeq. & paritatem. Diſcrimen eſt, quòd intellectus creatus eſt de ſe capax cognoſcendi quidditativè omne ens, etiam divinum. Vnde per hoc, quòd proportionetur, habiliteturque ad clarè cognoſcendum illud ens, quod intra ſpheram ſui proprij obiecti continetur, illud vtique contemplatur. Ipſe verò intellectus creatus, eò quòd creatus eſt, eſt incapax comprehendendi ens divinum. Conſequenterque per nullam virtutem proportio-

nari

nari valet, illud vt comprehendat. Quocirca intellectus creatus fœcundatus ſpecie increata cognoſcit clarè Deum; non tamen ipſum comprehendere valet ob ipſius intellectus aſsignatum defectum.

24. Prob. vlt. aſſertio : Vt intellectus habeat eſſentiam divinam ſibi vnitam per modum ſpeciei impreſſæ, debet priùs elevari per lumen gloriæ: ſed oppoſita ſententia non vult talem intellectum eſſe elevatum lumine gloriæ: ergo inconſequenter ponit, talem intellectum vnitam ſibi habere eſſentiam divinam gerentem munus ſpeciei intelligibilis. Conſeq. negari non poteſt: minor autem inde conſtat, quia nullus pro illa contemplatione meminit luminis gloriæ. Et meritò, quia ſi lumen gloriæ daretur, iam illa contemplatio foret omnino intuitiva, & neceſſaria, quod præſentis quæſiti ſtatum, deſtrueret: quippe ſententia oppoſita non loquitur de cognitione neceſſaria, & intuitiva, ſed de contemplatione libera, & caliginoſa. In quo eius inconſequentiam hactenus oſtendere connati ſumus, quia non poteſt habere eſſentiam divinam vt ſpeciem, & eſſe caliginoſam. Verùm aliud eſt, quòd hoc ex tali poſitione deducatur, aliud verò quòd ipſa poſitio in hoc conſiſtat. Maior autem, in qua poterat eſſe difficultas, eſt expreſſa D. Thom. art. 5. citato, vbi ex duplici capite lumen gloriæ eſſe neceſſarium ad viſionem Dei docet. Primum eſt, quia debet elevare intellectum, vt poſsit formæ intelligibili divinæ vniri. Secundum eſt, quia eſt virtus proxima influens in talem viſionem: ſed quia eſt virtus proxima elicitiva viſionis Dei intuitivæ, non poteſt hæc dari ſine illo: ergo quia eſt diſpoſitio actuans intellectum ad vnionem cum eſſentia divina, gerente munus ſpeciei impreſſæ, non poteſt hæc illi vniri, quin intellectus ſit lumine gloriæ elevatus, proportionatuſque. De hoc tamen videri debent noſtrates ad citatum art. D. Thom. Quia nos ex eorum doctrinis myſtica noſtra aſſerta comprobamus roboramuſque; non autem eorum doctrinas diſputamus.

§. II. *Propono, ac ſolvo argumenta.*

25. CONtr. concluſ. arg. 1. Vnio Dei per modum ſpeciei intelligibilis cum mente contemplantis non implicat nec ex parte Dei, nec ex parte ipſius intellectus: ergo dabilis eſt talis vnio. Conſeq. infertur, & anteced. pro 1. parte probatur: Quia ſicut Deus poteſt vniri, & non vniri menti contemplantis; ita poteſt ei vniri perfectè, & minùs perfectè; atque adeò vt principium contemplationis imperfectæ, quæ non eſt beatitudo perfecta: ergo ex parte Dei nulla adeſt repugnantia ad talem vnionem. *Pro ſecunda parte* prob. idem anteced. Quia nulla apparet repugnantia in eo, quòd intellectus habeat eſſentiam divinam ſibi imperfectè vnitam; ſicut poteſt illam perfectè vnitam habere: ergo ex nullo capite adeſt talis repugnantia.

Reſp. Dictam vnionem repugnare ex omnibus capitibus. Repugnat ex parte intellectus, & ex parte Dei: quia, vt dictum eſt, implicat horum extremorum vnio ſine lumine gloriæ elevante, ac proportionāte intellectum ad illam. Poſito autem lumine gloriæ, non poteſt non dari contemplatio perfecta, quæ vltima beatitudo ſit; atque adeò intuitiva. Ex quo fit conſequens, repugnare talem vnionem etiam ex parte ipſius contemplationis: quandoquidem contemplatio illa foret obſcura, & clara: foret contemplatio viæ, & ſimul contemplatio patriæ. Quæ manifeſtè implicare, negabit nemo.

26. Sed contra, & arguitur 2° Eſto quòd talis contemplatio dependeat à lumine gloriæ, non implicat, quòd ipſum lumen ſit adeò imperfectum, vt ſolummodo poſsit concurrere ad viſionem indiſtinctam, & non claram Dei; ergo poteſt dari contemplatio caliginoſa, & viæ, ad quam concurrat eſſentia Divina per modum ſpeciei intelligibilis. Prob. anteced. lumen gloriæ, vt ipſum ipſius nomen oſtendit, eſt lux,

per

per quam intellectus videt obiectum increatum; sed lux potest esse adeò exigua, vt non manifestet clarè, sed confusè, ac indistinctè obiectum; sicut patet in luce materiali; quæ aliquando ob sui exiguitatem non habet vim ad ostendendum Petrum, vt Petrum, sed sub ratione communi; & confusa entis, animalis, aut etiam hominis: ergo tenet antecedens.

Resp. neg. antec. Ad probation. concessa mai. & omissa min. negetur conseq. Discrimen est, quòd lux materialis non deservit visui corporeo ad ostendendum ei Petrum, quà Petrum, nec quà hominem; sed ad ostendendum corpus perspicuum, seu diaphanum, quod est proprium subiectum lucis, quæ propterea definitur ab Arist. lib. 2 de anima text. 69. per hoc quòd sit: *Actus diaphani, secundum quod est diaphanum.* Hocque est obiectum primarium, & specificativum potentiæ visivæ. Vnde quæcumque lux, quantumvis minima, exhibet visui hoc obiectum: quòd autem tale obiectum sit album, vel nigrum, & potiori iure, quòd sit animal, vel homo, vel Petrus, non ostenditur à lumine materiali, quoad substantiam sumpto; quia illi conceptus non spectant ad rationem specificativam visus; sed ad obiectum terminativum secundarium, seu materiale. Vnde non sufficit substantia lucis, vt videantur; sed requiritur lux intensior, aut vividior. Lumen autem gloriæ elevat intellectum creatum, ita vt obiectum primarium, & specificativum ipsius, quatenus tali lumine perfusi, sit Deus. Vnde quodcumque lumen gloriæ, & si sit adeò exiguum, vt minus perfectum esse non possit, ostendit intellectui clarè Deum, & non caliginosè, sicut dictum est de luce materiali relatè ad corpus lucidum. Et patet etiam in fide, quæ tametsi minima sit, assensum rebus præstat ob testimonium primæ veritatis revelantis. Et hoc ideò est, quia prima veritas est obiectum specificativum fidei Theologicæ. Consequenterque non potest verificari fides Theologica, quin tale specificativum respiciat. Similiter in casu nostro. Vnde exemplum illud lucis materialis nobis non obest, sed favet: quia sicut non potest verificari lux illa, quamquam tenuis; quin sit ostensiva obiecti motivi visus corporei; sic nec lumen gloriæ; quin clarè Deum exhibeat propter dicta.

27. Dices: Deus liberè confert lumen gloriæ, & liberè concurrit cum illo ad claram visionem sui ipsius: ergo post communicationem talis luminis potest facere, quod visio intuitiva non sequatur: ergo etiam potest facere, quod licèt sequatur visio, tamen non sit intuitiva; eòque erit caliginosa Anteced. est omnino certum, ex quo legitimè deducitur 1. conseq. Secunda autem prob. 1. Sicut enim Deus concurrit liberè ad intuitivam contemplationem; sic etiam concurrit liberè ad intuitionem, seu claritatem talis contemplationis: sed quia liberè concurrit ad contemplationem intuitivam, potest hæc non dari, etiam suppositâ collatione luminis gloriæ: ergo pariformiter, suppositâ tali collatione, potest dari contemplatio sine claritate. *Probatur* 2. eadem conseq. Quia non magis connectitur contemplatio intuitiva cum sua intuitione, quàm essentia divina cum se ipsa, vt est ratio creaturarum; sed potest fieri, quòd Beatus contempletur intuitivè naturam divinam, & non vt est creaturarum ratio: ergo potest fieri, quod habens lumen gloriæ contempletur essentiam divinam, & non clarè. Cætera constant, & minor probatur ex communi Thomistarum doctrina asserentium, posse Beatum intuitivè contemplari naturam divinam; quin aliqua creatura cognoscatur: ergo tenet minor. *Probatur* 3. Cum habente charitatem vt quatuor potest Deus concurrere, vt eliciat dilectionem vt quatuor, & etiam potest suspendere illum concursum, & illum solummodò præbere ad charitatis actum vt duo: ergo similiter, potest concurrere cum lumine gloriæ ad contemplationem, & non ad claritatem. *Probatur* denique: Sicut contemplatio elicita à lumine gloriæ infert conceptum clari-

ritatis, sic ipsum lumen gloriæ infert vnionem naturæ divinæ per modum speciei impressæ cum intellectu per tale lumen elevatum; est enim lumen gloriæ vltima dispositio ad talem vnionem, & cum suo Ang. Mag. tenent communiter nostrates; & de ratione vltimæ dispositionis ad aliquam formam est, quod cum tali forma infallibiliter connectatur: sed posito lumine gloriæ, potest Deus non vniri menti illo perfusæ; quin obstet illa intima, ac infallibilis connexio: ergo posito eodem lumine, potest dari contemplatio, quin intuitio detur.

Respond. concess. anteced. & 1. conseq. negando 2. Quæ nulla ex inductis probationibus suadetur; immo illæ omnes ex falsa imaginatione procedunt. Contemplatio siquidem intuitiva non est entitas actus intellectivi cum modo; sed est eadem simplex entitas eiusdem actus, qui nomine incomplexo dicitur *visio*. Quia ergo datur contemplatio abstractiva, & intuitiva; propterea ad significandum secundam contemplationem vtimur vel nomine contemplationis intuitivæ, vel nomine incomplexo intuitionis, seu visionis: sicut ad significandum hominem vtimur vel nomine hominis, vel dicimus animal rationale. Sed sicut rationalitas non est modus, sed differentia specifica; sic claritas non est modus contemplationis intuitivæ: nisi sub illa amplissima consideratione, qua differentiæ aliquando dicuntur modi. Vnde si, & ita est, contemplatio intuitiva est eadem impartibilis visio, nunquam potest elici contemplatio illa sine claritate: quamquàm virtute intellectus præscindentis possit concipi, vt contemplatio, & non vt intuitio: hoc tamen nihil obest in præsenti, vbi non de virtute præscisiva intellectus agimus; sed de virtute physicè productiva. Vnde

Ad 1. probationem resp. Quòd in præsentia luminis gloriæ potest quidem non dari contemplatio intuitiva, Deo suspendente concursum: non tamen potest dari contemplatio caliginosa. Tum quia, vt dictum est, claritas non adiacet contemplationi intuitivæ, sed est differentia specifica illius intuitivæ contemplationis. Tum etiam, quia illa contemplatio caliginosa non habet principium, à quo eliciatur: non à lumine, quia sicut fides non potest videre, sic nec lumen gloriæ potest obscurè procedere. Non à fide, aut ab alio principio petente, aut permittente obscuritatem: quia si lumen gloriæ collatum est per modum habitus, iam omnia illa evacuata sunt, & ipsa principia, quæ obscuritatem permittebant, iam illam positivè excludunt. Si autem communicatum est per modum transeuntis; cum illo, vt sic communicato, non compatitur actus principij obscuri. In casu tamen obiectionis, quòd Deus videlicet conferat lumen gloriæ per modum transeuntis, & quòd suspendat actum eius, tunc licèt possit dari contemplatio caliginosa, non elicitur à lumine gloriæ, sed ab alio principio, nec in ipsam influet natura divina munus speciei gerens, sed aliæ species propriæ illius *principij elicientis*. Vnde illa vnio naturæ divinæ cum intellectu perinde erit ad illum actum, ac si non adesset, ex quo nihil concluditur contra nos.

Ad 2. probationem constat ex dictis, contemplationem intuitivam non connecti cum claritate; sed esse eandem simplicem entitatem, cuius conceptus licèt præscindi possint ab intellectu; non tamen causari potest vnus sine alio. Et etiam si possit dari contemplario Dei, quæ intuitiva non sit; causari tamen non potest à lumine gloriæ propter dicta. Cuius contrarium evenit in contemplatione essentiæ divinæ, nulla visa creatura. Tunc enim datur obiectum proprium luminis, & intellectus illud elevantis, nimirum Deus, qui clarè videtur; licèt nulla creatura videatur. Per quod ostenditur magnum discrimen adesse inter rem de qua agimus, & doctrinam illam nostrorum Thomistarum, de qua videndus est Mag. Ferre tom. 1. tract. 3. q. 12. §. 5. Et si paritas illa aliquid conviceret, probaret vtique, omnes Beatos eadem creaturas videre in divina essentia: immo

mo omnes illos omnes videre, quæ in essentia divina continentur: cùm ipsa divina essentia prout has, & illas, & omnes continet, sit prorsus idem.

Ad 3. negetur conseq. Quia dilectio vt duo habet in illo iusto principium a quo eliciatur, scilicet charitatis habitum. In habente autem lumen gloriæ non datur principium elicitivum contemplationis caliginosæ; vel si datur, tale principium non est lumen gloriæ, sed aliud. Lumen quippe gloriæ influere non valet in talem contemplationem, vt dictum est.

Ad vltim. prob. dicas: Falsum esse, quòd contemplatio intuitiva inferat, seu connectatur cum claritate, vt ex dictis patet. Non enim datur contemplatio intuitiva sine claritate constituente, & conceptum communem contemplationis determinante. Nec id quod dicitur de lumine gloriæ, & essentia divina, est adeò certum: alij enim affirmant, quòd posito lumine gloriæ, non potest non vniri essentia divina, vt species intelligibilis: quia infusio luminis est ipsa essentiæ divinæ vnio, vt docent P. P. Salmant. tract. 2. disp. 2. dub. 2. num. 63. Alij autem autumant, quòd de posse absoluto potest infundi lumen quin essentia divina vniatur, de quo videri potest Mag. Ferre. Sed quicquid sit de hoc, nihil obiectio cõcludit; quia etiam stante hac secunda opinione infuso lumine gloriæ, & non vnita specie illa divina: nulla alia species vnietur virtute illius dispositionis positæ: & hoc ideò, quia lumen gloriæ solùm est dispositio pro vnione illius formæ increatæ; ergo pariformiter, licèt posito lumine gloriæ non sequatur cõtemplatio intuitiva; virtute tamen eius non habebitur contemplatio caliginosa; & hoc ideò, quia lumen gloriæ solius contemplationis intuitivæ Dei est virtus proximè elicitiva.

QUÆSTIO QVARTA.

Vtrùm in contemplatione possit dari species impressa Deum quidditativè; abstractivè tamen repræsentans?

LOquimur de cõtemplatione viæ; sed non de contemplatione, quæ spectet præcisè ad statum naturæ reparatæ; nec de contemplatione hominis præcisè. Per primum extenditur nostra consideratio etiam ad statum innocentiæ. Per secundum etiam viatores Angelos comprehendit. Et sermo est, attentis naturis obiecti repræsentati, & repræsentantis speciei. Vnde non loquimur solummodò iuxta providentiam ordinariam; sed etiam inspecto posse absoluto Dei. Ex quibus in vnum collectis infertur, quæstionis titulum sic esse paraphrasandum: an secundùm ordinariam, vel absolutam Dei potentiam possit, vel potuerit mens Angeli viatoris, vel hominis viatoris, etiam ad quemcumque viæ statum pertinentis, recipere speciem intelligibilem, quæ Deum immediatè, & quidditativè; non tamen intuitivè, sed abstractivè tantùm repræsentet.

§. I. *Sententias refero, & præfero Angelicam.*

28. NOn est opus præfibare, contemplationem dividi in *quoad an est*, & *quoad quid est*, quarum 1. est contemplatio obiecti attacti per connotationem ad aliud obiectum, quod est proprium, & motivum talis contemplationis. Secunda verò contemplatur obiectum motivum, & immediatè attactum ab ipsa, ob hocque dicitur quidditativa, quia ipsam obiecti quidditatem intuetur. Hæc autem quidditativa contemplatio bipartitur in abstractivam, & intuitivam. Prima abstrahit à præsentia obiecti, quam secunda

cunda indiſpenſabiliter dicit ; quippe terminatur ad obiectum exiſtens , & ſibi coexiſtens. Hæc omnia vel ex ſumulis nota ſunt , vbi de notitijs diſputatur. Vnde in præſenti hæc non explicanda ſunt, ſed ſupponenda.

Similiter non loquimur de ſpecie creata Deum intuitivè repræſentante. Quia hæc diſputatio eſt purè Scholaſtica ; taleſque in hoc opere myſtico recuſamus. Præſertim cùm à nullo myſticorum hoc examinatum videam. Et ſanè nulla in hoc difficultas occurrere cuique poteſt, quam diſcuſſam non reperiat apud noſtros Thomiſtas 1. p. vbi fuſiſsimè, ac ſolidiſsimè hanc controverſiam examinant. Quamobrem ſolùm de ſpecie abſtractivè repræſentante Deum agimus ; quia de hac video Myſticos diſputare , ſicut & Scholaſticos, in variaſque ſententias abire.

29. Prima ſententia docet, dari in ſublimiſsima contemplatione ſpeciem creatam, quæ quidditativè, abſtractivè tamen , Deum repræſentat. Sic conſequenter ad ſua principia diſcurrunt ij omnes , qui pro intuitiva Dei viſione, ſpeciem creatam ſufficere , autumant. Ex alijs verò , qui talem ſpeciem creatam ad facialem Dei viſionem impoſſibilem rentur , concedunt ſpeciem quidditativam in contemplatione abſtractiva Scotus cum ſua ſubtili Schola; quæ diviſa eſt; nam alij, licèt concedant hanc ſpeciem abſtractivam à ſuo Duce aſſertam ; negant tamen intuitivam: alij verò dicunt, non poſſe concedi ſpeciem abſtractivam ; quin intuitiva pariter adſtruatur. In eadem ſententia eſt Dionyſ. Carthuſ. ſup. cap. 5. myſtic. Theolog. Div. Dionyſ. art. 8. vbi pro ſe adducit D. Auguſtin. D. Bonav. & Ang. Præcept. Immo & oraculum Sanctum apud Job dicens Deum habere in manibus ſuis abſconditum lumen, quod ſuis dilectis oſtendit quando, & modo, quo ſibi placet. Vnde alijs ſe intuitivè contemplandum exhibet, vt omnibus Beatis , & viatoribus illis , quibus , tranſeunter tamen , contulit lumen gloriæ. Alijs autem ita lumen illud manifeſtat, vt minùs, vel magis ficiali contemplationi ipſorum contemplatio apropinquet. Quæ luminis exhibitio talis eſſe poteſt , vt ſit inter infimas ſuprema, indidemque ſit inter ſupremas infima. Quo circa cùm ſuprema omnium contemplatio Deum clarè , & quoad ſibi particularia intueatur , contemplatio inter infimas ſuprema illa erit , quæ Deum non clarè videat, ſed quæ ipſum quidditativè,& quoad ſibi communia, ſubindeque obſcurè , contempletur. Sicut homo,qui poteſt cognoſci ſecundùm ſua prædicata metaphyſica , nedum communia , verùm etiam differentialia, vt cùm cognoſcitur per ſuam eſſentialem diffinitionem : & poteſt cognoſci etiam ſecundùm prædicata communia præciſè.

Meditatò in hac opinione ſic explananda iuxta Carthuſiani mentem ſpatiatus ſum , vel ipſum exemplum, quo vtitur adducens , nè in verbis ipſius , vel aliorum eum ſequentium contrarium eſſe, quis aſſerat. Loquitur enim Dionyſ. de cognitione quidditativa Dei obſcura. Quod ſuadet exemplum illud hominis modò allatum. Suadet etiam; quòd doceat, in tali contemplatione cognoſci Deum immediatè immediatione obiecti; ſed non immediatione ſpeciei. Per quæ & ſpeciem diſtinctam à Deo adſtruit, & illam ſpeciem eſſe propriam alterius obiecti , ad cuius inſtar Deus cognoſcatur , negat : aliàs ipſum obiectum mediaret. Hæc ſunt , quæ aſſerit Carthuſ. toto illo art. 8. & ex his conſtat , ipſum concedere ſpeciem , de qua loquimur. Nec hoc infrigitur per hoc , quòd aliquando aſſerat ibidem , cognitionem, de qua ibi agit, eſſe *quia eſt*, vel ex effectibus; non autem *quoad quid eſt*. Ipſe enim clarè ſe explicat , per contemplationem *quoad quid eſt* intelligens contemplationem intuitivam. Quòd ſi in verbis huius authoris aliqua contradictio deprehendatur , noſtra non refert ipſius conciliatio.

Carthuſianum ſequitur, ac illuſtrat, defenditque inſign. Theologus N. Thom. à Jeſu de div. contempl. lib. 5. cap. 14. vbi non ſolùm in dictam ſen-

tentiam *maximè propendit*, vtî asserit Discept. Mystica, sed illam clarissimè defendit. Videatur toto eo cap. vbi inter alia ait: *Cognitio quid est, est duplex.* Prima, quando cognoscimus rem secũdùm prædicata generalia, vt cùm de homine cognoscimus esse animal. Secũda, quando cognoscimus per prædicata specialia, vt cùm hominẽ cognoscimus per suã definitionẽ. Deum igitur in hac contemplatione mysticæ Theologiæ cognoscimus, non solùm quantum ad *quia est*, sed etiam quantum ad *quid est*, si loquamur de cognitione quidditativa vniversali, & confusa, ac proinde per magnam appropinquationem ad notitiam quidditativam perfectam: est enim ista cognitio altissima, clarissima, perfectissima, ac profundissima Deitatis contemplatio, notitia, & visio huic vitæ possibilis, vt magnus Dionys. & eius *expositores testantur*. Hactenus egregius iste Doctor; cuius verba perspicuè ostendunt, ipsum in hac sententia esse.

Secunda talem speciem negat, quæ sententia communissima est inter Thomistas Mysticos, & Scholasticos. Illam tuentur nostri Salmant. tract. 7. disp. 6. dub. 4. §. 1. & tract. 21. disp. 19. dub. 4. num. 50. & Discept. myst. tract. 3. q. 3. art. 3. Et meritò sententia hæc communis inter Thomistas est; cùm eam doceat Ang. noster Doct. pluribus in locis, quorum nonnulla subijciemus. Vnde in hac eadem sententia sum: ideòque

30. Sit nostra concl. *Non datur species creata quidditativè abstractivè Deum repræsentans.* Prob. 1. assertio ex D. Thom. q. 10. de verit. art. 11. in corp. dicente. *Mens nostra naturali cognitione, quam in statu viæ experimur, nec Deum, nec Angelos per essentiam videre potest. Angeli tamen per essentiam videri possunt per quasdam species intelligibiles ab eorum essentia differentes; non autem essentia divina, quæ omne genus excedit, & est extra omne genus, vt sic nulla species creata possit inveniri sufficiens ad eam repræsentandam.* In eodem art. ait: *Ad 4. dicendum quòd intellectuali visione in statu viæ Deus cognoscitur, non vt sciatur de Deo quid est, sed quid non est: & quantum ad hoc eius essentiam cognoscimus, eam super omnia collocatam intelligentes, quamvis talis cognitio per aliquas similitudines fiat.* Idem docet Doct. Sanct. alijs in locis, quæ, quia eundem sensum continent, non adducimus.

Igitur ex prima authoritate constat: Essentiam divinam ob sui incomprehensibilem eminẽtiam in nulla specie increata posse quidditativè repræsentari; nè dum, vt intuitivè inspiciatur; verùm etiam nec, vt abstractivè contempletur. Hoc est, quod datum testimonium dicit, & quod fundamentum, cui innititur, suadet, vt mox videbimus. Secundum testimonium clariùs adhuc loquitur. Ex illo enim docemur, quòd non semel in superioribus traditum à nobis est, videlicet, perfectiorem contemplationem huius vitæ attingere Deum quo ad *quid non est*: quæ cognitio non est quidditativa, vt de se constat. Vnde nulla viæ cognitio de Deo est quidditativa, & immediata; subindeque non datur species quidditativè, & abstractivè Deum repræsentans. Vt quid enim daretur species, si cognitio repugnat?

31. Dices 1. D. Thom. loqui de contemplatione naturali, vt demonstrant priora illa primæ authoritatis verba: *Mens nostra naturali cognitione.* Sic enim certissimum est, Deum à nobis non cognosci quidditativè; proindeque nec dari speciem naturalem ipsum sic repræsentantem. Hinc tamen perperàm dicitur, quòd species supernaturalis influens in contemplationem supernaturalem non repræsentet Deum quidditativè abstractivè menti illum supernaturali, & sublimissima contemplatione cognoscenti. De hacque supernaturali specie loquitur adversa opinio.

Resp. Falsum esse, Div. Thom. loqui de contemplatione naturali, vt patet ex secunda authoritate, & ex toto illo art. Ipse enim Doct. Sanct. affatim se ipsum explicat, vt enim ostenderet, se non loqui de cognitione naturali, de

qua

qua obiectio procedit, addidit: *Quam in ſtatu viæ experimur.* Vnde illam contemplationem naturalem vocat, *quam in ſtatu viæ experimur*, ad differentiam contemplationis patriæ, quæ eſt ſuprema adhuc inter contemplationes ſupernaturales. Fundamentum autem, quod ſuſpicamur habuiſſe Div. Thomam, vt omnem cōtemplationem viæ dicat naturalem, & ſolam contemplationem patriæ ſupernaturalem, deduci valet ex doctrina eiuſdem Sanctiſsimi Præceptoris, apud quem inſuetum non eſt, dicere, viſionem claram Dei ſoli Deo eſſe prorſus connaturalem; non autem homini, aut Angelo. Sic enim loquitur 1. p. q. 12. art. 4. & 3. p. q. 9. art. 4. in fine corp. vbi ait: *Scientia vero beata, per quam ipſa Dei eſſentia videtur, eſt propria, & connaturalis ſoli Deo.* Si ergo ſoli Deo connaturalis eſt; infertur, quòd non ſit homini connaturalis. Quod intelligendum eſt de homine etiam lumen gloriæ habente. De quo P. P. Salmant. tract. 2. diſp. 2. num. 170. Sumpto ergo naturali prout eſt idem ac connaturale, omnis, & ſola contemplatio viæ eſt homini naturalis; eò quòd contemplatio patriæ eſt *connaturalis ſoli Deo.*

Aut fortaſſe prima contemplatio dicitur abſolute naturalis, & non ſecunda, quia anima, quæ vtriuſque principium radicale eſt, dum eſt in via, eſt in ſtatu ſibi penitus naturale: in ſtatu autem ſeparationis, in quo elicit ſecundam contemplationem, non eſt in ſtatu ſibi prorſus naturale, vt docet idem Ang. Doct. 1. part. quæſt. 89. art. 1. & quæſt. 118. art. 3. in corp. vbi ait: *Si enim animæ naturale eſt corpori vniri, eſſe ſine corpore eſt ſibi contra naturam, & ſine corpore exiſtens non habet ſuæ naturæ perfectionem.* Idem tradit 1. 2. q. 4. art. 5. & in 2. d. 1. q. 2. art. 4. ad 5. & opuſc. 3. cap. 152. vbi ait: Separationem à corpore eſſe animæ quodammodo naturale, & quodammodo contra naturam. Ob hoc ergo ſola illa operatio, quæ convenit animæ, prout eſt in ſtatu ſibi prorſus naturali, poteſt dici naturalis; non autem illa, quæ animam in ſtatu non prorſus ſibi naturale ſupponit.

Sed eſto, quòd D. Thom. loquatur de contemplatione merè naturali, prout hoc nomine excluditur contemplatio ſupernaturalis, idem quoad præſens iudicium de vtraque ferendum eſt. Eò enim ſpecies in contemplationem naturalem influens non poteſt Deum quidditativè repræſentare; Quia eſſentia divina *omne genus excedit, & eſt extra omne genus, vt ſic nulla ſpecies creata poſſit inveniri ſufficiens ad eam repræſentandam.* Hoc autem nè dum relatè ad ſpeciem naturalem verùm eſt; ſed etiam relatè ad quamcunque aliam ſpeciem creatam, quantumvis ſublimis aſſeratur. Vnde ex quo D. Thom. ob datum motivum neget, ſpeciem creatam naturalem (etiam ſi de ſola illa loqueretur) poſſe Deum repræſentare: ex eodem motivo omnis alia ſpecies creata deſervire non poteſt, vt Deus quidditativè repræſentetur.

32. Dices 2: D. Thom. loqui de ſpecie creata à rebus accepta. Agit enim ibi Doct. Sanct. de ſpeciebus à phantaſmatibus abſtractis, vt intuens deprehendet. Intellectus autem noſter non ſolùm his ſpeciebus vtitur ad contemplandum; ſed etiam alijs ſpeciebus omnino infuſis, vt conſtat ex dictis in hac diſp. q. 2. ergo cum his ſpeciebus omnino infuſis informatus contemplatur, non negatur ab adducto Divo Thoma, quòd Deum quidditativè cognoſcat.

Reſp. breviter ex dictis, 1. falſum eſſe, D. Thom. ſolummodo loquī de ſpeciebus à rebus acceptis: de omnibus creatis ſpeciebus loquitur, vt conſtat ex 2. authoritate, & ex alijs, quæ ibi docet. *Secundò* autem dicas: quòd etiam ſi de ſpeciebus illis loqueretur; fundamentum autem non ſolùm illas, ſed omnem ſpeciem comprehendit, vt dictum eſt.

33. Vltimò dices: Ang. Doct. intelligi debere de ſpecie deſerviente ad contemplationem intuitivam: de hac enim ibi eſt ſermo, vt notum eſt ex ipſa lectione textus. Ad hanc ergo intuitivam

vam contemplationem ſpeciem creatam non dari, fatentur ex adverſarijs plurimi. Aſt quòd pro contemplatione abſtractivæ, etſi quidditativæ, deſervire non poſsit ſpecies creata, nec à D. Thoma edocetur, nec motivum adeſt, vt hoc negetur de tali ſpecie.

Reſp. Secundum teſtimonium ità perſpicuè futilitatem, & falſitatem factæ obiectionis oſtendere, vt mirum ſit, viros doctos ſic mentem Ang. Præceptoris exponere. Videatur dictum teſtimonium poſitum num. 30. Verùm quia in diſcrimine, quòd adverſarij comminiſcuntur inter ſpeciem intuitivam, & abſtractivam quidditativam Dei, eſt in quo omnem ſuam vim collocant, & quo ſuam opinionem ſartam, tectamque eſſe credunt; propterea, vt plumbeus hic recurſus diſsipetur, aſſertum noſtrum probabimus diſcurſibus, qui tale ſuffugium aereum eſſe demonſtrent, ſicque facta obiectio funditus evertitur.

§. II. *Duplex ratio pro aſſertione ſuadenda proponitur.*

34. PRob. 2. noſtra concluſ. à ratione ſic: Implicat ſpecies creata intuitivè Deum repræſentans: ergo & implicat ſpecies creata quidditativè abſtractivè Deum repræſentans. Anteced. admittitur à pluribus, quos modò adverſarios habemus, & contra alios, qui illud negant, eſt authoritas D. Thom. & Thomiſtarum concenſus. Deinde prob. conſeq. Quia omnia inconvenientia, quæ dantur, vt non admittatur ſpecies creata ad contemplationem intuitivam, pariter vrgent, in ſpecie pro contemplatione abſtractiva: ergo ſicut negatur prima, debet negari ſecunda. Prob. anteced. eò denegatur prima, quia ſpecies debet convenire cum obiecto motivo in eodem gradu immaterialitatis, debet habere eandem naturam obiecti, immo eſt ipſum obiectum in eſſe intelligibili, quæ omnia, & ſingula repugnant creatæ ſpeciei, ſi obiectum primariò attactum eſt Deus: atqui hoc ipſum verificatur de ſpecie abſtractiva: ergo tenet antecedens. Bona eſt conſeq. & mai. conſtat ex ijs, quæ paſsim noſtrates docent, tum ab authoritate, tum à ratione, præſertim 1. p. q. 12. art. 2. Min. autem probatur. Quia ſpecies abſtractiva, ex eo, quòd quidditativa ſit, eſt ſpecies propria obiecti, eſt eius vicaria, ab ipſoque immittitur potentiæ: ſed ad hæc requiritur, quòd conveniat cum obiecto in gradu immaterialitatis, quod habeat eandem naturam cum illo, & quod ſit cum eo idem in ordine intelligibili: ergo id ipſum, quòd dicitur de ſpecie contemplationis intuitivæ, propter quod non poteſt ſpecies creata deſervire ad contemplationem intuitivam obiecti increati; verificatur etiam de ſpecie influente in contemplationem quidditativam abſtractivam: conſequenterque cùm obiectum quidditativè attactum eſt increatum nulla, ſpecies creata deſervire poteſt pro huiuſmodi attactione. Cætera conſtant, & maior, in qua diſsidium eſſe poteſt, eſt omnino certa: quia ſpecies illa alicuius obiecti vicaria eſt, naturamque repræſentat: ſed ex quo ſit quidditativa non datur aliud obiectum, quod repræſentet, niſi illud, quod quidditativè cognoſcitur; aliter non quidditativè cognoſceretur, ſed connotativè, & ad inſtar alterius obiecti mediantis, ac moventis; vt evenit in cognitione, quam viatores habemus de Deo, quæ quidditativa non eſt; hæc enim non eſt ſpecies propria Dei cogniti, ſed illius obiecti, ad cuius inſtar cognoſcitur: ergo ſpecies quidditativè Deum repræſentans, quamquam abſtractivè repræſentet, eſt ſpecies propria Dei, cum ipſoque dicit convenientiam in gradu immaterialitatis, & denique omnia alia habet, quæ in ſpecie creata dari impoſsibile eſt.

35. Confirmatur 1: ac declaratur hæc ratio: Etenim quòd ſpecies contemplationis intuitivæ ſit propria obiecti contemplati, aliaque iam dicta habeat, quæ non iteramus, nè terminos multiplicemus, non convenit illi, quia ſpecies

cies eſt, nec quia intuitiva eſt; ſed quia ſpecies quidditativa: ergo ſpecies quidditativa ex eo, quòd quidditativa ſit, habet, quòd ſit propria obiecti contemplati. Trimembre eſt anteced. Cuius 1. pars inde conſtat, quòd ſi illa competerent ſpeciei intuitivæ; quia ſpecies, omni ſpeciei pariter convenirent. Ex quo evidenter habetur, quòd ſpecies deſerviens contemplationi intuitivæ non habet, quòd ſit propria obiecti contemplati ex ratione communi ſpeciei; ſed ex alio conceptu particulari: qui quidem conceptus (& ſic prob. 2. pars antecedentis) non eſt conceptus ſpeciei intuitivæ. Et ratio eſt: Quia priuſquam ſpecies conſideretur vt intuitiva, conſideratur, vt quidditativa: quandoquidem priùs eſt quòd ſpecies quidditatem repræſentet abſtrahens ab ipſius præſentia, quàm quòd repræſētet quidditatem, vt determinatè præſentem. Ex hoc ergo quòd ſpecies quidditatem repræſentet, debet immiti ab obiecto, cuius quidditatem repræſentat, eſtque ipſius vicaria, naturamque continet: quæ omnia, & ſingula conſiſtere haud poſſunt, ſine eo, quod talis ſpecies ſit propria obiecti per ipſam repræſentati. Per quæ omnes tres partes propoſiti anteced. conſtat: indidemque habetur, nullam ſpeciem creatam poſſe ad quidditativam Dei contemplationem deſervire; quia nulla ſpecies creata poteſt eſſe propria Dei.

36. Confirmatur 2. percurrendo omnes omnium ſpecierum immaterialitates proprijs obiectis correſpondentes. Etenim prima eſt rerum ſenſibilium, quæ ſenſibus ineſt: & hæc repræſentat ſingularia materialia, quæ ſunt illarum ſpecierum propria obiecta. Secundæ ſpecies ſunt abſtractæ à conditionibus individuantibus ope intellectus agentis, tamquam cauſæ principalis, & phantaſmatum veluti inſtrumentorum: & iſtæ repræſentant quidditatem materialem ſeparatam à conditionibus individuantibus. Aliæ ſunt ſpecies à phantaſmatibus non abſtractæ, nec abſtrahibiles; ſunt enim omnino ſpirituales: habent tamen admixtam potentialitatem, quatenus ſunt ſpecies illorum obiectorum, quæ admittunt compoſitionem tum metaphyſicam ex genere, ac differentia; tum phyſicam ex eſſentia, & exiſtentia: Et hæc obiecta ſunt Angeli. Præter has ſpecies non datur niſi vna alia, ſicut non datur niſi vnum aliud ens, nempe increatum; quæ ſpecies ab omnibus alijs diſcriminatur per hoc, quod eſt actus purus, eſt ſuum eſſe, & non permittit, nedum materialitatem, verùm nec minimam potentialitatem. Hæc ſpecies eſt eſſentia divina, cuius proprium obiectum eſt ipſamet: atqui omnes iſtæ ſpecies conveniunt cum obiectis, quæ quidditativè repræſentant, in eodem gradu immaterialitatis, habentque eandem naturam cum ipſis; etiam ſi plures ex illis abſtractivè repræſentent ſua obiecta: ergo de ratione ſpeciei quidditativè repræſentantis; etiam ſi abſtractivè repræſentet, eſt, quòd ſit propria obiecti per ipſam repræſentati. Quiaque nulla ex aſſignatis ſpeciebus, præter vltimam, eſt propria Dei, propterea per nullam aliam ab ea diverſam, poteſt Deus quidditativè repræſentari.

37. Conf. tandem à paritate: Implicat hominem contemplari Angelum quacumque quidditativa contemplatione per ſpeciem propriam cognitionis humanæ, nempe per ſpeciem abſtractam à phantaſmatibus: ergo implicat, hominem Deum immediatè contemplari per ſpeciem, quæ non ſit propria ipſius Dei. Modò ſic: Sed non datur alia ſpecies Dei propria, niſi ipſa eſſentia Dei, vt patet ex num. præcedenti: ergo per nullam aliam ſpeciem poteſt Deus immediatè, ſeu quidditativè repræſentari.

38. Dicis: Hominem non ſolùm intelligere phantaſmata ſpeculando, ſed etiam alia ſuperiori cognitione ad modum videlicet Angelorum. Ex quo duo ſequuntur: Primum eſt, quòd hæc tertia confirmatio nihil probat. Secundum eſt, quòd ſecunda non enumerat omnia genera ſpecierum; ſiquidem hoc non enumerat.

Reſ-

Respond. hanc obiectionem non posse aliunde provenire nisi ex siniſtra dictorum intelligentia. Contra eam tamen disputo sic 1. eò non potest Angelus contemplari quidditativè ab homine per speciem à phantasmatibus abstractam; quia illa species est omnino inferior Angelo: sed quæcumque species creata est omnino inferior Deo: ergo per nullam speciem creatam potest Deus quidditativè contemplari. *Disputo* 2. detegendo fundamentum huius repugnantiæ, eò non potest species à phantasmatibus abstracta deservire ad cognitionem immediatam Angeli; quia illa species est materialis, & Angelus non potest verè cognosci nisi sine immaterialitate: sed quæcũque species creata, quantumvis perfectissima, & spiritualissima asseratur, est potentialis, & Deus non potest immediatè contemplari nisi sine immaterialitate, & potentialitate: ergo.

Disputo 3. Magis distat adhuc in esse repræsentantis, & repræsentabilis species creata à repræsentabili increato, quàm species materialis à repræsentabili potentiali; quandoquidem ibi, & non hîc datur distantia infinita: sed sine hac distantia non potest species materialis repræsentare quidditativè naturam potentialem materialitatis expertem: ergo potiori iure species creata nequit quidditativè repræsentare naturam increatam. *Quarto denique disputo*: Quia id, quòd continet data obiectio, est expressè contra Div. Thom. num. 30. allegatum. Ibi enim, ait Doct. Sanct. quòd licèt homo non possit quidditative contemplari Angelos per species à phantasmatibus abstractas; potest tamen illos quidditativè cognoscere per aliam speciem superiorem: quod relatè ad Deum evenire posse, negat; eò quòd non datur creata species, quæ ipsum valeat, prout est in se, repræsentare.

Constat ex dictis nostras confirmationes non continere defectus illos, qui obiectantur: nec in secunda omissum fuisse illum specialem modum cognoscendi. Quia si ille modus est proprius Angelorum, iam de Angelis, & eorum speciebus factus est sermo. Vltraquam quòd nostra conclusio non solùm procedit de homine contemplante, sed etiam de Angelo viatore. Vnde si viator Angelus non potest notitiam quidditativam habere de Deo per speciem creatam, pariter nec homo illam habere potest.

39. Inspeximus discursibus præcedentibus speciem Deum quidditativè repræsentantem, maiori ex parte, prout est species propria Dei repræsentati, qui quia nullam speciem creatam respicere, vt sibi propriam, potest; propterea ex hoc principio, quod commune est cuicumque speciei repræsentanti, probavimus, impossibile esse, speciem aliquam creatam Deum quidditativè repræsentare posse. Modò autem hanc ipsam impossibilitatem aliunde probare oportet, & ostendere adversariorum positionem fore prorsus implicatoriam. Igitur.

Prob. 3. assertio sic: Implicat species repræsentans quidditativè Deũ, quæ ipsum non repræsentet intuitivè: ergo implicat species creata, quæ Deum quidditativè, abstractivè tamen repræsentet: ergo adversarij volẽtes speciem creatam posse Deum repræsẽtare quidditativè abstractivè, rem implicantem tuentur. Secunda conseq. constat ex prima, & hæc ex anteced. Quod probatur: Quia species repræsentans quidditativè obiectum vt præsens, existens, ac sibi coexistens, repræsentat ipsum intuitivè: sed species, quæ Deum quidditativè repræsentaret; repræsentaret ipsum vt præsentem, existentem, & sibi coexistentem: ergo intuitivè. Conseq. est omnino formalis. Maior est omnino apud ipsos etiam adversarios certa; & min. prob. Species repræsentans existentiam Dei, repræsentat Deum vt præsentem, existentem, ac sibi coexistentem; sed species repræsentans quidditativè Deum, repræsentat Dei existentiam, quandoquidem existentia Dei est eius quidditas, nec potest Deus quidditativè repræsentari, quin ipsius existentia repræsentetur; aliter enim repræsen-

ſentaretur quidditativè, & non quidditativè: repræſentaretur quidditativè, vt ſupponitur: non repræſẽtaretur quidditativè, quia non repræſẽtaretur ipſa Dei repræſentati quidditas, quæ quidem eſt exiſtẽtia ipſius: ergo vera eſt illa minor.

40. Conf. ac declaratur ratio facta. Implicat quòd intellectus Deum contempletur quidditativè, & non intuitivè: ergo implicat, quòd ſpecies Deum repræſentet quidditativè, & non intuitivè. Conſequentiam ſuadet paritas; id enim ipſum, quod intellectus cognoſcit, & modo, quo cognoſcit, eſt quod in ſpecie repræſentatur. Antec. autem prob. Contemplatio quidditativa Dei attingit ipſam Dei eſſentiam; atque adeò exiſtentiam, quæ, vt dictum eſt, eſt Dei eſſentia: ſed contemplatio attingens Dei exiſtentiam eſt intuitiva: ergo. Conſeq. infertur, & min. negari non debet: in hoc enim diſcriminantur contemplatio abſtractiva, & intuitiva, quòd prima attingit obiectum præſcindens ab exiſtentia; ſecunda verò ipſam obiecti exiſtentiam attingit. Mai. autem conſtat de ſe, & ex dictis num. præcedenti.

41. Dices cum aliquibus Scotiſtis, & Myſticis: Factam rationem cum ſua confirmatione concludere, ſi ſermo ſit de cognitione adæquata Dei, non autem de cognitione inadæquata: in hac enim cùm non attingatur totum obiectum, non repugnat, quòd exiſtentia non attingatur; conſequenterque nec implicat, quòd abſtractivè contempletur.

Reſp. cum noſtris Salmant. loco citato ex tract. 21. Cognitionem inadæquatam obiecti non bene convenire cum cognitione quidditativa eiuſdem. Sed eſtò, quòd talis inadæquata cognitio detur, reddit totum argumẽtum. Quandoquidem quodcumque prædicatum divinum eſt eſſentialiter ſuum eſſe; eòque non poteſt quidditativè contemplari, quin ipſius exiſtentia cognoſcatur. De quo, quia hîc eſt vnicus adverſariorum recurſus, multoties §. ſequenti ſermo reddibit. Interim videri poſſunt citati Salmant. Hic tamen omittere nolumus: Myſtas nobis contrarios docere, contemplationem quidditativè, licèt abſtractivè Deum attingentem eſſe inter omnes huius viæ contemplationem perfectiſsimam. Hoc dicunt, & meritò: Si namque talem contemplationem admitteremus, vtique illam diceremus, inter ſublimiores huius exilij contemplationes perfectiſſimam. Hæc tamen non dicimus, quia talem contemplationem, nec ſpeciem admittimus. Illaſque non admittimus; quia, præter dicta, contemplatio omnium huius viæ perfectiſsima eſt negativa, vt multoties traditum à nobis eſt cum vnanimi Myſticorum ſenſu in hac veritate convenientium. Contemplatio negativa, quæ omnes alias ſuperat, non intuetur conceptum, ſeu prædicatum inadæquatum Dei, ſed ſimul, ac ſemel in totum illud infinitarum perfectionum pelagus fertur, ibique æternæ dulcedinis gaudia deguſtans dulciter deliciatur. Hæc eſt contemplatio negativa, quæ quidem Deum attingit non ſub hoc, aut illo particulari conceptu; ſed in conceptu vniverſali, & cum negatione cuiuſcumque perfectionis à mente creata cognoſcibili, totum illud infinitarum, pariterque ineffabilium perfectionum centrum adorat. Hanc ipſam contemplationem aliarum principem etiam opinio modò nobis adverſa, dum de ipſa loquitur, confitetur: modò autem vult, ſublimiorem viæ contemplationem eſſe illam, quæ non ſub conceptu illo vniverſali procedit; ſed quæ Deum ſub diſtincta, aut inadæquata aliqua ratione, conceptuve, intueatur. Doctrinæ deſidero cōſequẽtiã.

§. III. *Argumenta diluo.*

42. CONtra propoſitum aſſertum arguit 1. Carthuſ. adducens illud Job cap. 36. vbi dicitur de Deo: *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei, vt rurſus adveniat. Annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* Vbi per lucem illam, quam Deus iam *in manibus abſcondit*, iam amicis ſuis oſtendit, intel-

ligit

ligit inibi D. Thom. lucem ſpiritualem, quæ quidem contemplatio eſt. Hanc ergo lucem, vel totam abſcondit Deus, vel per gradus oſtendit perfectiſsimis animabus: ergo poteſt ſic illam lucem manifeſtare, vt ipſe Deus quidditativè cognoſcatur, ſed non intuitivè: ſic enim Deum contemplari non ſpectat ad exules, ſed ad Beatos.

Quod confirmari, ac roborari poteſt ex illo communi effato, videlicet, ſupremum infimi attingit infimum ſupremi: ſed infima inter contemplationes patriæ eſt contemplatio quidditativa abſtractiva Dei: ergo ſuprema contemplatio viæ poteſt attingere hanc infimam patriæ contemplationem; conſequenterque poteſt cõtemplari Deum quidditativè abſtractivè: ac ſubinde dabilis eſt ſpecies impreſſa, quæ in hanc contemplationem influat, Deum quidditativè abſtractivè repræſentans. Sic arguunt præiactus Dionyſ. noſtr. que Thom. à Jeſu.

Reſp. Ex textu illo Job nihil colligi poſſe, quo ſententia oppoſita ſuffulciatur. Admittimus quidem verba illa intelligi poſſe de contemplatione, vel de ſpecie impreſſa, qua intellectus illuminatur. Hoc omne licèt concedamus, nihil contra nos habetur: negamus enim conſequentiam. Quippe lux illa poterit vtique manifeſtari per ſublimes, ac ſublimiores gradus, quibus contemplatio abundat, nunquam tamen perveniet ad manifeſtandum Deũ menti creatæ quidditativè abſtractivè; quia huiuſmodi manifeſtatio repugnat ex duplici capite. Primùm ex parte ſpeciei. Secundùm ex parte obiecti. Ex parte quidem ſpeciei; quia ſi repræſentat quidditativè Deum, debet eſſe propria Dei; quod ſpeciei creatæ convenire non valet, vt dictum eſt. Ex parte etiam obiecti hoc idem implicat; quia cùm tale obiectum ſit ſuum eſſe, non poteſt quidditativè, & non intuitivè repræſentari, aut contemplari, vt vidimus §. præcedenti. Hæc dicimus, permittentes in illo textu ſermonem eſſe de contemplatione, quod ægrè ſuadebunt contrarij. Nec D. Thom. tale aſſerit, ſed exponit textum vel de luce materiali, quæ nocte, aut nube interiectis abſconditur, & ipſis abeuntibus regreditur: vel de luce ſpiritali, quam Deus modò abſcondit, vt illa poſtmodum, legitimè in hoc exilio certantes in vita futura coronet. Et hæc lux viſio beatifica eſt, quam ea dignis in præmium meritorum concedit Juſtus Judex.

Confirmatio minùs adhuc vrget: Quia paræmia illa verum habet, ſi id, quod dicitur participari ab infimi ſupremo, inveniatur in ſupremi infimo, quod in noſtro caſu non datur: quia inter contemplationes patriæ nulla eſt, aut eſſe poteſt, quæ Deum quidditativè abſtractivè contempletur. Si ergo ibi inter ſupremas illas contemplationes nulla, etiam infima, eſt, quæ Deum eo modo intueatur: nec etiam eſt ſpecies aliqua, quæ ſic Deum repræſentet: vbi eſt illa patriæ ſpecies, aut contemplatio, quam attingere dicis contemplationem, aut ſpeciem viæ? *Adde*: Quòd ſi daretur illa contemplatio, non foret infima inter ſupremas; hoc enim conveniret contemplationi divinæ attingenti evidenter Deum evidentia, *quoad an eſt*. Species autem, de qua modò loquimur, (idem de contemplatione intellige) repræſentaret Deum *quoad quid eſt*. Vnde ex illa paræmia ſi aliquid haberetur; foret illa prima ſpecies, de qua q. ſequenti agemus; non autem hæc ſecunda, quæ præſentis controverſiæ argumentum eſt.

43. Arg. 2. ex D. Thom. q. 18. de verit. art. 1. ad 1. vbi ait. *Patet, quòd viſio, qua homo Deum in ſtatu innocentiæ vidit, media fuit inter viſionem, qua nunc videmus, & viſionem Beatorum. Patet igitur, quod homo poſt peccatum triplici medio indiget ad videndum Deum, ſcilicet ipſa creatura, ex qua in divinam cognitionem aſcendit, & ſimilitudine ipſius Dei, quam ex creatura accipit, & lumine, quo perficitur, ſive ſit lumen naturæ, ſive gratiæ, aut fidei, & ſapientiæ. In ſtatu verò ante peccatum indigebat duplici medio, quod eſt ſimilitudo Dei, & quod eſt lumen elevans,*

aut

aut dirigens mentem. Beati autem vno tantùm indigent medio, scilicet lumine elevante mentem. Hæc D. Thom. ex quibus constat, hominem in statu innocentiæ nullo alio indigere ad contemplandum Deum, nisi lumine elevante, quo etiam Beati indigent, & specie repræsentante, qua Beati non indigent; ipsa quippe essentia Dei munus speciei gerit: ergo illa species, qua homo ante peccatum vtebatur, repræsentabat immediatè Deum; subindeque quidditativè: at non intuitivè, quia non habebat lumen gloriæ: ergo abstractivè. Sicque contemplatio, in quam ea species influebat, erat media inter nostram contemplationem, & visionem Beatorum: quandoquidem attingit Deum obscurè, quod non habet Beatorum visio; verùm quidditativè attingebat, quod non habet nostra contemplatio.

Scire optarem, quid emolumenti accrescat opinioni Carthusiani, & Thomæ à Iesu ex allato D. Thom. testimonio. Ex eo enim, etiam prout ab ipsis exponitur, nihil aliud habetur, nisi quòd homo ante peccatum Deum cognoscebat per speciem ipsum quidditativè abstractivè repræsentatem: ast post peccatum talem cognitionem non habet homo: quandoquidem indiget triplici illo medio, vt contempletur: & insuper eius contemplatio non est media inter Beatorum, & nostram contemplationem. Hæc omnia traduntur ab ijs Doctoribus, qui præsentem authoritatem afferunt, vt in sublimi viæ contemplatione, etiam post peccatum, speciem Deum quidditativè abstractivè repræsentantem dari probent.

Resp. ergo verum esse, hominem beatum solummodo lumine elevante indigere, vt Deum facialiter videat. Et similiter verum esse, primum hominem in statu innocentiæ indiguisse lumine elevante, & similitudine, seu specie repræsentante, quibus additur res ipsa, à qua species accipitur, vt homo post peccatum contempletur. Quod vltimum ita intelligendum est, vt homo post peccatum non possit Deum contemplari, nisi species à rebus accipiat; hoc tamen est attenta conditione sui status. Cæterùm ex gratiæ liberalitate habet etiam species infusas, prout vidimus q. 2. Vnde sicut primus homo habuit ex suo statu species, quas à rebus non accipiebat: sic post peccatum habet homo illas species ex gratiæ dispensatione. Ast istæ species non repræsentant immediatè Deum, sed aliquid creatum: quia vt talis species Deum immediatè repræsentaret, deberet ab ipso Deo, vt obiecto immiti, Dei naturam contineret, cum ipso in gradu immaterialitatis conveniret, illumque intelligibilem redderet: quæ omnia, & singula implicare nostrates adductis locis ostendunt. A nobisque quæ sufficiunt pro præsenti materia dicta sunt. Vnde ex verbis datis D. Thom. habemus quidem species illas valde elevatas, & contemplationem perfectissimam, in quam influunt; sed quòd Deum immediatè attingant, aut repræsentent, non habemus.

44. Arg. ex 3. ex ipso Carthus. Datur in via contemplatio, qua Deus cognoscitur immediatione obiecti, licèt non immediatione speciei: ergo huiusmodi contemplatio Deum immediatè attingit. Ergo in hanc cōtemplationem influit species immediatè, seu quidditativè Deum repræsentans. Cætera constant, & anteced. prob. Eò non daretur illa contemplatio, quia deberet esse intuitiva, vt dictum à nobis est: sed non potest esse intuitiva, ex quo Deum attingat, non quoad particularia ipsius Dei, sed in generali; vt cùm homo cognoscitur cognita eius definitione; tunc enim intuitivè cognoscitur; at cùm cognoscitur ratio *animalis*, tunc non intuitivè cognoscitur, sed abstractive, & in generali: ergo similiter de contemplatione Dei.

Resp. neg. anteced. In via enim non potest Deus cognosci ab homine, vel ab Angelo immediatè; sed mediante specie creata, quæ eo ipso non est species propria Dei, vt dictum est. Subindeque non potest Deum immediatè, ac quidditativè repræsentare. Ad probationem antecedentis patet ex dictis

in tota hac quæſtione, præſertim à num. 39. Vnde ex quo velit ſententia oppoſita ſpeciem illam repræſentare, ſeu illam contemplationem cognoſcere prædicata eſſentialia Dei, quantumvis in generali repræſententur, ſeu cognoſcantur, non poſſunt non intuitivè cognoſci. Tum quia quodvis prædicatum divinum eſt ſua exiſtentia. Tum quia vanus prorſus eſt recurſus ille ad prædicata eſſentialia Dei in communi, & in particulari. Quod ſic demonſtratur: Etenim rogo; Id, quod attingitur immediatè per illam cognitionem, ſeu immediatè repræſentatur per illam ſpeciem, eſt Deus, vel non? Si non: corruit opinio tua, & tenet aſſertio noſtra. Si ſic: ergo illa ſpecies reddit Deum actu intelligibilem, convenitque cum Deo in gradu immaterialitatis, aliaque omnia habet, quæ in ſpecie creata pro cognitione intuitiva Dei aſſeris repugnare.

Inſuper Deus in particulari cognitus non explicat maiorem perfectionem obiectivam, quam ipſe ſub illa generalitate, quam moliris. Vtrobique enim cognoſcuntur eadem divina prædicata. Cur ergo hæc ipſa prædicata divina ſub ſecunda conſideratione non poſſunt in ſpecie creata repræſentari, in eaque ſub prima conſideratione continentur. Exemplum illud hominis vel ſecundùm ſuam diffinitionem, vel ſecundùm rationem illam communem cogniti, nec vmbram ſimilitudinis habet cum re, de qua agimus. Homo enim non cognoſcitur duplici illa cognitione ſecundùm eadem prædicata: ſed cùm cognoſcitur per ſuam eſſentialem diffinitionem, cognoſcitur quoad prædicata differentialia, & ſpecificativa, quæ illa alia cognitione non attinguntur; ſed tantùm attinguntur prædicata communia. In præſenti autem nullatenus adverſarij dicent, Deum intuitivè cognitum cognoſci ſecundùm aliqua prædicata, quæ cognoſci non poſſint, dum ipſe illo alio genere cognitionis quidditativæ contemplatur. Eadem enim prædicata divina per vnam, & aliam cognitionem cognoſcuntur, vel ipſis adverſarijs non diffitentibus. Vt quid ergo exemplum illud affertur? Maneat igitur, neminem ſive Angelum, ſive hominem poſſe Deum contemplari quidditativè, & etiam abſtractivè, media ſpecie creata, vt affatim conſtat ex dictis.

QUÆSTIO QVINTA.

Vtrùm in ſuprema contemplatione detur ſpecies Deum immediatè quoad an eſt *repræſentans?*

VLtimum Colophonem quæſt. hæc ſecundo huic prædicabili imponet: licèt enim alia plura poſsint, debeantque de divina contemplatione diſputari; commodiùs tamen viſum eſt, ea ad alias ſedes remittere, vbi opportuniùs tractentur. Quamobrem in ſequenti prædicabili agemus de contemplatione, quæ propriè perfectorum eſt. In 4. autem de illa, quæ animam purgat, pulcramque poſt cataclyſmum horridæ tribulationis reddit. In 5. denique de illa, quæ raptus, extaſes, aliaque huiuſcemodi cauſat.

§. I. *Brevis admonitio, & quæſiti reſolutio.*

45. DAri ſpeciem impreſſam creatam, quæ Deum quoad *an eſt* repræſentet, res eſt omnino certa, nec de hac procedit præſens difficultas: quippe ſpecies iſta, quam dari vt prorſus certum ſupponimus, non repræſentat

tat immediate Deum, ſed aliquod obiectum creatum, ex cuius cognitione aſſurgit mens ad cognitionem Authoris illius effectus, quæ vt obiectum ſpeciem mittens cognoſcit. De quo videre potes, ſi placet, P. P. Salmant. tract. 2. diſp. 1. in annot. ad art. 1. Div. Thom. Noſtra autem controverſia procedit de ſpecie impreſſa, quæ immediatè Deum ipſum repræſentet, ab ipſoque tamquam obiecto motivo potentiæ immitatur.

Et quamquam ex quæſt. præcedenti conſtet impoſsibilitas ſpeciei creatæ, quæ Deum immediatè quoad *quid eſt* abſtractivè repræſentet. Manet tamen locus præſenti controverſiæ: eò quòd, ſicut cognitio quoad *quid eſt* ſuperat cognitionem quoad *an eſt*, ita ſpecies influens in primam illam cognitionem, ſpeciem in hanc ſecundam influentem longè ſuperat. Vnde quantum eſt ex hac parte non vanè poſt præcedentem deciſionem ad hanc ſecundam accingimur. Huius veritatis cuique perviæ ſignum clariſsimum eſt, quòd aliqui, ijque graviſsimi Theologi, qui nobiſcum fuere in aſſerto præcedenti, modò de ſpecie quoad *an eſt* contrarium opinantur. Hi ſunt duo egregij Thomiſtæ, videlicet Cabrera in 3. p. q. 11. diſp. 6 §. 4. & Nazarius inibi art. 1. Hi enim, & omnes illi, qui quæſt. præcedenti nobis adverſarij fuere, dari ſpeciem impreſſam, quæ immediatè Deum quoad *an eſt* ipſius repræſentet, vnanimiter opinantur. Econtrà verò communis Thomiſtarum ſententia docet, talem ſpeciem repugnare, de quo videndi ſunt laudati Salmant. tract. 21. diſp. 19. dub. 4. eſtque hæc ſententia D. Thom. 1. p. q. 3. art. 4. ad 2. Et omnibus alijs locis, vbi negat ſpeciem creatam quidditativè repræſentativam Dei. Vnde

46. Sit noſtra aſſertio: *Repugnat pro quacumque contemplatione ſpecies impreſſa immediatè repræſentativa Dei quoad an eſt.* Ita D. Thom. citato art. 4. vbi inquirit: *Vtrùm in Deo ſit idem eſſentia, & eſſe?* Et contra affirmativam reſolutionem, quam ſtatuit, hoc argumentum proponit: *Secundo præterea de Deo poſſumus ſcire an ſit, vt ſuprà dictum eſt, non autem poſſumus ſcire, quid ſit: ergo non eſt idem eſſe Dei &c.* Huic argumento reſpondet S. Doct. quòd de Deo poſſumus ſcire *an ſit*, ſed non immediatè, ſed ex eius effectibus nos in cognitionem Dei Authoris eorundem manuducentium. Verba Ang. Doct. hæc ſunt. *Ad 2. dicendum, quòd eſſe dupliciter dicitur, vno modo ſignificat actum eſſendi, alio modo ſignificat compoſitionem propoſitionis, quam anima adinvenit coniungens prædicatum ſubiecto. Primo igitur modo accipiendo eſſe, non poſſumus ſcire eſſe Dei, ſicut nec eius eſſentiam, ſed ſolùm ſecundo modo.* Quibus verbis negat Ang. Doct. poſſe Deum à nobis immediatè cognoſci quoad *an eſt*, & ſolùm mediatam huiuſcemodi cognitionem, hoc eſt ex effectibus, concedit, vt patet ex verbis, quibus datam ſolutionem concludit, quæ hæc ſunt: *Et hoc ſcimus ex eius effectibus, vt ſuprà dictum eſt.* Idem docet Ang. ipſe Doct. 1. contr. gent. cap. 12. & lib. 3. cap. 39. ad 1. & de potent. q. 7. art. 2. ad 1. Videatur Caietan. loco citato ex 1. p. qui traditam doctrinam ſubtiliter elucidat, & ab impugnantibus vindicat.

47. Prob. deinde concluſ. ratione ex adducto D. Thom. deprompta: Implicat contemplatio immediata Dei quoad *an eſt*: ergo implicat ſpecies Deum immediatè quoad *an eſt* repræſentans. Conſeq. eſt bona: Quia ſpecies non ob aliud inſtitutæ ſunt, niſi vt repræſentent obiecta, & influant in ipſorum cognitionem. Vnde repugnante cognitione obiecti, repugnat pariter ſpecies repræſentativa illius. Anteced. prob. 1. ex adducta authoritate D. Thom. talem contemplationem immediatam denegantis, & mediatam, aut ex effectibus ſolummodò concedentis. *Prob.* 2. ratione ſic: Contemplatio quoad *an eſt* eſt quæ terminatur ad exiſtentiam obiecti: ſed contemplatio, quæ terminetur immediatè ad exiſtentiam Dei, non poteſt eſſe quoad *an eſt*: ergo implicat relatè

ad Deum huiuſcemodi contemplatio. Conſeq. legitimè infertur, & maior eſt certa; in hoc enim differt cognitio quoad *an eſt* à cognitione quoad *quid eſt*, quòd ſecunda terminatur ad obiecti quidditatem, & prima ad ipſius exiſtentiam, ex quo prob. minor: Contemplatio immediatè terminata ad exiſtentiam Dei terminatur immediatè ad quidditatem ipſius; eſt enim exiſtentia Dei ipſa eius quidditas, & eſſentia: ergo implicat, quòd contemplatio immediatè terminata ad exiſtentiam Dei ſit quo ad *an eſt*; aliàs vel exiſtentia non eſſet ipſa Dei eſſentia; vel nulla diverſitas adeſſet inter contemplationem *an eſt*, & *quid eſt*.

48. Confirmatur 1. Contemplatio terminata ad exiſtentiam rei, quæ non eſt ſuum eſſe, non poteſt eſſe quoad *quid eſt*: ergo contemplatio terminata ad exiſtentiam rei, quæ eſt ſuum eſſe, non poteſt eſſe quoad *an eſt*. Anteced. admittitur ab omnibus, quorum ratio eſt, quòd illa exiſtentia eſt prædicatum accidentale: vnde per cognitionem talis exiſtentiæ nullum prædicatum quidditativum rei exiſtentis cognoſcitur. Hincque prob. conſeq. Quia per cognitionem exiſtentiæ rei, quæ eſt ſuum eſſe, cognoſcitur eſſentia talis rei; ſiquidem exiſtentia eſt eius eſſentia, vt ſupponimus: ergo cognitio terminata ad talem exiſtentiam non poteſt eſſe quoad *an eſt*. Patet iſta: Quia ſi ratio ob quam cognitio exiſtentiæ rei, quæ non eſt ſuum eſſe, non poteſt non eſſe quoad *an eſt*, eſt quia talis exiſtentia non eſt de eſſentia rei cognitæ: à contrario, vbi exiſtentia eſt de eſſentia rei contemplatæ, contemplatio talis exiſtentiæ non poteſt non eſſe quoad *quid eſt*. Subindeque contemplatio exiſtentiæ Dei non poteſt eſſe quoad *an eſt*, ſed contemplatio quidditativa.

49. Conf. 2. Implicat ſpecies creata, quæ quidditativè Deum repræſentet: ſed ſi daretur ſpecies creata immediatè repræſentativa Dei quoad *an eſt*, quidditativè Deum repræſentaret: ergo non datur talis ſpecies. Bona eſt conſeq. Et maior conſtat ex dictis tota quæſtione præcedenti. Min. autem prob. ex modo dictis. Illa eſt ſpecies quidditativa obiecti, quæ non in alio, ſed in ſe ipſa repræſentat prædicatum quidditativum obiecti: ſed ſpecies, quæ Deum immediatè quoad *an eſt* repræſentaret, repræſentaret non in alio, ſed in ſe prædicatum eſſentiale Dei, nempe exiſtentiam: ergo repugnat talis ſpecies.

§. II. *Reſpondetur vnico argumento.*

50. CONtra concluſ. arg. 1. authoritate D. Thom. à nobis num. 46. citati. Ibi enim ait S. Doct. quòd poſſumus cognoſcere *an eſt* Dei ſecundùm quod eſſe *ſignificat compoſitionem propoſitionis*, & addit: *ſcimus enim, quòd hæc propoſitio, quam formamus de Deo, cum dicimus; Deus eſt, vera eſt.* Sed non poſſumus cognoſcere hanc propoſitionem *Deus eſt*, eſſe veram, quin cognoſcamus Deum quo ad *an eſt*, nec illum ſic cognoſcere poſſumus ſine ſpecie repræſentante: ergo ex mente D. Thom. datur ſpecies repræſentativa Dei quoad *an eſt*

Reſp. D. Thom. dicto art. negare cognitionem immediatam Dei quoad *an eſt*, & ſolùm mediatam ſeu ex effectibus concedere, vt patet ex ipſius verbis: *Et hoc ſcimus ex eius effectibus, vt ſuprà dictum eſt*, videlicet q. 2. art. 2. & cognitio Dei per effectus nullatenus eſt cognitio immediata Dei, cùm inter Deum cognitum, & mentem contemplantem mediet effectus mentem in Dei cognitionem manuducens. Vnde quidditativa cognitio effectus naturalis facit nos aſſentire huic propoſitioni: *Deus author naturæ exiſtit*: ſi autem effectus ſit ſupernaturalis, eius cognitio facit, nos cognoſcere veritatem huius propoſitionis: *Deus author gratiæ extitit*. Hæc autem cognitio per effectus ſive naturales, ſive ſupernaturales, non eſt cognitio immediata, vt dictum eſt; ſed eſt cognitio procedens à ſpecie propria ipſorum effectuum, atque adeò immediatè ad ipſos terminata, mediatè verò ad obiectum ſecundarium,

darium, seu terminativum, nempe Deum. Et quòd detur hæc mediata Dei contemplatio, nobis non opponitur; quin potiùs num. 45. illam admisimus. Vnde D. Thom. negat, & concedit in nobis cognitionem Dei quoad *an est* in dicto art. Negat immediatam; & ideò eius dicto nostrum assertum probavimus. Concedit mediatam, quod nec nobis opponitur, nec adversarijs aliquam vtilitatem præstat.

Quod si animadvertisset Scotus, non adeò imprudenter Ang. Præcept. de inconsequentia appellasset in 1. dist. 3. q. 1. quam enim inconsequentiam, seu contradictionem invenit Scoti subtilissima mens in eo, quòd aliquis mediatè scire dicatur id ipsum, quod immediatè traditur ignorare? Cuius clarissimæ veritatis fundamentum habet Scotus in illo decantato Philosophi syllogismo: ast, quia de Div. Thom. agimus, verbis D. Thomæ loquemur. Ipse enim Ang. Doct. paulò ante locum citatum, & ab Scoto reprehensum, scilicet q. 2. art. 1. ad 1. ait rem prorsus eandem versans: *Sed hoc non est cognoscere, simpliciter Deum esse, sicut cognoscere venientem non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens.* Quid clarius? Solidius ve? Sanè, qui in hac doctrina aliquid, quod carpat, invenit, carpi ab omnibus debet. Videatur Caietan. tum art. citato: tum 2. posteriorum cap. 1. qui huius doctrinæ radicem detegit fundatam in discrimine dicto, quod adest inter existentiam creatam, & suum existibile ex vna parte, & existentiam divinam, propriumque existibile ex alia. Ex eo enim quòd existentia entis creati est ipsi accidentaria; propterea cùm scimus *an est* talis entis, non solùm scimus *esse* significans veritatem propositionis, quam terminat; sed etiam scimus *esse* ipsius entis Creati. Ast, quia existentia Dei est ei essentialis, ideò cùm cognoscimus Deum quoad *an est*, cognoscimus quidem *esse*, quod veritatem propositionis significat; ignoramus tamen esse Dei. Quorum omnium ea ratio est, quòd per quæstionem *an est* non cognoscitur quidditas rei, sed aliquid extra quidditatem: & per quæstionem *quid est* non cognoscitur quod est extra quidditatem, sed ipsa quidditas: quapropter entis creati existentia cognoscitur per quæstionem *an est*. Dei autem existentia requirit quæstionem *quid est*, vt dignoscatur.

51. Dices: Si ita res se habet, species repræsentans Deum quo ad *an est* non habet locum in Deo: at hoc est contra communem Theologorum sensum admittentium talem speciem, inter quos hoc ipsum tradunt P. P. Salmant. tract. 2. in annotat. ad art. 1. quæstionis 2. ex 1. p. & alibi frequenter: ergo data doctrina non est vera. Cætera nota sunt, & maior prob. Quia fundamentum allatum omnem speciem creatam Dei repræsentativam quoad *an est* penitus excludit, vt de se patet, quod cùm compati non possit cum illa communi Theologorum doctrina, clarissimè convincitur falsitatis.

Resp. Speciem immediatam, quam denegamus, non concedi ab omnibus Theologis, sed ab illis, quos suprà nominavimus. Speciem autem mediatam, quam neutiquam negamus, sed concedimus, ab illis tradi, certum est. De hacque loquuntur P. P. Salmant. loco citato, & eodem tract. disp. 2. dub. 5. num. 27. & 29. & etiam dub. illo 4. ex tract. 21. & alibi.

52. Scio egregium Thomistam, qui pro aris, & focis tuetur, ac elucidat Thomisticam veritatem non admittentem speciem creatam Dei repræsentativam sive quoad *quid est*, sive quoad *an est*. Tandem loquutus de hac 2. specie concedit quòd potest admitti species creata repræsentativa SS. Trinitatis immediatè quoad *an est*, sumpta Trinitate, vt obiecto terminativo, non vt obiecto motivo. Moveturque 1. Quia Christus Dominus potuit vti discursu in vsu scientiæ infusæ: ergo cognito per discursum effectu supernaturali connexo cum Trinitate, subsequitur alia cognitio terminata ad ipsam Trinitatem, vt extremum illius connexionis: ergo sicut prima cognitio habet

spe-

ſpeciem repræſentantem immediatè effectum illum cum Trinitate connexum; ſic ſecunda cognitio ex illa prima deducta habet ſpeciem repræſentantem immediatè Trinitatem, quæ eſt extremum connexionis.

Movetur 2. Quia inconvenientia, quæ dantur, vt non poſsit ſpecies creata Deum repræſentare, vt obiectum motivum, ceſſant in ſpecie repræſentante ipſum vt obiectum terminativum: ergo datur talis ſpecies. Prob. antec. Inconvenientia illa ſunt, quod ſpecies debet eſſe eiuſdem immaterialitatis cum obiecto, quod debet illud continere, & alia, quæ ſuprà dedimus: at hæc omnia verificantur relatè ad obiectum motivum, & non relatè ad terminativum: ergo.

Confirmatur: Quia talis ſpecies repræſentans immediatè Trinitatem tamquam obiectum terminativum, repræſentat illam dependenter à creaturis ſicut ab obiecto motivo, ad quarum inſtar ipſa Trinitas cognoſcitur, & repræſentatur: ſed in hoc, quòd ſic cognoſcatur, & in ſpecie creata ita repræſentetur, nullum adeſt inconveniens: ergo &c.

53. Hactenus celebris hic Thomiſta: in cuius doctrinæ intelligentia tarditas mei captus ſenſibiliter demonſtratur. Non enim percipere potui, in quo ſenſu loquatur, quod ſic explico: nam vel data verba continent aliquid novum contra, aut vltra id, quod in eodem art. ipſe tradiderat cum communi Theologorum ſententia circa cognitionem Dei quoad *an eſt*, & ſpeciem ipſum ſic repræſentantem; vel nihil novum dicit: neutrum credibile mihi eſt. Hoc ſecundum inde conſtare videtur, quia ſi ſenſus huius Authoris eſſet, quòd ſpecies creata, ſive impreſſa, ſive expreſſa, quæ immediatè repræſentat aliquid creatum, extenditur ad repræſentandum prædicatum increatum; ſubindeque cognito illo creato, quod immediatè repræſentat, extenditur cognoſcens ad cognitionem prædicati increati extenſivè in ſpecie repræſentati. Hoc ſi diceret, cum omnibus loqueretur, qui hoc, vel alio modo traditum, idem quoad ſubſtantiam ſentimus. Sed aliò tendere data verba ſuſpicari poteſt primò, quòd eorum author illis corrigit, ſeu explicat, à ſe in eodem art. dicta. Dixerat enim, repugnare ſpeciem creatam immediatè repræſentativam Dei quoad *ad an eſt*. Modò verò aſſerit, illam doctrinam intelligendam eſſe de Deo, vt obiecto motivo, ac terminativo; non verò de ipſo, vt obiecto terminativo.

Secundò: Quia hæc repræſentatio Dei obiecti terminativi dicitur ab ipſo immediata: cùm re ipſa mediata ſit: quandoquidem ſpecies ſolum obiectum primarium, aut motivum, repræſentat primariò, & immediatè: obiectum autem terminativum, ſeu ſecundarium non repræſentat immediatè, & primariò, ſed ſecundariò, & mediatè.

54. Si dicas: Quòd ille exceſſus, qui ſupra repræſentabilitatem obiecti primarij eſt in ſpecie, per quem extenditur ad obiectum terminativum, eſt, qui immediatè repræſentat obiectum terminativum: per illum enim nullum aliud obiectum repræſentatur, nec eſt obiectum, quod mediet inter illum modum extenſionis, & ipſum obiectum terminativum. Vnde immediatè repræſentatur tale terminativum obiectum.

Hoc ſi dicas: nihil te dixiſſe monſtrabo: Tum quia ille exceſſus ſpeciei repræſentantis non eſt ſpecies: vnde ex eo, quòd ille modus, ſeu extenſio immediatè ſit ad obiectum terminativum, colligi inde non poteſt, dari ſpeciem immediatè repræſentativam Dei quoad *an eſt*. Tum quia hoc generale eſt cuicumque ſpeciei: ſcilicet repræſentare primariò obiectum motivum, & extendi etiam ad ſecundarium: quin hactenus ab aliquo hæc extenſio dicta ſit ſpecies, aut quòd immediatè repræſentet illud ſecundarium obiectum, ad quod repræſentandum extèditur. Tum denique, quia hoc generaliſsimum eſt cuicumque potentiæ, & habitui reſpectivo: quippe habitus reſpicit obiectum primarium, & motivum, & eo medio

ex-

extenditur ad ſecundarium, & terminativum. Nec per hoc audivimus aliquem dicentem, potentias, vel habitus reſpicere immediatè obiecta ſecundaria: nec extenſionem illam, qua ſecundaria obiecta reſpiciunt, potentiam, vel habitum nominantem.

55. Hæc ſunt, quæ aliquid diverſū ab eo, quod communiter traditur, traditū in hac excogitatione ſuadent. Sed ſi diverſum aliquid edocetur, hoc nobis durū, & ſuperfluum apparet. Superfluum; quia vt obiectū terminativum cognoſcatur ſive ſine diſcurſu, ſive cum illo, nō requiritur illa nova ſpecies exiſtentiam Trinitatis immediatè repræſentans, ſed ſufficit ſpecies illa, quæ repræſētat primariò effectum ſupernaturalem cum Trinitate connexum, & ad ipſam Trinitatem extenditur; vt poſsit ipſa Trinitatis exiſtentia cognoſci. Et hoc tandem fatetur ſententia adverſa: vt enim conſtat ex confirmatione num. 52. poſita, Trinitas cognoſcitur, & repræſentatur in illa ſpecie dependenter ab obiecto creato, ad cuius inſtar cognoſcitur. Hoc ergo, niſi voces impropriemus, eſt aſſerere, quòd talis ſpecies non repræſentat immediatè Trinitatem, ſed mediante eo obiecto, à quo ſpecies in repræſentando Trinitatem dependet, & ad cuius inſtar Trinitas ipſa cognoſcitur. Illa quippe dependētia, & habitudo non poteſt non auferre immediationem.

56. Dura etiam nobis videtur ſententia oppoſita: eò quòd inconvenientia, ob quæ Thomiſtæ denegamus ſpeciem creatam Dei, vt obiecti motivi, & terminativi repræſentativam, non ſalvat. Et omiſsis pluribus, quibus hoc oſtendi poterat, hoc dilemma conficio. Illa ſpecies, quæ immediatè repræſentat exiſtētiam Trinitatis, reddit ipſam exiſtentiam proximè intelligibilem, nec nè? Si primum dicas: ecce incōveniens maximum, ob quod D. Thom. non admittit ſpeciem creatam Dei immediatè repræſentativam; ne videlicet Deus, qui ex ſe eſt ſummè, & proximè intelligibilis, reddatur intelligibilis per aliquid creatum, ſe tenens ex parte ipſius, vtì re vera ſpecies tam impreſſa, quàm expreſſa ſe tenerent. Si ſecundum aſſeras: ergo illa ſpecies non repræſentat immediatè exiſtentiam Trinitatis. Patet iſta: Quia ſpecies reddit proximè intelligibile obiectum, quod ab ipſa, & in ipſa immediatè repræſentatur. Illa enim ſpecies aliquod obiectum reddit proximè intelligibile. Ad hoc quippe inſtituta eſt; ſin minùs in rerum natura non foret. Rogo nunc: Quod obiectum redditur proxime intelligibile per dictam ſpeciem? Non adeſt aliud obiectum, niſi Trinitatis exiſtentia, quam immediatè aſſeris repræſentare: ergo ipſam Trinitatis exiſtentiam proximè intelligibilem reddit. Vel ſi datur aliquod aliud obiectum, quod proximè intelligibile faciat, illud, & non exiſtentiam Trinitatis immediatè repræſentabit.

57. Si dicas: Adeſſe aliud obiectum motivum, quod intelligibile reddit: ſed non terminativum, & ideò hoc immediatè repræſentat. *Contra* 1. Quia hæc evaſio eſt ſub haſta omniū eorum, quæ dicta ſunt, maximè num. 54. *Contra* 2. Quia ſpecies illud obiectum reddit proximè intelligibile: ex parte cuius ſe tenet: talis ſpecies ſe tenet ex parte exiſtentiæ Trinitatis: ſiquidem illam immediatè repræſentat: ergo. *Contra* 3. Quia ſpecies reddit intelligibile illud obiectum, quod eſt ſibi primarium, ſeu primariò ab ipſa repræſentatur: ſed relatè ad dictam ſpeciem obiectum primarium eſt exiſtentia Trinitatis. Patet iſta: Quia idem prorſus eſt obiectum primarium, & obiectum immediatè repræſentatum: ergo illam Trinitatis exiſtentiam reddit proximè intelligibilem.

Quòd ſi has etiam inſtantias, elidere coneris recurſu illo obiecti motivi, ac terminativi, dicam vltimò: ergo illamet ſpecies quæ immediatè repræſētat exiſtentiam Trinitatis vt obiectū terminativum, repræſentat immediatè aliud obiectum motivum, ad cuius inſtar repræſentatur Trinitas. Non negabis conſequentiam, vt conſtat ex cōfirmatione poſita num. 52. ſubſumo tamen: Sed hoc iuxta omnium ſenſum eſt repræſentare mediatè Trinitatem: ergo non repræſētat illam immediatè. Min. ſubſumpt. prob.

prob. 1. ex communi consensu Theologorum asserentiũ, quòd obiectũ, quod repræsentatur dependẽter ab alio, non immediatè, sed mediatè repræsentatur: sed per te Trinitas repræsentatur in illa specie dependenter ab alio obiecto, scilicet motivo: ergo mediatè repræsentatur. *Prob.* 2. illa min. Repræsentari dependenter ab alio obiecto motivo est connotativè repræsentari: repræsentari connotativè est mediatè repræsentari: ergo. Cætera nota sunt. Prob. min. Tum quia sic ab omnibus intelligitur. Tum quia paritas subjiciẽda hoc suadet. Etenim cognitio connotativè attingens aliquod obiectũ, non immediatè, sed mediatè illud cognoscit, vt nemo negare audebit: ergo pariformiter species connotativè repræsentans aliquod obiectum illud mediatè repræsentat.

Paritas modò proposita cognitionis vrgentiam obtulit, qua dicta omnia roboro, & hunc discursum claudo. Etenim si dicta species repræsentaret immediatè existentiam Trinitatis, daretur etiam cognitio immediatè terminata ad existentiam Trinitatis, tamquam ad obiectum terminativum: cognitio hæc implicat: ergo & species illa. Maiorem concedit sententia contraria dicẽs, Trinitatem repræsentari, cognoscique immediatè in dicta specie. Probo min. Illa cognitio immediatè attingens Trinitatis existentiam tamquam obiectum terminativũ esset cognitio quoad *an est* ipsius Trinitatis: sed cognitio terminata immediatè ad existentiam Trinitatis implicat, quòd sit cognitio quoad *an est*: ergo absolutè implicat talis cognitio. Bona est conseq. & innegabilis maior. Minor autem prob. Cognitio immediatè terminata ad prædicatum quidditativum Trinitatis, etiam tamquam ad obiectum terminativum, (si dabilis est cognitio immediata obiecti, quod purè terminativum, & secũdarium sit, & non etiam motivum) est cognitio quidditativa: dicta cognitio terminatur immediatè, tamquam ad obiectum terminativum, ad prædicatum quidditativum Trinitatis, scilicet ad ipsius Trinitatis existẽtiam: ergo implicat, quòd sit cognitio quoad *an est*. Maneat ergo, quod non est dabilis species immediatè repræsẽtativa prædicati divini, etiam per modum obiecti terminativi. Sed eo ipso, quod talis species depẽdẽter ab alio obiecto repræsentet prædicatum divinum, hoc divinum prædicatum mediatè tantùm repræsentatur in tali specie. De quo mirè agunt citati P.P. Salmanticenses.

Alia plura argumenta sunt, sed quæ ex dictis manu levissima evacuantur. Vnde his finitur disp. præsens, & totum hoc secundum prædicabile de natura mysticè perfectiva, totusque hic secundus tomus cursus Theologiæ Mystico-Scholasticæ. Vtinam in eo scripta cedant in laudem, & gloriam omnipotentis Dei in propria, alienaque natura existentis, & glorioſissimæ semper Virginis MARIÆ de Monte Carmel. eius dulcissimi Sponsi, Sanctissimi mei Patroni Div. Ioseph, Ang. Præcept. Div. Thom. cuius doctrina mihi est pro Cinosura, & Helice; Sanctissimæ M. meæ Theresiæ sublimis mysticæ doctrinæ Magistræ, ac Mystici nostri Doct. D. Joannis à Cruce, cuius hæc sunt verba in prologo ad opus de ascens. *Si in aliquo defecerim ob defectum intellectus, meus animus nunquam est, segregari à sano sensu, ac doctrina S. M. Ecclesiæ catholicæ. Tunc enim penitùs me subjicio nè dum luci indefectibili, & Ecclesiæ ordinationi: verùm etiam dictamini cuiuscumque, qui melius de his iudicaverit.* Hæc, quæ ex hoc Sanctiſ. Doct. exscribo, vltroneus scribo, & sẽtio, & in hac præclara, ac nobili subiectione volo vivere, volo mori.

Hispali: ex typograph. Francisci Garay, in Vico de Vizcaynos.

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Primus numerus diſputationem ſignat, ſecundus verò marginalis eſt.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX LIBRO GENESIS.

Cap. 32. v. 30. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* 9. 45.

Cap. 33. v. 1. *Elevans autem Iacob oculos ſuos vidit venientem Eſau.* 9. 47.

V. 3. *Et ipſe progrediens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius.* ibi.

Cap. 48. v. 16. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* 5. 18.

EX LIB. EXODI.

Cap. 14. v. 20. *Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* 7. 55.

EX LIB. DEUTERON.

Cap. 5. v. 5. *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos.* 5. 28.

Cap. 33. v. 12. *Amantiſsimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* 10. 10. & 12. 91.

EX LIB. PRIMO REGUM.

Cap. 2. v. 25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 6. 213.

Cap. 3. v. 10. *Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus.* 7. 79.

EX LIB. TERTIO REGUM.

Cap. 8. v. 39. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* 4. 39.

Cap. 17. v. 4. *Corviſque præcepi, vt paſcant te ibi.* 11. 8.

EX LIB. SECUNDO PARALIPOM.

Cap. 21. v. 14. & 15. *Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & vxoribus tuis, univerſaque ſubſtantia tua. Tu autem ægrotabis peſsimo languore vteri tui.* 5. 85.

EX LIB. ESTHER.

Cap. 15. v. 18. *Cùmque loqueretur, rurſus corruit, & penè exanimata eſt.* 10. 170.

EX LIB. IOB.

Cap. 5. v. 1. *Voca ergo, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* 5. 99.

Cap. 19. v. 21. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltèm vos amici mei.* ibi. 61.

Cap. 33. v. 23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, &c.* ibidem.

Cap. 36. v. 32. *In manibus abſcondit lucem, vt rurſus adveniat.* 14. 42.

Cap. 38. v. 41. *Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum, vagantes, eò, quòd non habeant cibos?* 11. 8.

Cap. 24. v. 19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium.* 6. 120.

Cap. vltim. v. 8. *Ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſervus meus orabit pro vobis.* 5. 35.

EX LIB. PSALMORUM.

Pſalm. 1. v. 1. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum :: Sed in lege Domini voluntas eius.* 12. 21.

Pſalm. 10. v. 17. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* 2. 108.

Pſalm. 127. v. 2. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es,* 10. 87.

Pſalm. 16. v. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* 4. 40.

Pſalm. 18. v. 3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* 7. 56.

Pſalm. 25. v. 2. *Proba me, Domine, & tenta me.* 2. 69.
Pſalm. 36. v. 30. *Os Iuſti meditabitur ſapientiam.* 2. 106.
Pſalm. 38. v. 4. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* 1. 8. & 2. 27.
Pſalm. 41. v. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte.* 9. 59.
Pſalm. 50. v. 5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper.* 1. 2.
Pſalm. 54. v. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* 10. 10.
Pſalm. 16. v. 2. *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea?* 10. 11.
V. 13. *Tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.* 6. 155.
Pſam. 69. v. 2. *Deus, in adiutorium meum intende, Domine, &c.* 6. 28.
Pſalm. 70. v. 18. *Vſque in ſenectam, & ſenium, Deus, nè derelinquas me.* 5. 65.
Pſalm. 72. v. 22. & 23. *Ego ad nihilum redactus ſum, & neſcivi. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* 7. 81.
Pſalm. 76. v. 4. *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* 6. 119.
Pſalm. 84. v. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* 2. 26. & 7. 80.
Pſalm. 103. v. 21. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.* 11. 8.
Pſalm. 118. v. 2. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.* 1. 2.
V. 70. *Legem tuã meditatus ſum.* ibi. 8.
V. 92. *Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt, &c.* ibid.
Pſalm. 127. v. 7. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es.* 10. 87.
Pſalm. 136. v. 1. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus.* 9. 61.
Pſalm. 138. v. 11. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* 7. 56.
Pſalm. 140. v. 2. *Dirigatur, Domine, oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* 2. 726.
Pſalm. 146. v. 9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus.* 11. 8.

EX LIB. PROVERB.

Cap. 8. v. 28. *Circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, nè tranſirent fines ſuos.* 11. 8.
V. 30. & 31. *Ludens coram eo omni tempore; ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ, &c.* 9. 52.
Cap. 25. v. 20. *Acetũ in nitro, qui cãtat carmina cordi peſſimo.* ibid. 62.
Cap. 31. v. 28. *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* 10. 153.

EX LIB. ECCLESIASTES.

Cap. 7. v. 3. *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii.* 9. 95.
V. 5. *Cor Sapientium vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.* ibid.
Cap. 9. v. 5. *Viventes enim ſciunt, ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt amplius.* 4. 42.
Cap. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit.* 6. 127.
Cap. 12. v. 12. *Frequenſque meditatio carnis afflictio eſt.* 10. 10. & 2. 27.

EX LIB. CANTIC.

Cap. 1. v. 7. *Indica mihi :: Vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* 6. 21.
V. 12. *Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* 5. 75.
Cap. 2. v. 3. *Sub vmbra illius, quem deſideraveram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* 12. 92.
Cap. 2. v. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis; quia amore langueo.* 5. 59.
V. 10. *En dilectus meus loquitur mihi.* 5. 76.
V. 13. *Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni.* 9. 2.
V. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* 5. 60.
Cap. 3. v. 1. 2. & 3. *In lectulo meo per noctes quæſivi, &c.* 6. 8.
V. 5. *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, nè ſuſcitetis, nec evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* 1. 80.
Cap. 4. v. 8. *Veni de Libano, Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* 10. 87.
Cap. 5. v. 6. & 7. *Peſſulum oſtii mei ape-*

aperui dilecto meo, at ille declinaverat, atque transierat. 5. 78.
V. 8. *Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inveneritis dilectũ meum.* 5. 56. & 79.
V. 9. *Quò abiit dilectus meus, ò pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum.* 5. 79.
Cap. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.* 1. 51.
Cap. 7. v. 10. *Ego dilecto meo, & ad me converſio illius.* 5. 76.
V. 11. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum.* ibidem.
Cap. 8. v. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum.* ibidem.
V. 6. *Fortis eſt vt mors dilectio.* 10. 167.
V. 13. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant: fac me audire vocem tuam.* 5. 58.

EX LIB. SAPIENTIÆ.

Cap. 6. v. 19. *Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt: & dilectio cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem, &c.* 11. 104.
Cap. 7. v. 7. *Invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* 2. 31. & 9. 33. & 11. 30.
V. 8. *Et præpoſui illam Regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.* 9. 1.
V. 11. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* 9. 1.
V. 13. *Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.* ibidem.
V. 29. *Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, &c.* 9. 3.
Cap. 8. v. 1. *Diſponit omnia ſuaviter.* 38.
V. 2. *Et amator factus ſum formæ illius.* 9. 1.
V. 3. *Sed & omnium Dominus dilexit illam.* ibid. 2.
V. 16. *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa.* 10. 10.
Ibid. *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.* 9. 1. & 33.
Cap. 9. v. 15. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſũ multa cogitantem.* 9. 46.
Cap. 13. v. 5. *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poteſt Creator horum videri.* 12. 104.

EX LIB. ECCLESIAST.

Cap. 7. v. 38. *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula.* 9. 95.
Cap. 15. v. 3. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, &c.* 10. 1.
Cap. 18. v. 23. *Ante orationem præpara animam tuam.* 2. 24,
Cap. 22. v. 6. *Muſica in luctu importuna narratio.* 9. 62.
Cap. 24. v. 29. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* 6. 31.
Cap. 30. v. 22. & 25. *Triſtitiã non des animæ tuæ. Multos enim, &c.* 9. 99.
Cap. 38. v. 25. *Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.* 7. 31.
Cap. 44. v. 1. *Laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros.* 5. 51.
Cap. 48. v. 1. *Surrexit Elias Propheta, quaſi ignis.* 5. 92.

EX ISAIÆ.

Cap. 8. v. 19. *Cùm dixerint ad vos: quærite à pythonibus, & à Divinis, &c.* 5. 23.
Cap. 14. v. 19. *Tu autem proiectus es.* 6. 89.
Cap. vltim. v. 24. *Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* 6. 71. & 113.

EX IEREMIA.

Cap. 7. v. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc ::: & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* 6. 212.
Cap. 12. v. 11. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra: quia nullus eſt, qui recogitet corde.* 1. 2.

EX EZECHIELE.

Cap. 22. v. 30. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra.* 7. 28.

EX DANIELE.

Cap. 3. v. 57. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* 11. 8.

V. 72. *Benedicite, lux, & tenebræ, Domino.* ibi.
V. 81. *Benedicite, omnes beſtiæ, & pecora, Domino.* ibi.

EX IONA.

Cap. 3. v. 7. & 8. *Boves, & pecora non guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* 11. 8.

EX SOPHONIA.

Cap. 1. v. 8. *In die Hoſtiæ Domini viſitabo ſuper Principes, & ſuper filios Regis, & ſuper omnes, qui induti ſunt veſte peregrina.* 11. 138.

EX ZACHAR.

Cap. 1. v. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* 3. 40.

EX LIB. SECUNDO MACHAB.

Cap. 12. v. 42. *Et ad preces converſi, rogaverunt, vt id, quod factum erat, delictum oblivioni traderetur, &c.* 6. 90. & 111. & 149.

V. 46. *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſolvantur.* 6. 146.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX D. MATTH.

Cap. 1. v. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum.* 5. 28.
Cap. 4. v. 10. *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* 3. 13.
Cap. 5. v. 5. *Beati, qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* 9. 76.
V. 7. *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* 6. 69. & 105.
Cap. 6. v. 9. *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, &c.* 5. 13. & 24. & 39.
V. 13. *Et nè nos inducas in tentationem.* 2. 69. & 73.
V. 33. *Quærite ergo primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius.* 3. 41.
Cap. 7. v. 8. *Omnis, qui petit, accipit, qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* 3. 41.
Cap. 12. v. 32. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, &c.* 6. 206.
Cap. 19. v. 17. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* 5. 37.
V. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes.* ibid. & 11. 40.
Cap. 21. v. 13. *Domus mea domus orationis, &c.* 3. 41.
Cap. 24. v. 46. *Beatus ille ſervus, quem, cùm venerit Dominus eius, &c.* 5. 20.
Cap. 25. v. 41. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui, &c.* 6. 71.
V. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternũ: iuſti autem in vitam æternam.* ibid.
Cap. 26. v. 33. *Antequàm gallus cantet, ter me negabis.* 3. 195.
V. 34. *Etiamſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquàm ſcandalizabor.* 6. 197.
V. 41. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* 6. 29.
Cap. 27. v. 46. *Eli, Eli, lamma ſabacthani?* 5. 98.
V. 47. *Eliam vocat.* 5. 91.
V. 49. *Sine, videamus, an veniat Elias liberans eum.* ibid.

EX D. MARCO.

Cap. 15. v. 36. *Sinite, videamus, ſi veniat Elias ad deponendum eum.* 5. 98.

EX D. LUCA.

Cap. 1. v. 38. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* 7. 81. & 5. 77.
V. 49. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & Sanctum nomen eius.* 6. 3.
Cap. 2. v. 11. *Natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus.* 5. 28.
V. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* 10. 154.
Cap. 6. v. 12. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* 4. 8.
Cap. 10. v. 27. *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis.* 11. 74.
V. 41. & 42. *Solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ*

quæ non auferetur ab ea. 7. 31. & 10. 48.

Cap. 11. v. 2. *Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum.* 5. 24. & 39.

Cap. 16. v. 24. *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* 6. 108. & 117.

V. 26. *Inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt: vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſsint, neque inde huc tranſmeare.* ibidem.

V. 28. *Habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, nè & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* 6. 91.

Cap. 18. v. 1. *Oportet ſemper orare.* 3. 6. & 14. & 29.

Cap. 21. v. 33. *Cælum, & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.* 6. 90.

Cap. 23. v. 34. *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt.* 4. 8.

EX D. IOANNE.

Cap. 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem veniẽtem in hunc Mundũ.* 3. 39.

Cap. 4. v. 13. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* 6. 33.

V. 23. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* 7. 52.

Cap. 6. v. 54. *Niſi manducaveritis carnẽ filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 6. 106.

V. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* ibidem.

Cap. 9. v. 31. *Peccatores Deus non audit.* ibid. 167.

Cap. 11. v. 42. *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, &c.* 4. 17.

V. 49. *Vnus autem ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, &c.* 12. 111.

Cap. 16. v. 23. *In illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, &c.* 5. 72.

V. 24. *Vt gaudium veſtrum ſit plenum.* 4. 40.

V. 26. & 27. *Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. ipſe enim Pater amat vos.* 5. 73.

Cap. 17. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te.* 8. 46.

Cap. 19. v. 25. *Stabant autem iuxta Crucem IESV, Mater eius.* 4. 8.

Cap. 20. v. 4. *Currebant autem duo ſimul.* 1. 85.

Cap. 21. v. 17. *Paſce oves meas.* 10. 180.

EX ACT. APOSTOLOR.

Cap. 7. v. 32. *Tremefactus autem Moyſes, non audebat conſiderare.* 11. 42.

Cap. 20. v. 28. *Attendite vobis, & vniverſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* 10. 180.

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 1. v. 20. *Inviſibilia enim ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* 8. 11.

Cap. 8. v. 24. *Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat?* 6. 8.

V. 26. *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* 11. 8.

V. 34. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* 4. 12.

Cap. 9. v. 3. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* 10. 84.

Cap. 10. v. 14. *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt?* 3. 57.

Cap. 11. v. 32. *Concluſit enim Deus omnia in incredulitate: vt omnium miſereatur.* 6. 87.

Cap. 13. v. 1. *Quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* 1. 38.

Cap. 15. v. 30. *Obſecro vos, fratres, &c. vt adiuvetis me in orationibus veſtris pro me.* 5. 62.

EX EPIST. 1. AD CORINTH.

Cap. 2. v. 15. *Spiritualis enim iudicat omnia.* 12. 116.

Cap. 9. v. 22. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſalvos.* 5. 28.

Cap. 12. v. 25. *Pro invicem ſolicita ſint membra.* 6. 54.

V. 13. *Excellentiorem viam vobis demonſtro.* 12. 21.

Cap. 14. v. 15. *Orabo ſpritu, orabo & mente.* ibi. 5.

EX SECUNDA AD CORINTH.

Cap. 4. v. 10. *Semper mortificationem*

IESV in corpore noſtro circumferentes, &c. 1. 10.

Cap. 5. v. 6. & 7. *Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus.* 6. 15.

V. 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque, prout geſſit.* ibi. 155.

Cap. 7. v. 9. *Gaudeo: non quia conſtriſtati eſtis, ſed quia conſtriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundùm Deum.* 9. 98.

EX AD GALATAS.

Cap. 2. v. 20. *Vivo autem iam non ego: vivit verò in me Chriſtus.* 10. 3.

Cap. 3. v. 19. & 20. *Ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Mediator autem vnius non eſt: Deus autem vnus eſt.* 5. 28.

Cap. 6. v. 5. *Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.* 6. 156.

EX AD COLOSSENSES.

Cap. 2. v. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans.* 5. 27. & 34.

Cap. 3. v. 14. *Charitas eſt vinculum perfectionis.* 6. 73.

Cap. 4. v. 3. *Orantes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis.* 5. 62.

EX PRIMA AD THESSALON.

Cap. 5. v. 17. *Sine intermiſsione orate.* 3. 14.

EX 2. AD THESSALON.

Cap. 3. v. 1. *De cætero fratres orate pro nobis, vt ſermo Dei currat.* 5. 62.

EX PRIMA AD TIMOTHEUM.

Cap. 2. v. 1. *Obſecro igitur primùm omnium obſecrationes fieri, orationes, poſtulationes, &c.* 2. 58.

V. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 6. 172.

V. 5. *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus IESVS.* 5. 26. *& ſequentibus.*

EX EPIST. AD PHILEMONEM.

V. 17. *Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum, ſicut me.* 4. 41.

EX AD HÆBREOS.

Cap. 7. v. 25. *Vnde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* 5. 73.

Cap. 13. v. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum.* 10. 180.

EX EPIST. D. IACOBI.

Cap. 1. v. 4. *Patientia autem opus perfectum habet.* 1. 79.

Cap. 2. v. 10. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* 6. 105.

V. 13. *Iudicium enim ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam.* 6. 104.

Cap. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, &c.* 7. 43.

EX EPIST. 1. B. PETRI.

Cap. 1. v. 12. *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* 6. 32.

EX EPIST. SECUNDA.

Cap. 1. v. 21. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spirtu Sancto inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines.* 2. 14.

EX EPIST. PRIMA B. IOANNIS.

Cap. 2. v. 1. *Advocatum habemus apud Patrem Ieſum-Criſtum, Iuſtum.* 4. 12. & 5. 14. & 28. & 72.

Cap. 4. v. 18. *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* 4. 62.

Cap. 5. v. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* 6. 212.

EX APOCALYPSI.

Cap. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur ::: Opera enim illorum ſequuntur illos.* 6. 155.

Cap. 18. v. 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum.* 6. 135.

Cap. 20. v. 9. *Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, &c.* ibi. 71. & 103.

* * * * *
* * * *
*

INDEX RERVM NOTABILIVM,

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

PRIMUS NUMERUS DISPUTATIONEM INDICAT: SECUNDUS verò, & si qui aliqui, marginalem signant.

A

ABEL.

Pro eo, & aliis defunctis D. Iacob minor orabat. 6. 147.

ABRAHAM.

In Limbo non fuit comprehensor. 4. 44.

Tenebatur ad immolandum filium; quia ei fuit præceptum. 5. 41.

Ad eum oravit Dives dānatus. 5. 89.

ACCIDENS.

Accidens non potest actuare subiectum non perfectibile. 1. ante n. 1.

Contemplatio est accidens perfectivum naturæ rationalis. ibi.

Fides est accidens, licèt dicatur substantia. 7. 82.

Accidenti perfectior substantia; & ab eo exceditur secundùm quid. 10. 42.

Ab accidenti repugnat substantiam animæ speciem sumere. 12. 1.

ACTIO.

Divisio actionis in immanentem, & transeuntem, non est vnivoca. 8. 54.

Non omnis actio collocatur in prædicamento actionis. ibi.

Nomen *actio* propriſsimè significat transeuntem. 8. 45.

Hæc transit in rem exteriorem. ibidem.

Nomen *operatio* significat actionem immanentem. ibi.

Hæc non transit in rem exteriorem. ibi.

Nec petit terminum producere. ibi.

Est simul *fieri, & factum esse.* ibi.

Actio prædicamentalis fluit ab agente cum motu. 8. 48.

Actio dupliciter est effectus contemplationis. 11. 69.

ACTUS.

Imperfectus priùs habetur, quàm perfectus, dum proceditur de potentia ad actum. 1. 4.

Actus imperfectus est medium inter potentiam, & actum. ibi.

Non potest haberi actus perfectus, quin præhabeatur imperfectus, dum proceditur de potentia ad actum. ibi.

Actus virtutum moralium disponunt ad contemplationem. 1. 33.

Actus non elicitur â potentia, si mediat potentia, & habitus, vel solus hic. 2. 124. & 125.

Si sola potētia mediat, actus elicitur ab habitu in alia potentia residēte. ibi.

Actus procedens â potentia dependente ab alia, ab vtraque dependet: ab vna vt movente, ab alia vt mota. 2. 136.

Actus habet *esse* formale â potētia movente: â mota verò *esse* substantiale. ibi.

In potentia mota vltimò perficitur actus, & quarè? ibi.

Actus orationis elicitur â Religione existente in voluntate. 2. 138.

Oratio est actus intellectus. 2. 139.

Contritionis, vel charitatis actum elicit anima ante separationem â corpore incompossibilem cum culpa veniali. 4. 70.

Actus non generant nisi habitus sibi similes. 13. 30.

Actus perfectus requirit habitum perfectum. ibi.

Vt sit perfectus requiritur vltra habitum expeditio subiecti operantis. 13. 30. & 5.

Actus habitus infusi non generant habitum, sed præexistentem confirmant. 13. 30.
Actus fidei non illustratæ præcedit gustum voluntatis. 13. 13.
Contemplationis actus subsequitur ad gustum voluntatis. ibi.

ADAMUS.

Habuit contemplationem mediam inter beatificam, & nostram. 14. 20. & 21.
Ei non fuit vnita natura Divina vt species. ibi.
Non vidit Deum per essentiam. 14. 22.
In statu innocentiæ fuit in via ad beatitudinem. ibi.
Quo sensu in eo statu fuerit beatus? ibi.

ADORATIO.

Primus, qui adorationem Sanctis negavit fuit Eusthatius Sebastens. Episcopus, quem extumulavit Vigilantius. 4. 32.

AMOR.

Est origo purgationis passivæ. 1. 10.
Hominem elevat ad Seraphim societatem. 1. 85.
Amor respicit Deum propter se ipsum. 6. 22. & 23.
Mira ars animæ ardentissimè Deum diligentis. 6. 24.
Verus amor non respicit præmium. 6. 27.
Amor proprius non semper malus. 9. 29.
Amor est principalis affectio animæ, & vehementior. 10. 167.
Amor perfectissimus deservit ad simultatem vitæ contemplativæ, & activæ. 10. 174.
Divinus amor facit hominem non sua vita, sed Divina vivere. 10. 176.
Amor dicitur *oculus*, & quarè? 12. 35.
Explicatur hoc â D. Thoma. ibi.

ANGELUS.

Intelligit simplici intuitu. 1. 32.
Antichristus habet Angelum Custodem. 6. 77.
Angelis est demandatum illuminare homines. 10. 119.
Post resurrectionem Angelorum ministerium non permanebit. 10. 120.
Angelis sunt similes, qui habent animum â passionibus elevatum. ibi.
Activa vita datur in Angelis. 10. 149.
Homo continuatur cum Angelis in intellectivo. 11. 6.

ANIMA.

Vt anima ad contemplationem ascendat, debet priùs meditari. 1. 2.
Aliter gravi periculo exponitur. ibi, & 6. & 7.
Purgatio animæ comparatur Purgatorio, & quarè? 1. 9.
Anima ducitur â Deo in via spirituali iuxta conditionem ipsius. 1. 38. & 39.
Anima orat in Purgatorio oratione communiter dicta. 4. 48. & 49.
Ex dispensatione verò Divina orat oratione propriè tali. 4. 47.
In mortis instanti anima elicit actum contritionis incompossibilem cum peccato veniali. 4. 70.
Anima Purgatorii apparet cuidam Religioso. 6. 144.
Animæ, cui Deus desponsatur, habet visionem humanitatis. 8. 10.
Solet Deus animam elevare ad contemplationem infusam. 8. 90.
Contemplatio sustentat animam in bono. 9. 70.
Pars superior animæ Deo subiicitur media contemplatione amarissima. 9. 72.
Contemplatio occultat animam ipsius inimicis. 9. 73.
Comparat etiam animæ sublimissimam scientiam. 9. 74.
Aproximat insuper animã Deo, â quo protegitur. 9. 75.
Contemplatio est animæ vita. 10. 1.
Etiam est mors eius. 10. 2.
Anima vivit sua operatione. 10. 4.
Media contemplatione anima vivit vita Dei. ibi.
Per fervidam contemplationem ita Deo anima vnitur, vt proprium actum non attendat. 10. 10.
Animam ter Deus vocat. 10. 88.
Amor est principalis affectio animæ. 10. 167.

Et vehementior. ibi.
Distinctio animæ â spiritu. 10. 174.
In via spirituali non potest anima esse sine motu. 11. 87.
Anima non est principium proximum contemplationis. 12. 1.
Si esset principium immediatum illius, non foret contemplatio voluntaria. 12. 3.

ANIMUS.

Qui habent animum elevatum â passionibus, similes sunt Angelis. 10. 120.
Ad contemplationem activam possumus animum levare. 11. 17.
Animum proficiendi deponens peccat mortaliter. 11. 127.

ANTICHRISTUS.

Est noster proximus. 6. 77.
Pro eo possumus orare. ibi.
Antichristus habet Angelum Custodem. ibi.
Scimus esse damnandum. 6. 176.

APPREHENSIO.

Contemplatio non est simplex apprehensio. 12. 74.
Apprehensio est incapax erroris, & quarè ? 12. 77.
Et incapax inordinationis. ibi.
Apprehensio non percipit veritatem formaliter talem. 12. 78.
Visio beata non est simplex apprehensio. 12. 81.
Iudicium credulitatis differt ab apprehensione. 12. 84.
Species, quæ influunt in assensum Fidei, influunt in apprehensione terminorum. 14. 2.
Apprehensio non est pura ociositas. 11. 41.

ARGUMENTUM.

Ab ethymologia qualiter efficax, aut inefficax sit ? 2. 104.

ARISTOTELES.

Docet, quòd homo hominum communicationem fugiens, est aut bestia, aut Deus. 10. 141.

AUCTOR.

Beati non invocantur ut auctores beneficiorum, sed vt intercessores. 5. 23.
Deus cognoscitur vt auctor naturæ per effectus naturales. 14. 50.
Vt auctor gratiæ per supernaturales, ibi.

B

BARAMBIUS.

Negat orationem fidei. 7. 37.
Admittit contemplationem acquisitam. ibi.
Malè intelligit Barambius id, in quod procedit. 7. 39.
Dividit Theologos *in Mysticos, & Theologicos.* 7. 37.
Dividit orationem *in meditationem, contemplationem, & vnionem.* 7. 71.
Mala est hæc divisio. 7. 74.
Alia pluta inculcat Barambius tota illa quæstione.

BEATI.

Beati cognoscunt cogitationes cordium cognitione participata. 4. 40.
Naturaliter scire desiderant, qui illos invocent, & quo sui cultores egeant, ibi.
Beati non habent munus Custodum erga nos. 4. 41.
Ex conditione sui status debetur Beatis, quòd suorum cultorum orationes cognoscant. 4. 43. & 44.
Beatos orare possumus. 5. 18.
Eos invocat vniversalis Ecclesia â primis temporibus. 5. 19.
Beati possunt, & volunt nobis favere. 5. 20.
Sciunt nostras indigentias. ibi.
Ex Beatorũ invocatione nulla Christo irrogatur iniuria. ibi.
Beati invocantur non vt auctores, sed vt intercessores beneficiorum. 5. 23.
Licèt Beatos invocemus, non credimus in eos. ibi.
Datur præceptum de Beatorum invocatione. 5. 35.
Eorum invocatio est lex posita â Deo, vt nobis faveant. 5. 42.
Et hoc præcipuè est verum in invocatione Sanctissimæ Virginis. 5. 44.
Præceptum de Beatorum invocatione est partim naturale, & partim positivum. 5. 51.
Ad hoc præceptũ necessitas vrget. ibi.

Et etiam Ecclesia. ibi.
Hoc præceptum est *cultus Sanctorum*. ibi.
Pertinetque ad quartum Decalogi. ibi.
Beati sunt Patres nostri, quos laudare debemus. ibi.
Etiam perfecti tenentur Beatos orare. 5. 56.
Beati orant pro se ipsis, & quarè? 6. 3.
Non possumus orare pro eorum beatitudine absolutè sumpta, nec vt continuanda. 6. 6.
Essentialem Beatorum non possumus beatitudinem sperare. 6. 7.
Beati possunt de *posse absoluto* mereri aliquod præmium accidētale. 6. 20.
Sed tunc non essent viatores. ibi.
Beatorum gloria duplex. 6. 38.
Beatos signat pars tincta Hostiæ. ibi.
In Beatis est timor non separationis â Deo, sed quo ipsum reverentur. 6. 39.
Beati cognoscunt, Deum posse illos anihilare, sed ob hoc non anxiantur. ibi.
Malum non est posibile Beatorum statui, sed ipsorum naturæ. ibi.
Continuatio beatitudinis non est eis futura, sed præsens. 6. 41.
Implicat revelatio de destructione alicuius Beati. ibi.
Beatorum gloria accidentalis est duplex. 6. 42.
Dupliciter intelligi potest, quòd Beatis prosint orationes nostræ. 6. 43.
Orationes nostræ Beatis non prosunt vt medium, quo egeant, vt desiderata obtineant. 6. 44.
Sicque pro eis orare non possumus. 6. 45.
Possumus pro Beatis orare; quia hoc est eis occasio gaudendi. 6. 53.
In quo sensu potest dici, quòd Beati merentur.? 6. 60.
Cùm Beati vivis apparent, vt orent, non auxiliū implorāt, sed Dei præceptum intimant. 6. 63.
Peccator potest orare pro viatore iusto: & hic non potest pro Beato. ibi.
Ex nostra oratione pro Beatis oriuntur plura bona. 6. 64. & 65.
Beati non orant pro damnatis. 6. 108.
Nec de illis habent compassionem. ibi.
Matrimonium spirituale Beatorum consistit in vnione actuali. 10. 188. & 189.
Lumen gloriæ est Beatorum Theologia. 13. 89.
Beatus differt â viatore per *videre, & non videre*. 14. 21.

BEATITUDO.

Sanctorum beatitudo alia est accidentalis, & essentialis alia. 6. 1.
Essentialis potest sumi vt possessa, vel vt continuanda. 6. 2.
Vtroque modo est præsens Beatis. 6. 7. & 8.
Et non potest peti, aut desiderari ab illis. ibi.
Octo beatitudines sunt actus donorum Spiritus Sancti. 9. 77.
Beatitudo habet rationem finis. 10. 93.
Nullus actus viæ potest habere perfectè rationem beatitudinis. 12. 22.
Beatitudo in Patria plura dicit vnita, quæ dispersa sunt in pluribus viæ actibus. ibi.
Ratio beatitudinis convenit pluribus viæ actibus. ibi.
Ille actus perfectiùs est beatitudo, qui præcipuum conceptum eius participat. ibi.
Præcipuus, & essentialis conceptus Beatitudinis est, quòd sit *assecutio*, seu *apprehensio obiecti*. ibi.
Patriæ beatitudo dupliciter participatur â viæ beatitudine. 12. 23.
Beatitudo in via alia est inchoata, & alia moralis. ibi.
Perfectior, & proprior est inchoata. ibi.
Est actus intellectus. ibi.
Moralis beatitudo est actus voluntatis. ibi.
Contemplatio est beatitudo formalis viæ. 12. 22. 23. & 24.
Datur beatitudo, quæ non est visio Dei. 14. 21.
Visio Dei est vltima beatitudo. ibi.
Hæc non consistit in quo *Deus magis, aut minùs videatur*: sed in quo *simpliciter videatur*. ibi.
Vltima beatitudo non datur sine lumine

ne gloriæ. 14. 22.

BEGARDI, ET BEGUINÆ.

Damnati fuerunt â Clemente V. 1. 8.
Asserebant imperfectum esse in contemplatione aliquid de Eucharistia, aut Passione Domini cogitare. ibi.

BONUM.

Habet rationem finis. 9. 4.
Bonum differt ratione â pulchro: re tamen sunt idem. ibi.
Contemplatio est bonum delectabile. 9. 33.
Veritas habet rationem boni appetibilis, amabilis, & delectantis. 12. 42.

C

CARMELITÆ.

Proximus Carmelitarum finis est mixtus ex contemplatione, & actione. 11. 117. & sequentibus.
Contemplatio verò est rectum in tali fine. ibi.
Hoc decernitur in nostris Constitutionibus. 11. 121.
Carmelitæ non habuerunt â sua fundatione Regulam scriptam. 11. 122.
Gubernabantur Statutis â Magno Elia ore traditis, & in alios per traditionem derivatis. ibi.
Sic permansere vsque ad annum Domini 1112. in quo Caprasius â Patriarcha Ierosolimitano Regulam scriptam obtinuit. ibi.
Hæc Regula conscripta græcè, duravit vsque ad Aymericum, qui illam in latinam transtulit propter occidentalis incolas montis Carmeli. ibi.
Hæc translatio facta est circa annum Domini 1150. ibi.
Anno autem 1171. Albertus Patriarcha hanc Regulam resumpsit. ibi.
Hancque Regulam Carmelitæ habemus, prout ab Innocentio IV. anno Domini 1248. declaratam. ibi.
Nunquàm Carmelitæ vixerunt sub regula magni Basilii. 11. 123.
Non fuit tempus, in quo sub tali Regula vivere potuissent. ibi.
Regula Alberti est prorsus diversa â Basilii regula. ibi.
Deceptio D. Antonini circa hæc. ibi.
Definitur Carmelitarum Regula. 11. 124.
Carmelitæ tenemur ad orationem purè mentalem. 11. 122. & seq.
Carmelitarum Regula præcipit orationem purè mentalem. 11. 128.
Etiam præcipit vocalem. ibi.
Mentali orationi non satisfit per vocalem. 11. 129.
Vocalis verò impletur per mentalem. 11. 129. & 130.
Carmelitarum Regula cap. 7. præcipit orationē determinatè vocalem. ibi.
Cùm finis Carmelitæ impeditur, tunc non orare mentaliter est illi peccatum mortale. 11. 132.
Non quoties Carmelita frangit præceptum orationis purè mentalis graviter peccat. ibidem.
Exterius distinctivum Carmelitarum est proprius habitus. 11. 135.
Interius verò eorum distinctivum est. oratio purè mentalis. ibi.
Carmelita, orationi mentali non studens, Carmelita non est. 11. 138.
Et hoc faciens non habet, per quod differat ab aliis. ibi.
Omnes conveniunt in hoc, quòd Carmelita, orationi mētali non studens, peccat mortaliter. 11. 142.
Discriminantur verò, an tale peccatum sit *per se*, vel *per accidens*. ibi.
Malè dicitur doctrina hæc conscientiæ turbativa. ibi.
Carmelitarū Regula non præcipit die, ac nocte mentem in Deum actu ferre. 11. 145.
Hoc est impossibile in via. ibi.
Hæc verba *die, ac nocte*, &c. quomodo sint de præcepto? 11. 146.
Oratio mentalis, ad quam Carmelitæ tenemur, est cōtemplativa. 11. 149.
Finis proprius Carmelitarum est contemplatio propriè talis. 11. 151.
Extra cellulam Carmelita occupatus, etiam tenetur ad contemplationem. 11. 181.
Carmelita non satisfacit præcepto Regulæ duabus horis orationis quotidianis. 11. 185.

CASUS.

Particularis casus non eximitur â com-

muni Regula,dum non adeſt ſpecialis circunſtantia. 1. 47.
Ex particulari caſu infertur in doctrinalibus illatio generalis. 5. 37.

CHARITAS.

Propriũ eſt charitatis reſpicere Deum vt finem ſupernaturalem. 2. 124.
Charitas influit formaliter in actũ Fidei directum in Deum finem ſupernaturalem. ibi.
Charitatis actum incompoſibilem cum veniali elicit anima ante ſeparationem â corpore. 4. 70.
Charitas in cella vinaria ordinata non reſpicit præmium, ſed ſolùm Deum propter ſe ipſum. 6. 21. & 22.
Eſt principium vitæ contemplativæ, vt reſpicit Deum. 10. 52.
Vt verò reſpicit proximum, eſt principium activæ. ibi.
Incipiens poteſt habere maiorem charitatem, quàm perfectus. 11. 36.
Charitas eſt finis Religioſorum. 11. 111.

CHRISTUS.

Eſt de fide, quòd Chriſtus in hoc Mundo propriè oravit, & verè. 4. 8.
Oravit mentaliter, & vocaliter. ibi.
Oravit ſolus, & coram aliis. ibi.
Oravit pro ſe, & pro aliis. ibi.
Chriſtus habuit indigentiam auxilii â Deo,vt ſuum deſideriũ expleret. 4. 10.
In Cœlo nunc orat oratione propriè tali. 4. 11.
De Chriſti oratione in horto mirè loquitur S. M. N. Thereſia. 4. 26.
In Chriſto datur voluntas, quæ eſt *ſenſualitas*, & quæ eſt *rationalis* vt natura, & formaliter vt talis. 4. 24.
Per illam *primam* non petiit Chriſti ratio,ſed exponebat eius deſiderium 4. 26.
Per *ſecundam* petivit, quæ non futura ſciebat. ibi, & 25. & 27.
Chriſtus petivit, quæ deſiderabat ſenſualitas, & quarè ? 4. 26.
Nulla fuit contradictio in eo, quòd Chriſtus contraria ſecundùm has voluntates peteret. 4. 27.
Nobis impetrat, ſed non meretur. 4. 31.
Dominica oratione docuit nos Chriſtus res petendas,& modum petendi. 5. 10.
Ex invocatione Sanctorũ nulla Chriſto irrogatur iniuria. 5. 20.
Chriſtus eſt Mediator Dei, & hominum. 5. 32.
Verè meruit, & ſpe caruit. 6. 21.
Oravit in Cruce pro omnibus. 6. 191.
Oravit pro prædeſtinatis, vt ſalutem conſequerentur. ibi.
Oravit pro reprobis, vt minùs mali forent. ibi.
In Dominica oratione docuit Chriſtus, quòd pro omnibus orare poſſumus. 6. 206.
Chriſtus docuit contemplationem activam. 7. 31.
Chriſti dilectio mortuum reddit hominem Mundo. 10. 167.

COGNITIO.

Cognitione participata cognoſcunt Beati cogitationes cordium. 4. 39. & 40.
Scientia eſt cognitio certitudinis. 13. 32.
Eſt etiam cognitio procedens ex cognitione principiorum. ibi.
Eſt denique propriè cognitio per cauſas, & ex cauſis. ibi.
Repugnante cognitione repugnat ſpecies. 14. 47.
Cognitio terminata ad exiſtẽtiam Dei, non poteſt eſſe quoad *an eſt*. 14. 48.
Cognitio Dei per effectus eſt mediata. 14. 50.

CONFESSIO.

Ad confeſsionem requiritur peccatorum præteritorũ cogitatio. 11. 69.

CONGREGATIO.

Alicuius congregationis Doctores explicantes regulæ, vel conſtitutionis textum, propriè loqui cẽſendi ſunt. 11. 160.
Omnia ſtatuta mutarent,ſi propriè non loquerentur. ibi.
Non eſt inuſitatum, quòd aliquis textus ambiguus, obſcuruſve ſit. ibi.

CONTEMPLATIO.

Eſt perfectiva naturæ rationalis. 1. ante num. 1.
Contemplatio conſiſtit in vnico actu. 7. 63.

Ad eam requiruntur plures actus. 7. 63. & sequent.
Est ex se bona. 9. 1.
Est ex se pulchra. 9. 3.
Est ex se, & per suam essentiam bona: sed non ex se est bona, seu per essentiam. 9. 5.
Quod discrimen inter vtrumq; detur? ibi.
Habet honestatem. 9. 10.
Est laude, & honore digna. 9. 16.
Quid hoc sit? ibi.
Est bonum delectabile. 9. 33.
Convenit homini secundùm propriam naturam. 9. 37.
Non est ex se afflictiva, & quarè? 9. 86. & sequent.
Est res permanens. 10. 8.
Citò fluit. ibi.
Est motus perfecti. 10. 10.
Ipse motus est quies. ibi.
Principium *quod* contemplationis est homo. 11. 1. & 2.
Omnis contemplatio raptum causat, & quomodo? 11. 49
In omni cõtemplatione inferior natura sequitur impetum superioris. 11. 50. & 51.
Anima non est principium proximum contemplationis. 12. 1.
Si contemplatio esset immediatè ab anima, non esset libera, nec necessaria, & quarè? 12. 3.
Voluntas non est principium proximum contemplationis. 12. 14.
Contemplatio est animæ visio. ibi.
Est assecutio obiecti. 12. 22. 23. & 24.
Est beatitudo formalis viæ. ibi.
Contemplatio est intimior obiecto contemplato, quàm dilectio. 12. 26.
Se tenet ex parte obiecti. ibi.
Principium proximum contemplationis est intellectus. 12. 29.
Contemplatio, & dilectio mutuò se causant. 12. 35.
Veritas est ipsius finis. 12. 44.
Contemplatio, vt talis, solùm respicit veritatem. 12. 45.
Non est simplex apprehensio. 12. 74.
Non est actus iudicii inquisitivi. 12. 91.
Nec discursus. 12. 94.
Excludit cogitationem. 13. 11.
Contemplatio in via est omnino connaturalis animæ. 14. 31.
CONTEMPLATIO PHILOSOPHICA.
Ab Aristotele fuit edocta. 7. 33.
Contemplatio non dicitur *philosophica*; quia solis gẽtilibus cõvenit. 8. 5.
Convenit etiam Theologo Scholastico. ibi.
Qui speculationem ad inflammandam voluntatem non dirigunt, philosophicè contemplantur. ibi.
Non potest amari contemplatio philosophica ex motivo Religionis, & quarè? 9. 30.
CONTEMPLATIO RELIGIOSA.
Debet supponere meditationem. 1. 2.
Begardi, & Beguinæ asserebant, imperfectum esse aliquid de Eucharistia, aut Passione Domini in contemplatione cogitare. 1. 8.
Mors mystica Religiosam contemplationem præcedit. 1. 9.
Ista contemplatio est finis meditationis. 1. 11.
Pernitiosum est istam contemplationem ante meditationem exercere. 1. â num. 11. tota quæst. 2.
Habitualis contemplatio, nunquàm indigens meditatione, damnatur. 1. 20. & 21.
Est visio mystica. 1. 23.
Ad perfectam contemplationem derelinquenda est connaturalis animæ operatio. 1. 22. & 23.
Si exerceatur ante meditationem, periculum illusionis incurritur. 1. 25.
Ex privilegio autem speciali potest sine meditatione haberi. 1. 11. 26. & 60.
Multi actus ad istam contemplationem præcedunt. 1. 32.
Ad eam disponunt virtutes morales. 1. 33.
Non est ad Religiosam contemplationẽ aptus, qui passionibus, & tumultibus exterioribus implicatur. ibi.
Contemplatio Religiosa non est necessaria ad consequendam salutem. 1. 77.
Nec ad consequendam perfectionem. ibi. & 78.

Hæc enim consistit in coniunctione ad vltimum finem. 1. 79.
Et in conformitate cum Deo. 1. 80.
Qui Religiosam contemplationem habe deliderat, etsi non consequatur, obtinet, quod cum ea obtineret, & quarè? ibi.
A Religiosa contemplatione habet oratio vim impetrandi. 7. 50.
Definitur cõtemplatio Religiosa. 8. 1.
Hæc diffinitio est D. Thomæ. 8. 2. & sequent.
An hìc definiatur contemplatio Euangelica? 8. 3.
Hæc enim est actus hominis, vt intellectivi. 8. 11.
Hæc contemplatio hominem elevat ad classem Angelorum. ibi.
Principium elicitivum istius contemplationis habet rationem regulæ. 8. 20.
Dicitur *passio*. 8. 50.
Cur sic dicitur, & non actio? 8. 51.
Magis assimilatur motui, quàm quieti. ibi.
Cur ista contemplatio dicitur *actus ab extrinseco impressus*? ibi.
Ad Religiosam contemplationem debet terminari meditatio, vt sit fructuosa. 8. 77.
Habet sex gradus. 8. 85.
Hæc contemplatio dupliciter est supra mentem: *primò* ex parte modi: *secundò* ex parte obiecti. 8. 86.
Est ex se bona. 9. 1.
Et pulchra. 9. 3.
Habet honestatem. 9. 10.
Beata est, & honesta. 9. 16.
Est laude, & honore digna. ibi.
Potest amari ex motivo Religionis, & proprii commodi supernaturalis, & charitatis. 9. 26. 27. & 28.
Etiam, dum amatur ob eius perfectionem, virtuosa est, & quare? 9. 30.
Est bonum delectabile. 9. 33.
Est delectabilis ex se, & ex obiecto. 9. 34.
Delectatio istius contemplationis est supra omnes alias,& dolores. 9. 47.
Duplicem claudicationem contraxit Iacob â lucta, seu contemplatione. ibi.
Vna fuit defectuosa, & alia virtuosa; ibi.
Ipsa die â prima claudicatione sanus erat. ibi.
Secunda per totam vitam conservavit. ibi.
Delectatio propria contemplationem Religiosam non impedit, sed complet. 9. 53.
Extranea verò impedit. ibi.
Contemplatio Religiosa terminatur ad Deum aliquomodò præsentem. 9. 56. & 57.
Ideòque est delectablis: licèt permittat desiderium ipsius Dei vt perfectè possessi. ibi.
Contemplatio hæc, vt causat tristitiam, est delectabilis. 9. 59.
Et hoc ob plura motiva. 9. â num. 59. & deinceps.
Lacrhymis ipsius minuitur dolor contemplantis,& quarè? 9. 69.
Contemplatio hæc amara reficit vt panis. 9. 70.
Et sustentat animam in bono. ibi.
Media cõtemplatione amarissima subiicitur pars superior Deo. 9. 72.
Tristis contemplatio, vt talis, est opus dignum remuneratione æterna. 9. 76.
Contemplatio luctuosa est actus doni scientiæ. 9. 78.
Hæc cõtemplatio occultat animam ipsius inimicis. 9. 73.
Comparat animæ sublimissimam scientiam. 9. 74.
Aproximat etiam animam Deo, â quo protegitur. 9. 75.
Est vtilis. 9. 100.
Est vita animæ. 10. 1.
Est mors animæ. 10. 2.
Sumitur signatè, & exercitè. 10. 8.
Contemplatio signatè sumpta est constitutiva status contemplativi. ibi.
Exercitè accepta denominat contemplantem. ibi.
Contemplatio Religiosa, vt sibi soli sufficiens, constituit statum purè contemplativum. 10. â 31. vsque ad 35.
Vt autem ex ipsius redundantia subvenitur aliis, constituit statum mix-

Vt conſtituit vtrumque ſtatum eſt eadem entitativè: diverſa verò modaliter. 10. 33.
Contemplatio viæ relatè ad intuitivam eſt labor, & eius delectatio nulla. 10. 89.
Contemplatio in hac vita eſt merces inchoata. 10. 92. & 93.
Intuitiva verò eſt merces perfecta. ibi.
Contemplatio Religioſa non ponitur inter beatitudines tamquàm meritum, ſed tamquàm præmium. ibi.
Huic contemplationi, nec eius delectationi nihil eſt contrarium. 10. 111.
Ad iſtam contemplationem requiritur ſumma ſegregatio â creaturis. 10. 141.
Poteſt eſſe adeò ſublimis contemplatio, vt opera vitæ activæ non impediat. 10. 151.
Contemplatio, quam B. V. Maria habuit, fuit ſine extaſi, & raptu. 10. 152.
Contemplabatur, dum Redemptor noſter patiebatur in Cruce. 10. 153.
Religioſæ contemplationis principium *quod* eſt homo. 11. 1. & 2.
Contemplatio hæc eſt duplex. 11. 35.
Gratia contemplationis aliquando incipientibus datur, & denegatur perfectis. ibi.
Ex delectatione contemplationis redundat in corpus. 11. 57.
Contemplatio non eſt neceſſaria omni viatori. 11. â num. 60.
Nec iis, qui ad perfectionem tendere debent. 11. 67.
Actio dupliciter eſt effectus contemplationis. 11. 69.
Ad contemplationem non tenentur, qui ad luſtrandam viam interiorem ſpiritus obligantur. 11. 70.
Anima non eſt principium proximum contemplationis. 12. 1.
Eſt animæ viſio. 12. 14.
Contemplatio Religioſa elicitur ab intellectu, & completur â voluntate. 12. 19. & 20.
Eſt finis humanæ vitæ. 12. 25.
Reſpicit veritatem, vt dicit bonitatem, & appetibilitatem. 12. 45.
Eſt actus ſapidus. 12. 46.
Eſt ſcientia amoris. 12. 48.
Definitur per hoc, quòd ſit *ſapor boni*. 12. 49.
Religioſa contemplatio non tam cognoſcere, quàm amare quærit. 12. 51.
Eſt perfectio voluntatis. 12. 53.
Eius ratio formalis eſt affectiva. 12. 54.
Eius obiectum dicit amabilitatem. 12. 55.
Eius ratio *ſub qua* eſt ratio experti, ac deguſtati. 12. 53.
Cur contemplatio affirmativa, & negativa ſic dicantur? 12. 97.
Motus circularis eſt contemplatio formaliter. 12. 98.
Rectus verò, & obliquus ſunt diſpoſitivè contemplatio. ibi.
Contemplatio Divina eſt actus iudicii reſolutivi. 12. 114.
Non eſt actus iudicii credulitatis. 13. 14.
Contemplatio alia eſt â principio permanēti, & alia â tranſeunti. 13. 46.
Quæ eſt â principio tranſeunti eſt duplex. ibi.
Quæ verò â permanenti, alia eſt naturalis, & ſupernaturalis alia. ibi.
Implicat hæc contemplatio in habente grave peccatum. 13. 55.
Non omnia dona in contemplationem influunt. 13. 95.
Contemplatio procedens â donis, perfectior eſt, quàm quæ ab aliis. 13. 99.
In nulla contemplatione obſcura vnitur Deus menti cōtemplantis in ratione ſpeciei intelligibilis. 14. 20.
Implicat cōtemplatio quiditativa Dei, quæ non ſit intuitiva. 14. 40.

CONTEMPLATIO Acquisita.

Eſt in noſtra poteſtate. 1. 87.
Ad contemplationem acquiſitam diſponit purgatio ſenſuum. ibi.
Diviſio eius. 7. 4.
Alia eſt per affirmationem, & per negationem alia. 7. 8.
Perfectior eſt, quæ eſt per negationem. ibi.
Acquiſitam ſuperat infuſa. 7. 8. & 9.

Eam docet S. Doctrix D. Theresia. 7. 12.
Etiam N. Extat. Doct. D. Ioannes â Cruce. 7. 14.
Et alii plures Doctores. 7. 15. & 16.
Activa contemplatio differt in pluribus ab infusa. 7. 21.
In aliis verò cum illa convenit. ibi.
In iisdem, in quibus conveniunt, discriminantur. ibi.
Acquisitam contemplationem docet P. Alvarez de Paz. 7. 23.
Vindicatur â falsa impostura. ibi, & deinceps.
Activa contemplatio provenit â donis. 7. 28.
Fuit asserta ab antiquissimis temporibus. 7. 30.
A S. Scriptura est edocta. ibi, & 31.
Fuit ab Aristotele tradita. 7. 33.
Eam admittit Barambius. 7. 37.
Definitur activa contemplatio. 8. 7.
Explicatur definitio. ibi.
Ista diffinitio est essentialis. 8. 22.
Per particulam *Divinæ* sat ostenditur necessitas Divini auxilii. 8. 14.
Comparatur â nobis gratiæ auxilio. ibi.
Non debuit hoc in definitione aperiri. ibi.
Qualiter possit dici *consideratio*? 8. 12.
Non est idem, quòd nostra industria comparetur, ac quòd pro nostro libito exerceatur. 8. 14.
Aliqui ab acquisita cõtemplatione excluduntur. ibi.
Divisio contemplationis in acquisitam, & infusam est essentialis. 8. 23.
Acquisita nostra industria comparatur; non verò infusa. 8. 24.
Contemplatio activa est iuxta regulas rationis. 8. 25.
Differt ab infusa ex parte obiecti. 8. 35.
Et in motione. 8. 38.
Et ex parte principii. ibi.
Et ex parte specierum. ibi.
Et in modo attingendi obiectum. ibi.
Ex contemplationibus infusis vna dicitur *acquisita*; licèt reverà sit infusa. 8. 40.
Habitus activæ contẽplationis acquiritur per actum meditationis. 8. 77.
Extat. P. N. D. Ioannes â Cruce docet habitum activæ contemplationis esse acquisitum. ibi.
Quæ ad contemplationem activam spectant, potest infusa contemplari, & ê contra. 8. 85.
Acquisitæ convenit procedere supra mentem ex parte modi. 8. 86.
Non est obiectum adeò arcanum, quod non valeat activè contemplari. ibi.
Activa contemplatio non continuatur cum infusa, & quarè? 8. 90.
Activa causat dispositivè intensionem charitatis. 8. 91.
Ad eam possumus animum levare. 11. 17.
Et illam petere. ibi.
Et ad illam conari. ibi.
Conatus ad eam est vtilis. 11. 31.
Acquisita contemplatio potest dici *meditatio*. 11. 160.
In acquisitam, & infusam dividitur supernaturalis contemplatio. 13. 46.

CONTEMPLATIO INFVSA.

Datur contemplatio infusa. 7. 1.
Superat in perfectione acquisitam. 7. 8. & 9.
Convenit in pluribus cum acquisita, & in aliis ab ea differt. 7. 21.
In iisdem, in quibus conveniunt, discriminantur. ibi.
Deus fecit Santam Matrem Nostram Theresiam Magistram cõtemplationis infusæ. 7. 32.
Diffinitur contemplatio infusa. 8. 15.
Explicatur definitio. 8. 16. & seq.
Dicitur per quod differt contemplatio infusa ab acquisita. 8. 17.
Ista definitio est essentialis. 8. 22.
Divisio contemplationis in infusam, & acquisitam est essentialis. 8. 23.
Est adæquata. 8. 26.
Ista divisio est diversa ab ea, qua virtus dividitur in politicam, purgatoriam, & purgati animi. 8. 30.
Contemplatio infusa non comparatur nostra industria. 8. 24.
Est supra rationis regulas. 8. 25.
Et ex speciali instinctu Spiritus Sancti. ibi.
Differt infusa ab acquisita ex parte obiecti. 8. 35.

Et in motione. 8. 38.
Et ex parte principii. ibi.
Et ex parte ſpecierum. ibi.
Et in modo attingendi obiectum. ibi.
Contemplatio infuſa eſt duplex. 8. 40.
Vna dicitur acquiſita. ibi.
Eſt propriè actio. 8. 44.
Spectat ad prædicamentum qualitatis. 8. 47.
Eſt intrinſecè ſupernaturalis. 8. 66.
Proprium eſt contemplationis infuſæ procedere ſupra mentem ex parte modi. 8. 86.
Per infuſam contemplationem contemplamur rem naturalem. ibi.
Cum infuſa non continuatur activa contemplatio, & quarè? 8. 90.
Ad contemplationem infuſam ſolet Deus elevare animam activè contemplantem, meditantem, & vocaliter orantem. 11. 9.
Contemplatio infuſa poteſt ſumi pro ipſo actu, & pro favoribus in ea acceptis. 11. 10.
Animum ad contemplationem infuſam levare, eſt eam deſiderare. 11. 11.
Ad infuſam contemplationem conari, eſt propria induſtria velle illã exercere. ibi.
Contemplatio infuſa ſumpta pro raptu, & aliis favoribus, peti non poteſt, nec deſiderari. 11. 18.
Ad infuſam contemplationem poſſumus aſpirare, & eam petere. 11. 23.
Non tamen poſſumus ad illam conari. ibi.
Qui ad eam conatur, parat ſibi ruinam. ibi.
Contemplatio infuſa eſt ſummè appetibilis. 11. 25. & 26.
Eſt honeſta, delectabilis, & vtilis. ibi.
Eſt actus donorum. 11. 28.
Contemplatione infuſa faciliùs conſequitur vnio cum Deo. 11. 29.
Ad eam conari eſt contra humilitatem. 11. 31.
Non autem illam appetere, & petere. ibi.
Contemplatio infuſa perfectiſsima non cauſat raptum. 11. 43.
Quæ eſt Theologia Myſtica, non eſt actus iudicii diſcretivi. 12. 101.
Quæ non procedit per cauſas, eſt actus iudicii diſcretivi. 12. 104.
Supernaturalis contemplatio dividitur in infuſam, & acquiſitam. 13. 46.

CONTRITIO.

Cum vltimo contritionis actu eſt incompoſsibilis culpa, licèt venialis. 4. 70.
Ad contritionem requiritur plurium meditatio. 11. 9.

CREATURA.

Molinos aiebat actum contemplationis â creatura non produci. 7. 67.
Affectio creaturarum eſt velum, nè Deum contemplemur. 1. 9.
Summa ſegregatio â creaturis requiritur ad contemplationem. 10. 144.
Si dolor B. V. Mariæ inter omnes creaturas, doloris capaces, divideretur, ſubitò omnes morerentur. 10. 153. in fine.

CULPA.

Pœnitentia elevat mentem in Deum deteſtando culpam. 2. 33.
Anima habens culpam venialem, qualiter ante ingreſſum in Purgatorium ab ea mundetur? 4. 70.
Pœnitet damnatos de culpis ob pœnam. 6. 122.
Datur Limbus, vbi decedentes cum originali culpa puniuntur. 6. 125.
Puerorum culpa in Limbo non dicitur *voluntarium proprium*. 6. 135.
Ideòque non puniuntur pœna ſenſus. ibi.
Collectionem culparum venialium B. V. Maria vitavit. 6. 198.
Propoſitum violandi omnes obligationes leves, vel frequens earum violatio, non eſt ſine culpa gravi. 11. 96.
Violare omnes leves obligationes, vel ferè omnes, etiam ſine propoſito, eſt culpa gravis. 11. 102. & 103.
Si vnus Religioſus poſſet omnes obligationes violare ſine culpa gravi, poſſent & omnes. 11. 104.

* * * * * *
* * * * *
* * * *

D

DAMNATI.

Orant oratione virtutis ratione carente. 5. 89.
Damnati non habent erga nos munus tentatorum. 6. 41.
Pro damnatis orare non possumus, vt liberentur. 6. 71.
Pœna damnatorum est æterna. ibi.
Non sunt nostri proximi, 6. 73.
Non eos diligimus ex charitate amicitiam fundante, sed alia. 6. 77.
Charitatis obiectum non sunt, & quarè? ibi.
Damnati volũt omnes superstites damnari. 6. 93.
Sed quia sciunt aliquos esse salvandos, volunt fratres suos esse de hoc numero. ibi.
An scripserit Damascenus Traiani ab inferis liberationem? 6. 94.
Etsi vera foret illa historia, adhuc non possemus orare pro damnatis. ibi.
Traianus non fuit finaliter damnatus. ibi.
An Theologi possint de illa historia agere, & illam seriò explorare? ibi.
Probabile est Damascenum per 200. annos præcessisse D.Gregorium. ibi.
Non possumus orare pro damnatis, vt levamen in tormentis habeant. 6. 103.
Sola positio operis præcepti non salvat; sed sola positio operis prohibiti damnat. 6. 106.
Beati non orant pro damnatis. 6. 108.
Quid sit chaos damnatos segregans â Beatis? ibi.
Damnatorum odium in superstites. 6. 113.
D. Thomas gaudia solùm phantastica in damnatis admittit. 6. 114. & 115.
In damnatis concedi possunt vera gaudia præsuppositivè. 6. 119.
Damnati nunc vident Beatos ad pœnam. ibi.
Post iudicium eos non videbunt ad tormentum. ibi.
In consideratione scientiæ in damnatis est summa tristitia. ibi.
Damnati Deum cogitant vt Iudicem pœnas æternas eis infligentem. ibi.
Damnati sunt liberi. 6. 122.
Operari benè non possunt, & quarè? ibi.
Dãnatos pœnitet de culpis ob pœnam. ibi.
De damnatorum pœnis compati non possumus compassione charitatis. ibi.
Nec compassione voluntatis, vt rationalis, sed solùm vt natura est. ibi.
Pueri in Limbo sunt verè damnati, & in termino. 6. 128. & 129.
Ad Limbum missi non puniuntur pœna sensus. 6. 125. 126. & 134.
An supremus Iudex sit eis, qui in Limbo sunt, dicturus: *Ite, maledicti in ignem æternum*? 6. 131.
Quomodo intelligendi sunt PP. asserentes eos tormenta pati? 6. 133.
Cur sic PP. loquantur? ibi.
Pueri in Limbo non sunt actu conversi ad bonum commutabile, sed solùm habitualiter. 6. 134.

DAMNATIO.

Damnationem alienam potest Deus alicui revelare. 6. 118.
Damnationem propriam non potest nisi de posse absoluto. ibi.
An, & quomodo possimus gaudere de reprobi damnatione? 6. 200.
Non possumus seriò, & voluntate deliberata desiderare reprobi damnationem. ibi.

DAVID.

Per profundam meditationem omnia bona in eius animam introiere. 1. 2.

DEIPARA.

Vide verbo *Maria Sanctissima.*

DELECTATIO.

Delectatio contemplationis est supra omnes alias, & dolores. 9. 47.
Delectatio est duplex. 9. 53.
Vna est propria actus delectantis. ibi.
Alia verò est extranea. ibi.
Hæ delectationes inter se differunt. ibi.
Delectatio propria non impedit contemplationem. ibi.
Extranea verò impedit. ibi.

Ex delectatione contemplationis redundat in corpus. 11. 57.

DEVOTIO.

Devotio exardescit meditatione. 1. 19.

Meditatio est causa devotionis. 2. 31.

Devotio offert Deo voluntatem. 2. 33. & 35.

Devotio est magis perfecta, quàm oratio, & quarè? 2. 35. & 39.

DEUS.

Amor Dei hominem elevat ad Seraphim societatem. 1. 85.

Non omnis elevatio mentis in Deum est oratio. 2. 32.

Non est oratio, quæ impetrat cum Dei indignatione. 2. 74.

Potest homo secundùm naturalem affectum velle aliquid, quod Deus non vult. 4. 26.

Ratio *sub qua* Deus orationem terminat est absoluta. 5. 5.

Oratio respicit Deum, vt Auctorem gratiæ, & gloriæ. ibi.

Amor Deum respicit propter se ipsum. 6. 22. & 23.

Deus denegat multoties, quæ petimus, vt meliora concedat. 6. 84.

Deus fecit S. M. N. Theresiam Magistram contemplationis infusæ. 7. 32.

Ex conversione hominum Deus delectatur. 9. 52.

Quomodo dicitur, bruta Deum invocare? 11. 8.

Deus diligitur mente tota totalitate præcepti. 11. 74.

Et ad hoc non est necessaria contemplatio. ibi.

Etiam dum Deus diligitur mente tota totalitate, quæ est finis præcepti. ibi.

Theologia Mystica agit de Deo, vt est veritas amabilis. 12. 52.

In Deum credere habet fides â charitate imperata. 13. 2.

Credere verò Deo, & Deum ab ea non habet. ibi.

Fides non illustrata non terminatur ad Deum ex connaturalitate. 13. 13.

Cum Deo vnimur per virtutes Theologales. 13. 42.

In nulla contemplatione obscura vnitur Deus menti in ratione speciei intelligibilis. 14. 20.

Lumen gloriæ, quantumvis minimum, ostendit Deum clarè. 14. 26.

Dei *esse* cognoscimus, prout *esse* significat compositionem propositionis. 14. 46.

Non autem prout significat actum essendi. ibidem.

Dei existentia est ipsius quidditas. 14. 47.

Cognitio terminata ad existentiam Dei, non potest esse quoad *an est*. 14. 48.

Cognitio Dei per effectus est mediata. 14. 50.

Per effectus naturales cognoscitur Deus, vt Auctor naturæ. ibi.

Per effectus verò supernaturales cognoscitur vt Auctor gratiæ. ibi.

Cognitio Dei mediata conceditur â D. Thoma. ibi.

Immediata verò negatur. ibi.

Reprehenditur in hoc Scotus. ibi.

DILECTIO.

Christi dilectio mortuum reddit hominem Mundo. 10. 167.

Est motus in obiectum. 12. 26.

Intimior est obiecto contemplatio, quàm dilectio. ibi.

DISCURSUS.

Homo non intelligit simplici intuitu, sed discursu. 1. 32.

Discursus non est operatio entitativè diversa â iudicio. 12. 71.

Iudicium credulitatis differt â discursu. 12. 84.

DISPOSITIO.

Virtus moralis est dispositio ad contemplationem. 1. 33.

Purgatio sensuum etiam est dispositio ad contemplationem. 1. 87.

Virtus est *dispositio perfecti ad optimum*. 3. 145.

Vita activa est dispositio ad contemplationem. 10. 98.

Dispositio indenudabilis ab imperfectione non compatitur cum forma. 10. 194.

Dispositio sumitur dupliciter. ibi.

Vt est via ad perfectionem, non compatitur cum illa. ibi.

Compatitur verò cum perfectione, vt ipsius effectus. ibi.

Ex diversa disposítione phantasmatum sunt in nobis species. 14. 7.

DIVISIO.

Divisio actionis in immanentem, & transeuntem non est vnivoca. 3. 54.
Divisio contemplationis in acquisitam, & infusam est essentialis. 8. 23.
Hæc divisio est adæquata. 8. 26.
Et est diversa ab ea, qua virtus dividitur in politicam, purgatoriam, & purgati animi. 8. 30.

DOCTRINA.

Est duplex. 10. 21.
Doctrina, quæ ordinatur ad veritatem est speculativa. ibi.
Quæ verò ad bonos mores suadendos pertinet ad vitam activam. ibi.
Docere est opus misericordiæ. ibi.

DONUM.

Quid sit? 7. 28.
Contemplatio activa provenit â donis. ibi.
Donum Sapientiæ est præcipuum inter omnia dona. ibi.
Donum dupliciter perficit hominem. ibi.
Quomodo virtus, & donum moveant? ibi.
Donum movet dupliciter. ibi.
Sapientiæ donum duplicem gradum habet. 11. 54.
Vt perficit habentem, est gratum faciens. ibi, & sequentib.
Vt verò prodest aliis, est gratia gratis data. ibi.
Meditatio non dirigitur per donum sapientiæ. 11. 77.
Donis illustratum iudicium penetrat intima obiecti. 12. 87.
Donum intellectus extirpat errores, qui â phantasmatibus oriuntur. 12. 88.
Donum sapientiæ procedit per causas altissimas. 12. 115.
Donum scientiæ per causas infimas. ibi.
Quid sit sic procedere? 12. 116.
Iudicium, cuius motivum est causa suprema, est doni sapientiæ, licèt obiectum sit res infima. ibi.
Et similiter est de dono scientiæ. ibi.
Ponitur explicatio huius doctrinæ, pro vtili exercitio contemplationis. ibi.
Hæc dona non sunt discursiva ex modo procedendi. 12. 119.
Ex parte rerum, quas attingunt, diversa sunt, & quarè? ibi.
Donum intellectus non est discursivum, & quarè? ibi.
Donum sapientiæ, & scientiæ, spectãt ad partem speculativam, & practicam. 12. 123.
Dona procedunt ex connaturalitate ad res Divinas. 13. 33.
Dona concurrunt dupliciter ad contemplationem. 13. 44.
Donorum influxus in contemplationem mysticam est insuplebilis. 13. 55.
Concurrunt ad contemplationem, non eam eliciendo, sed modificando. 13. 66.
Donum datur in adiutorium virtutum. 13. 70.
Perficit potentias animæ. ibi.
Elevat potentias supra modum humanum. ibi.
Non datur donum, quod sit *voluntas*. 13. 73.
Dona ex parte modi superant omnes virtutes. 13. 71.
Donum definitur. 13. 74.
Dicitur, ad quid donum animæ datur. 13. 78.
Dona supponunt voluntatem degustantem. 13. 83.
Sunt cõnexa quoad se; non verò quoad actum. 13. 93.
Non inveniuntur in peccatore. ibi.
Manebunt in Patria. 13. 94.
Regulantur in via per virtutes Theologales. ibi.
Sunt septem. 13. 95.
Quatuor perficiunt partem intellectivam. ibi.
Tria verò partem appetitivam. ibi.
Non omnia dona influunt in contemplationem. ibi.
Quæ sunt, quæ non influunt, dicitur. ibi.
Dicitur quomodo donum intellectus ad contemplationem concurrat? 13. 96.
Ipsius differentia ab aliis donis, & alia, quæ ei conveniunt. ibi.

Eius certitudo eſt ex connaturalitate. 13. 97.
Habens donum intellectus poteſt hebetudine laborare circa ea, quæ non ſunt de neceſsitate ſalutis. ibi.
Indiget tamen directore. ibi.
Diſtinctio doni ſapientiæ, & ſcientiæ ab aliis, & inter ſe. ibi.
Donum ſapientiæ perfectius eſt inter omnia. ibi.
Contemplatio ab eo precedens eſt perfectior, quàm quæ ab aliis. ibi.
Donum conſilii non concurrit ad contemplationem. 13. 100.
Nec contrarium docuit N. Philippus. ibi.
Dicitur eius actus,& diſtinctio ab aliis. ibi.
Dona ſe invicem iuvant. ibi.

E

ECCLESIA.

Os Domini eſt in Eccleſia, vt ſeparet pretioſum â vili. 1. 19.
Licèt Eccleſia nequeat iudicare de occultis contentiosè, poteſt per ſuos Miniſtros in foro Sacramentali. 3. 17. & 18.
Eccleſiæ Militantis, & Triumphantis communio orationibus exercetur. 4. 34.
Ad Spiritum Sanctum Eccleſia dirigit ſuas orationes, ſed non frequenter, & quarè? 5. 17.
Vniverſalis Eccleſia Sanctos invocat â primis temporibus. 5. 19.
Datur præceptum Eccleſiæ ad Sanctos invocandos. 5. 51.
Magnum Eliam invocandum proponit. 5. 94.
Eccleſia petit, nè in Purgatorium cadant animæ, quæ in illo ſunt, & quomodo? 6. 101.
Horas Canonicas terminat orans pro Purgatorii animabus. 6. 150.
Animæ, quæ Eccleſiæ clavibus affectæ fuerunt, dum viverent, faciliùs in Purgatorio iuvantur. 6. 154.

ELIAS.

Magnum Eliam orare poſſumus. 5. 85.
Scripſit epiſtolam ad Ioram Regem Iuda. ibi.
Eſt ſolicitus adhuc de rebus noſtris in Paradiſo. 5. 87.
Eliam invocavit Eliſæus. 5. 93.
Eius pallio diviſit Iordanem. ibi.
Eccleſia Magnum Eliam invocandum proponit. 5. 94.
Agrienſis Eccleſia apud Vngaros eum celebrat, & invocat. 5. 95.
Eum Eccleſia Græcorum colit, diemque ſacratum habet, in quo omnes â ſervilibus abſtinent. 5. 96.
Magni Eliæ invocatio eſt ab antiquiſsimis temporibus. 5. 97.
Eius filii in Carmeli monte poſt ipſius raptum Templum in ſui honorem conſtruxere. ibi.
Imperatrix Helena duo Templa Eliæ conſtruxit. ibi.
Alia innumera ei conſtructa fuere â priſcis temporibus. ibi.
Magnus Elias velociſsimus ad ſuccurrendum. 5. 98.
Quid circa hoc Romani â Iudæis inaudierant? ibi.
Spectat Magnus Elias ad vitam beatam. & quarè? 5. 108.
Ob hoc invocatur, conſtruunturque in eius honorem Templa. ibi.
Eliæ fuit idem raptus, ac eſt aliis mors. 5. 110.
Non eſt de pertinētibus ad hunc Mundum. ibi.
Ad ſocietatem Eliæ,eſt opinio, Divum Ioannem Euangeliſtam fuiſſe tranſlatum. 5. 113.
Magnus Elias eſt vitæ æternæ candidatus. 5. 112.
Aliqui aſſerunt frui viſione beata. 5. 114.
Orientales, nedum Chriſtiani, ſed etiam Iudæi, & Maſumetani illum invocant, & cavernam ipſius viſitant. 5. 118.
Elias eſt contemplationi ſummè deditus. 11. 156.

ELISÆUS.

Invocavit Eliam. 5. 93.
Eliæ pallio Iordanem diviſit. ibi.

EXISTENTIA.

Exiſtentia Dei eſt eius eſſentia. 14. 40.

Cognitio ad existentiam Dei terminata non potest esse quoad *an est*. 14. 48.

F

FACULTAS.

In quavis facultate dantur Incipientes, Proficientes, & Perfecti. 1. 23.

FESTUM.

Quarè festum Sanctorum celebramus? 5. 94.

FIDES.

Est proportionatum, & vnicum medium ad vnionem. 7. 50.
Oratio fidei datur iuxta Scripturam. 7. 43. & 52.
Fidei obscuritas est animæ lucidissima lux. 7. 55. & 56.
Est inspectio Divinorum. 7. 50. & 77.
Quid sit? 7. 82.
Cur fides dicitur *substantia*? ibi.
Fidei respicere est credere. 7. 77.
Dicitur *visio*, & *scientia*, & quarè? 12. 86.
Eliminat errores Hæreticæ pravitatis. 12. 88.
Quid cadat directè, & quid indirectè sub fide? 12. 109.
Actus fidei sunt credere Deo, Deum, & in Deum. 13. 2.
Explicantur hi actus. ibidem.
Non sunt hi actus distincti, sed est actus multiplex. ibi.
Fides secundùm ea, quæ habet ab intellectu, manet in peccatore, & quarè? 13. 3.
Dicitur informis ob absentiam charitatis. ibi.
Fides informis est principium nobilium actuum. ibi.
Abstinet ab idolatria per causam altissimam. ibi.
Etiam ab homicidio per causam creatam. ibi.
Sacris interesse facit. ibi.
Abundè hoc explicatur. ibi.
Fides informis nequit esse principium Divinæ contemplationis, & quarè? ibi.
Datur fides illustrata, & non illustrata. 13. 6.
Illustratur donis Spiritus Sancti. ibi.
Fides non illustrata influxum donorum non dicit. ibi.
Crescit fidei illustratio, crescente perfectione, qua dona habentur. ibi.
Fides non illustrata non est habitus elicitivus Divinæ contemplationis. 13. 10.
Dicit anxietatem fluctuationis. ibi.
Fidei actus est cum assensione cogitare. 13. 11.
Qualiter â fide, & qualiter â scientia dicatur cogitatio? 13. 10.
Intellectus fide ductus tenetur terminis non propriis, sed alienis. 13. 12.
Fide illustrata ductus tenetur terminis propriis. ibi.
Fides non illustrata non terminatur ad Deum ex connaturalitate. 13. 13.
Actus eius præcedit gustum voluntatis. ibi.
Fides illustrata elicit contemplationem, quæ est per causas, & quæ non est. 13. 15.
Fidei triplex gradus. 13. 23.
Fides illustrata dicit evidentiam mysticam. 13. 36.
Eius actus est mysticè scientificus. ibi.
Fides est *non apparentium* intrinsecè, & quoadquid sunt. 13. 40.
Non autem est *non apparentium* extrinsecè, mysticè, & quoadquid non sunt. ibi.
Fide regulatur Theologia, quatenus est vicaria luminis gloriæ. 13. 94.

FINIS.

Meditationis finis est contemplatio. 1. 11.
In coniunctione ad vltimum finem consistit perfectio. 1. 79.
Propriũ est charitatis respicere Deum vt finem supernaturalem. 2. 124.
Ob fines diversos potest res eadem esse amabilis, & odibilis. 6. 180.
Bonum habet rationem finis. 9. 4.
Et etiam beatitudo. 10. 93.
Proximus Carmelitarum finis est mixtus ex contemplatione, & actione. 11. 117.
Proprius verò est contemplatio propriè talis. 11. 151.
Finem intentum â Legislatore transgrediens peccat mortaliter. ibi.

Finis humanæ eſt contemplatio. 12. 25.
Contemplationis finis eſt veritas. 12. 44.
Finis intellectus practici eſt opus exterius. 12. 56.

G

GRATIA.

A gratia non deſtruitur natura. 1. 29.

GRATIS DATA.

Definitur. 11. 54.
Gratia gratis data, & gratum faciens poſſunt coincidere in eadem entitate. 11. 57.
Gratia contemplationis aliquando incipientibus datur, & denegatur perfectis. 11. 35.

SANCTIFICANS.

Vitia compatiuntur cum gratia viæ. 1. 9.
Non verò cum gratia conſummata. ibi.
Eſt neceſſaria ad ſalutem neceſsitate medii. 3. 1.
Oratio reſpicit Deum, vt Auctorem gratiæ. 5. 5.
Eſt duplex: amiſsibilis, & inamiſsibilis. 5. 108.
Explicatur hoc. ibi.
Eſt natura radicans contemplationem. 9. 43.
Sine gratia contemplatio Divina non eſt dabilis. ibi.
Vnio vitæ contemplativæ cum activa eſt opus gratiæ. 10. 191.
Per effectus ſupernaturales cognoſcitur Deus vt Auctor gratiæ. 14. 50.

H

HABITUS.

Actus non elicitur â potentia, ſi mediat potentia, & habitus, vel ſolus hic. 2. 124. & 125.
Si ſola potentia mediat, actus alicitur ab habitu in alia potentia reſidente. ibi.
Idem eſt, quòd habitus ſit ſupernaturalis, ac quòd ſit infuſus. 8. 18.
Habitus reſpiciens terminum naturalem, vel ſupernaturalem, non vt talem, naturalis eſt. 8. 55.
Habitus contemplationis activæ naturalis eſt acquiſitus. 13. 30.
Eſt Theologicus. 13. 10.
Habitus contemplationis activæ ſupernaturalis eſt infuſus. ibi.
Ex habitibus alii ſunt perfecti, imperfecti alii. ibi.
Videtur actus perfectus, vltra habitum requiritur expeditio ſubiecti operantis. ibi.
Actus perfectus requirit habitum perfectum. ibi.
Actus non generant, niſi habitus ſibi ſimiles. ibi.
Actus habitus infuſi habitum non generant, ſed præexiſtentem confirmant. ibi.
Habitus elicitivus contemplationis eſt inter omnes cognoſcitivos perfectior. 13. 42.
Non eſt Religio infuſa. ibi.
Non eſt donum. ibi.
Non eſt habitus, qui ab aliquibus dicitur contemplationis. ibi.
Non eſt fides non illuſtrata. ibi.
Habitus acquiſitus præſtat facilitatem. 13. 78.
Habitus infuſus, ſi immediatè afficiat potentiam, dat *poſſe*. ibi.
Si afficit alium habitum infuſum, non elicit ſubſtantiam actus. ibi, & 79.

HÆRESIS.

Illuminatorum Hæreſis eſt damnata â ſuprema Hiſpaniarum Inquiſitione. 1. 21.
Arii, & Neſtorii Hæreſis inſinuatur. 4. 29.
Et etiam Donatiſtarum. 5. 34.
Et Pacificantium, & Flafelantium. 7. 84.
Et dicentium B. V. Mariam colendam eſſe tanquàm Deum. ibi.

HOMO.

Homo â peccatis ſurgens, poteſt ad meditationem admitti. 1. 44.
Triplex hominum genus excluditur â meditatione. 1. 59.
Nullus repentè fit ſummus. 1. 64.
Solet aliquis incipere ab altiori gradu Sanctitatis, ad quem alii in fine perveniunt. ibi.

Dei amor elevat hominem ad Seraphim ſocietatem. 1. 85.
Homo, cui revelatur ſua reprobatio, non poteſt orare pro ea, nec eam ſperare. 3. 37. & 38.
Poteſt ſecundùm naturalem affectum velle aliquid, quod Deus non vult. 4. 26.
Debet proprium affectum Deo ſubiicere. ibi.
Homo purus poteſt eſſe, aut dici Salvator, Advocatus,& Mediator, non redemptionis, ſed interceſsionis. 5. 28. & ſequentib.
Aliqui homines operantur malè, & aliorum orationibus fidunt. 5. 49.
Alii non quærunt aliorum orationes, & bene operantur. ibi.
Alii verò vtrumque faciunt. ibi.
Primi ſunt mali. ibi.
Secundi mali non ſunt. ibi.
Tertii denique ſunt boni. ibi.
Contemplatio eſt actus hominis, vt intellectivi. 8. 11. & 11. 6.
Hominem elevat ad claſſem Angelorum. ibi.
Ei convenit ſecundùm propriam naturam. 9. 37.
Homo ſimpliciter perfectior eſt corporibus Cœleſtibus. 10. 42.
Homines in Patria erunt ſicut Angeli. 10. 119.
Paſsiones,quæ magis hominem faciunt beſtialem, ſunt venereorum. 10. 120.
Homo aliorum communicationem fugiens, aut eſt beſtia, aut Deus. 10. 141.
Chriſti dilectio mortuum reddit hominem Mundo. 10. 167.
Continuatur cum Angelis in intellectivo. 11. 6.
Cum homine continuantur bruta in æſtimativa. ibi.
Homo tenetur omnia ſua virtute referre in Deum. 11. 91.
Non ſufficit, quòd hoc faciat habitu, nec requiritur actu. ibi.

HUMILITAS.

Contra humilitatem eſt raptum, & alios favores petere. 11. 31.
Et etiam conari ad contemplationem infuſam. ibi.

I

IACOB.

Duplicem claudicationem contraxit â lucta, ſeu contemplatione. 9. 47.
Vna defectuoſa fuit; alia verò virtuoſa. ibi.
A prima ſanus erat ipſa die: ſecundam per totam vitam conſervavit. ibi.

D. IACOB MINOR.

Pro Abel, & aliis Defunctis orabat. 6. 147.
Docuit orationem fidei. 7. 43.

INCIPIENTES.

Ad incipiẽtes ſpectat meditatio. 1. 5.
Debent præbere animæ materiam, vt diſcurrat. ibi.
Et occupare ſenſus in rebus honeſtis, quarum ſapore ineſcantur, & â mundialibus ſemoventur. ibi.
Incipientes dantur in qualibet facultate. 1. 23.
Contemplationis gratia aliquando incipientibus datur, & denegatur perfectis. 11. 35.
Poteſt incipiens habere maiorem charitatem, quàm perfectus. 11. 36.
Hoc verò non intelligitur de charitate conſtitutiva ſtatus. ibi.
Qui ab initio perfecti ſunt, non abſolvuntur ab incipientium exercitiis. 11. 38.
In Religione ſunt incipientes, Proficientes, & Perfecti. ibi, & 40.

INTELLECTUS.

Oratio eſt actus intellectus. 2. 84. & 111.
Imperium eſt actus intellectus. 2. 91.
Ordo dependens ab intellectu practico non eſt fictus. 2. 93.
Intellectus movetur â volũtate quoad exercitium. 2. 96.
Dicitur mens. 2. 105.
Quod ab intellectu deſcendit in voluntatem, fit delinea voluntatis, & non ê contra. 2. 144.
Intellectus non perficitur per id, quod habet â Religione. 2. 145.
Eſt ſimpliciter perfectior voluntate. 10. 52.

Eſt ſimpliciter ptior. ibi.
Relativè ad obiectum creatum etiam eſt perfectior. ibi.
Relatè verò ad obiectum increatum eſt etiam perfectior in Patria, ſed non in via. 10. 53.
Eſt motivum voluntatis. 10. 52.
Fit perfectior ex coniunctione ad voluntatem. 10. 58.
In actibus intellectus invenitur aliquid impreſſum â voluntate, & ê contra. 10. 59.
Quod â voluntate derivatur in intellectum, eſt imperfectius ipſo. 10. 60.
Quod ab intellectu verò in voluntatem derivatur, perfectius eſt ipſa. ibi.
Intellectus practicus ſecundùm id, quod habet â voluntate, ea eſt imperfectior ſecundùm id, quod habet ab intellectu. 10. 61.
Idem datur in intellectu, ac in prudentia relatè ad virtutes morales. 10. 62.
Intellectio eſt ſimpliciter perfectior intellectu, & habitibus eius. 10. 63.
Ab intellectu elicitur contemplatio. 12. 19. & 20.
Vnio cum Deo per intellectum perfectior eſt, quàm per voluntatem. ibi.
Beatitudo eſt actus illius. 12. 23.
Intellectus eſt principium proximum contemplationis. 12. 29.
Speculativus, & practicus ſunt eadem potentia. 12. 56.
Speculativus *extentione fit practicus.* ibi.
Differunt ex parte finis. ibi.
Finis intellectus ſpeculativi eſt veritatis contemplatio. ibi.
Finis verò practici eſt opus exterius. ibi.
Quid requiritur, vt intellectus ſit practicus? 12. 57.
Contemplatio eſt actus intellectus ſpeculativi. 12. 58.
Secundariò verò eſt actus intellectus practici. ibi.
Intellectus practicus aſsimilatur Deo. 12. 63.
Sed magis aſsimilatur ſpeculativus. ibi.
Operatio iſtius eſt triplex. 12. 66.
Practici verò multiplex. 12. 67.
Intellectus dicitur quaſi intus legens. 12. 80.
Credere eſt actus intellectus vt moti â voluntate. 13. 2.
Intellectus fide ductus tenetur terminis non propriis, ſed alienis. 13. 12.

D. IOANNES EUANGELISTA.

Eſt opinio, quòd adhuc vivit, & quòd habitat cum N. P. Elia in Paradiſo. 5. 113.

D. IOANNES A CRUCE.

Docet triplex impedimentum dari ad contemplationem. 1. 9.
Etiam docet nocivum eſſe aſcenſum ad contemplationem abſque meditatione. 1. 15.
Et illam non deſerere, quando tempus adeſt. ibi.
Docet etiam Proficientes, & Perfectos debere aliquando meditationem exercere. 1. 18.
Docet Sanctorum invocationem. 5. 22.
Etiam contemplationem activam. 7. 13.
Electus fuit â Deo Magiſter iſtius contemplationis. 7. 30.
Docet contemplationis activæ habitum eſſe acquiſitum. 8. 77.
Egregiè deſcribit ſuperioritatem vitæ contemplativæ ſupra activam. 10. 80.
Propugnavit familiam noſtram eſſe ſimpliciter contemplativam. 11. 119.

IUDICIUM.

Aliud eſt inquiſitivum, & aliud reſolutivum. 12. 70. 71. & 83.
Quid ſit vtrumque hoc iudicium? ibi.
Datur credulitatis iudicium. 2. 184.
Hoc eſt actus fidei. ibi.
Eſt actus intellectus. ibi.
Actus fidei eſt aſſenſus, conſequenterque iudicium. ibi.
Credulitatis iudicium differt â ſimplici apprehenſione. ibi.
Et â diſcurſu. ibi.

Et etiam differt â iudicio enuntiativo. 12. 85.
Actus fidei differt â iudicio resolutivo. ibi, & 86.
Credulitatis iudicium ducitur extrinseco testimonio dicentis. ibi. & 87.
Et non cognoscit intrinseca prædicata obiecti. ibi.
Hoc verò non est imperfectio privativa. ibi.
Iudicium donis illustratum penetrat intima obiecti. ibi.
Datur etiam iudicium discretivum. 12. 88.
Cum isto aufertur fidei fluctuatio. ibi.
Penetrat intima obiecti. ibi.
Cognoscit obiectum non obscurè, sed clarè claritate negativa. ibi.
Explicatur hoc. ibi.
Est actus doni intellectus. ibi.
Differt â iudicio credulitatis. 12. 89.
In Patria dicit evidentiâ positivâ. ibi.
In via verò negativam. ibi.
Destruit fluctuationem iudicii credulitatis. ibi.
Procedit ex mystica connaturalitate ad Divina. ibi.
Non compatitur cum peccato. ibi.
Datur etiam iudicium resolutivum. 12. 90.
Si procedit per altissimas causas, est actus doni sapientiæ. ibi.
Si per inferiores, est actus doni scientiæ. ibi.
Analyticè procedit. ibi.
Reddit rationem de eo, quod iudicat. ibi.
Et illud defendit. ibi.
Cognoscit rationem, ob quam obiectum cognoscit. ibi.
Contemplatio, quæ non procedit per causas, est actus iudicii discretivi. 12. 104.
Iudicium hoc cognoscit cognitione absolutè imperfecta,& relativè perfecta, ea, quæ directè cadunt sub fide. 12. 109.
Cognoscit verò cognitione absolutè perfecta, quæ non directè cadunt sub fide. ibi.
Explicatur hoc. ibi.
Dicitur discrimen inter iudicium discretivum, fidem, & Theologiam in attingendo credibilia hæc. 12. 110.
Iudicium discretivum non est puræ veritatis apprehensio. 12. 112. & 113.
In iudicio resolutivo non est error. 12. 121, & 122.
Cum iudicio certò non compatitur dubium, suspicio, aut opinio. ibi.

L

LACHRYMÆ.

Lachrymis minuitur dolor contemplantis, & quarè? 9. 69.

LECTIO.

Est locutio Dei ad nos: & nostra ad Deum per attentionem, qua audimus. 2. 26.

LIMBUS.

Sancti Patres, qui in Limbo fuere, potuerunt orari. 5. 102.
Ad Limbum missi non puniuntur pœna sensus. 6. 125.
Decedentes cum originali culpa puniuntur in Limbo. ibi.
Non possumus orare pro existentibus in Limbo, & quarè? 6. 127.
Pueri in Limbo sunt verè damnati, & in termino simpliciter. 6. 128. & 129.
Pœna damni eis minorari non potest. 6. 130.
Consistit in privatione. ibi.
Potiùs essent vtiles orationes nostræ damnatis, si essent, quàm existentibus in Limbo, & quarè? ibi in fine.
An supremus Iudex existentibus in Limbo sit dicturus: *Ite, maledicti, in ignem æternum*? 6. 131.
Quomodo sunt intelligendi PP. asserentes, eos tormenta pati? 6. 133.
Cur sic loquantur? ibi.
Pueri in Limbo non sunt actu conversi ad bonum commutabile, sed habitualiter solùm. 6. 134.
Eorum culpa non dicitur *voluntarium proprium*: eòque non puniuntur pœna sensus. 6. 135.

LITANIA.

Est petitio auxilii Sanctorum. 5. 71.

Latinè eſt invocatio Sãctorum. 5. 19.
Græcè autem eſt idem ac kyrie eleiſon. ibi.

LUMEN GLORIÆ.

Per lumen gloriæ Beati cognoſcunt cogitationes cordium. 4. 40.
A lumine gloriæ eſt viſio ante actum charitatis. 13. 83.
Partitur in plures conceptus. 13. 87.
Eſt Theologia Beatorum. 13. 89.
Reſpicit Deum quidditativè, & prout eſt in ſe. ibi.
Attingit Deum, vt deguſtatum â voluntate. ibi.
Sed hoc non ſe ſolo, ſed cum influxu donorum, ibi.
Actus primarius luminis gloriæ eſt intueri Deum prout in ſe eſt. ibi.
Theologia regulatur fide, quatenus eſt vicaria luminis gloriæ. 13. 94.
Sine lumine gloriæ non datur vltima beatitudo. 14. 22.
Sine lumine gloriæ elevante non vnitur eſſentia Divina, vt ſpecies. 14. 24.
Lumen gloriæ, quantumvis minimum, oſtendit Deum clarè. 14. 26.

PROPHETICUM.

Per lumen propheticũ Propheta cognoſcit cogitationes cordium. 4. 40.
Prophetico lumine accipitur cognitio, quæ accipi non poteſt per lumen naturale intellectus agentis. 14. 2.

LUX.

In Divina luce Deus manifeſtatur animæ per fidem, & quomodo? 7. 50.
Obſcuritas fidei eſt animæ lucidiſsima lux. 7. 55. & 56.
Definitur lux. 14. 26.
Eius formale obiectum eſt diaphanum. ibi.
Si lux eſt exigua, non oſtendit conceptus inferiores. ibi.

M

MALVM.

Non eſt poſsibile ſtatui Beatorum. 6. 39.

MARIA.

Ab initio collocata fuit in contemplatione. 1. 71.
Præcipuè vrget præceptum de invocatione Sanctorum reſpectu B. V. MARIÆ. 5. 44.
Ei viventi templa fuere conſecrata. 5. 110.
B. V. MARIA collectionem venialium vitavit. 6. 198.
Fuit hæreſis dicentium Beatiſsimam Virginem MARIAM colendam eſſe tamquàm Deum. 7. 84.
In B. V. MARIA. fuerunt ſimul vita contemplativa, & activa. 10. 151.
Cur in die ipſius Aſſumptionis canitur Euangelium de MARIA, & Martha? ibi.
Contemplata eſt ſine extaſi, & raptu. 10. 152.
Contemplata eſt, dum Redemptor N. in Cruce patiebatur. 10. 153.
Et etiam inceſſanter toto tempore vitæ ſuæ. ibi.
Acerbiſsimè paſſa eſt in Filii ſui Paſſione. ibi.
Si eius dolor divideretur inter omnes creaturas doloris capaces, omnes ſubitò morerentur. ibi, in fine.
B. V. MARIA iuxta Crucem geſsit munus Salvatricis, & Mediatricis. 10. 156.
Nullam ægritudinem habuit. 10. 161.
Nec ſpaſmum impropriè talem. 10. 162.
Ante ſuam nativitatem contemplata eſt. 10. 190.
Interrogans *quomodo fiet iſtud*? non dubitavit, ſed dicta penetrare volebat. 12. 109.

MATRIMONIUM.

Matrimonium ſpirituale Beati conſiſtit in vnione actuali. 10. 188. & 189.
Viatoris verò in habituali. ibi.
Vt hoc Matrimonium detur, quid requiritur? ibi.
In Matrimonio ſpirituali intellectus Deo vnitus eſt, & ſimiliter voluntas. ibi.
Actualiter verò non ſemper, ſed multoties. ibi.
Et hæc vnio compatitur cum operibus vitæ activæ. ibi.

Interrumpitur autem hæc vnio ob miseram conditionem ſtatus, ſomno, & corporis gravitate. ibi.
Ex vnione habituali in hoc matrimonio non eſt animæ difficile actualem reproducere. ibi.

MEDIATOR.

Mediator eſt triplex. 5. 29. & ſeq.
D. Paulus agens de Mediatore explicatur contra Hæreticos. 5. 32. & 33.
Chriſtus eſt Mediator Dei, & hominum. ibi.

MEDITATIO.

Ad contemplationem proportionat. 1. 2.
Eſt incipientium exercitium. 1. 5.
Si ante tempus meditatio deſeratur, imminet periculum. 1. 6. & 7.
Eſt principium ad obtinendas virtutes. ibi.
Eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd meditatio præcedat contemplationem. ibi.
Eſt oratio perfecta in ſe, & imperfecta relatè ad contemplationem. ibi.
Deſerenda eſt tempore congruo, & ad contemplationem tranſeundum. ibi.
Quo tempore deſerenda eſt meditatio, docet Extat. P. N. D. Ioannes â Cruce. ibi.
Meditatio ex parte animæ reddit ipſam ad contemplationem perfectibilem. 1. 10.
Eſt origo purgationis activæ. ibi.
Eſt medium ad obtinendam contemplationem. 1. 11,
Eſt inquiſitio veritatis. ibi.
Exercitanda eſt â Perfectis. 1. 17. & 18.
Qui ſine meditatione ad contemplationem aſcendit, periculo illuſionis exponitur. 1. 25.
Ex privilegio ſpeciali meditatio contemplationem non præcedit. 1. 11. 26. & 60.
A meditatione dictat bona Philoſophia incipi viam ſpiritus. 1. 29. & 30.
Meditatione habentur virtutes morales. 1. 34. & 35.
Non omnes, qui mediantur, ad contemplationem admittuntur. 1. 77.
Infructuoſa eſt meditatio, ſi ad contemplationem non pervenit ex defectu meditantis. 1. 82.
Non ſemper meditatio eſt opus incipientium. 1. 83.
Eſt cauſa devotionis, gratiarum actionis, & ſui oblationis. 2. 31.
Cogitatio tranſit in meditationem. 7. 15.
Et meditatio debitè facta in contemplationem. ibi.
Non datur meditatio infuſa. 8. 39.
Definitur meditatio. 10. 15.
Spectat ad vitam activam. 10. 39.
Meditatio non curans relinquere pluralitatem actuum, non pervenit ad contemplationem. 11. 77.
Et qui ſic procedit, vtitur intellectu, vt ratio eſt. ibi.
Meditatio non dirigitur per donum ſapientiæ. ibi.
Dirigitur verò per ſapientiam, quæ eſt virtus intellectualis. ibi.
Meditatio eſt duplex. 11. 132.
Vna eſt exercita. ibi.
Alia verò ſignata. ibi.
Explicatur hæc diſtinctio. ibi.

MERITUM.

Impetratio requirit merita preſentia, vel præcedentia, & acceptationem Dei. 4. 51.
Terminus ad meritum eſt mors. 4. 73.
In Purgatorio non eſt propriè meritum. ibi.
Cum merito non poteſt coexiſtere præmium omnium vltimum, & quarè? 6. 15.
Mereri ex intrinſeca ratione eſt moveri. ibi.
Fides eſt de intrinſeca ratione meriti. ibi.
Spes Theologica non requiritur neceſſariò ad meritum. 6. 21.
Quarè meritum non dicit eſſentialem connexionem cum deſiderio præmii? ibi.
Contemplatio non ponitur inter beatitudines tamquàm meritum, ſed tamquàm præmium, 10. 93.

MOLINOS.

Dicebat non dari viâ purgativam, illuminativâ, & vnitivam. 1. 7. & 26.
Nec vtendum eſſe in oratione imaginibus, figuris, &c. ibi.
Et quòd ignorantia eſt in oratione auxilium quærere per diſcurſus. 1. 8.
Et etiam dicebat, quòd qui ſuam viam internam non ſequuntur, ſe deluſos invenient in hora mortis. 1. 26.
Negat verò meditationem eſſe orationem. 7. 67.
Et contemplationem non vniverſalem. ibi.
Docuit inſuper actum contemplationis â creatura non produci. ibi.

MORS.

Mors myſtica præcedit contemplationem, ſicut naturalis viſionem Dei. 1. 9.
Mors eſt terminus ad meritum. 4. 73.
Contemplatio eſt mors viro contemplanti. 10. 2.

MOTVS.

Actio prædicamentalis fluit ab agente cum motu. 8. 48.
Actio verò immanens fluit ſine motu. ibi.
Motus propriè dictus diffinitur. 8. 49.
Datur motus latè talis, & eſt idem, ac mutatio. ibi.
Contemplatio magis aſsimilatur motui, quàm quieti. 1. 51.
Contemplatio exercitè ſumpta eſt motus perfecti. 10. 10.
Motus imperfecti pugnat cum quiete. ibi.
Non verò motus perfecti. ibi.
Motus contemplationis eſt quies. ibi.
Motus circularis eſt formaliter contemplatio. 12. 98.
Motus verò rectus, & obliquus ſunt diſpoſitivè contemplatio, & formaliter meditatio. ibi.

N

NATURA.

Natura dictat incipiendum eſſe â minùs perfecto. 1. 29.
Non deſtruitur â gratia. ibi.
Gratia ſanctificans eſt natura radicans contemplationem. 9. 43.

NECESSARIUM.

Neceſſarium aliud eſt medii, & aliud præcepti. 3. 1.
Neceſſarium medii aliud eſt abſolutè, & ſine quo finis abſolutè obtineri non valet. ibi.
Aliud verò ex ſuppoſitione. ibi.
Inſuper aliud eſt tale ſimpliciter. ibi.
Aliud verò ad meliùs eſſe. ibi.
Deinde aliud eſt ex ipſa natura finis obtinendi. ibi.
Aliud verò ex determinatione dirigentis. ibi.
Et etiam aliud eſt relativè ad omnes. ibi.
Aliud autem relativè ad aliquos. ibi.
Neceſſarium neceſsitate præcepti dividitur iuxta diverſitatem præceptorum. ibi.
Aliud eſt naturale. ibi.
Aliud Divinum. ibi.
Aliud verò humanum. ibi.
Datur adhuc neceſſarium per ſe, per aliud, & per accidens. ibi.
Neceſſarium per accidens non coincidit cum neceſſario per aliud. ibi.
Neceſsitas medii ſumitur per ordinem ad finem. 3. 15.
Neceſsitas præcepti per ordinem ad præcipientem. ibi.
Explicatur quid ſit neceſſarium per ſe, & per accidens. 3. 51. vſque ad 56.

O

OPERATIO.

Operatio ſignificat propriiſsimè actionem immanentem, quæ eſt ſimul *fieri, & factum eſſe.* 8. 45.
Operatio latius quid eſt, quàm actus, & quarè? 12. 121.

ORATIO.

Oratio eſt alicuius ad aliquem pro re aliqua obtinenda. 2. 43.
Eſt actus intellectus. 2. 84.
Dicit ordinem inferioris ad ſuperiorem. 2. 86.
Eſt expreſsio indigentiæ propriæ, & potentiæ eius, ad quem funditur. 2. 87.
Eſt imperium deprecativum. 2. 95

Est locutio. 2. 112.

ORATIO DIALECTICA.

Oratio dialectica abstrahit â veritate, & falsitate, & quarè ? 2. 51.
Essentia eius est enuntiare vnum de alio. ibi.
Licèt oratio dialectica sit falsa, vera propositio est. ibi.

ORATIO CHRISTIANA.

Oratio Christiana definitur. 2. 1.
Meditatio est oratio perfecta in se, & imperfecta relatè ad contemplationem. 1. 7.
Orare est cum Deo amicabiliter agere. 2. 2.
Est etiam ad Deum mente accedere. 2. 3.
Oratio alia est propriè talis, alia verò impropriè. 2. 7.
Præparatio, lectio, &c. sunt partes subiectivæ orationis impropriæ, & integrales propriæ. 2. 14. & 16.
Non omnis elevatio mentis in Deum est oratio. 2. 32.
Tribuit Deo cultum, & quarè? 2. 33.
Offert in Dei cultum intellectum. ibi.
Tribuit Deo cultum abstrahens â præcepto. 2. 34. & 38.
Oratio est minùs perfecta, quàm devotio, & quarè ? 2. 35. & 39.
Oratio metaphysicè definitur. 2. 41.
Dicit duplicem respectum. 2. 42.
Non abstrahit oratio â bona, & mala, sed est determinatè bona. 2. 46.
Non potest â Deo petere nisi decentia. 2. 46.
In hoc fallitur Navarrus malè glossans D. Thomam, & carpens Caietanum. ibi.
Mala â Deo petens, non orat nisi carnaliter. 2. 47.
Ad *esse* orationis pertinet particula *decentium* essentialiter. 2. 49.
Ad eius *bene esse* pertinet simpliciter explicitè talis particula. ibi.
Oratio mala non est oratio. 2. 52.
Oratio est petitio decentium sive viæ, sive Patriæ. 2. 61.
Et per hoc differt ab *oratione* particulariter dicta, quæ determinatè petit bona viæ. ibi.
Et â *postulatione*, quæ determinatè petit bona Patriæ. ibi.
Et ab *obstentatione*, quæ petit contestando per sacra. ibi.
Ipsa petitio est Dei cultus, non ex parte materiæ petitæ, sed ex parte petitionis, & petentis. 2. 67. & 68.
Licitè petimus â Deo mala pœnæ. 2. 73.
Non est oratio, quæ impetrat cum Dei indignatione. 2. 74.
Oratio est imperium deprecativum. 2. 95.
Tendit ad movendam Divinam voluntatem. 2. 98.
Est actus intellectus practici. 2. 111.
Est locutio. 2. 112.
Elicitur â Religione. 2. 126.
Religio dirigit orationem in finem sibi intrinsecum, ac in obiectum sibi proprium, & quarè ? 2. 128.
Actus orationis elicitur â Religione existente in voluntate. 2. 136.
Orationis rectitudo est de linea voluntatis. 2. 143. & 144.
Est homini simpliciter necessaria. 3. 2.
Sine oratione non potest consequi salus. 3. 2.
Est necessaria per se ad salutem. 3. 7.
Est necessaria, vt obtineat rem desideratam.
Et vt Deo sacrificet mẽtem. 3. 7. 8. 9.
Est etiam oratio necessaria necessitate præcepti, & quarè ? 3. 12.
Tale præceptum est partim naturale, & partim Divinum. 3. 15.
Est affirmativum. ibi.
Oratio non dedecet Divinam liberalitatem. 3. 20. & 21.
Oratio habet rationem causæ relatè ad rem, quam obtinet. 3. 25.
Relatè verò ad quem petit, si est creatura, etiam habet rationem causæ moralis. ibi.
Si est Deus, nullomodò respectu ipsius est causa, nec eum excitat, aut movet. ibi.
Latè hoc explicatur. ibi.
In oratione conformamur cum voluntate Divina antecedenti. 3. 31. & 32.
Si autem sciremus, quid Deus decretatum haberet, conformaremur cum ip-

ipſius voluntate conſequenti. ibi.
Oratio obligat in primo inſtanti vſus rationis, & converſionis hominis ad Deum. 3. 40.
Oratione quæritur regnum Dei. 3. 41.
Sine oratione non obtinetur auxilium neceſſarium ad ſalutem. 3. 43.
Oratio eſt aſcenſus in Deum, vt in quo auxilium quæritur. 3. 44.
Sine oratione non habentur bona ſpiritualia. 3. 46.
Oratio debet præcedere ad aggrediendam rem magni momenti. 3. 47.
Eſt ianua ad recipiendos Divinos favores. 3. 48.
Eſt iter, quo in Cœlum homo pergit. 3. 49.
Deus non poteſt orare in propria natura. 4. 2. & ſeq.
Nec antequàm homo fieret, potuit orare nomine humanitatis aſſumendæ. 4. 7.
Deus in natura aliena, ſeu Chriſtus, propriè oravit mentaliter, vocaliter, ſolus, aſſociatus, pro ſe, & pro aliis. 4. 8.
Nunc orat in Cœlo propriè, & formaliter. 4. 11.
Ad orationem non requiritur ſpes Theologica. 4. 27.
Sufficit ſpes communiter dicta, quam Chriſtus habuit, & Beati. ibi.
A Chriſto non petimus, vt pro nobis oret, ſed vt noſtri miſereatur, & quarè? 4. 28.
In oratione aliud eſt impetrare, & aliud mereri. 4. 31.
Sancti orant pro nobis. 4. 33.
Eccleſiæ Militantis, & Triumphantis communio orationibus exercetur. 4. 34.
Omnes Sancti pro omnibus calamitatibus ab omnibus invocari poſſunt. 4. 37.
Cum hoc ſtat, quòd aliqui pro vna, alii verò pro alia neceſsitate invocentur. ibi.
Hæc differentia provenit ex quo illi Sancti experti ſunt illam calamitatem, pro qua invocantur. 4. 38.
Excipitur S. P. N. Ioſeph, qui, teſte S. Doctrice Thereſia, pro omnibus ab omnibus invocandus eſt. ibi.
Animæ in Purgatorio orant oratione communiter dicta. 4. 48. & 49.
Ratio formalis ſub qua Deus orationem terminat, eſt abſoluta. 5. 5.
Oratio reſpicit Deum vt Auctorem gratiæ, & gloriæ. ibi.
Etiam reſpicit Deum vt bonum. 5. 6.
Et vt quaſi dicit habitudinem ad creaturam. 5. 7.
In oratione Dominica ſunt omnia, quæ petenda ſunt. 5. 10. & 25.
Non licet alia petere, licèt alio modo ea petere liceat. ibi.
Oratio terminatur ad Patrem eſſentialiter ſumptum. 5. 14.
Si verò terminatur ad Patrem perſonaliter acceptum, non eſt, vt Perſona quædam diſtincta. ibi.
Non poteſt vna Perſona orari ſine aliis. 5. 15. 16. & 17.
Ad Spiritum Sanctum etiam dirigit Eccleſia ſuas orationes, ſed non frequenter, & quarè? 5. 17.
Oratio eſt deſiderii interpres. 6. 7. & 15.
Oratio noſtra non poteſt deſervire Beatis pro gloria eorum eſſentiali, etiam vt continuanda. 6. 6.
Oratio procedit ex virtute ſpei. 6. 8.
Oratio, ſpes, & deſiderium non poſſunt cum re coexiſtere. 6. 15. & ſequentibus.
Oratio duos effectus habet. 6. 16. & 17.
Vnum habet de præſenti. ibi.
Alium verò de futuro, & cum ea incompoſsibilem. ibi.
Non ſat eſt futuritio Logica inter orationem, & conſecutionem rei petitæ, orta ex poſterioritate naturæ. 6. 11. & 17.
Intelligẽtia ponitur illorũ verborum, *da nobis hodie, & ſicut nos dimittimus* orationis Dominicæ. 6. 28.
Et etiam intelligentia illius: *Sanctificetur nomen tuum.* 6. 30.
Oratio eſt ex ſe formalis reſiſtentia tentationis. 6. 29.
Et etiam meretur auxilium ad victoriam. ibi.
Non poſſumus petere, quæ ſolum per

poſſe abſolutum poſsibilia ſunt. 6. 76.
Deus denegat multoties, quæ petimus, & quarè? 6. 84.
Chriſtus oravit pro omnibus in Cruce. 6. 191.
Pro prædeſtinatis oravit, vt ſalutem conſequerentur. ibi.
Pro reprobis autem, vt minùs mali forent. ibi.
Oratio Chriſti in horto multipliciter intelligitur. 6. 192. 193. & 194.
D. Petrus tenebatur ad non negandum, & ad confitendum: non verò tenebatur ad orandum, vt negationem vitaret, & quarè? 6. 195.
Oratio ſine fiducia conſequendi implicat. ibi.
Ad confitendum, & ad alia præcepta habebat tunc D. Petrus vires ſufficientes ſine oratione. ibi.
Oratio tunc ei neceſſaria non fuit. 6. 196.
Pro excommunicatis orare poſſumus. 6. 203.
Oratio debet fieri *piè, & perſeveranter.* 6. 205.
Debet etiam eſſe de neceſſariis ad ſalutem, & pro ſe. ibi.
Oratio, quæ has conditiones ſervat, infallibiliter conſequitur effectum. ibi.
Si oratio non ſit pro orante, non eſt certò impetratoria, & quarè? ibi.
Datur oratio fidei iuxta Scripturam. 7. 43. & 52.
Omnis oratio poteſt dici fidei. 7. 50.

ORATIO VOCALIS.

Deus in natura aliena, ſeu Chriſtus, propriè oravit vocaliter. 4. 8.
Regula Carmelitarum præcipit orationem vocalem. 11. 128.
Per vocalem orationem Carmelita non ſatisfacit mentali. 11. 129.
E contra verò per mentalem orationem vocali, ibi præceptæ, ſatisfacit. 11. 129. & 130.

ORATIO MENTALIS.

Datur præceptum de oratione mentali, quoad deſignationem temporis. 3. 17. & 18.
Vt mentalis eſt, poteſt præcipi ab Eccleſia. ibi.
Hoc verò non intelligitur authoritativè, ſed miniſterialiter. ibi.
Abundè explicatur hoc. ibi.
Deus in natura aliena, ſeu Chriſtus propriè oravit mentaliter. 4. 8.
Carmelitæ tenemur ad orationem purè mentalem. 11. 122. & ſeq.
Noſtra Regula orationem mentalem præcipit. 11. 128.
Carmelita per orationem vocalem non ſatisfacit mentali. 11. 129.
Bene verò ê contra. 11. 130.
Tunc non orare mentaliter eſt Carmelitæ peccatum mortale, quando finis eius impeditur. 11. 132.
Non quoties Carmelita frangit præceptum orationis purè mentalis, graviter peccat. ibi.
Diſtinctivum interius Carmelitarum eſt oratio purè mentalis. 11. 135.
Carmelita orationi mentali non ſtudens, Carmelita non eſt. 11. 138.
Et non habet, per quod differat ab aliis. ibi.
Omnes conveniunt in hoc, quòd Carmelita orationi mentali non ſtudens, peccat mortaliter. 11. 142.
Diſcriminantur verò an tale peccatum ſit *per ſe*, vel *per accidens*. ibi.
Doctrina hæc malè dicitur conſcientiæ turbativa. ibi.
Regula Carmelitarum non præcipit die, ac nocte mentem in Deum actu ferri. 11. 145.
Oratio mentalis, ad quam Carmelitæ tenemur, eſt contemplatio. 11. 149.
Carmelita non ſatisfacit præcepto Regulæ, orationem continuam præcipientis, duabus horis quotidianis. 11. 185.

P

PASSIO.

Non eſt aptus ad contemplationem, qui paſsionibus, & tumultibus exterioribus implicatur. 1. 33.
Contemplatio dicitur *paſsio*. 8. 50.
Cur ſic dicitur, & non actio? 8. 51.
Qui habent animum â paſsionibus ele-

vatum, ſimiles Angelis ſunt. 10. 120.

D. PAULUS.

Agens de Mediatore explicatur contra Hæreticos. 5. 32. & 33.

PECCATOR.

Peccator orat pro iuſto viatore, & hic non poteſt pro Beato. 6. 63.

Peccatores etiam exaudit Deus. 6. 167.

Fides ſecundùm ea, quæ habet ab intellectu, manet in peccatore. 13. 2. & 3.

Dona Spiritus Sancti non inveniuntur in peccatore. 13. 93.

PECCATVM.

Homo â peccatis ſurgens poteſt ad meditationem admitti. 1. 44.

Cùm anima eggreditur ê corpore, qualiter â peccato veniali mundetur? 4. 70.

Peccatum fugere propter ipſius deformitatem, eſt actus laudabilis. 6. 122.

Peccatum eorum, qui ſunt in Limbo, non punitur pœna ſenſus. 6. 135.

Peccatum veniale non ſubiacet pœnæ damni. ibi.

Peccatum in Spiritum Sanctum eſt finalis impœnitentia. 6. 207.

Eſt peccatum factum ex certa ſcientia. 6. 207.

Hoc peccatum excludit retractativum â peccato. ibi.

Dicitur irremiſsibile, & quarè? 6. 207. & 208.

Peccatum dicitur veniale tripliciter. 6. 209.

Peccatum mortale factum ex ignorantia, aut impotentia, dicitur veniale ex cauſa. ibi.

Voluntas eſt principium peccati mortalis. 6. 210.

Peccatum ex malitia eſt ex electione factum. 6. 210. & 211.

Peccatum mortale ex certa ſcientia nullatenus habet in ſe, ob quid veniale dicatur, & quarè? 6. 212.

Peccatum dicitur contra Spiritum Sanctum; quia eſt ex malitia. ibi.

Peccatum factum ex infirmitate eſt contra Patrem, & quarè? ibi.

Commiſſum verò ex ignorantia eſt contra Filium, & quarè? ibi.

Peccatum ad mortem eſt cum finali impœnitentia. 6. 213.

Pro iſtud peccatum habente non quivis orare poteſt, niſi eximiam Sanctitatem habens. 6. 217.

Peccatum in Deum eſt illud, quod dicitur contra Spiritum Sanctum. ibi.

Et etiam eſt contra præcepta primæ tabulæ. ibi.

Peccata in hominem ſunt alia peccata. ibi.

Conſideratio peccatorum præteritorum pertinet ad vitam contemplativam. 10. 21.

Ad permiſsionem Dei ſequitur infallibiliter peccatum. 11. 48.

Peccatum eſt compatibile cum iudicio credulitatis. 12. 89.

Non eſt compoſsibile cum iudicio diſcretivo. ibi.

Implicat contemplatio Divina, maximè ſupernaturalis, in habente grave peccatum. 13. 55.

Multi exiſtentes in peccato ſunt firmi in fidei veritatibus. 13. 97.

POENITENTIA.

Elevat mentem in Deum deteſtando culpam. 2. 33.

POTENTIA.

Actus imperfectus priùs habetur, quàm perfectus, dum proceditur de potentia ad actum. 1. 4.

Actus iſte eſt medium inter potentiam, & actum perfectum. ibi.

Actus non elicitur â potentia, ſi mediat alia potentia, vel habitus. 2. 124.

Si verò ſola potentia mediat, actus elicitur ab habitu in alia potentia reſidente. ibi.

Actus procedens â potentia dependente ab alia, ab vtraque dependet. 2. 136.

Ab vna dependet, vt â movente. ibi.

Ab alia autem vt mota. ibi.

A movente habet *eſſe formale*. ibi.

A mota verò habet *eſſe ſubſtantiale*. ibi.

In potentia vltimò perficitur actus, eò

quòd ipſi abſolutè tribuitur actus. ibi.
Potentia reſpiciens contemplationem eſt per ſe inſtituta ad operandum. 12. 1.
Potentia, & actus pertinent ad eundem ordinem. ibi.
Intellectus ſpeculativus, & practicus ſunt eadem potentia. 12. 56.

PRÆCEPTUM.

Oratio eſt neceſſaria neceſsitate præcepti, & quarè? 3. 12.
Tale præceptum eſt partim naturale, & partim Divinum. 3. 15.
Eſt etiam affirmativum. ibi.
Datur etiam præceptum de oratione mentali, & quomodo eſt intelligendum? 3. 17. & 18.
Præceptum de invocatione Sanctorum eſt lex poſita â Deo, vt nobis faveant. 5. 35. & 42.
Hoc præceptum eſt partim naturale, & partim poſsitivum. 5. 51.
Pertinet ad 4. præceptum Decalogi. ibi.

PRÆDICATIO, ET PRÆDICATOR.

Prædicatio ſumitur dupliciter. 10. 32.
Primò ſumitur abſolutè. ibi.
Secundò vt effectus contemplationis. ibi.
Explicatur hoc. ibi.
Prædicatores debent eſſe perfecti in vita contemplativa, & activa, & etiam virtutibus moralibus. 10. 32.
Quid debent prædicare? 10. 172.

PRÆLATUS.

Debet in vita contemplativa, & activa eſſe perfectus. 10. 32.
Opera vitæ contemplativæ, & activæ propria ſunt Prælatorum. 10. 67.

PRÆMIUM.

Præmium vltimum non compatitur cum merito. 6. 15.
Præmium non vltimum permiſsivè ſe habet, & quarè? ibi.
Contemplatio ponitur inter beatitudines, tamquàm præmium. 10. 93.

PRINCIPIUM.

S. M. N. Thereſia docet meditationem eſſe principium, quo virtutes obtinentur. 1. 6.
Quomodo intelligenda eſt maxima: *A facilioribus eſt incipiendum*? 1. 56.
Principium peccati mortalis ex certa ſcientia eſt voluntas. 6. 210.
Principium elicitivum eſt duplex. 8. 20.
Si habet rationem regulæ, ſpecificat. ibi.
Principium elicitivum contemplationis habet rationem regulæ. ibi.
Ex parte principii differunt contemplatio acquiſita, & infuſa. 8. 38.
Principium ſupernaturale remotum deprimitur per proximum naturale, & ideò evadit actus naturalis. 8. 81.
Vitæ contemplativæ principium eſt charitas, vt Deum reſpiciens.. 10. 52.
Activæ verò, vt reſpicit proximum. ibi.
Si anima eſſet principium proximum contemplationis, non foret voluntaria, & quarè? 12. 3.
Proximum contemplationis principium eſt intellectus. 12. 29.
Fides informis nequit eſſe principium Divinæ contemplationis, & quarè? 13. 3.
Contemplatio, alia eſt â principio permanenti. 13. 46.
Alia â tranſeunti. ibi.
Quæ eſt â principio tranſeunti, eſt duplex. ibi.
Quæ â permanenti, alia eſt naturalis, & alia ſupernaturalis. ibi.

PRIVATIO.

Pœna damni conſiſtit in privatione. 6. 130.
Privatio *in fieri* ſuſcipit magis, & minùs. 6. 135.
Non verò *in facto eſſe*. ibi.
Hoc autem intelligitur ex parte formæ, qua privat *in facto eſſe*. 6. 136.
Ex parte verò cauſæ illam inducentis ſuſcipit magis, & minùs in *facto eſſe*. ibi.

PUERI.

Pueri exercitati in præceptorum obſervantia, poſſunt admitti ad Religionem. 1. 49.

Venientes ad vſum rationis tenentur ad amorem Dei. 3. 39.
Tuncque verificatur, quòd veniunt in hunc Mundum. ibi.
In Limbo ſunt verè damnati, & in termino ſimpliciter. 6. 128.
Pœna eis minorari non poteſt. 6. 130.
Conſiſtit talis pœna in privatione. ibi.
Potius eſſent vtiles orationes noſtræ, ſi eſſent, damnatis, quàm exiſtentibus in Limbo, & quarè? ibi. in fine.
An Supremus Iudex ſit eis dicturus: *Ite, maledicti, in ignem æternum*? 6. 131.
Quomodo ſunt intelligendi PP. aſſerentes eos tormenta pati? 6. 133.
Cur ſic loquantur? ibi.
Pueri in Limbo non ſunt actu converſi ad bonum commutabile, ſed ſolùm habitualiter. 6. 134.
Puerorum culpa non dicitur *voluntarium proprium*. 6. 135.
Ideòque non puniuntnr pœna ſenſus. ibi.

PURGATIO.

Purgatio animæ comparatur Purgatorio, & quarè? 1. 9.
Ex purgationibus animæ vna vocatur *activa*. 1. 10.
Alia *paſsiva* nominatur. ibi.
Purgationis activæ origo eſt meditatio. ibi.
Paſsivæ verò eſt amor. ibi.

PURGATORIUM.

Animæ in Purgatorio non orant oratione propriè tali. 4. 51.
Orant oratione communiter dicta. 4. 48. & 49.
Ex ſpeciali privilegio orant oratione propriè tali. 4. 47.
Non merentur, nec ſatisfaciunt, attenta conditione ſui ſtatus. 4. 51.
In Purgatorio non datur ſubrogatio vnius pœnalis pro alio, & quare? ibi.
In Purgatorio exiſtentes non poſſunt orari. 4. 52.
Antequàm animæ in Purgatorio ingrediantur, qualiter â veniali culpa mundentur? 4. 70.
Eccleſia non petit executionem decreti de animarum ereptione ab Inferno. 6. 97.
Nec quòd animas liberet in iudicio vniverſali. 6. 98.
Nec quòd animæ extrahantur ab vno loco Purgatorii in alium. 6. 99.
Nec quòd in Purgatorio exiſtentes Deus non damner. 6. 100.
Petit, nè in Purgatorium cadant animæ, quæ in illo ſunt. 6. 101.
Explicatur quomodo id Eccleſia petat? ibi.
Petit etiam Eccleſia, vt animæ citò â Purgatorio extrahantur. 6. 102.
Purgatorium dari eſt de fide. 6. 141.
Exiſtentes in Purgatorio iuvãtur oratione publica, & privata. 6. 144.
Anima Purgatorii apparet cuidam Religioſo. ibi.
Particularis quædam apparitio idem conteſtans. 6. 145.
Ab Apoſtolis dimanavit orare pro exiſtentibus in Purgatorio. 6. 146.
D. Petrus continuè hoc prædicabat, & collocabat inter ea, ad quæ tenemur. 6. 147.
Idem docuit Patronus noſter S. Iacobus maior. ibi.
Idem docuit S. Iacobus minor in ſuis liturgiis. ibi.
Et etiam D. Matthæus. ibi.
Iudæi pro defunctis orabant. 6. 149.
Chriſtus Dominus iuſsit Apoſtolos, quòd prædicarent, vt omnes pro defunctis orarent. ibi. in fine.
Eccleſia horas Cononicas terminat orans pro animabus Purgatorii. 6. 150.
Completorium ſic non terminat, & quarè? ibi.
Faciliùs iuvãtur in Purgatorio animæ, quæ, dum viverent, Eccleſiæ clavibus affectæ fuere. 6. 154.
Opera bona vivorum multipliciter dici poſſunt propria exiſtentium in Purgatorio. 6. 156. & deinceps.
Inter vivos, & mortuos eſt communicatio vitæ, quæ eſt per charitatem. 6. 164.

R

RAPTUS.

B. V. Maria ſine extaſi, & raptu con-

templata est. 10. 152.
Virtus non consistit in raptibus, & similibus favoribus. 11. 21.
Raptus est res altior contemplante. 11. 31.
Petere raptum â Deo est contra humilitatem. ibi.
Petere non possumus, nec desiderare contemplationem infusam sumptam pro raptu, & aliis favoribus exterioribus. 11. 18.
Contemplatio perfectissima causat raptum. 11. 43. & 44.
Raptus tripliciter evenit. 11. 46.
Omnis contemplatio raptum causat, & quomodò? 11. 49.

RELIGIO, RELIGIOSVS.

Potest dari Religio ad opera vitæ activæ. 11. 67.
Opera talis Religionis derivantur ex contemplatione latè sumpta. 11. 69.
Vel ex Deo contemplato vt fine. ibi.
Talis Religionis Professores non habent vitam contemplativam. ibi.
Vitæ autem contemplativæ fructu non omnino privantur. ibi.
Definitur status Religiosus. 11. 86.
Violare omnes leves obligationes Religionis, vel ferè omnes, etiam sine proposito, est culpa gravis. 11. 102. 103. & deinceps.
Ista frequens violatio repugnat cum bono intento â Fundatore. 11. ibi, & 103.
Non admitteretur ab Ecclesia Religio cum sola obligatione ad tria vota. 11. 107.
Diversitas Religionum non potest provenire â fine vltimo. 11. 111.
Nec â mediis. ibi.
Provenit autem â fine proximo. ibi.
Quot Religionum genus datur? 11. 115.
Quæ Religionum perfectior est? 11. 116.
Religio Carmelitarum excedit simpliciter purè activas. 11. 155.
Religiosi ordinis militaris, in bello morientes, non sunt Martyres. 10. 76.
Religiosi non tenentur ad omnia media ad perfectionem ducentia. 11. 86.
Solùm tenentur ad media, quæ professi sunt. ibi.
Non profitentur esse perfectos; sed ad perfectionem ire. ibi.
Religiosus est transgressor professionis, si non tendit ad perfectionem. ibi.
Habens propositum omnes leves Religionis obligationes violandi, graviter peccat. 11. 96. in fine.
Et tale propositum implicat cum tendentia ad perfectionem. 11. 100.
Vt Religiosus sit verè talis, debet promittere tria vota, non solùm in Religione approbata, sed etiam sub determinata regula. 11. 107.
Si vnus Religiosus posset omnes leves obligationes violare sine culpa, possent & omnes. 11. 104.
Qui legit, vt cogenti, & non vt regulanti subest, malus est. ibi.
Inter obligationes leves, ad aliquas tenetur vagè Religiosus sub mortali. 11. 105.
Religiosorum finis vltimus est charitas. 11. 111.
Habent insuper finem intermedium, qui Religionum diversitatem causat. ibi.
Denique habent media proportionata cum suo privato fine. ibi.
Religiosus animum proficiendi deponens peccat mortaliter. 11. 127.
Tenetur ad non deponendum habitum suæ Religionis sub peccato gravi. 11. 135.
Hæc obligatio oritur ex iure naturali. ibi.
Et etiam ex iure positivo. ibi.
Etiam oritur hæc obligatio â Regula, & quomodò? ibi.
Distinctivũ exterius Religiosi est proprius habitus. ibi.
Interius autem distinctivum cum exteriori debet conformari. 11. 138.

RELIGIO VIRTVS.

Actus orationis elicitur â Religione existente in voluntate. 1. 136.
Oratio tribuit Deo cultum, quia est

actus Religionis. 2. 33.
Quod Religio imprimit intellectui ad orationem, manet de linea voluntatis. 2. 144.
Intellectus non perficitur per hoc, quod habet â Religione. 2. 145.
Contemplatio beata potest amari ex motivo Religionis. 9. 26. 27. & 28.

REVELATIO.

Implicat revelatio de destructione beatitudinis alicuius Beati. 6. 41.
Potest fieri alicui revelatio de damnatione aliena. 6. 188.
De propria verò non nisi de posse absoluto. ibi.
Revelatio negationis D. Petri facta est per modũ comminationis. 6. 195.
Revelationes particulares, si â Deo sunt, non debent inter se opponi. 10. 171.
Si verò inter se opponuntur, vel neutra, vel aliqua à Deo non est. ibi.

S

SATISFACTIO.

Est subrogatio vnius pœnalis pro alio pœnali. 4. 51.

SCIENTIA.

In consideratione scientiæ est per se maxima delectatio. 6. 119.
In Damnatis verò ex adiunctis est summa tristitia. ibi.
Contemplatio est scientia amoris. 12. 48.
Fides dicitur *scientia*, & quarè? 12. 86.
Donum scientiæ procedit per causas infimas. 12. 115. & seq.
Qualiter â scientia dicatur cogitatio. 13. 11.
Scientia est cognitio certitudinalis. 13. 32.
Est etiam cognitio certa procedens ex cognitione principiorum. ibi.
Cognitio certitudinis est scientia in ampla acceptione. ibi.
Prout autem est cognitio principiorum terminata ad conclusiones, est scientia cum omni proprietate. ibi.
Scientia est propriè cognitio per causas, & ex causis, ibi.
Ad scientiam tria requiruntur. ibi in fine.
Divinorum scientia est duplex. 13. 33.
Vna est ex studio, & hæc est Theologia Scholastica. ibi.
Alia est ex connaturalitate, & hæc est Theologia Mystica. ibi.
Scientia petit evidentiam. 13. 34.
Quæ procedit ex studio, seu Metaphysicè, petit evidentiam Metaphysicam. ibi.
Scientia perfecta procedens ex studio petit evidentiam consequentis, & exercitam. ibi.
Imperfecta verò habet evidentiam exercitam consequentiæ, & petitam consequentis. ibi.
Scientia mysticè procedens, dicit evidentiam mysticam. ibi.
Hæc autem evidentia non est intrinseca, sed extrinseca. ibi.
Cum ista evidentia videt de obiecto, *quod non est*. ibi.
Si verò perfecta sit evidentia, cum ea videt obiectum *quoad quid est*. ibi.
Scientia est habitus constans, & quarè? ibi.

SECULARES.

Seculares tenentur ad perfectionem. 11. 176.
Ponitur discrimen inter Seculares, & Religiosos. ibi.

SENSUS.

Sensus visus omnes alios superat. 12. 36.
Actus aliorum sensuum ab actu visus dicuntur visiones. ibi.
A visu spirituali actus voluntatis dicitur *visio*. ibi.

SPASMUS.

Spasmus duplex est. 10. 155.
B. V. MARIA spasmum nullo modo est passa. 10. 156. & 162.
Spasmus est vera ægritudo. 10. 161.

SPECIES.

Species deservientes ad contemplationem fidei, sunt entitativè naturales. 14. 1.
Species ad actus prophetiæ, qui sunt supernaturales, non sunt entitativè supernaturales. 14. 2.

Actus, eò quòd supernaturalis sit, non requirit species entitativè supernaturales. ibi.
Species ad assensum supernaturalem fidei non sunt entitativè supernaturales. ibi.
Species influentes in assensum fidei, influunt in apprehensionem terminorum. ibi.
Species est eiusdem naturæ cum obiecto motivo. 14. 6.
Naturalis species influit in contemplationem, vt modificata. ibi.
Species influit activè in cognitionem. 14. 7.
Quadrupliciter ad actum supernaturalem concurrit. ibi.
Species sunt in nobis de novo impressæ, vel â Deo, vel â sensu. 14. 7.
Sunt etiam in nobis ex diversa dispositione phantasmatum. ibi.
Sunt insuper in nobis ex adiutorio Divini luminis. ibi.
Et denique sunt ex Dei immediata impressione. ibi.
Species repræsentat obiectum motivum. 14. 8.
Etiam repræsentat obiectum terminativum. ibi.
Obiectum motivum speciem immittit potentiæ. ibi.
Species verò est vicaria obiecti motivi. ibi.
Convenit cum eo in gradu immaterialitatis. ibi.
Et denique eum repræsentat ex natura sua. ibi.
Nihil autem horum habet species relatè ad obiectum terminativum. ibi.
Species non est elevabilis, vt repræsentet obiectum motivum. ibi.
Elevari autem potest, vt repræsentet obiectum terminativum. ibi.
Species naturalis elevatur ad repræsentandum obiecta supernaturalia. 14. 10.
Species est instituta ad repræsentandum. 14. 10. & 47.
Hoc munus non est ab specie separabile. 14. 10.
Munus verò activè influendi est ab specie separabile. ibi, & 8.
Species deservientes ad contemplationem, quæ est actus scientiæ infusæ, sunt entitativè supernaturales. 14. 12.
Hæ species ex natura sua obiecta supernaturalia repræsentant. 14. 14.
Species ad scientiam infusam sunt supernaturales, sive sint, sive non cum conversione ad phantasmata. 14. 16.
Quòd species sit propria obiecti, convenit illi, quia quidditativa. 14. 35.
Species impressa quotuplex? 14. 36.
Datur species creata Deum quoad *an est* repræsentans. 14. 45.
Repugnat species repugnante cognitione. 14. 47.
Non datur species creata repræsentans Trinitatem immediatè quoad *an est*, sumpta Trinitate, vt obiectum terminativum. 14. 52.
Et hoc est certum, sive cognoscatur per discursum, sive non. 14. 55.
Si talis species daretur, non posset non reddere actu intelligibilem existentiam Trinitatis. 14. 56.
Species creata Trinitatem repræsentans vt obiectum terminativum quoad *an est*, non solùm implicat absolutè, sed etiam ex modo eam statuendi, & quarè? 14. 57.
Si daretur talis species, daretur cognitio immediata Trinitatis quoad *an est* vt obiecti terminativi. 14. 58.

SPES.

Spes Theologica non requiritur ad orationem. 4. 27.
Nostra oratio procedit ex virtute spei. 6. 8.
Spei obiectum quatuor dicit. ibi.
Quovis ex quatuor istis cessante, spes cessat. ibi.
Respicit bonum arduum, futurum, consequi possibile. ibi.
Spes non datur in Beatis. ibi.
Nec etiam secundùm posse absolutum. 6. 21.
Oratio, spes, & desiderium non possunt coexistere cum re. 6. 15. & deinceps.
Christus meruit, & spe caruit. 6. 21.

Spes Theologica non requiritur neceſſariò ad meritum. ibi.

SUBSTANTIA.

Cur fides *ſubſtantia* dicitur? 7. 82.
Subſtantia creata nequit eſſe ens ſupernaturale. 8. 57.
Subſtantia, & virtus animæ non ſunt idem. 12. 1.

SUPERNATURALE.

A cauſa effiicienti, formali, & finali poteſt haberi ſupernaturalitas. 8. 55.
Non verò valet haberi â cauſa materiali. ibi.
Habitus reſpiciens terminum naturalem, vel ſupernaturalem, non vt talem, naturalis eſt. ibi.
Si verò reſpicit terminum, vt ſupernaturalem, ex ſe eſt entitativè ſupernaturalis. ibi.
Supernaturale eſt, quod omnem naturam creatam, & creabilem ſuperat. 8. 57.
Hoc habet â ſe primum ſupernaturale. ibi.
Et ſecundum ſupernaturale hoc habet â primo. ibi.
Habitus ſupernaturalis debet eſſe infuſus. 8. 71.
Hoc verò actus ſupernaturalis non habet. ibi.
Actus naturalis entitativè, ſi ſit modaliter ſupernaturalis, regulare poteſt volitionem ſupernaturalem. 8. 91.
Etiamque poteſt attingere obiectum ſupernaturale. ibi.

SUPERSTES.

Vide Viator.

STUDIUM.

Vita activa conſiſtit in ſtudio, quo circa actiones externas maximè occupatur. 10. 128.
Vita autem contemplativa eſt ſtudium circa veritatis contemplationem. ibi.
Studium quid ſit? 11. 89.

T

THEOLOGIA.

Prima veritas eſt obiectum primarium Theologiæ Scholaſticæ. 8. 5.
Theologia eſt principium elicitivum contemplationis acquiſitæ. 8. 91.
Theologia Myſtica agit de Deo, vt eſt veritas amabilis. 12. 52. & 53.
Lumen gloriæ eſt Theologia Beatorum. 13. 89.
Theologia noſtra manet in Patria. 13. 94.
In via verò regulatur fide, quatenus eſt vicaria luminis gloriæ in certitudine. ibi.

S. THERESIA.

Docet meditationem neceſſariam eſſe ad contemplationem. 1. 6. & 7.
Falsò pro opinione contraria adducitur. ibi.
Scripſit meditationes ſuper orationem Dominicam. ibi.
Docet meditationem eſſe principium, quo virtutes obtinentur. ibi.
Mirè loquitur de oratione Chriſti in horto. 4. 26.
Docet S. P. N. Ioſeph in omni indigentia, & calamitate opem ferre. 4. 37.
Verbo, & opere docuit Sanctorum invocationem. 5. 21.
Mirè deſcribit æternitatem, & horrorem Inferni. 6. 70.
Egregiè tradit contemplationem activam. 7. 12.
Deus fecit S. Thereſiam Magiſtram contemplationis infuſæ. 7. 32.
In Africam trajiciens ducebatur Spiritus S. motione, ſupra regulas rationis. 8. 36. & 37.
Divinos favores exteriores humilis recuſabat. 11. 22.
Cenſura S. Thereſiæ contra conantes contemplationem infuſam. 11. 23.
Docet familiam noſtram eſſe contemplativam. 11. 118.
Frequentiſsimis apparitionibus promovet ſuam reformationem. 10. 132.

V

VELUM.

Velum eſt triplex: naturale, temporale, & ſenſibile. 1. 9.
Naturale eſt affectio ad propriam operationem. ibi.

Tẽporale eſt affectio ad creaturas. ibi.
Senſibile eſt vnio animæ ad corpus. ibi.
Iſto vltimo velo perſeverante Deus nequit videri. ibi.
Nec poteſt perfectè cõtemplari aſtantibus velo naturali, & temporali. ibi.

VERITAS.

Eſt obiectum meditationis. 1. 11.
Haberi non poteſt, niſi per inquiſitionem, vel infuſionem. ibi.
Obtinenda eſt per bona opera. 1. 12.
Veritas non pertinet ad eſſe, nec ad bene eſſe orationis enuntiativæ? 2. 51.
Veritas eſt finis contemplationis. 12. 44.
Contemplatio veritatis eſt finis intellectus ſpeculativi. 12. 56.
Simplex apprehenſio non percipit veritatem formaliter vt talem. 12. 78.

VIA SPIRITUALIS.

Luſtrans viam ſpiritualem procedit de potentia ad actum. 1. 4.
Via ſpiritualis dividitur in purgativam, illuminativam, & vnitivam. 1. 7.
In via ſpirituali Deus dirigit animam iuxta ipſius conditionem. 1. 38. & 39.
In via ſpirituali anima non poteſt eſſe ſine motu. 11. 87.
Si anima in via ſpirituali non tendit ad perfectionem, currit ad perditionem. ibi.

VIATOR.

Poteſt habere viſionem Dei tranſeuntem. 1. 9.
Non verò permanentem. ibi.
Viator Sanctos invocans non facit Chriſto iniuriam. 5. 30.
Oratio viatoris eſt, vt ſe Divinæ voluntati conformet. 6. 171.
Dum dicitur, Deum velle *omnes homines ſalvos fieri*, limitatur ad viatores. 6. 176.
Maior perfectio eſt viatoris ſe conformari cum voluntate Divina in volito materialiter. 6. 182.
Pro omnibus viatoribus collectivè orare non poſſumus, vt ſalventur, & quarè? 6. 169.
Petere hanc ſalvationem eſſet Deo iniurioſum, & quarè? 6. 170.
Hæc petitio non eſſet *decentium à Deo*. 6. 171.
Pro omnibus viatoribus diviſivè orare poſſumus. 6. 201.
Hoc docuit Chriſtus in oratione Dominica. 6. 206.
Orare poſſumus pro viatore peccante in Spiritum Sanctum. 6. 207.
Viator poteſt alia via â contemplatione ea, quæ debet, adimplere. 11. 71.
Viator differt â Beato per *videre, & non videre*. 14. 21.

VIRTUS.

Datur diſtinctio inter virtutem imperantem, & elicientem. 2. 128.
Si virtus ordinat actum ad finem ſibi intrinſecum, illum elicit, datque illi primum, & eſſentiale eſſe. ibi.
Si actum ordinat in finem non ipſius actus, ſed habitus, illum imperat, & in eo ſupponit primum eſſe. ibi.
Virtus elevat potentiam, in qua eſt, vel per ſe, vel per modum â ſe derivatum. 2. 132.
Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum. 3. 145.
Virtutum germanitas eſt inpræſcindibilis. 2. 30.
Virtus dividitur in Politicam, Purgatoriam, & purgati animi. 8. 28. & 30.
Politica pertinet ad incipientes. 8. 29.
Purgatoria ad Proficientes. ibi.
Quæ eſt purgati animi ad Perfectos. ibi.
Virtus dividitur in heroicam, & communiter dictam. 8. 35.
Virtus communiter dicta eſt acquiſita. ibi.
Virtus heroica eſt duplex. ibi.
Qualiter inter ſe differant iſtæ virtutes? ibi.
Virtus heroica ſemper procedit ex motione ſpeciali. 8. 39.
Dona Spiritus Sancti ſuperant omnes virtutes ex parte modi. 13. 71.

VIRTUS MORALIS.

Habet meditationem pro principio. 1. 33.

Eſt diſpoſitio ad cõtẽplationem. ibi.
Obiectum virtutis moralis eſt bonum regulatum per prudentiam. 2. 51.
Virtuti morali quævis, etiam minima, malitia repugnat. ibi.
Virtus moralis acquiſita nunquàm pervenit ad perfectionem infuſæ. 7. 21.
Pertinet per ſe ad vitã activam. 10. 14.
Diſpoſitivè attinet ad vitam contemplativam. ibi.
Non conſiſtit in raptibus, & ſimilibus favoribus. 11. 21.

VIRTUS THEOLOGICA.

Eſt perfectior Spiritus Sancti donis. 13. 42.
Eſt aliarum virtutum, & donorum finis. ibi.
Per virtutes Theologicas cum Deo vnimur. ibi.
Per virtutes Theologicas dona regulantur in via. 13. 94.

VISIO.

Viſio, alia eſt tranſiens, & alia permanens. 1. 9.
Viſio tranſiens poteſt dari in viatore. ibi.
Non autem permanens. ibi.
Sunt, qui afferant P. N. Eliam frui viſione beata. 5. 114.
Ab actu videndi, actus aliorum ſenſuum dicuntur viſiones. 12. 36.
Sicque â viſu ſpirituali dicitur *viſio* actus voluntatis. ibi.
Contemplatio eſt animæ viſio. 12. 14.
Viſio beata non eſt ſimplex apprehenſio. 12. 81.
Nec etiam eſt actus fidei. ibi.
Viſio Dei eſt multiplex. 13. 82.
Elicitur â lumine gloriæ. ibi.
Viſio Dei eſt Beatorum gloria. ibi.
Viſio iſta eſt â lumine gloriæ ante actum charitatis. 13. 83.
Regulat, & excitat amorem beatificum. ibi.
Viſio, quæ elicitur â dono intellectus, terminatur ad Deum, vt â voluntate deguſtatum. ibi.
Viſio eſt cognitio experimentalis quidditativa. 13. 90.
Terminatur ad Deum, prout eſt. ibi.
Viſio myſtica terminatur ad Deum, prout ſapit. ibi.

VITA.

Vita ſpiritualis non conſtituitur per actum in individuo. 10. 12.
Conſtituitur autem per ſtudium ad actus. ibi.
Vita humana adæquatè dividitur in contemplativam, & activam. 10. 25.
Quid requiratur, vt ſtatus ſit mixtus ex vita contemplativa, & activa? 10. 33. & 34.
Vita voluptuoſa non pertinet ad vitam humanam ordinatam. 10. 36.
Eſt vita beſtialis. ibi.

ACTIVA.

Quid ſit vita activa? 10. 16.
Conſiſtit in agibilibus. ibi.
Et hoc non ſolùm reſpectu aliorum, ſed etiam reſpectu ſui. ibi.
Primo modo eſt perfectior, & quarè? ibi.
Ad vitam activam eſſentialiter pertinent virtutes morales. ibi.
Et etiam pertinet mortificatio ſenſuum externorum, & internorum. ibi.
Vita activa eſt eſſentialiter diverſa â contemplativa. 10. 17.
Finis vitæ activæ eſt etiam diverſus â fine contemplativæ. ibi.
Separantur realiter. 10. 18.
Quid requiritur, vt ſtatus ſit mixtus. 10. 33. & 34.
Donati Carmelitæ dicuntur vitæ activæ, non abſolutè, ſed relativè ad Chorum deſtinatos, & quarè? 10. 35.
Quarè exercitiis Donatorum attribuitur nomen vitæ activæ? ibi.
Donati non excuſantur â contemplatione. ibi.
Ad vitam activam ſpectant Lectores, Prædicatores, & Confeſſores. ibi.
Meditatio ſpectat ad vitam activam. 10. 39.
Cur omnis actio ad vitam activam ſpectat? 10. 40.
Vita contemplativa perfectior eſt activa. 10. 43.
Vita activa excedit ſecundùm quid, & in-

in casu contemplativam. ibi.
Vita activa non convenit secundùm optimum. ibi.
Vita contemplativa diuturnior, & delectabilior est activa. ibi.
Et etiam magis propter se diligitur. ibi.
Vita activa est secundùm humana. ibi.
Et etiam secundùm vires inferiores. ibi.
Principium vitæ activæ est charitas, vt respicit proximum. 10. 52.
Vita activa vtilior est contemplativa, & quarè? 10. 72.
Vita autem contemplativa est difficilior activa. 10. 85.
Vita activa est dispositio ad contemplativam. 10. 98.
Habet activa vita duplex genus actuum. 10. 103. & seq.
Alii sunt circa media, & alii circa finem. ibi.
Primi sunt rigorosè dispositiones ad contemplationem. ibi.
Secundi verò manent cum ipso fine. ibi.
Explicatur hoc. ibi.
Vita activa datur in Angelis. 10. 149.
Potest esse simul cum vita contemplativa in eodem viatore. 10. 151.
Tripliciter potest intelligi vitæ activæ compatibilitas cum contemplativa. 10. 149. & 150.
In B. V. MARIA fuerunt simul vita activa, & contemplativa. 10. 151.
Idem potest diversis temporibus studere vitæ contemplativæ, & activæ. 10. 178.
Vtraque non potest dari simul simultate temporis. 10. 185.
Vita activa, dum est perfecta, non turbatur. 10. 195.
Operatio vitæ activæ est effectus contemplationis, & Dei contemplati, vt finis. 11. 69.

CONTEMPLATIVA.

Vita contemplativa constituitur per studium ad contemplationem. 10. 12.
Manet in Patria. 10. 18.
Significatur in Euangelio per Mariam. ibi.
Doctrina, quæ dirigitur ad cognitionem veritatis, pertinet ad vitam contemplativam. 10. 21.
Cur omnis cognitio ad vitam contemplativam non spectet? 10. 40.
Vita contemplativa convenit secundùm optimum. 10. 43.
Est secundùm Divina. ibi.
Est secundùm intellectum. ibi.
Non est bonum solùm vnius, sed etiam multitudinis. 10. 73.
Labores vitæ contemplativæ superant labores activæ. 10. 78.
Euangelium nos informat ad vitam contemplativam. 10. 87.
Zelus animarum, si sit ex redundantia contemplationis, superat vitam contemplativam. 10. 95.

VITIA.

Vitia compatiuntur cum gratia viæ. 1. 9.
Non componuntur cum gratia consummata. ibi.

VNIO.

Vnio animæ ad corpus est velum sensibile, quo perseverante non videtur Deus. 1. 9.
Fides est vnicum medium ad vnionem. 7. 50.
Matrimonium spirituale Beati consistit in vnione actuali. 10. 188. & 189.
Viatoris matrimonium consistit in habituali vnione. ibi.
Ad primum requiritur actualis vnio intellectus, & voluntatis cum Deo. ibi.
Ad secundum requiritur vnio habitualis istarum potentiarum cum Deo, non semper actualiter, sed multoties. ibi.
Vnio cum Deo alia est secundùm omnes potentias. 10. 189.
Alia est secundùm solam voluntatem. ibi.
Prima vnio parùm durat. ibi.
Secunda magis durat. ibi.
Vnio cum Deo faciliùs consequitur per contemplationem. 11. 29.
Vnio per intellectum perfectior est, quàm per voluntatem. 12. 20.

VOLUNTARIUM.

Quid ſit voluntarium? 12. 3.
Implicat contemplatio, quæ non ſit voluntaria. 12. ibi. & deinceps.
Voluntarium eſt ſuperius ad liberum, & neceſſarium. ibi.
Adæquatè dividitur voluntarium in liberum, & neceſſarium. ibi.

VOLUNTAS.

Voluntas movet alias potentias medio vſu. ibi.
Etiam ſe ipſam movet ſuppoſita ordinatione Divina. ibi.
Oratio tendit ad Divinam voluntatem movendam. 2. 98.
Voluntas dicitur *apex mentis*. 2. 105.
In Deo eſt duplex voluntas. 3. 31.
Alia vocatur *antecedens*. ibi.
Alia *conſequens* nominatur. ibi.
Voluntas antecedēs reſpicit obiectum abſolutè. ibi.
Conſequens reſpicit obiectum, vt circunſtantiis veſtitum. ibi.
Idem obiectum ſolet eſſe bonum relatè ad voluntatem antecedentem, & malum relativè ad conſequentem. ibi.
Voluntas humana etiam eſt duplex. 4. 23.
Vna eſt *ſenſualitas*, quæ eſt voluntas partis ſenſitivæ, & dicitur *appetitus*. ibi.
Alia autem eſt *rationalis*. ibi.
Hæc dividitur in ſe ipſam, vt natura eſt, & vt formaliter rationalis eſt. ibi.
Voluntas, quæ dicitur ſenſualitas, reſpicit bonum ſenſibile. ibi.
Rationalis, vt natura eſt, reſpicit bonum reale abſolutè. ibi.
Vt formaliter rationalis eſt, reſpicit bonum, vt veſtitum omnibus circunſtantiis. ibi.
Hæ omnes voluntates dantur in Chriſto. 4. 24.
Voluntas eſt principium peccati mortalis ex certa ſcientia. 6. 210.
Tenemur conformari cum voluntate Divina in volito formali. 6. 179.
Explicatur quid ſit volitum formale, & materiale? 6. 180.
Qui ſpeculationem ad in flammandam voluntatem non dirigit, Euangelicè non contemplatur. 8. 5.
Voluntas nequit eſſe principium proximum contemplationis. 12. 32.
Voluntas non movetur ad operandum per ſimplicem apprehenſionem obiecti. 12. 74.
Conſentire eſt actus voluntatis. 12. 84.
Actus fidei non illuſtratæ præcedit guſtum voluntatis. 13. 13.
Actus verò contemplationis ſubſequitur. ibi.
Voluntatem deguſtantem dona ſupponunt. 13. 83.

Z

ZELUS.

Priſtinum animarum zelum Elias gerit in Paradiſo. 5. 87.
Zelus animarum, ſi ſit ex redundantia contemplationis, ſuperat vitam contemplativam. 10. 95.
Non verò, ſi non procedit ex redundantia contemplationis. ibi.

VOLUNTARIUM.

Quid sit voluntarium? 12.

Implicat contemplatio, quæ non sit voluntaria. 12. ibi. & deinceps.

Voluntarium est superius ad liberum, & necessarium. ibi.

Adæquate dividitur voluntarium in liberum, & necessarium. ibi.

VOLUNTAS.

Voluntas movet alias potentias meas dic vii. ibi.

Etiam si ipsam moveat Lucifer ordinatione Divina. ibi.

Omnia tendit ad Divinam voluntatem. 19.

Voluntas dicitur apprehensiva. 6.

In Deo est duplex voluntas. 6.

Alia vocatur antecedens. ibi.

Alia consequens nominatur. ibi.

Voluntas antecedit explicit obiectum. 19.

Consequens explicit obiectum, vt circumstantias volitum. ibi.

Idem obiectum potest esse bonum secundum volitum antecedentem, & malum relativè ad consequentem. ibi.

Voluntas humana etiam est duplex. 19.

Una est rationalis, quæ est voluntas naturæ, & dicitur naturalis.

Alia autem est rationalis. ibi.

Hæc dividitur in elicitam, & naturæ est. ibi.

Sive formaliter rationalis est. ibi.

Voluntas quæ dicitur sensualitas, nulla est bonum sensibile. ibi.

Rationalis, vt natura est, explicit bo-

num reale absolutè. ibi.

Vt formaliter rationalis est, explicit bonum, vt volitum omnibus circumstantiis. ibi.

Hæ omnes voluntates dantur in Christo. 24.

Voluntas est principium peccati materialis ex certa scientia. 6. 210.

Tenemur conformari cum voluntate Divina in volito formali. 6. 179.

Explicatur quid sit volitum formale, & materiale? 180.

Quid speculationem ad humanam voluntatem non dirigit, figuratè non complantur. 8. 93.

Voluntas nequit esse principium primum contemplationis. 12. 94.

Voluntas non movetur ad operandum per simplicem apprehensionem obiecti. 12. 94.

Contineri sub voluntate. 12.

Actus. 94.

Actus fidei non illuminat præcedit voluntatis. 12. 93.

Actus contemplationis subjicitur. ibi.

Voluntatem defæcatam deum supponit. 193.

Z

Principium animatum actum Elias petit. 179.

Zelus contemplationis, & ex redundantia contemplationis, fuperat vitam. 10. 95.

Non præcedit ex redundantia contemplationis. ibi.

El Sor en cuyas luces libro la
ina providencia la vivificacion
ciado apenas nace quando inclina
sus rayos á la tierra levanta de el
bastos vapores elevandolos á las n
nubes, y dandoles el ser que no tiene
que cobren la atencion, que desean
endo al mismo tiempo, que desentu
da la tierra comunique su fuego á la
ntas para que estas vistiendose de
colores sirvan de hemoso Ornato de
Maria SSma del Carmen mi Mad
Por Lamano y Pluma de Juan Ber
Dipulo, del Señor Maestro Don

El Sol en cuyas luces libro la Divin
videncia la vivificacion de lo criado
neces quando inclinando sus rayos á l
levanta de ella los bastos vapores
dolos á las lucidas nubes, y dandolos
que no tienen para que cobren la aten
que desean haciendo al mismo tiempo
sen lucrecida la tierra comunique su
las plantas para que estas vistiendo
os colores suvan dcheamoso Ornatos
á la vista El Sol en cuyas luces libr
Maria SS.ma del Carmen mi Madre y S
A B C D E F G H I J K
Por Lamano y Pluma de Juan Benit
pulo del Señor Maestro Don Anto